1683

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 n
22 — D
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8 8
C C
28 25

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIONES VESPERTINÆ QVADRAGESIMALES,

ſuper ſeptem pœnitentiales Pſalmos.

PER R.P.F. DIDACVM DE LA VEGA,

Toletanum Ordinis Seraphici Franciſci, Prouinciæ Caſtellæ, & in Conuentu S. Ioannis Regum eiuſdem ciuitatis, Theologicæ facultatis Lectorem.

EDITIO TERTIA.

Poſtremùm, innumeris quibus anteà ſcatebant mendis purgatæ, variiſque & vtiliſſimis ad marginem notis illuſtratæ.

CVM INDICE COPIOSISSIMO RERVM memorabilium, locorum communium, & ſententiarum, quæ in hoc opere continentur.

LVGDVNI,

APVD HORATIVM CARDON.

M. DCIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cenſura Toletanæ Academiæ.

DE ſenatus ſupremi mandato diligenter euoluimus Cōciones in ſeptem Pſalmos pœnitentiales, editas à Reuerendo admodum Patre, Fratre *Didaco de la Vega* inſtituti D. Frācīſci Sacræ Theologiæ Lectore: In quibus nihil fidei Catholicæ & morum integritati aduerſum inuenimus: Quin potius doctrinam varia eruditione refertam. Quapropter in magnam omnium ſtudioſorum vtilitatem, typis mandari poterunt. In Academia Toletana, die 21. Octobris, Anni 1594.

D. Franciſcus de Piſa.

F. Thomas Gonçales, Magiſter & Cathedraticus primarius Theologiæ.

F. Franciſcus à Carceres, D. Theologus.

CENSVRA.

EX ſpeciali mandato Reuerend. P. N. F. Matthæi de Burgos, Ciſmontanæ Familiæ Seraphicæ Religionis Commiſſarij Generalis, legi & volui, quā potui diligētia & attētione, Conciones has omnes in ſeptem Pſalmos pœnitentiales, à grauiſſimo & ſapientiſſimo viro, Patre, Fratre *Didaco de la Vega* Cœnobij D. Franciſci Mantuæ Carpentanæ egregio Concionatore compoſitas, in quibus plurimæ & grauiſſimæ conſiderationes ſacræ Scripturæ, appoſitiſſimis locis ſanctorum Eccleſiæ Patrū doctrinis, Oratorum, Poëtarum, atque Philoſophorum ſententiis ornatæ, continentur. Inſuper præter hæc lucet in eis vtraque Theologia, inſignis ſententiarum vbertas, mira eruditio, tum & inuſitata quædam rerum varietas: vt tanto viro, tanta induſtria, tanto deniqueingenio, dignæ cenſeantur. Ex quibus facilè deprehenditur, nihil diſſonum, aut bonis moribus contrarium in eis contineri. Imò multa quæ diuini verbi Cōcionatoribus, & audientium animis maximam ſunt vtilitatem allatura. In hoc Cœnobio noſtro D. Franciſci Turris Lucunenſis, menſis Febr. die 18. Anno 1594.

F. *Ioannes del Barco.*

Digitized by Google

LICENTIA.

FRater Matthæus de Burgos, totius Ciſmontanæ Familiæ Ordinis Minorum Seraphici Patris noſtri Frãciſci Commiſſarius generalis, Patri Fratri *Didaco de la Vega* eiuſdem inſtituti ac prouinciæ Caſtellæ egregio Prædicatori ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm Chriſtianam Religionem modis omnibus iuuare, & eos, qui ex noſtra familia & virtute & meritis, & doctrina ei aliquid ſplendoris afferre poſſunt, fouere & ornare, ex munere teneamur, tuam ſingularem eruditionem quouis fauore dignam certò arbitramur. Quare harum ſerie liberam tibi concedimus facultatem, quatenus opus, quod te cõpoſuiſſe nobis ſignificaſti, (cui titulus Latino ſermone, Conciones in ſeptem Pſalmos pœnitentiales, inditus eſt) quodque tum omnibus verbi diuini Concionatoribus, tum audientium animis ad pœnitẽtiam excitandis, perutile fore ſperamus, poſt quam illud præuiſum iam, examinatum, & approbatum per quàm doctos Patres noſtri ordinis (ſeruata ſacri Concilij Tridentini forma) regis ſenatus facultate munieris, prælo mandare poſſis ac valeas. Datis in noſtro Conuentu D. Franciſci Madriti. 4. Non. Martij Anno 1594.

F. Matthæus de Burgos, qui ſuprà.

APPROBATIO.

HAs R. P. *Didaci de la Vega* in ſeptem pœnitentiales Pſalmos, pias & orthodoxas Conciones ad torpentes peccatorum ſomno mentes expergiſcendas plurimùm valere, ſalutaríque pollere doctrina, ac ſummo cum pietatis & Religionis Catholicæ progreſſu, typis mandari poſſe, cenſeo.

Lugduni, in Auguſtiniana Eremo. 10. Calend. Octob. 1599.

Ego F. Ioannes Comes. D. Theologus.

Digitized by Google

MERITISSIMO AC SAPIENTISSIMO PRÆSVLI P. F. MATTHEO DE Burgos, totius Ciſmontanæ Familiæ, Ordinis D. Franciſci generali Commiſſario, F. Didacus de la Vega, eiuſdem inſtituti Profeſſor, ſalutem & æternam fœlicitatem exoptat.

CVM ſæpè numero conſiderarem, digniſſime Præſul, totius noſtræ Seraphicæ religionis facile decus, poſtquam ad ſcribendum animum induxeram, & Conciones has in ſeptem Pſalmos pœnitentiales, in publicam fidelium vtilitatem typis mandare decreueram, cuinam opus hoc dicarem & offerrem, ſub cuius munimine & protectione in publicam lucem ſecurè poſſet prodire: dum hæc, inquam, mente voluerem, tu mihi ſolus occurriſti: cui omnes mei labores, qualeſcunque ſint, multis nominibus deberentur. Longum eſſet & impor-

tunum virtutum omnium ornamenta quibus cælitus condecoratus es, nunc in præſentiarum referre (quod & feciſſem libenter niſi omnibus maniſeſtum, & nulli incognitum eſſe agnoſcerem.) Quantum de bonis literis, tum ſcholaſticis, tum poſitiuis, ſis benemeritus, quantum in alijs edocendis ſacram Theologiã, dum huiuſcemodi ſtudijs operam dabas, & inſudaueris, & profeceris, quanta prudentia, & religionis Zelo, poſtquam ad præſulatus & dignitatis gradum, non ſine diuino numine, aſcendiſti, res noſtras adminiſtres & gubernes: in quibus omnibus tantam meritorum gloriam & laudem apud Chriſtianos Principes, maximè Regem noſtrũ Philippum es adeptus: vt omnium ora tanquam ad aliquod diuinum numen, ad te vnum videam eſſe conuerſa. Verùm his omnibus omiſsis, quorum ſingula poſſent me inducere, quod præſertim animum meum pellexit, eſt ſingularis tua benignitas, & mira quædam beneuolentia, qua omnes qui literarum ſtudijs incumbunt, eos præſertim qui omni fauore deſtituti ſunt, protegis & tueris. In quo (ni ego fallor) & Deum optimum maximum imitaris, & muneri tuo reſpondes. Imitaris quidem Deum, qui ſuſcitat multoties de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem, illis præcipuè opem ferendo, quos omni ope & auxilio viderit deſtitutos; extat enim vera grauiſsimi Philonis ſententia, Philon.

quod

Digitized by Google

quod neceſſe eſt diuinum adeſſe auxiliũ vbi humanum defecerit. Muneri verò tuo reſpondes, quia cùm noſtræ ſacræ religionis (Deo ſic diſponente) præſul ſis conſtitutus teneris quidem omnium eſſe fautor & protector, omnibus patrocinari, nullum non defendere, & eos qui ad te tanquam ad ſacram anchoram confugerint, viſceribus charitatis amplecti. Hoc enim cuiuſcunque Prælati, aut Paſtoris Eccleſiaſtici munus eſt. Quia, Matth. 5.
ſicut Prælatus ſali & lumini diuinitus comparatur, ſic & ciuitati ſupra montem conſtitutæ. Quales antiquitus ad totius regni ſecuritatem erant ciuitates refugij, vbi tempore belli, quando ſeditiones feruent, funditur ſanguis, parantur inſidiæ, graſſantur arma, & pericula imminent: populi infirmi, quibus non ſuppetunt arma, & mœniorum munimenta deſunt, protegi ſolent & defendi: vt intelligamus hinc, Prælatum & Principem ad protegendos quos ſubiectos habuerit, cùm neceſſitas exegerit, ex munere teneri. Quapropter crediderim ob hanc rationem, Deos ab Scriptura ſacra (& id quidem non incongruè) paſſim appellari. Quoniam Dij fortes terræ (inquit diuinus illè cytharœdus) vehementer eleuati ſunt. Diuus Hieronymus vertit ex Hebræo: Quoniam Dij qui Pſal. 47.
ſunt ſcuta terræ, &c. Sed quodnam eſt ſcuti munus? profectò nullũ aliud, quàm militem in bello protegere, & eundem ab inimicorum telis & in-

curſibus reddere incolumen. Tale quidem eſt veri paſtoris officium, hoc illius ſtudium eſſe debet, & in hoc omnes adhibere conatus, vt eos qui ſub ſua degunt tutela, defendat, protegat, & tueatur. Quare, cùm meritiſſimus ſis, Præſul, verè pius, & verè pater, ſicut & ego experientia didici, & fama loquax, quæ iam per omnium ora vagatur proclamat, & manifeſtat: ſub cuius alterius tutela, & patrocinio opus hoc à me conſcriptum, meritis exiguum, ſtylo humile, eloquentia carens, eruditionis expers, & omni verborum ornamento deſtitutum, quàm tui ipſius, par erat vt typis mandaretur? Fuit & alia ratio non incongrua, quæ ſilentio prætereunda non eſt, ne ingratitudinis arguerer, & ne beneficiorum quibus me in multis deuinxiſti, omnino videar eſſe oblitus, Seneca. *quod iuxta Senecæ ſummi Philoſophi ſentētiam, peſſimum genus ingratitudinis eſt. Ingratum namque animum, non ſolùm homines, verùm & ipſe Deus deteſtatur & execrabilē habet. Qua propter lacteum illud eloquentiæ flumen, diuus* Bernard. *inquam, Bernardus, cùm de ingratitudine ageret, in hæc verba prorupit. Ingratitudo eſt animarum hoſtis, virtutum inimica, ventus vrens, qui fontem diuinæ miſericordiæ, fluenta gratiæ, & bonorum ſcaturigines obturat. Me ergo poſt tot à te ſuſcepta beneficia ingratus & obliuioſus conuincar, munuſcula hæc, qualiacunque illa ſint, ibi*

offerre

offerre non dedignabor,veſtigia illius ſecutus,qui Cyro Perſarum Regi , cùm aliud munus ad manum non haberet,parum aquæ quàm abſtraxit ex flumine libentiſſimè obtulit. Tu , digniſſime , & amantiſſime Præſul , ea qua ſoles humanitate, mea munera ſuſcipe , neque minora quàm te deceant eſſe conſideres, ſed tanquam certiſſima amoris & gratitudinis ſigna amplectere.

Vale.

Digitized by Google

HORATIVS CARDON, LVGD. BIBLIOPOLA, Lectori beneuolo, S.

QVID in noſtra hac *R. P. Didaci de la Vega* in 7. Dauidicos, expiandis pœnitentiæ ſacramento, culpis, deſtinatos Pſalmos, quadrageſimalium Concionum, omnibus ad meliorem frugem hoc ſolenni Iobelææ remiſſionis anno excitandis aptiſſimarum, recenti editione præſtitum ſit, quamque ea, Complutenſi illuſtrior & emendatior in lucem prodeat (Lector beneuole) ne φίλαυτ☉ meique ipſius nimio obcæcatus amore videar, non aliunde verius deprehendas vel æquiori lance trutines velim, quàm ex ſedula vtriuſque editionis lectione, fidelique & candida collatione. Quandoquidem ſuum cuique nimis pulchrum apparet; & cõmunis φιλαυτία omnes ferè eò cæcitatis rapit; vt impenſiùs & plus æquo ſuis faueant, & ſibi quiſque ſit quod olim ſibi fuit Catullianus Suffenus, aut Mæuius Horatianus, ſuiſque (vt verius loquar) delectetur malis, ac turpiſſ. alioqui Therſites, Apollo formoſiſſ. ſibi appareat. Nam,

Horat. *Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc*
Delectant: veluti Balbinum polypus Agnæ.

Et, vt

Digitized by Google

Et,vt magnus ille P. Aurelius Auguſtinus ep.48.hoc hemiſtichio docet. *Quod volumus ſanctum eſt.* Quodque Lucianus in patriæ encomio ſcribit: καὶ ὁ τῆς πατρίδος αὐτῷ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός, id eſt, Et patriæ fumus luculentior homini videbitur, quàm ignis alibi. Perſpicies itaque, non quidem ex mea commendatione, ſed in hac noſtra editione tam multa quæ in Complutenſi, deprauata, obliterata, mutila, diſſuta, & citra ordinem erant poſita, ſuæ puritati & integritati ſuóque ordini ſedulò eſſe reſtituta: vt Scripturæ. S. loca fidelius ſignata, necnon multas eáſque perutiles, ex eruditiſſ. *clariſſimi, & ſempiternâ memoria digniſſ. D.G. Genebrardi*, in eoſdem Pſalmos Commentariis, quos elegantiſſ. typis recèns tibi excudimus, depromptas ad marginem notas, prætercam. Hanc verò reſtitutionem (candide Lector) R. P. Io. Comitis Theologi Auguſtiniani vigiliis & induſtriæ acceptam referas, communémque noſtrum publicæ ſalutis promouendæ conatum albo notes calculo, vtque diu fœlix valeas exopto, & quib. poſſum votis precor. Lugduni 10. Calend. Octobr. anni 1599. *D. Aug. ep. 48.*

THEO

THEODOSII PRES-BYTERI AMBERIANI, AD Horatium Cardonium inſignem Lugdunenſem Ciuem, pro ſecunda Editione Concionum Veſpertinarum Quadrageſimalium ſuper ſeptem pœnitentiales Pſalmos Frat. Didaci de la Vega Theologi Franciſcani Hiſpani, Εὐλογία.

QVI *Typographiam commendat, non minùs ineptè facere videtur, quàm qui lucem laudat. Nemo eſt, niſi vel cæcus vel amens, qui non intelligat, quàm neceſſarius ſit lucis vſus: ita nullus, niſi prorſus imperitus, ignorat, quanta ſit huius artis vtilitas. Nam, vt eius inuentionem, de qua multi ſcripsêre, omittam: hæc ars cæteras omnes eo antecellit, quòd cæteris, cùm artibus, tùm diſciplinis, ſæculorum ſeriem & immortalitatem ferat, neque tam ſibi, quàm alijs proſit, eáque ſola eum finem habeat, quo exercenda negotiatio, vt*
Iſa. 23. *ſancta ſit, deq́; ea illud Iſaiæ dici poſſit:* Et erunt negotiationes eius, & merces eius ſãctificatæ Domino. *Logicam ſcientiã vulgò dicimus modũ ſciendi, quòd, quo reliquæ ſcientiæ acquirũtur, ordinẽ tradit, ſicq́; eã, ſine qua ad diſciplinas via nõ eſt, ſi quid rectè ordineq́; ſcire volumus,*

primùm

primùm anquirimus: Ita hoc noſtrum Typographiæ diuinum inuentum, rationem facilè nulloq́; fere negotio omnia ſciendi ac addiſcendi ad quæ mens mortalium contingere poteſt, affert. Sed & hoc eximium illius artis Encomium, quod non ſolùm in ſe maxima eſt, ſed & magnos, illuſtres, & ad omnem poſteritatis commendationem eos tranſmutit, qui eam domi excipiunt, inq́; ſuorum numero habent, alunt, exornant: vt cum Sapiente dicere poſſint, quod tamẽ propriè de Iuſtitia dictũ: Venerũt mihi omnia bona pariter cum ea, & innumerabilis honeſtas per manus illius. *Sic Ioannes Cuthembergus Germanus Nobilis eius Inuentor, ab obliuione, cui tot honeſti alioquin ætate ſua homines obnoxij ſunt, nomen ſuum vendicauit. Sic Conradus æquè Germanus, quem ſuum nominare Cadmum Italia meritò debet, cùm è Germania illam in Italiam ſecum adduxerit, & in celeberrima id temporis Maſſimorum domo Romæ aureos de ciuitate Dei Diui Auguſtini libros primùm excudens, qui ad fœlicis conatus memoriam aſſeruantur, doctiſque hoſpitibus oſtentantur, exercuerit, mortuus etiam nunc viuit. Sic Ludouicus Gomez Hiſpanus inter ſuos: Nicolaus Gienſonus Gallus inter Venetos: Aldus & Paulus Manutij apud eoſdem: Iodocus Aſcenſius & Frobenius cum Oporino Baſileæ: Morelius, Vaſcoſanus, Stephani Pariſijs: Griphius, & Rouilius Lugduni: Chriſtophorus Plantinus Antuerpiæ* θεωμένοι, *& ex humana natura, quaſi in diuinam abierunt. Horum veſtigijs, Horati Cardoni, fœliciſſimè inhæres, quem & honeſta in eruditos, quorum opera vteris, liberalitas, & ſtudium ſumptibus tuis immenſis grauiſſimos authores in primis emendatos excudendi, quàm latè Galliæ, Hiſpaniæ, & Italiæ fines patent, iam commẽdant: ſic, vt ſumma ſedes illa te maneat in*

Sap. 7.

qua

qua nunc præſtantes illi rei literariæ Promotores reſident. Cùm enim primum locum in rebus agendis obtineat intentio finis, à quo nullæ non virtutis actiones nomen ac dignitatem maximè capiunt, refert multùm, operibus in noſtris recto ſi fine ducamur: cùm ſi in eo errauerimus, quod Ariſt. ait, accidere neceſſe ſit, vt paruus error in principio maximus fiat in fine. Cùm vero, vt præclarè D. Bernard. exiſtant, qui eo fine ſcire velint, vt ſciant, quod turpis mentis elatæ & impotentis anxietas eſt: & qui eruditionem appetant, vt ſciantur ipſi & erudit vocentur, quod ridiculum eſt vani hominis indicium, quos mordens ſubſanat ſatyricus hoc ſcommate, ſcire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter: & qui diſciplinis incumbunt, vt ſcientiam cauponentur, alijſque pecunia, fumo, viliq́ue quæſtu vendant: & quoque qui ſcire optant, vt honeſtè & ingenuè docendo proſint, quod ad benignitatis Chriſtianæ officium maximè ſpectat, alij vt ampliores ſemper progreſſus faciant, aptioréſque ſint inſtitutioni, quæ ſumma Prudentiæ pars exiſtit: ſic quotidie ſpectamus innumeros penè è prælo & librorum formis opibus tantùm auidè inhiantes, vnde tot inemendata prodeunt præſtantiſſimorum authorum monumenta; vix verò vnum aut alterum honori ſuo, vtilitati publicæ boniq́ue viri officio excudendis libris intentum. In his qui ſua vtilitate non modo publica commoda metiuntur, neque me κολακεύειν σοι tu omneſque boni, qui norunt quàm ſim ἀκόλακος, & inſuetus dorſum ſcalæ ſubijcere, putetis non te poſtremum, vbi notus eſſe cœpi tibi, & quaſi laribus tuis inſitus, explorans deprehendi. Vt enim me limam libris, quos mihi commendaſti, neceſſariam afferre decreſti, id ſummoperè flagitaſti, efficerem, vt caſtigati emendatiſſimiq́ue à nobis ipſi rederent ad te, ne quid Horatij Cardonij impenſis excuſſum eſſet, quod à

Serm. 37. in Cant.

Doctis accuſaretur vel incuria vel ſordium. En redeunt ad te Veſpertinæ tuæ Conciones, quas denuò typis tuis emendatiſſimis ſubijcere paras. Et meritò, ornatiſſime Cardoni, vt enim ſeptem capita ſunt in Sacerdotum horis Canonicis, tria in vniuerſum quæ ad omnes ſpectant, quatuor verò quæ certorū quorundam hominū eſſe videntur: quæ ſunt omnium hæc nimirum exiſtunt, laudare Deum, petere aliquid ab illo, agere illi gratias, quæ verò ſingularis muneris, vt hi magis quàm illi his horis canonicis recitandis vacent, vt has potius recitent preces quàm illas, hoc potiùs loco quàm illo, hocq́ tēpore quàm alio: Sic quiſquis ſanctè & vtiliter vti voluerit his concionibus, earumq́ fructu, conſiderare debet; ſeptenario periculoſo vitiorum expulſo, ſeptenarium ſalutare aliud ſancti Spiritus ſeptem Pſalmis quos author interpretatur illi conciliari, quo, tanquam ſeptem graduum ſcala, è fuſcis & grauecolentibus Phlegetontis aquis ad cæleſtes illos, qui thronum Maieſtatis ambiunt, enatet amnes. Multos quidem ætas hæc noſtra habuit habetq́ doctiſſimos Theologos, hos ſcholæ in ſpatijs excercitatiſſimos, illos acerrimos Orthodoxi dogmatis in huius ſæculi Gnoſticos, propugnatores: Et vtróſque certè ſuæ manent laureolæ, cùm illis, vt grauiſſimis ſenatus conſilijs, his, vt altiſſimo pomœrij Chriſtiani vallo, ſummus militiæ noſtræ vtatur Imperator. Neque tamē ijs poſthabendos iudicarim eos, qui quo pacto, quod partū eſt, tueatur, quod amiſſum recuperetur, lucubrationibus ſuis excogitant, libroſq́ & conciones ſcribunt, è quibus nullus non ſalutis ſuæ ſitiens limpidiſſimos pietatis & Chriſtiani officij latices exhaurire poſſit. Nam quod maximè viro verè Theologo Eccleſiæq́ Doctori attendendum, eſt, ſi non modò ſoluendis difficillimis quæſtionibus incumbit, verùm vt etiam ſcientiam charitati aſſociet. Si enim ſcientia ſola ſit, licèt ille ſciens dicatur, cùm tamen, vt debet, vti ſcien-

tia

Digitized by Google

tia neſcit, eo nomine inſcius eſt: ſi verò ſciētia coniuncta ſit virtuti, neq; tam ſciat, quàm cognitis vti rectè nouerit, non ad ſuperbiam ſed ad ædificationē; hic, mea ſententia, verè ſcire dicendus eſt. Quæ opinio non tam meo ex capite nata eſt, quàm ex ea D. Paul. admonitione: Sciētia, *inquit,* in-
1.Cor. 8. flat: charitas verò ædificat. Si quis autē ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondū cognouit, quemadmodū oporteat eū ſcire. Si quis autē diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo. *Vt mihi hac ſententia vas illud diuinum dicere videatur. Vos quidem Doctores, quæſtionum, ſolutionū, & diſputationum ſcientiam habetis, his reſonant cathedræ Eccleſiarum in concionibus veſtris: ſed ſi hæc ſcientia ſine charitate ſit, neque auditorum veſtrorum mentes potiſſimùm ad Charitatis officia in Deum, in ſe, & proximum, & adulterinorum emendationem morum excitetis, inutiliter docti eſtis, quia ſciētia quæ ſine charitate eſt, inflat, & ſuperbiæ ac tumoris generatio exiſtit. Cui ſentētiæ ſapiens*
Eccleſ. 1. *alludit:* In mnlta, *inquit,* ſapiētia, multa eſt indignatio: *Et Ægyptiorum vna ex plagis fuit veſica turgentes: Augu. verò,* Addite, *ait,* ſciētiæ, charitatē, & vtilis erit
Exod. 9. ſcientia. *Quod non eo dico, vt inſignes viros accuſem, qui multùm concionando operæ dant, vt hæreſes reuincant: id ſiquidem moderatè factum à quibus par eſt, lociſque congruis, maximè hoc lubrico infauſtæ libertatis cuniculo, neceſſe eſt: verùm, vt ijs ſuus quoque honos ſeruetur, qui morum emendationem & inſtitutionem, ſummū ſcriptorum & concionum finem proponunt. In quo concionandi genere, & conciones ſcribendi, quàm fœlix Hiſpania ſit, quantóque ſpatio Galliam noſtram longè poſt ſe relinquat, omnibus, qui verum fateri volunt, conſtat. Quos enim in Gallia habemus, Ludouico Granatenſi, Ioanni Oſorio, Antonio Gueuara, Ioanni Acoſta, Cabrera, huicque tuo, Cardoni, Didaco de la Vega, componendos? Nullus ergo*
eſt

Digitized by Google

eſt bonus qui non ingenium hoc tuum amplexetur & amet, qui non quoſcunque, ſed ſolum grauiſſimos & vtiliſſimos libros, tuis impenſis tuaque ſolicitudine imprimere velis. At quem locum inter eos hæ conciones aſſequutæ ſint, ſedes illarum in officinis tuis vacua ſatis oſtendunt, & flagitationes quotidianæ multorum qui odorati earum ſaporem, vndique venaturi in ſyluis tuis librarijs ad te confluunt Legi qua meliori fide potui, ſicque placuerunt, vt conſtanter defendere poſſim, hunc cæteris Doctorem Hiſpanum magis in hos ſeptem pſalmos pœnitētiales ſcribendi quicquam iter præcluſiſſe. Nam quod in nullo ſcriptore reperias huius maximè temporis, ſingulis verſiculis interpratandis, nullius veteris Patris Orthodoxi ſententiam prætermiſit, ſicq; diſtinctè ordinéque illas omnes digeſsit, vt nullis repudiatis, quod plærique magis ad reprehendendum, quam ad imitandum aut inueniendum proni, faciunt, ex ijs ſingulis φάρμακα componat, quibus vulneribus, liuoribus, plagiſque tumentibus ab hoſte circumeunte illatis placidè, & numinquā γλυκύπικρος medetur. Vt ſtylum eius & phraſim prætermittam, quam qui Concionator imitari ſtuduerit, omnes autem velle debere mihi videtur, iurè ſibi gratulari poſsit, ſecurim illam Homeri ſibi cándentem eſſe, quæ in aquam peccatorum immerſa, aciem induratiorem referat, & hydræ lerneæ ceruicibus amputandis aptiorem. Eſt igitur nobis vberrima laudum & gratiarum ad Deum ſeges, cùm tam benignè Eccleſiæ, ſuorúmque Electorum incolumitati his difficillimis temporibus proſpexerit. Hinc hæreſes, ſi non potiùs ἀθεότητα dicere debeam, inundant, Letas Caléſque innumeros mittit, qui fœtentes harpyias in ſinus ſuos lacúſque tetros ſenſim redire compellunt. Hinc Collium ſpuriúmque ſemē in agrum Domini moréſque Chriſtianorum Inimicus homo ſpargit, en præſtò Angeli, qui purgent, euulsiſque herbis

noxijs, fundum pietatis mundant, inutilique peccatorum pondere & nutrimento leuant. Verùm ſi ab ijs gratiarum actionibus, quas tot beneficiorum cauſa Deo Opti. Patri debemus, eorum nullo modo quorum opera his efficiendis vtitur, laudes ſeparari poſſint: qui ab eorum ære exſolui valeamus, qui fortunis ſuis & ſumptibus præſtant, vt non modò ſuæ ætati, ſed in omnes, tot ſeruorum Dei vigiliæ, labores, ſtudia propagētur? Bene mereri de Eccleſia, vel ſcribendo, vel diſputando, vel docendo & concionando, etſi vtilitas nulla præterea ſequatur eum hac in vita, nam coronam olim eum accipere, quam reddat illi ſuo tempore iuſtus Iudex certum eſt, qui bene meritus eſt, præclarum in primis atque egregium ſemper eſſe duxerunt, qui rem attentius conſiderarūt. Sed quid profuiſſent Eccleſiæ, poſtquam eſſe deſierunt, profectò non video, niſi opera illorum exijſſent in vulgus. Omnino certè iacuiſſent, & nunc iacerent in tenebris tot diuinorum hominū fructus, ſi non habuiſſent, núncque haberent, honeſtiſſimorum virūm, inter quos, Cardoni, non hîc poſtremum tenes locū, opes & ſtudia, quæ, veluti manu, per omnes Chriſtiani orbis prouincias ea ſeminant, eadémque benignitate multos ad iuuandam Eccleſiam laborantem excitant, excitatos impellunt, impulſos inflammant. Quomodo enim Vigilum Eccleſiæ tot noctium intēpeſtæ vigiliæ, & ante lucana opera ad nos perueniſſent: ſi non Deus vos de omni mortalium genere benemeritos viros prælorum nutritios exitaſſet, qui libros typis ſubijcientes, Eccleſiæ quotidie in Doctoribus ſuis parienti obſtetricari videmini? Quemadmodum enim vitis, quæ natura ſua multiplici lapſu & erratico ſerpit, niſi quibuſdam adminiculis fulciatur ad terrā fertur: contráque vlmis adiuncta, per omnes ramos læta diffunditur ac in altū tollitur: ſic labores illi diuini deiecti, & cum blattis tineiſq; pugnantes eſſent, vel toga cordyllis, penulæq; oliuis,

ſi non

ſi non eis prælorũ vos domini vitam dediſſetis. Quod verò ad te ſpectat, Ornatiſſ. Cardoni, nec amicorum laudationibus illuſtrior, nec ſapientum cohortationibus melior te ipſo fieri, vt video, potes, vt qui optimè es à natura ſubornatus: illud tamen vnum te admoneri æquo animo feras, qui præter cæteros labores ſuos vtiles Reipub. facere contendit, non in mediocribus ſolùm ei verſandum, his maximè procelloſis tempeſtatibus, quibus ὡς ἐν ταῖς δυσχερείαις ἐκλάμπει τὸ καλὸν. Quod ſi paulò liberiùs à me tibi dictum putes, vt qui cunentẽ incitare videri velim, te ipſum accuſes, quem ſuſpicor ex humanitate hac tua, qua me excipis & foues, periclitari velle, aliquo leui ſpecimine exhibito, quid grauiori in opere, Maldonatum tuum intelligo, quem quotidie lambendo perficio, præſtare queam. Sed neſcio quis animi feruor tranſuerſum me rapuit, vt Epiſtolæ modum & fines egrederer, quod per inducias frigoris mihi licere putaui, cùm antea ſeniles artus mei illo impediti, nihil delectationis ad ſcribendum habere potuiſſent. Vale, Lugd. Cal. Mart. ann. ſal.

1603.

PROLOGVS AD LECTOREM.

SVPERVACANEVM duxi debitæque rationi alienum,longiſſimis commemorare argumentis (quod in præfatione cuiuſcunque operis,à multis factum eſſe comperi) quibus adductus ad ſcribendum conciones has in ſeptem Dauidicos pſalmos animum meum impulerim: cùm id ipſum,ex ipſorum pſalmorum titulo apertiſſimè dignoſci queat. Appellantur enim pœnitentiales: non ex eo tantum quod Dauidis pœnitentia tanquam penicillo depingitur, ſed quòd & noſtra, quæ & qualis ſit futura, tanquam in lucidiſſimo ſpeculo ſpectanda proponitur. Ex quo nimirum, & neceſſitas præſentis operis,& laboris à me ſuſcepti vtilitas perpendi debet.Pœnitentia namque quid neceſſarius excogitari poteſt? Quid aut peccatori vtilius, aut angelis iucundius, aut Deo ipſi gratius eſſe dixerim? Hæc enim nos cœlo gratos,angelis amicos, hominibus deuotos,& Deo ipſi recõciliatos reddit.Hoc,inquit D.Bernardus,eſt ſaluationis noſtræ principiũ, cùm incipimus reſpuere quod diligebamus, dolere vnde lætabamur,amplecti quod timebamus, ſequi quod fugiebamus,optare quod contemnebamus. Poſt lapſum enim

Digitized by Google

enim primi hominis hæc conſtituta & præordinata eſt peccatori via, qua ad felicē illam patriam, à qua fuit expulſus per culpam, poſſit peruolare. Quod (ni fallor) Deus optimus maximus cùm hominem de paradiſo eiiceret, viuis (quod aiunt) coloribus voluit adumbrare Geneſeos cap. 3. cùm, eiiciens hominem de paradiſo Cherubin, gladium flammigerū & verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, manu ſua tenētem, appoſuit: vt hoc facto innueret, quod homini peccatori à paradiſi gaudio ſemel culpa ſua eiecto, nonniſi per ignem tribulationis & pœnitentiæ gladium, patet introitus. Non enim fruſtra ciuitate Hieroſolyma prophetica manu in latere depicta, ſupremis ædificiis erecta, mœnibus ornata, & muris fortiſſimis circundata, rurſus Propheta eam obſidere iubetur. Et ordinabis, inquit, aduerſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, &c. quia nimirum (iuxta D. Gregorij & gloſſæ interlinearis ſentētiam) terrena illa ciuitas & in terreno lapide depicta, ſupremæ illius Hieruſalem cœleſtis ad quam totis aſpiramus votis, typus erat & vmbra. Quæ tunc quaſi in latere depingitur, quando concipitur mente, creditur corde & deſideratur affectu, tunc verò obſidione circundatur, quando pœnitentia & contritione expugnatur. Hoc potiſſimum fuiſſe in cauſa exiſtimo, quare Salomon in diuino ſuo epithalamio animam Dei ſponſam exercitui & equitatui bellico comparauerit. Equitatui meo, inquit, in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Nam ſicut filij Iſraël mare rubrum ingreſſi, inter fluctuantes vndas, magnificum de inimicis ſuis reportarunt triumphum: ſic anima fidelis, quam multoties propria peccata infeſtant

Gen. 3.

Ezech. 4.

Cant. 1.

ſeſtant & vſque mortem perſequuntur, nonniſi inter lachrymarum vndas, poſtquam mare pœnitentiæ fuerit ingreſſa, triumphum debet ſibi parare & promittere. Huc ſpectat quod de ſancto Rege. Aſa
3.Reg.15. 3.lib.Reg.c.15. memoriæ proditum eſt. Dicit enim Scriptura ſacra, quod cùm omnia idola Hieroſolymis comminuiſſet, & turpiſſimum Priapi ſimulachrum in cineres redegiſſet, fauillas in torrentem Cedron ſtatim coniecit. Erat torrens Cedron pro maiori parte pluuialibus aquis (de cœlo videlicet) affluens. Quare (vt quidã auctor ſuſpicatur) lachrymas pœnitentium propter Deum ſummè dilectum fuſas, adumbrabat: in quibus, ſordes, cineres, & reliquiæ peccatorum iniectæ ſubmerguntur. Eſt & alia ratio non contemnenda neceſſitatem pœnitentiæ ſubindicãs, quia pœnitẽtiæ virtus reſina eſt Galaad, & ſacramentalis medela vulneribus noſtris applicanda, quæ tanto magis hac tempeſtate cenſetur neceſſaria, quanto peccatorum peſtis, mentis ægritudo, & morum corruptio vbique gentium validius graſſatur. Verè enim omne caput lãguidum, & omne cor mœrens, ita quod à planta pedis vſque ad verticem non ſit in eo ſanitas. Cupis ne ſcire quibus infirmitatibus grauetur mundus? Vatem Oſeam audi ore ſuo promẽtem: Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerũt, & ſanguis ſanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Hoc enim licèt ſecundum literæ corticem temporibus Prophetæ ſit referendum, poteſt nihilominus huic noſtro infœlici ſæculo non incõgruè adaptari, in quo nimirum, peccata, & vitia, quaſi inundatione quadam vniuerſum terrarum orbem penè inundârunt

Digitized by Google

dârunt & ſubmerſerunt. Quis quæſo eſt tanta cæcitate mentis & væcordia præditus, qui huiuſmodi malorum inundationem non doleat, aut videat? Timor Domini refellitur, virtus ſepulta iacet, lex habetur deſpectui: magnificantur vitia, laudantur peccata, quæruntur ſcelera, & ſolum voluptati incumbitur: denique non eſt ſexus, non ætas, non perſonarum conditio, quam ſcelerũ inundatio non attigerit, & peccatorum peſtis non infecerit. Tantorum malorum & calamitatum medela in vna pœnitentiæ virtute conſiſtit, vt Patianus inquit: quia iuxta Saluatoris verbum, niſi pœnitentiam egerimus, omnes ſimul peribimus. Quapropter, morum *Luc.3.* & temporum ratione habita, nullum aliud argumentum cenſui, vel ad ſcribendum commodius, vel ad prædicandum aptius, tum etiam & ad legendum vtilius, quàm de pœnitentia Dauidica, de conuerſione eius & lachrymis, ad æmulationem noſtram aliquid in medium producere. His etiam adde, quod Deum ſceleribus noſtris offenſum, vitiis prouocatum, indignatione percitum, ira & vltione flagrantem, & ad ſupplicia procedentem, ſola pœnitentia comprimit, furorem eius compeſcit, & tandem miſerum peccatorum ad priſtinum amicitiæ ſtatum reſtituit. Erit ab hoc propoſito non abſonum Euangelici Prophetæ verba in medium adducere, quæ cap.23. ſui vaticinij continentur, Sic enim, inquit, de Tyro opulentiſſima ciuitate agens. Et poſt ſeptuaginta annos erit Tyro quaſi canticum meretricis. Sume cytharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita, bene cane, frequẽta canticum, vt memoria tui ſit. Alloquitur (vt dixi) Tyrum per peccatum vaſtatam, & per pœnitentiam reparandam, &
monet

Digitized by Google

monet eam quod ſumat cytharam. Quod ſic explicat Hieronymus: Id eſt, canticum, quod canebas in oſtentationem, conuerte in canticum lugubre pœnitentię. Sed quis hîc non aduertat, quod pœnitentiam ipſam canticum meretricis appellet? Erit Tyro quaſi canticum meretricis. Nicolaus Lyranus hunc locũ expendens, inquit, quod quemadmodum meretrix à ſuo amatore derelicta dulcedine Lyræ & ſuauitate cantus ſolet eum attrahere, & ad ſuã amicitiam reducere: ſic Tyrus poſt vaſtationẽ eius, precibus & perſuaſionibus reliquias ciuium ſuorũ attraxit. Interlinearis gloſſa ad pœnitentiam Tyri retulit, quæ ad Deum conuerſa iterum fuit reædificata. Nihil enim eſt quod Deum offenſum & iratum magis reddat beneuolum & placabilem, quàm vera pœnitentia, & cordis contritio. Hæc cythara eſt diuinas aures pulſans, hæc gratiſſima muſica, & ſuauiſſimus cantus quo placandus eſt, & ad priſtinam gratiam reducendus. Quapropter, amice lector, cytharam hanc Dauidicã ſeptem pſalmis, quaſi ſeptem dulciſſimis chordis compoſitam, quam tibi offerimus, libentiſſimè accipe, vbi nihil aliud niſi pœnitentia reſonat, nil niſi cordis gemitus igne charitatis accenſi, & ex imis viſceribus prolati audiuntur, nullus denique ſuauis concentus in ea reperitur, qui ad pœnitentiam non ſpectet. Quam, ſi attenta mente pulſaueris, ſincera manu tetigeris, & aure cordis audieris, inuenies quidẽ veſtigia quæ ſequaris, exemplar quod æmuleris, & veræ pœnitentiæ fructum quem Deo fauente percipias.

SVPER

SVPER PSALMVM PRIMVM POENITENTIALIVM.

CONCIO PRIMA.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

VTRVM Dauid auctor huius Pſalmi fuerit, an non, nō eſt cur in dubium vertamus: eſt enim apud omnes compertiſſimum, ab illo fuiſſe cōſcriptum. Quod verba ipſa quæ in illo cōtinentur, apertè indicant. Sunt enim doloris plena, & contritionem regalis ſui pectoris oſtendētia. Promittit enim lachrymis ſtratum ſuum Regium ablururum, quod non niſi ad perſonam dignitate Regia ſplendentem ſpectare videtur. Finis quem habuerit in hoc Pſalmo conſcribendo, ex deſcriptione tituli colligitur: ſic enim habet: *Pſalmus Dauid in finem pro octaua.* Ad cuius intelligentiam ſciendum eſt, quod Chriſtus redemptor noſter in ſcriptura finis appellatur. Dicitur enim Apocal. 1. principium & finis. Et ad Roman. 10. ait Diuus Paulus: *Finis legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti*, vbi lex pro tota ſcriptura ſacra accipitur. Quia quidquid in ea ſcribitur ad Chriſtum, tāquam ad finem principalem refertur: præcipuè autem, quæ in his Pſalmis Dauid continentur, quæ ad ipſum vniuerſa hæc laus referri debet, & ad eius laudem Dauid pſallens, animum ſuum dirigebat. Vnde, in principio Pſalmorum, ſtatim de Chriſto mentionem fecit, dicens: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum: & erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, &c.* Quod de Chriſto interpretantur, Aug. Hieron.

Dauid auctor huius Pſal.

Chriſtus dicitur finis.

Apoc. 1.
Rom. 10.

Pſalm. 1.

Hieron. Arnobius Remigius, & Incognitus. Cui expoſitioni fauet Paraphraſis Chaldaica, quæ loco illius: *Erit tanquam lignum*, habet *arborem vitæ*. Chriſtus autem, arbor vitæ appellatur. Prouerb. 3. *Lignum vitæ eſt, his, qui apprehenderint eum.* Et Apocal. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Quod lignum vitæ eſſe Chriſtum, aſſerit Greg. Niſſenus, lib. de creatione hominis, & ad hunc ſenſum aliqui explicant illud Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me*, id eſt, in principio Pſalmorum. Itaque Chriſtus mundi redemptor, finis eſt Pſalmorum quem præſentem ſemper habebat Dauid, quandocumque Pſalmum aliquem decantabat. Et ideo in hoc, & pleriſque aliis Pſalmis, particula hæc, *In finem*, ſuperponitur. Quaſi dicat Pſalmus hic Chriſto, qui omnium mearum laudum & modulationum finis eſt, dicatur. Et confirmatur ſenſus hic ex eo, quòd in Hebræo ponitur Lamnaſeach, loco illius, in finem: pro quo D. Hieronymus vertit, *Victori*, Felix *Vincenti*, & in annotatione marginali, *Danti æternitatem, vel effundenti ſanguinem*. Quis autem victor iſte, niſi Chriſtus eſt, qui (vt verbis Ioannis vtar) *Exiuit vincens ut vinceret*? Victoriam enim in ſua paſſione, de morte & diabolo reportauit. Dicit namque de eo diuus Paulus 1. Cor. 15. *Benedictus Deus, qui dedit nobis victoriam per Chriſtum.* Dicitur etiam, dans æternitatem, vel effundens ſanguinẽ: quia per merita ipſius, æternitatis aditus nobis patet, quod precio ſui ſanguinis, nobis comparauit. Quare effundens ſanguinem, vel ſanguinolentus, victor, & finis dicitur, vt ex tituli inſcriptione conſtat. Eſt & alia particula in eodem titulo, explicatione indigens, ſcilicet, *pro octaua*: Octaua (vt aliquibus placet) nomen eſt inſtrumenti cuiuſdam muſici octo chordis compoſiti, in quo aliqui Pſalmi canebantur, quod apertè ex tranſlatione Chaldaica haberi poteſt, quæ ſic habet: *In laudem laudatorio, citharáque octo fidium.* Itaque, ſicut inſtrumentum decem chordarum dicebatur decachordum, & inſtrumẽtum vnius monachordium, ſic octo, octaua.

Prou. 3. Apoc. 2. Gregor. Niſſen. Pſal. 39. Chriſtus Pſalmorũ finis. Victoriã Chriſtus in ſua paſſione reportauit. Octaua quid?

Sed ſtatim ſe nobis offert non cõtemnenda difficultas, quòd inſtrumentum hoc, quod octaua appellabatur, dedicatum erat ad canendos Pſalmos triumphales & lætitiæ, quod Epynicion appellabant. Sic conſtat ex D. Hieron. qui ſuper Paralip. ca. 15. inquit: *In citharis pro octaua canebant Epynicion.* Epynicion autem iſtud in Hebræo, Lamnaſech appellatur, quæ dictio ſecundùm Reuclinum, lib. de rudimentis Hebraicis, Græcè dicitur Epynicion, quod Latinè triumphale carmen ſonat: Hoc ita cùm ſit, quomodo Dauid hunc Pſalmũ compoſuit, vt in octaua decan

Difficultas. D. Hier. Reuclin. Aſterius

Digitized by Google

decantaretur, cùm Pſalmus hic non triumphalis, ſed lugubris videatur: In quo nimirum de ſeruitute & diſtrictione diuini furoris, de miſeria humana, conturbatione oſſium, & lachrymarum fletibus agitur? Inſuper Doctor Incog. cum aliis quam plurimis, pſalmum hunc de terribilitate illius diei extremæ explicat, in qua Deus vniuerſum genus hominum iudicabit, & de inimicis ſuis ſumet pœnas debitas. Et ad hoc propoſitum, illud, pro octauæ, explicant. Dicitur enim dies iudicij dies octaua, quia tempora ſeptem dierum repetitione voluuntur, quibus tranſactis, erit dies ille, qui nulli viciſſitudini ſubiectus eſt. Cùm ergo materia huius Pſalmi tam lachrymoſa ſit & triſtis: quomodo præmittitur in titulo, quod in octaua, inſtrumento ad carmina triumphalia decantanda adaptato concinendus eſt?

Niceph. Heſichius.

Iudicij dies octaua dicitur.

Difficultatem huius rei euacuabimus, ſi attenderimus, quòd in hoc Pſalmo duplex triumphus tangitur, alter Dei, hominis alter, & vterque confeſſione & laude dignus. Primus, cùm de iudicio finali agitur: quia tunc Deus de omnibus inimicis ſuis, potentiſſimè triumphabit. *Tunc videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Statim enim vt viderint eum veniẽtem in nubibus cœli cum poteſtate & maieſtate magna, omni cœleſti curia comitatum, impij plangent ſe, & mortuos ſe æſtimabunt. Modò namque peccator cõtra Deum arma gerit, & maieſtatem eius ſpernit præcepta illius contemnendo: ſed tunc de omnibus his debitas dabit illi pœnas. Ambulat enim modo contra Deum extento collo: tendit aduerſus illum manum ſuam, &c. Iob 15. *ſed in die illa vltionis, humiliabitur eius ſuperbia, & vſque ad inferna detrahetur eius altitudo.* Quia vt inquit Abac. c. 1. *Ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.* Peccator modo tyrannus eſt, quia Deo ſubiici contemnit, gloriam eius vſurpat, & præcepta illius pro nihilo pendit: ſed tunc ridiculus Dei erit & omnibus contemnendi eum præbebit materiam: quando ante diuinum tribunal, ad iudicis pedes vinctus & humiliatus iacebit, abſque vlla ſpe remedij & ſalutis. Depingit huiuſmodi triumphum Iſai. c. 42. dicens: *Dominus ſicut vir fortis egredietur, ſicut vir prœliator ſuſcitabit zelum, &c. Tacui ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul.* Locum iſtum, quamuis Aug. & Proco. de iniuria Chriſto facta in ſua paſſione, & vindicta per Imperatores Titum & Veſpaſianum facienda, explicent: tamen Tertullian. libro de pudicitia, longè à principio, & D. Cyprianus ſermo 3.

Difficulta. ſolut.

Triumphus duplex.

Apocal. 1

Abac. 1.

Iſai. 42.

Auguſt. Procop. Tertul. Cyprian.

 de bono

de bono patientiæ, & aliqui alij ex modernis, ad extremum iudicium referunt, quando Deus longum ſilentium per tot ſecula conſeruatum diſcindet, & de inimicis ſuis vindicabitur. Dominus, inquit, ſicut vir fortis egredietur. In primo namque egreſſu ſiue aduentu, non vt vir fortis, ſed potius vt puer debilis carne indutus egreſſus eſt, non vt occidat, ſed vt ſaluet, non vt iudicet, ſed vt redimat. Non enim miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. At in ſecundo, veniet vt vir fortis, ad inimicos ſuos debellandos. *Accipiet enim*, vt dicitur Sap. 5. *armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Sol namque luna, & ſtellæ, & reliqua elementa, tranſmutationibus ſuis cõtra peccatorem inſurgent, & indignationem iudicis oſtendẽt, Et quaſi vir præliator, inquit Propheta, ſuſcitabit zelum. Suſcitabit Deus iram ſuam, quæ modo videtur quaſi dormire & iacere, & gladium ſuæ vltionis contra peccatores euaginabit. Modò Deus dormire dicitur, vel quaſi dormire, cùm diſſimulet, & patiẽter ſuſtineat: ſed tunc quaſi à ſomno ſuſcitatus, inimicos ſuos interficiet. *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino: & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora.* Rectè quidem à Propheta dicitur: quòd ad vindictam ſumendam, excitatus eſt Dominus tanquam dormiens. Dormit enim Deus, quantum in ſe eſt, ad flagellandum & percutiendum nos, & non quomodocunque dormit, ſed tanquam potens crapulatus à vino, qui potenter bibit, & potenter dormit, & profundo ſomno iacet ſoporatus, vt non de facili excitari poſſit & reſurgere, ſed ictibus & vocibus ad ſomnum excutiendum indigeat. *Que ſea meneſter que le repiquem cãpanas, y le tañam trompetas.* Sic quippe piiſſimus noſter Deus, quã tum ex ſe eſt, quaſi dormire dicitur, ad puniendum nos: quia non niſi à noſtris ſceleribus excitatus, ad vindictam mouetur. Tantus namque eſt noſtrorum peccatorum clamor, quod Deum vino dilectionis & charitatis ſuæ ſoporatum excitet ad ſupplicia. Clamor ſanguinis innocentis Abel, clamauit de terra, & excitauit illum, vt deſcenderet, & vindicaret facinus. Clamor Sodomorum, qui vſque ad ſupremum cœli faſtigium aſcendit ad vindictam ſuorum criminum poſtulandam, etiam excitauit hunc piiſſimum Deum, vt ciuitates illas ſubuerteret, & reſolueret in cineres: ſic peccata noſtra quotidie illum excitant, niſi merita paſſionis filij ſui, & ſanguis innoxius in cruce fuſus illum continerent. Bene ergo inquit Pſaltes,

Duplex Dei aduentus.
Ioan. 3.
Sapien. 5.
Iſai. 42.
Deus diſſimulat, & expectat.
Pſal. 77.

Digitized by Google

Pſaltes, quod excitatus eſt, tanquam dormiens, Dominus. Et
ſic in die extremo iudicij ſceleribus mundi prouocatus exci-
tabitur,& percutiet inimicos ſuos in poſteriora,&c.

In poſteriora percutiet, quoniam quaſi ex inſidiis,ad iudi-
cium veniet, cùm peccatores imperatos inueniet, & omnino
illius diei oblitos, Geneſ.9. Dormiebat Noë in tabernaculo *Geneſ. 9*
ſuo vino inebriatus, quē illudebat Cam,& ſubſannabat illum: *Figura.*
at Iaphet quaſi fidelis filius illius compatiens,honori ſuo pro-
uidens,verenda eius pallio cooperuit. Excitatus tamen à ſom-
no & ebrietate,hunc benedixit,illum autem execranda male-
dictione percuſſit. Sic modò quaſi dormit Deus,cùm peccato-
rem ad libitum agere permittat, at in die iudicij excitabitur à
ſomno,& vnicuique iuxta opera ſua reddet, bonos æterna be-
nedictione afficiet, malos autem maledictione tremenda &
vltima proſequetur. Sed quid putas tunc dicturus eſt,quando
ſuſcitabit zelum, & ſuper inimicos ſuos confortabitur? Ipſe
Propheta oſtendit. Tacui ſemper, ſilui, &c. Tacui à ſeculo,
inquit, ſecundum 70. nam licet à ſeculo non deſinat homo il-
lum offendere: tamen patienter ſuſtinet & tacet, & non ſta-
tim de peccatis ſumit vindictam. Dicebant antiqui in laudem
ſuorum Deorum,referente Lactantio, quòd Dij habent pedes *Lactant.*
laneos, quia non ſtatim ad ſupplicia præcipitantur, ſed pede-
tentim & lentè ad vindictam procedunt. Sed hoc multo me-
lius de clementiſſimo Deo noſtro aſſerere poſſumus. Habet
enim pedes laneos ad vlciſcendum, qui pedes alatos habet, ad
opera miſericordiæ præſtanda, & beneficia hominibus confe-
renda. Sed aduerte, quòd quanto maior fuerit tarditas, tanto
grauior erit vindicta. *Diuina quidem ira*, inquit Valer. *lento* *Valer.*
gradu ad vindictam procedit, ſed tarditatem ſupplicij graui- *lib.1.cap.*
tate compenſabit. Vltio diuina arcui comparatur in ſacra ſcri- *2.*
ptura: *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrauit*, arcum *Pſalm.7.*
ſuum tetendit & parauit illum. Et rationem huius aſſignat
D.Greg.19.moral.cap.21. *Quia in arcu,quanto magis trahitur* *D.Greg.*
chorda, tanto de eo diſtrictior exit ſagitta: ſic extremi iudicij
dies quanto longius differtur vt veniat tanto cùm venerit di-
ſtrictior de illo ſententia procedet. Refert Magiſter hiſtoria- *Magiſt.*
rum de coturnice, quòd aliquando aquilam inſequitur & in- *hiſtoria-*
feſtat,at illa generoſitate ſua diſſimulat,quouſque tandem im- *rum.*
portunitate eius vexata,& ex tarditate ferocior effecta, illam
dilaniat & diſcerpit. Sic ille, qui aquilæ frequenter compara-
tur, licèt peccata diſſimulet: & peccatores patienter expectet,
tamen quo diuturnior fuerit expectatio, tanto vindicta erit

Patiētia Dei Adamanti cō paratur. Simile. Origen.

diſtrictior. Vnde ſubdit, vt parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul. Dicitur de Adamante, quòd indomabilis eſt. Habet enim ſui ipſius nomen (vt Origenes inquit) multa enim ſuſtinet: ac ſi frangitur, in minutiſſimas partes diſſoluitur. Sic patientia Dei adamantina eſt, multum enim & longo tempore peccatores ſuſtinet: at in die iudicij, in iras maximas exardeſcet: *Eno jarſe ha dè veras*. Furoris ſui omnes habenas laxabit, & de inimicis ſuis triumphabit. Tunc namque illud Dauid adimplebitur: *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Quod aliqui interpretantur de Chriſto, qui iuſtus anthonomaticè dicitur. Et loco illius: *Manus ſuas lauabit*, vertunt *pedem ſuum lauabit in ſanguine peccatoris*. Quaſi in ſatisfactionis, & vindictæ ſignum, more triumphantium, & victorum, qui ſolent in bello inimicos vulneratos conculcare & pedes ſuos in ſanguine illorum intingere. Sic legitur feciſſe Ioab, cùm Abner, & Amaſam interfecit. Effudit enim ſanguinem illorum & poſuit cruorem prælij in baltheo ſuo, & in calceamento ſuo, quod erat in pedibus. Et ad hunc ſenſum explicat Lyranus verba illa Iſai. 63. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, ſicut calcantium in torculari?* Putat ſupremas illas poteſtates cæleſtes, hanc interrogationem Chriſto à iudicio reuertenti, & ſanguine inimicorum ſuorum cruentato, facturum. Dicet enim: Hic ſanguis inimicorum meorum eſt, de quibus victoriam reportaui, quia calcaui eos in furore meo, &c. Sed hactenus de Chriſti triumpho: ad triumphum hominis iuſti accedamus. Secundus triumphus, de quo hic agitur, eſt hominis iuſti, cuius dolor, triſtitia, & lachrymæ, in gaudium, & tripudium conuertentur. Vnde licet Pſalmus hic inchoatur in magna amaritudine, tamen in gaudio, & exultatione terminatur. Inſultat enim inimicis, & à ſeipſo diſcedere præcipit, quaſi qui de illis triumphauerit. Sunt namque dolor, gemitus, & lachrymæ, arma quibus veram conſequimur victoriam, & triumphum de hoſtibus reportamus.

Pſal. 57. *Hebraicè pedes ſuos.* *3. Reg. 2.* *Iſa. 63.* *Hominis iuſti triū phus.*

Doctrina hæc valdè neceſſaria eſt ei, qui ſpem vitæ æternæ, & cæleſtis retributionis habet. Neceſſe enim eſt, vt cæleſtem illam curiam ingrediatur, & ad optatum perueniat brauium: quod priùs cum inimicis manus conſerat, & de illis victoriam reportet: *Quia regnum cælorum vim patitur*, vt inquit Chriſtus, *& violenti rapiunt illud.* Violentum enim illud dicitur, quòd eſt contra naturam, paſſo non conferente vim. Violenti igitur illi dicentur, qui contra ſuam propriam naturam, contra motus,

Matth. cap 11. Violentū quid?

Digitized by Google

motus, inquam, & inclinationes naturales reluctantur, neque ab eorum impetu ferri ſe ſinunt, quod perpetuam luctam requirit. De iuſto enim Iacob dicitur Sapien. 10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*: vbi per regnum Dei, Holchot viſionem illam Angelorum quam dormiens vidit, intelligit: quæ futuræ beatitudinis erat imago. Vidit enim Angelos per ſcalam ad Deum aſcendentes, & ipſum Deum in fine ſcalæ, quaſi præbentem illis manū, & de eodem ſtatim ſubdit, quòd certamen fortè dedit illi. Fuit autem certamen iſtud vel perſecutio quam à fratre ſuo Eſau ſuſtinuit, vel lucta quam cum Angelo tota nocte habuit, vt innueret quòd per certamina laborum, & luctas, ad regnum Dei & gloriam eius poſſidendam, peruenire debemus. Hinc credo eſt, quòd iuſtus palmæ comparatur. Dicitur Pſal. 91. *Iuſtus vt palma florebit*. Habet enim hoc palma, quòd pōderibus reſiſtit, & in aduerſum incuruatur. Quod adnotauit Aulus Gellius in ſuis Noćti. Atti. Et inde eſt, quod Eccleſiæ ſtatura aſſimilatur palmæ. Cant. 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*: quia per multas difficultates & perſecutiones, ad dulciſſimum beatitudinis fructum aſpirat. Et ideò *iuſtus vt palma florere dicitur*, quia multa debet pati, & tentationū ponderibus reſiſtere, vt fructū retributionis æternæ aſſequatur. Alluſit ad hoc pictura quædā Quintij Græci, qua virtutem depinxit. In altiſſima namque rupi palmam collocauit, cuius acceſſus difficilis erat valdè, & arctiſſima via, hinc inde aſperiſſimis ſcopulis conſtans, & in cacumine palmæ, virtus ipſa inſidebat. Significare voluit hac pulcherrima pictura, vt inquit Pierius lib. 50. quòd nō niſi per labores & aſperitates, ad fructum beatitudinis percipiendum, virtus aſcendit. Aſcendam, inquit ſponſus in palmam & apprehēdam fructus eius: quam exiſtimo eandem eſſe cum illa ſententiam. Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Habet & hoc palma quod ſerò fructus ſuos ſuauiſſimos profert. Neceſſe enim eſt, quod per multa tempora prius excolatur, & ab hyeme, niue, pluuiis, & tempeſtatibus quàm plurima patiatur: ſic iuſtus, prius in hac vita multa pro Chriſto pati debet, vt in alia florere poſſit, & fructificare. Et ad hunc ſenſum explicat Doctor incognitus, illud Pſal. 90 Poſtquam comparauit iuſtū palmæ, ſtatim ſubdit: *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt*. Per domum, Eccleſiam militantem intelligit, in qua iuſti tanquam fructuoſæ arbores plantati ſunt, per atria domus Domini, triumphantem, de qua alibi: *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia*. Iuſtus ergo in hac vita

Sap. 10. Holchot. Reg. Dei. Certamē Iacob. Pſal. 91. Iuſtus palma comparatur. Quintij pictura. Pierius lib. 50. Luc. 24. Doctor innominatus. Pſal. 84.

Digitized by Google

non debet florere,ſed radicari virtute & fide.In charitate radicati & fundati,ait Paulus: at in futura florebit & fructificabit, quando ſuarum virtutum fructum percipiet,tunc enim comedet fructum adinuentionum ſuarum.Habet denique palma (& hoc ſatis tritum eſt,& vulgare) quod ſignum eſt victoriæ, & ideo iuſtus vt palma florere dicitur, & quia in hoc Pſalmo de victoria agitur,quam iuſtus de atrociſſimis hoſtibus reportat, per pœnitentiam & lachrymas,quæ ſunt arma militiæ noſtræ: ideò non incongruè carmen hoc triumphale appellari poteſt & in octaua decantari. Sed iam ad ipſius expoſitionem accedamus.

Domine,ne in furore tuo arguas me,&c. Quantum ad primũ verba hæc manifeſtè indicant timorem magnum,quem ex diuina ira & vindicta pœnitens hic cõceperat,dicens: Domine, ne in furore tuo arguas me,&c. Ex pœnis enim & afflictionibus quas adhuc propter peccatum ſuum fuerat expertus,didicit futuram & æternam pœnam timere,& ad diuinam miſericordiam confugere,peccatum ſuum confitendo. Quod adnotauit *Theodorus.* Theodorus Antiochenus, dicens: *Confitetur Deo peccatum ſuum beatus Dauid,quod in Berſabee commiſerat,cum ea concumbens.Loquitur autem hæc in calamitatibus cõſtitutus,quibus propter peccatum grauiter torquebatur.* Cui alluſit etiam *Aſterius* Aſterius verba hæc expendens, dum diceret: *Atqui non argutionem reſpuo, ſed furorem metuo,quo ſoles arguere: nec correptionem fugio, ſed eam, quæ cum ira fit:nam furor & ira in eos manent,qui dum vita ſubeſt,non reſipiſcunt.* Diſcamus & nos hinc,ex collatione præſentis iræ,qua ſolet Deus aliquando in peccatores ſæuire, futuram illam, qua in æternum deſæuiet, *Iob 26.* pertimeſcere & fugere. Patientiſſimus ille Iob, qui, permittente Deo,tot vulnera de manu dæmonis acceperat,tot labores & calamitates fuerat perpeſſus,non ſine magno animi dolore,& futuri ſupplicij ſtupore, & extaſi dicebat: cùm vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus,quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Paruam ſtillam omnes mundi labores vocat,omnes humanæ vitæ calamitates,famem,peſtem, bellum,infirmitatem, infamiam:& quidquid aliud naturæ noſtræ ad mortem inſidiari ſolet. Appellat etiam paruam ſtillam omnia Dei ſupplicia, quæ propter peccata hominum mundo illata,in ſcriptura referuntur. Parua ſtilla fuit diuinæ vltionis, mundum aquis diluuij ſubmergere, quinque Sodomorum ciuitates cœleſtibus flãmis comburere, aperiri terram, & familias illas rebelles,Datan & Abiron deglutire,& alia his ſimilia

ſupplicia

Digitized by Google

ſupplicia de quibus horret animus, quæ in ſcriptura referũtur: Hæc quidem, licèt magna ſint, tamen reſpectu tonitrui magni diuinæ vltionis, quando contra peccatores tremendam illam ſententiam proferet: Ite maledicti in ignem æternum, ſtillæ *Matth. 25.* paruæ reputantur. Si ergo hæc audire vix tolerare poſſumus, Deus ſancte, quis tam excors & ab omni diſcurſu alienus, qui poſtremum illud ſupplicium & tonitruum magnum iræ Dei non perhorreſcat & timeat? Quis ex vobis, ô filij Adæ (vt cum *Iſai.* Iſaia exclamem) habitabit cum igne deuorante? aut quis habitare poterit cum ardoribus ſempiternis? *Quien podra durar, y correr a la; parcias con aquel fuego tragador que ha de durar para ſiempre.* Tonitrum hoc magnũ timebat fortè, primus ille tranſgreſſor diuinæ legis, quando audiẽs vocem Dei loquentis in paradiſo ad auram poſt meridiem abſcondit ſe à facie eius: *Domine,* inquit, *audiui vocem tuam, & abſcondi me, eo quòd nudus eſſem.* Potuit quidẽ ſuſpicari quod propter tranſ- *Gen.3.* greſſionem diuini mandati, vltimo ſupplicio eſſet puniendus. Timebat etiam & ille qui dicebat. Confige timore tuo carnes *Pſal.118.* meas, à iudiciis enim tuis timui. Cõſidero enim & qua poſſum attentione reuoluo mente iudicia, quæ ab initio ſæculi feceris, quibus iudicaſti tuæ legi inobedientes illos perpetuis ſuppliciis afficiendo, & ideo peto, vt cor meum clauo diuini tui timoris configas. Vbi ait diuus Baſilius, metaphoram deſum- *D. Baſil.* ptam eſſe ab his qui clauo confixi ſunt: quos claui ita continent, vt præ dolore neque in hanc, neque in illam partem moueri audeant, ne maiori afficiantur: ita, qui diuino timore configitur, ſeſe mouere nõ audet, neque vllum peccatum committere, rigoris memor quo Deus punire ſolet, ſed quaſi Cruci affixus recto tramite per viam mandatorum Dei incedit. Euidenter, hinc conſtat quàm ſit vtilis diuini ſupplicij timor, quẽ hæretici abſque ratione vlla tantùm damnant. Fuit namque vnus ex articulis Lutheri à Leone X. damnatis, quod peccator metu gehennæ inutiliter concutitur. Cui errori etiam aduerſa- *Concil.* tur ſancta Synodus Tridentina, cap.6. Dum decernitur, quod *Trident.* timore diuinæ iuſtitiæ concuſſus peccator ad ſuam iuſtifica- *& idem* tionem diſponitur. Et eſt optimus locus ad hoc comproban- *Can.8.* dum, qui habetur Iſai.26. *Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſu-* *Iſa.26.* *mus, à facie tua Domine concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum.* Vbi 70. ſic habent. A timore tuo Domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ. Quid autem modus hic loquendi adumbret explicat Magnus Auguſtin. in Pſal 47.

in verba illa: *Ibi dolores, vt parturientis*: quid ſunt dolores vt parturientis, inquit, niſi dolores pœnitentis? Id eſt, ipſam conceptionem doloris, & parturitionem, iuxta illud: *A timore tuo concepimus*. Conſilium enim diuinum, & omnium ſapientium legiſlatorum, vel non aduertere vel negligere, & damnare videntur, qui timorem Gehennæ, & aliarum pœnarum condemnant. Vt enim ſæpe legimus apud Chryſoſtom. & cæteros Patres, non eo potiſſimum ſupplicia inferni Deus parauit, vt perditos homines, & Dæmones cruciaret: ſed eo potius fine, vt inferni timore à delictis omnes arceret & in peccata lapſos ad pœnitentiam reuocaret. Quare Richardus de ſancto Victore, in Beniamin minore. c 8. & 9. timorem pœnæ ſtatutæ pro peccatis dicit, eſſe initium ſapientiæ, & primam virtutũ prolem, & ſine ea cæteras haberi nõ poſſe: & vtilitatem timoris explicat, quia quantò quis vehementius metuit pœnam quam meruit, tantò acerbius plangit culpam quam fecit. Colligitur manifeſtè, quàm ſit vtilis hic timor, etſi non meritorius, ex Gene. cap. 20. Nam cùm Abraham Patriarcha ſe excuſaret, rationem reddens, quare Saram vxorem ſuam ſororem ſimulãs dixerit, adiecit. *Cogitaui mecum dicens: Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me.* Vbi 70. tranſtulerunt: Si non eſt in loco iſto veneratio Dei. Qui Deũ timet, Deũ veneratur, & reueretur, & qui veneratur eum, mandata eius non contemnet, quare timor Dei ad omnia hæc præparat & diſponit animam. Non abhorret ab hoc propoſito (vt conſiderationi huic vltimã imponamus manũ) quod in laudẽ, & commendationẽ vocis cõminantis Dei, qua per Prophetas ſuos peccatoribus comminatur: cecinit Propheta Regius Pſal. Nam vbi noſtra lectio habet: *Vox Domini præparantis ceruos*, D. Hieron. vertit ex Hebræo: *Vox Domini obſtetricans ceruis.* Habet enim cerua difficilem partum, propterea quòd vias naturales nimis habeat clauſas, vt fertur. Quare, approximante partu, graues præſentit dolores, quod ſi inter dolores ipſos tonitrum magnum de cælo inſonuerit, cerua ſonitu perterrita, ſtatim fœtũ emittit. Quare vox Domini, ceruis obſtetricans dicitur: quia prægnãtes ceruas timore vocis ſuæ parere facit. Et quænam ſunt iſtæ ceruæ prægnantes, niſi peccatores, qui pœnitentiæ propoſitum conceperunt, ſed nondum ad tempus partus peruenerunt? Difficilem enim habent partum, & quamuis ex verbo Dei quotidie concipiant: tamen de die in diem partum differunt. Proponunt quidem emendare vitam, & antiqua peccata relinquere, & denique legi Dei in omnibus obedire: tamen id opere nunquam com

Gene. 28.

Pſal. 28.

Peccatores ſeu pœnitentes & pigri ceruis prægnãtibus ſimiles.

cōplent. *Toda la vida andã preñados de buenos propoſitos.* Quos aliquando Deus vocibus Prophetarum, & comminationibus ſacræ Scipturæ terrefacere ſolet, vt quod mente conceperunt opere exequantur, & ad Deum toto corde conuerſi timore diuini iudicij ſtupefacti, depræcantes cum Dauide dicant.

Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. Non ſimpliciter petit non argui, & non corripi (nouerat enim hoc eſſe impoſſibile) ſed quod non in furore & in ira fiat. Quia ſciebat optimè diuinam eſſe ordinationem, quæ alterari non poteſt, nullum malum relinquendum inultum. Sicut enim ad boni Principis regimen ſpectat, merita remuneratione afficere, ſic flagitia & malè acta, ſupplicio. Et hinc eſt, quod patientiſſimus Iob dicebat, cap. 9. *Verebar, omnia opera mea ſciens quod non parceres delinquenti.* Quæ verba, ſi prima facie aſpiciantur, neminem non terrebunt & in magnum ſtuporem vertent. Nam valdè alienum videtur eſſe à diuina miſericordia, id quod ait, non parcere delinquenti, Nónne deliquit Petrus, cùm ſe noſſe Chriſtum negauit? Paulus cùm nomen Ieſu ſupprimere conabatur? Magdalena, quæ erat in ciuitate peccatrix? Et latro, qui aliena diripuerat, & pendebat in Cruce? Nónne omnes iſti deliquerunt, & tamen illis pepercit Deus? Quomodo ergo ait Iob, quod Deus non parcit delinquenti? Sed ideo illud à Iob dictum eſſe exiſtimo, quia alienũ eſt à diuina iuſtitia aliquod malum inultum & impunitum relinquere, vel in præſenti vita, vel in futura, vel enim punit in hoc ſæculo, vel in futuro. Quando in hoc ſæculo corripit, ſummæ abſcribitur miſericordiæ, quando verò in futuro, ſummæ iuſtitiæ, quia flagella huius vitæ, cum æternis illis ſuppliciis comparata, quaſi pro nihilo reputantur. Quare, huiuſmodi flagella potius eruditio, & correctio appellari ſolent, quia non ad interitum, ſed potius ad vitam ordinantur. Deuteron. 8. Dicitur: *Sicut erudit Homo filium ſuum, ſic Dominus Deus erudit te, vt cuſtodias mandata eius.* Et Oſeæ 7. *Ego erudiui eos, & ipſi receſſerunt à me.* Erudit autem pater filium ſuum, illum flagellando, leniter tamen, & affectione paterna commotus: *ſic Deus,* inquit Paulus, *flagellat omnem filium, quem recipit, id eſt quem recepturus eſt in hæreditatem æternam.* Et addit, *omnem*, quia etiam vnicum filium ſuum, quem ſummè dilexit, & abſque vllo peccato fuit, flagellauit. Quare, ſi non argueris à Deo, ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Ad hoc enim Deus iuſtos flagellat, & corrigit in præſenti vita, vt de vitiis emendentur, etſi quæ contra eius legem commiſerunt,

Theodor. *Origen.* *Titelm.*

Iob 9.

Nullum malum inultum.

Flagella Dei ſunt eruditio & diſciplina.

Deut. 8. *Oſea 7.* *Hebr. 12.*

Cauſa finalis diuinorum flagellorum.

miſerunt, ſoluant, & legem deinceps diligentius obſeruent. Hierem. 31. *Caſtigaſti me Domine & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus.* Iuuenculus enim eruditur & caſtigatur, vt rebellem ceruicem iugo & aratro ſubmittat: ſic Deus erudit

Hier. 31. & caſtigat nos, quando legi eius obedire nolumus. Iſa. 8. *In forti manu erudiuit me, ne irem in viam populi huius.* Hæc eſt eruditio & correctio, qua Deus filios quos diligit corrigit &

Iſa. 8. erudit, At eos quos reprobat, & ad æterna ſupplicia prærdinat, longe aliter corripit, & arguit, in furore & ira æternaliter puniendo. Quare, licèt in præſenti vita diſſimulet, & flagello parcat, & etiamſi in labore hominum non ſint, & cum hominibus non flagellentur, flagellabuntur tamen cum dæmonibus & ſempiternis ignibus cruciabuntur, quia æquum eſt, vt licen-

Pſal. 93. tioſa eorum vita impunita non ſemper maneat, quare Pſalm.

Paraphr. Chaldaica. 93. vbi dicitur ſecundum noſtram vulgatam, *Qui corripit gentes non arguet?* Tranſlatio Chaldaica ſic habet. An poſſibile eſt, quod ille qui dedit legem populo ſuo, cùm peccauerit non

Nota. arguet eos? Quaſi dicat, minime. Hoc enim alienum eſt à rectiſſimo illo legiſlatore, ad quem ſpectat vnicuique iuxta opera ſua reddere.

Hinc eſt, quod quando Deus aliquem in præſenti punit, ſignum eſt ſummæ clementiæ & amoris, quia hîc leniter & miſericorditer flagellat, at in futuro diſtrictius. Quod anno-

Bruno ſuper c. 7. Exod. tauit Bruno, ſuper illa verba Exod. 7. Virga verſa eſt in colubrum. *Quid per virgam*, inquit, *niſi dulcis correctio Domini deſignatur? Sed hæc virga in draconem vertitur, quando leuiter correcti emendare ſe nolunt.* Hûc etiam ſpectat viſio illa

Virga, dulcis correctio eſt. prima Hierem. cap. 1. *Quid tu vides Hieremia? Virgam vigilantem ego video. Quid vltra? Ollam ſuccenſam.* Omnia huius mundi ſupplicia, omnia mala quaſi virga quædam Dei ſunt,

Simile. qua Deus ſuos percutit vt corrigat. Virga námque pallij puluis excutitur, ſic Deus virga correctionis iuſtum ſolet percutere, vt ab eo omnem peccatorum puluerem excutiat. Et ſicut pater percuſſo filio virgam quam manu tenet, ſolet ſtatim magno impetu & indignatione infringere, & in ignem proiicere, ſic Deus ſolet per aliquem peccatorem, aut tyrannum, iuſtum vexare, quem tamen ſine debito ſupplicio non ſinit abire. Patet hoc in Iſa. cap. 10. *Væ Aſſur, virga furoris mei, &*

Iſa. 10. *baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea:* & poſt pauca ſubdit, *Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Aſſur, &c.*

Aſſur quis. Aſſur vocat Senacherib Regem Aſſyriorum, cuius miniſterio Dominus vſus eſt ad puniẽdum populum ſuum: qui Iſraëlem

deleuit

deleuit & grauiter afflixit, ſed poſtea ipſum Senacheribum
percuſſit Deus, ſumens de illo iuſtas pœnas. Itaque afflictio *Afflictio*
iuſtorum in hac vita virga eſt, quæ duabus, aut certè tribus fla- *iuſti vir-*
gellis illatis, ſtatim frangitur: ſed afflictio & ſupplicium malo- *ga cōpa-*
rum in alia vita, olla eſt ſuccenſa. Sed heu, qualis erit illa olla *ratur.*
quàm formidanda, quæ tot in ſe principes, tot ſæculi potentes, *Afflictio*
tot diuites, & omnis ſtatus homines in ſe capiet, qualis eius *malorũ*
ardor & ignis, quæ æternis flammis ſuccedenda eſt; Quis non *olla eſt.*
timeat ab hac olla? Quis non exhorreſcat audire? Vere mors *4.Regul.*
eſt in olla, non quidem temporalis ſed æterna. O homines cæ- *c.4.*
ci & inſani, quos voluptatum, & rerum mundanarum cupido
faſcinauit, ab omniq́ue rationis vſu fecit alienos? Quis ex vo- *Iſai.33.*
bis habitabit cum igne deuorante, aut quis habitare, poterit
cum ardoribus ſempiternis? Redite, redite præuaricatores ad
cor, & æterna illa ſupplicia mente reuoluite, & cum D. Augu- *Auguſt.*
ſtino ad Deum conuerſi, dicite: *O domine, hic ſeca, hic vre,*
hic non parcas, vt in æternum parcas. Iterumq́ue cum Hier. *Hier. 10.*
c. 10. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio*, id eſt, *Con*
mano blanda: & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas
me. Exorate Deum ex peccatorum veſtrorum vinculis, & cum
Manaſſe dicite: *Domine, remitte mihi, & ne ſimul perdas me* *1.Par.*
cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reſerues ma- *vlt.*
la mihi. Et tandem cum Dauide exclamet vnuſquiſque no- *Epilog.*
ſtrum: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua
corripias me, ſed corripe me in miſericordia, argue, & incre-
pa in hac vita, conferendo peccatorum veniam & gratiam,
vt in alia conferas gloriam.

CONCIO SECVNDA.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me
Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea,
Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſ-
quequo?

EXPLICVIT Dauid in ſuperiori verſu timorem, quem ex conſideratione diuinæ iuſtitiæ conceperat: nunc autem in præſenti ad inuocationem infinitæ miſericordiæ, ſe totum conuertit. Solent delinquētes, quādo à miniſtris iuſtitiæ *Simile.*
terrefacti fugiunt, ad aliquod aſylum, ſiue templum ſe recipere
vt ina

vt manus illorum, & mortem ſibi imminentem effugere valeant. Sic peccatori cùm Deum offenderit, ſi diuinam eius iuſtitiam effugere voluerit, non aliud ſibi ſalutis remedium relinquitur, niſi ad aſylum & arcem miſericordiæ confugere, quæ omnibus peccatoribus veniam & incolumitatem promittit. Nam ſi cœlo bellum infert, quis in terra peccatori ſecuritatem promittet? Hic eſt ſenſus illorum verborum quæ habentur ab Iſai.c. 10. *Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam veſtram ne incuruemini ſub vinculo &, cum interfectis cadatis.* Per diem viſitationis, & calamitatis de longinquo venientis, diem iudicij intelligit ſecundùm aliquos. Qui iuxta Sophoniam c. 1. appellatur, *dies iræ, tribulationis, & anguſtiæ, calamitatis, & miſeriæ.* Et vt indicet quòd calamitas illa magna & terribilis futura eſt, ſubdit, quod de longinquo veniet. Quia ſicut fluuius, quanto diſtantius ortum ſuum habuerit, tantò maior efficitur, & maiori impetu decurrit, quia paulatim vires auget, & longius, latiúſque dilatatur, donec impetu, & rapidiſſima inundatione, omnia ſecum rapiat: ſic calamitas iudicij, quãtò tardior, & per longiora ſæcula protracta, tantò terribilior magíſque timenda. Inquit ergo Deus: Ad cuius tunc confugietis auxilium, cùm ego ſupremus ſim omnium Dominus, & nullus ſit qui aduerſus iram meam vos defendere poſſit, aut protegere? Hunc eundem ſenſum reddere poſſunt, verba illa Pſalm. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si abſcendero in cœlum tu illic es, &c.* Quem locum D. Greg. libro 33. moral. c. 14. ſuper illud Iob 40. *Nunquid pones circuium in naribus eius?* De poteſtate diuini iudicij explicat, quod nullus mortalium effugere poterit: Nullus erit locus tutus peccatoribus, vbique terror, & vbique labor: quia ſicut volens fugere cœlum, ad quamcumque partem fugiat, ad cœlum accedit: ſic volens Dei potentiam aut præſentiam fugere, quocumque ſe vertat, illam inueniet: quia vbique præſens eſt, & omnia replet. Solum vnica via eſt, qua poſſumus ab eius iuſtitia fugere, ſcilicet ad eius miſericordiam confugiendo. Quam inſinuat ſtatim dicens: *Si ſumpſero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris*, Super quibus verbis inquit Incognitus, quod hîc docemur, quomodo à Deo irato poſſumus confugere ad Deum placatum. Itaque, nulla alia reſtat via peccatori, niſi à iuſtitiæ tribunali, ad miſericordiæ tribunal appellare. Ita quod peccator qui per ianuam iuſtitiæ à Deo fugit, per ianuam miſericordiæ, ad illum debet

Iſai. 10. *Sophon. 1.* *Simile.* *Pſal. 138.* *D. Greg. ſuper Iob cap. 40.* *Simile.* *Peccatoribus aſylum Miſericordia Incognitum.*

Digitized by Google

debet accedere.Sed quomodo dices,hoc fiet?Audi prophetam. *Si ſumpſero pennas meas diluculo.* Alia litera habet *in directo.* Felix vertit *aſſumam pennas auroræ?*

Felix.

Sed quænam ſint huiuſmodi alæ, quibus volantes in directum, quaſi velociſſimis auroræ pennis, quæ mox, vt oriri cæperit, ab oriente in occidentem percurrit,oſtendit gloſſa ſuper Pſalm.17.dicens, quod ſunt miſericordia & charitas. Et doctor Incognitus ſuper Pſalm. 90.dicit,quod ſunt miſericordia, & iuſtitia, his duabus alis ad vſque ſydera volare poſſumus.

Gloſſa ſuper Pſ.17. *Doctor Incognit. ſuper. Pſal. 90.*

Si auis vnica ala volare contenderit, ſtatim ad terram deiicitur. Sic peccator, neque ſola ala iuſtitiæ, neque ſola miſericordiæ, ſed vtraque pariter, & in directum volare debet, vt ad optatam metam perueniat. Si ſolam alam iuſtitiæ aſſumpſerit, timore perterritus deiicietur, ſi ſolam miſericordiæ, vana confidentia præcipitabitur: at vtraque volans,& in directum tendens,ita quod non magis ad vnam quàm ad aliam partem inclinetur, ſuperas ad arces volitare poterit.

Simile.

Sed attende, quòd huiuſmodi pennæ ſumendæ ſunt diluculo, & pennæ auroræ appellantur, quod in idem recidit,vt hinc intelligas, quòd pœnitentia non eſt protrahenda, aut de die in diem differenda, ſed valde diluculo, ſummáque celeritate, ad miſericordiam Dei eſt fugiendum, quia ſola miſericordia protegere nos poteſt ab eius iuſtitia.

Pœnitẽtia nõ differenda.

Aduertit hoc quidam egregius Doctor, homilia quadam ſuper illum verſum. *Ne proÿcias me à facie tua. Quo pacto,* inquit Dauid,*qui ſuperius petiuit à Deo, vt auerteret faciem à peccatis ſuis, modo rogat vt faciem ſuam ab eo non auertat? Cui dubitationi reſpondet, quod Deus duplicem habet faciem. Tieno cara con dos hazes.*

Caſtro hom. lib. 17. *Deus duplicẽ faciem habet.*

Et habet faciem iuſtitiæ,& faciem miſericordiæ. Facies prima peccatoribus terribilis & formidoloſa eſt, de qua Iob dicebat. cap. 13. *Vbi me abſcondam à vultu iræ tuæ, quia peccaui nimis?* & Pſalm. 32. *Vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

Iob 13.

Alteram faciem habet benignam, placidam, & gratiarum plenam, quæ facies eſt miſericordiæ: de qua dicitur Apocal. 1. *quòd eſt ſicut ſol.* Quia ſicut ſol omnia luſtrat, neque eſt qui ſe abſcondat à calore eius, ſed ſuper bonos & malos oritur: ſic miſericordia Dei ad omnes tam bonos, quàm malos ſe extendit.

Apoc. 1.

Et huc ſpectat viſio illa Ezech. vaticinij ſui.cap. 1.vbi inquit, quod ſuper illa quatuor animalia, in quibus D. Hieron. quatuor Euangeliſtas intelligit, erat ſimilitudo quædam hominis, ſcilicet Chriſti veri Dei. Et hæc ſimilitudo primò dicit, quòd erat, quaſi cryſtali horribilis, & deinde,

Ezech.1. *D. Hier.*

Digitized by Google

deinde quod erat, velut aſpectus ignis, & arcus cùm fuerit in nube. Quis huiuſmodi ſimilitudinem & imaginem non miretur? Si enim erat cryſtalli, quomodo horribilis? Quia cryſtallus ſumma pulchritudine pollet, quomodo horrorem aſpicientibus poteſt incutere? Deinde, quomodo hæc ſpecies poteſt eſſe velut ſimilitudo ignis ſplendentis, & velut aſpectus arcus cùm fuerit in nube? Hæc enim inter ſe cohærere non videntur. Quando enim de nube ignis aut fulgur egreditur, non ſerenitas quinimo tempeſtas denunciatur: quando verò arcus ſiue iris apparet, non tempeſtas, ſed ſerenitas promittitur: quomodo ergo hæc ſtabunt? Sed facilè difficultatem euacuabimus, ſi id quod iam diximus ad mentem reuocemus, ſcilicet quod Chriſtus vtrumque habet, & quod pulcherrimus ſit, & quod horribilis. Terret cum igne, & in ſpem erigit ſicut iris, iam faciem iuſtitiæ oſtendit, iam verò miſericordiæ, iam ſupplicium minatur, iam veniam promittit. Quare, cùm illum offenderimus, à facie iuſtitiæ fugientes, ad faciem miſericordiæ confugere debemus. Cùm homo quidam à Cæſare morti damnaretur, ille intrepidus appellauit: Appello, inquit ab hac tua ſententia. O homo ſimplex, inquit iudex, ad quem appellas, cùm ego ſim ſupremus mundi monarcha? Ad Cæſarem, reſpondit ille, cùm ſobrius fuerit. Itaque à Cæſare ad Cæſarem appellauit. Sic peccator, qui crimen læſæ maieſtatis commiſit, propter quod in tribunali iuſtitiæ morti damnatur æternæ, quia anima quæ peccauerit ipſa morietur, debet quidem appellare, non ad alium niſi ad ipſum Deum, cùm ſupremus ſit omnium Dominus, à Deo inquam, offenſo, ad Deum per pœnitentiam placatum, à Deo vindice & iuſto, ad Deum miſericordem & benignum: cuius miſericordia magna eſt, cuius bonitas infinita, cuius pietas nulli clauſit viſcera. Eſt enim miſericordia Dei perennis, & indeficiens fōs, quæ noſtris demeritis exhauriri non poteſt. Quare, non eſt cur aliquis de venia deſperans, dicat cum Caino. *Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear*: quia ſi cor noſtrum reprehenderit nos, maior eſt Deus, & maior miſericordia illius corde noſtro. Neque cum populo Hebræorum dicamus. *Deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus.* Quia aduerſus inſolentiam iſtam, inſurget in eodem loco Deus dicens. *Nunquid deficiet de petra agri nix libani, aut euelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ & defluentes?* Quando mons niuibus plenus eſt, impoſſibile eſt, quin in torrentes & fontes erumpat, quibus vicini colles, & agri irrigentur.

[Margin notes: Dubium; Exēplū.; Ezec. 18.; Geneſ. 4.; Hier. 18.]

Digitized by Google

irrigentur. Cùm ergo ego ſim, nil aliud, inquit Deus, niſi pietatis & infinitæ bonitatis fons, ex quo innumeri miſerationum riuuli deriuantur, quomodo in me miſericordiæ fons exſiccari poterit? Quis vnquam mortalium ſitiēs acceſſit ad me, qui ſitim ſuam non expleuerit? *ſi quis ſitit*, dicebat Chriſtus Redemptor noſter, *veniat ad me & bibat*. O fons pietatis, ô mentis ſatietas, ô dulcedo animæ, ſola ſatians & reficiens! Quis eſt qui ad hunc fontem accedere contempſerit, cuius liquor ex illo profluens, virtutis eſt infinitæ? Vulneribus medetur, infirmitates curat, maculas abluit, mentem reficit, & ſitim extinguit. Cùm Iſmaël è domo patris egreſſus, cùm Agar matre ſua, erraret in ſolitudine, & præ ſiti ſolíſque ardoribus, animam pœnè exhalaret, extulit ploratum, qui fuit à Domino exauditus, qui cùm iaceret ſub quadam arbore, mox Deus per miniſterium Angeli fontem illis oſtendit, cuius potu ſitim ſedarunt & ſeipſos refecerunt. Sic nos vtique peccatores, qui à domo & amicitia Dei per culpam receſſimus, & in ſolitudine huius mundi paſſim erramus, in peccatorum ſylua impediti, non debemus peccatis peccata addentes, de diuina bonitate deſperare, ſed labes noſtras deteſtantes, & vim lachrymarum fundentes, accedamus ad crucis arborem, ex qua vita ipſa pendet, vbi fontem miſericordiæ inuenimus, cuius ſalutari potu recreati, ſitim noſtram extinguere valeamus, & veniam peccatorum noſtrorum conſequi. Ad hunc quippe fontem Magdalena acceſſit, ad hunc Matthæus Thelonarius, ad hunc Publicanus Zachæus, & quotquot ſuorum criminum veniam ſunt conſequuti. Ad hunc etiam hic pœnitens accedit, qui fugiens ab ardore iuſtitiæ, confugit ad fontem miſericordiæ dicens: *Miſerere mei Domine.*

Deus fōs pietatis.

Ioan.c.7.37.

Gen.21.
Figura.

Quoniam infirmus ſum, &c. Solent qui à magnate, vel principe aliquod donum exigunt, in ſua petitione cauſas illas allegare quæ animum illius, ad id præſtandum magis commouere poſſunt. Hic parentum ſuorum ſeruitia aut munera refert, ille labores quos in bello retulit, & facinora, quæ ipſemet non ſine magno vitæ diſcrimine præſtitit: quòd arcem expugnauerit, quòd Turcas occiderit, vel aliquid huiuſmodi: at qui nihil horum geſſit ſolet in ſui fauorem non aliud, quàm propriam miſeriam & paupertatem oſtēdere. Pauperes etiam, vt diuitum animos ad miſericordiā illis præſtandam flectere valeant, cum eleemoſynam petunt, ſolent viliſſimas veſtes induere, eáſque partes corporis denudare quæ vulnere aliquo ſunt affectæ: ſic vtique peccator, aut quicunque alius ille ſit, qui à Deo aliquid

Simile.

Digitized by Google

petiturus accedit non merita ſua, aut opera quæ geſſerit, ſed propriam imbecillitatem, & miſeriam allegare debet. Sic fecit pater ille multarum Gentium Abrahamus, qui cum Deo de venia Sodomorum agens, non merita ſua iactauit, non fidem, aut iuſtitiam, qua pollebat, nō denique peregrinationem illam longiſſimam, quam ſuſceperat, neque promptiſſimam obedientiam, qua poſtea filium ſuum in ſacrificium obtulit, ſed ſolùm infirmitatem, & humilitatem ſuã recenſuit. *Loquar,* inquit, *ad Dominum meum, cùm puluis ſim & cinis.* Speculum etiam illud ſingulare patientiæ, Iob, inquam, vt Deum ad miſerendum, & mitius ſecum, agendum inclinaret, propriam imbecillitatem in medium profert. *Cur faciem tuam abſcondis,* dicebat, *& arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?* &c. 10. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me? Memento, quæſo quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* Quaſi diceret: Tu Domine, probe noſti conditionem meam, & fragilitatem naturæ meæ, cùm opus manuum tuarum fuerim, quia nullus artifex proprium ignorat opus. Cùm ergo fragilitatem meam non ignores, quid cauſæ eſt, quod contra me tam crudeliter agis? Hæc quidem fragilitas & debilitas magna eſt, toti generi mortalium ex ſuæ conceptionis vitiata origine, inſita: & ita medullitus impreſſa, vt vix vnquam hominem relinquat. Imò vix poſt multos, eóſque diuturnos labores, ſuperare illam contingat. Naſcitur enim ex hac humana fragilitate, quod homo ad malum quàm ad bonum ſit pronior, ad ea quæ carnis ſunt ſumma velocitate fertur, ad ea verò quæ ſpiritus, non niſi reluctanter, & inuitus. Si cimba in aquis fluentibus reponatur, nec ſit qui obſiſtat fluctibus, ſtatim ad motum fluentis aquæ deorſum fertur, quod ſi contra aquæ impetum, eam quis ducere velit, remis eum inſiſtere, omnémque adhibere conatum oportet: ſic anima noſtra, poſt vitiatam naturam, quaſi ſua ſponte ad voluptates fertur: & carnis ſequitur deſideria: quare ſi contra fluxum carnis animam inducere oportet, multo labore, & ſudore opus eſt. Quæ maior infirmitas, aut quæ infirmior fragilitas excogitari poteſt? Hinc eſt quod infirmitatem hanc ſupplicantes Domino proponimus, non vt peccata excuſemus, ſed vt noſtra imbecillitate conſiderata, ad miſerendum pronior efficiatur, & veniam impetremus faciliùs. *Miſertus eſt Dominus,* inquit Dauid, *timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum*

Gen. 10. *Iob 9.13.* *Iob 10.* *Natura noſtra ad malum procliuis.* *Simile.* *Pſal. 102*

Digitized by Google

noſtrum recordatus eſt, quoniam puluis ſumus: id enim maximè Dei commouet erga nos miſericordiam, quòd nos videt eſſe corruptos ac miſeros, & quòd à parentibus noſtris, quaſi iure hæreditario, corruptam naturam & vitiatam accepimus,& ad malum inſectandum valde procliuem. Quod Paraphraſis Chaldaica melius explicat dicens: *Quoniam ipſe nouit fomitem paruum, qui peccatum ſuggerit.* Et hæc eſt vna ex rationibus, ſicut D. Gregorius diſputat, libro quarto Moralium, capite nono, quare peccatum hominis dignum fuit reparari, non Angeli. Quia peccatum hominis à fragilitate naturæ habuit ortum, Angeli verò ex pura malitia proceſſit: quanto magis poſt quàm iam natura per peccatum ad malum eſt inclinata?

Chald. Paraph. *D. Greg. lib.4. Moral. ca. 9.* *Quare peccatũ hominis non Angeli reparabile ſit*

Quare Propheta regius, Pſalm. 61. inimicos ſuos Dæmones, nomine totius generis humani alloquens, ait. *Interficitis vniuerſi vos, tanquam parieti inclinato, & maceria depulſa.* Quaſi diceret,non vos pudet,quod cùm tot ſitis numero, tantóque robore & virtute contra debilem hominem, omnes ſimul, quaſi coniuratione facta, ad interficiendum concurritis? Præſertim cùm homo poſt culpam, quaſi paries ſit ad caſum inclinatus, & quaſi maceria ruinam minans. Quem, locum dum elucidaret diuus Baſilius, inquit: *Murus ſi rectam cuſtodit ſtabilitatem integer manet: vbi verò inclinauit, neceſſe eſt,vt totus quandoque corruat. Pondera enim legitima, ſi ſemel icta ſint, facile reſtant, at ſi plurimo impulſu commota ſemel inclinationem fecerint, nulla mora eſt quin penitus ruant, vixque poſtea inſtaurentur. Ex hoc ſane oſtendit, quemadmodum hominis natura compoſita exiſtens, ex peccato quidem inclinatur: ex quo ſolum ipſam quidem omnino oportet, ac rurſus ab eodem artifice, qui illam condidit, inſtaurari.* Hactenus diuus Baſilius. Appellatur autem Homo paries inclinatus, quia cùm fuerit à Deo creatus in rectitudine iuſtitiæ, tamen perſuaſione Dæmonis, ab illa per culpam declinauit. Et licet gratia iuſtitiæ ſit æquiualens, & per illam ſufficienter quoad culpam reparetur, tamen ſemper manet illa naturæ inclinatio quouſque tandem tota natura per reſurrectionem reparetur. Si columna aliqua inclinatur, vel in alteram partem flectitur, facile ad debitam rectitudinem reduci poteſt, quia vniformis eſt neque ex pluribus partibus & compoſita: at ſi paries inclinetur, cùm ex multis lapidibus conſtet, reparari non poteſt, niſi prius totus diſſoluatur, & deiiciatur ad terram. Natura Angelica ſimplex, & vnifor-

Pſal. 61. *D. Baſil.* *Fragilitas humana.* *Simile.*

mis eſt, *es de vna pieça.* Non enim ex partibus tanquam ex materia, & forma componitur, quare ſi reparabilis eſſet tota ſimul reparanda erat: at verò natura humana, eſt quaſi paries ex pluribus lapidibus conſtructus, componitur enim ex materia & forma, anima & corpore. Quare vitiata ſemel per culpam originalem, ſemper inclinata remanebit, quouſque cadẽs per mortem, per reſurrectionem reparetur. Omitto, quòd ipſa natura humana de ſe fragilis eſt, non ea fortitudine qua Angelica pollens, quare de facili ſeduci potuit, & ideo peccatum eius reparatione dignius.

Et ſi quando Adamus in mulierem inurbanè quidem, & inciuiliter culpam retorſit, in naturæ ſuæ fragilitatem retorqueret, mitius forſitan cum illo ageretur, & magis diuinam flecteret miſericordiam: certum namque eſt, quod peccatum quod aliqua fit occaſione dignius eſt venia, quàm illud quod nulla ad id impellente cauſa. Et huius rationem adducit Incognitus, circa illa verba Pſal. 77. *Recordatus eſt quia caro ſunt.* Peccatũ, inquit, quanto maiori fit fragilitate, tanto magis eſt remiſſibile, quia ſic minus habet rationem voluntarij. Occaſiones enim aliquæ ſunt tam vrgentes, quæ licet vſum liberi arbitrij non omnino tollant, tamen valdè ſolicitant, & licet non cogant fortiter tamen inclinant, & peccata quæ ſic committuntur, nõ ſunt tam culpabilia, quàm ea quæ nulla occaſione fiunt, quia minus habent malitiæ. Et ad hoc propoſitum eſt illud Eccl. 25. *Tres ſpecies odiuit anima mea. Pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, ſenem fatuum & inſenſatum.* Peccata enim hæc, nullam ſecum occaſionem habent. Pauper namque, non habet occaſionem ſuperbiendi, quin potius humiliandi ſe, nec diues mentiendi: quia mendacium pro maiori parte lucrum reſpicit, quo diues non eget, à ſenectute etiam omnis vanitas, & mundi cura aliena eſſe debet, quia ætatem illam prudentia, & maturitas comitari ſolet. Quòd ſi in his tribus hominum generibus vitia hæc inueniantur, tanto maiori nota digni ſunt, quanto minorem occaſionem habent. Conſiderat enim Deus miſeriam noſtram & fragilitatem naturæ qua conditi ſumus, & perpendit occaſiones impellentes, quas ad delinquendum habuimus, quibus ponderatis, nimis nobis cõpatitur. Scit enim naturam noſtram non æneam, aut ferream, ſed carneam fuiſſe creatam, quare non mirum ſi tentationum ictibus aliquando concuſſa decidat. Et hoc eſt, illud Iob c. 4. quod naturæ noſtræ non parum ſuffragatur. Ecce, qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem: quanto magis hi qui habi

Incognitus ſuper Pſal. 77.

Peccatũ ex fragilitate naturæ dignius venia.

Eccl. 25.

Iob 4.

Digitized by Google

habitant domus luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea? id eſt, ſi ſupremi illi ſpiritus, qui omni fortitudine naturali & robore ſunt prædìti, qui nullo carnis pondere præmuntur, in veritate non ſteterunt, ſed à tentatione deuicti miſerabiliter corruerunt: quid de hominibus, quorum conditio fragilis, quorum natura debilis, & ad malum procliuis, erit ſperandum? Si munitiſſimæ illæ arces & fortiſſimæ turres in inacceſſis rupibus fundatæ, expugnatæ ſunt, quid de nobis ſentiendum erit, quorum fortitudo ſuper terreum fundamentum fundata, nullam de ſe ſtabilitatem aut firmitudinem habens? Si non à tinea conſumemur? Aptiſſima eſt metaphora ad noſtram imbecillitatem explicandam. Quia tinea ex ipſa veſte generatur, & genita, veſtem ipſam corrodit & perdit: ſic caro, quæ veſtis quædam eſt animæ, de ſe fomitem producit, & ex fomite tentatio procedit, & ex tentatione peccatum, quod animam ipſam dilacerat & deſtruit. Dauid ergo cùm defeciſſet, vt homo, Deûmque offendiſſet, petens ab eo veniam, vt diuinam clementiam ad miſerendum flecteret, miſeriam ſuam allegat dicens. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine, &c.* Cognoſcit infirmitatem animæ ſuæ, & à Deo quærit medelam, ſéque ad quæcumque, quantumuis aſpera & dura, perferenda pro ſalute recuperanda fatetur paratum. Duo inquit, alterum quod anima eius propter culpam turbata eſt; alterum quòd oſſa eius præ nimia pœnitentia, & rigore, pœnè confracta ſunt. Credite mihi fratres, quòd quando animæ dolor verus eſt, & non fictus, ſtatim præ foribus apparet, & in corporis operibus oſtenditur. Quando aliquis grauitatem peccati ſui conſiderans horrorem & timorē, vt decet, diuinæ offenſæ cōcipit, ſtatim hoc in corpore manifeſtatur, quod abſtinentia affligit, flagellis caſtigat, & cilicio domat. Adſunt illico lachrymæ, triſtitia & gemitus, interioris doloris veriſſimi teſtes. Quia cùm corpus & anima tanta amicitia & neceſſitudine ſint coniuncta, bona & mala, triſtitiam & gaudium, voluptatem & dolorem, ad inuicem ſibi communicant. Domum aliquam, quæ cellas ad habitandum duplicatas habeat mente fingite, qualis arca Noë fuiſſe dicitur. *Vna caſa con dos o tres altos.* Impoſſibile eſt, quod aliquis magnus ſtrepitus, aut motus agitatio ſuperiùs fiat, quin ſtatim inferiùs ſentiatur: decidit terra & puluis, & tota domus ſolo æquari videtur. Hoc exemplo, id quod dicebamus compertum fiet. Homo enim quaſi domus

Simile.

Contritionem animi dolor corporis ſequitur.

Simile.

Digitized by Google

multi moda,& duplicata eſt. *Caſa de muchos altos.* Habet enim portionem ſuperiorem, & portionem inferiorem, deinde carnem, quaſi totius domus fundamentum. Superior cum Angelis, inferior cum belluis communis eſt. Poterit quidem in portione ſuperiori aliquis motus fieri ſiue gaudij ſit, ſiue doloris, tam exiguus & remiſſus, quòd vltra proprias ædes non exeat, neque in portione inferiori ſentiatur: at quando dolor magnus eſt, quando gaudium intenſum: impoſſibile eſt quin inferiori portioni communicetur. Cor meum & caro mea inquit Dauid, exultauerunt in Deum viuum. Et idem ego dico de dolore & triſtitia, propter culpas commiſſas. Quando enim dolor hic magnus eſt, ſtatim in inferiori parte puluerem lachrymarum excitat. *Leuanta poluare da de lagrimas.* Statim cilicij aſperitas, rigor diſciplinæ, victus abſtinentia, & ieiunium in corpore excitantur. Et quod latet in corde quaſi in facie deſcribitur.

Anima corpori affectus ſuos cōmunicat.

Hinc factum exiſtimo, quod in Scriptura ſacra alicuius animæ ægrotãtis medela, peccatum relinquere, & ad Deum conuerti: parienti doloribus comparatur. Inquit enim Iob, cap. 26. *Obſtetricante manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus.* Deum ipſum obſtetrici comparat, ac per conſequens peccatorem parienti. Non enim peccatum ſine magno dolore relinquitur. Et Iſaiæ cap. 26. *A facie tua Domine concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.* Quæ verba dum expenderet Origenes in Exodi, cap. 21. homil. 10. inquit: *Sicut fœmina grauida viro fit, quæ cùm parturit, clamat ad Dominum, quod acerrimi oboriuntur dolores, ſic anima cæleſti ſemine grauida, cùm conceptum Dei verbum in opera producit, ſuos dolores ſuffert.* Itaque, in hoc ſtat metaphora, quod ſicut mulier non ſine clamoribus & lachrymis parit filium, ſic neque peccator iuſtitiam, quam conceperit, producere poterit. Clamat præ dolore mulier, & tota contremiſcit & diſſoluitur, ſic verè pœnitens, exterius oſtendit operibus dolorem in mente conceptum.

Iob 26.
Conuerſio peccatoris partui ſimilis.
Iſai. 26.
Origen. in Exod.

Quòd ſi doctrina hæc fratres vera eſt, quis noſtram pœnitentiam non ſuſpectam habuerit? Quis de noſtra contritione pro commiſſis criminibus non dubitauerit, quæ in nullis exterioribus operibus ſe manifeſtat? Si enim exteriora opera ſigna ſunt latentis effectus, quomodo vera pœnitentia illa cenſenda eſt, quam nulla exterior morum aut vitæ mutatio comitatur? vbi carnis mortificatio? vbi ieiunia? vbi ſuſpectæ & periculoſæ amicitiæ vitatio? Vbi tandem antiquorum morum

rum

rum reformatio,& totius vitæ mutatio? Quod ſi nihil horum in nobiſipſis cernimus, profectò neſciò, quomodo ſecuri vitam degimus, & pœnitentiam conuerſionémque noſtram veram & non fictam exiſtimamus. De Alexandro legitur, quod *Exēplū* cùm aliquando vino inebriatus Clitum amicum ſuum occi- *Alexād.* diſſet, poſtea tanto dolore fuit perculſus, quòd ſeipſum occidere voluerit. Et de Harpia aue crudeliſſima & carniuora refert Holcoth, quòd poſtquam hominem occiderit & deuora- *Holcoth.* uerit,ad fontem pergit,vt lauetur,ibíque videns in ipſo fonte imaginem ſuam ſimilem homini quem occidit, tanta triſtitia afficitur,quod præ dolore exhalat animam.Sed vt ad rem deueniamus,quid aliud facit peccator,cùm aliquod crimē mortale committit,niſi amiciſſimum ſibi Chriſtum,& illum cuius imago eſt,quantum in ſe eſt occidere? Eſt enim homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus. Quod ſi verè doles ô homo, quòd Deum in anima tua occideris, vbi lachrymæ? vbi triſtitia? vbi indicia contritionis? Tanta enim lætitia afficeris & gaudio,ac ſi Deum nunquam offendiſſes. Idem nobis accidit quotidie, quod populo illi rebelli acciderat, qui cum Deū offendiſſet, nihilominus lætabatur, nec triſtitiæ & doloris ſigna oſtendebat, quem tamen Oſeas reprehendit: *Noli lætari* *Oſeas 9.* *Iſraël, noli exaltare ſicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo.* Ac ſi apertiùs diceret. Gentes quorum Dij lignei, aut lapidei ſunt,ſiue aurei aut argentei, qui oculos habent,& non vident, aures habent & non audiunt,non mirum quod lætentur,etiam ſi Deos ſuos offenſos habuerint, quoniam ipſi non ſunt Dij, ſed ligna quædam hominum manibus fabricata. Tu verò Iſraël,cuius Deus verus eſt,& ad puniendum potentiſſimus, illum timere & reuereri debes,quia de illatis ſibi iniuriis debitas pœnas ſumet.Hoc idem ego vobis dico fratres. Attendite quòd non cum qualicunque Deo res agitur,ſed cum Deo viuo & vero, qui verè timendus eſt, cum corpus & animam ſimul poſſit occidere, & æternis cruciatibus torquere, quare de peccatis veſtris, non conterremini? quod ſi contritionem interiorem habetis, quare non in publicum per pœnitentiam & exteriora opera prodit? Quare non voluptatibus & vaniſſimis veſtris gaudiis finem imponitis? & lachrymis, ſuſpiriis, & orationi vacatis? Diuus Gregorius in ſuis moralibus in- *D. Greg.* quit: *Cùm vehemens pœnitentia ſpiritus mentem occupat, omne gaudium perturbat, vt nihil iam niſi flere libeat, nihil, niſi quod terrere poſſit, attendat.* Glorioſus martyr Cyprianus ſermone quinto de lapſis, ſic ait: *Agite pœnitentiam* *Cypria.*

plenam doloris, ac clamantis animi probate mæſtitiam. Diuus Ephren. quem D. Hieron. in catalogo de viris illuſtribus aſſerit, tantam nominis celebritatem fuiſſe conſecutum, vt eius ſcripta publicè in Eccleſiis recitarentur, duos libros, & ſermonem vnum ſcripſit de pœnitētia vbi peccatores, ad lachrymas & dolorem, mirum in modum hortatur. Greg. Nazianzenus in ſermone de ſanctis luminibus pœnitentiam vocat *baptiſmum lachrymarum*, & Ioan. Damaſc. lib. 4. ſuæ Theologiæ *baptiſmum laborioſum*. Ioan. Chryſoſt. homil. 22. ad populum Antiochenum: *Si magnus*, inquit, *eſt lapſus tuus, maior ſit torrens lachrymarum.* Euſebius Emiſenus homil. 5. *Multo opus eſt fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad ſanandos ipſius cordis dolores.* Sed quid pluribus teſtimoniis opus eſt ad hanc veritatem comprobandam? Quam Lutherus & perdiſſimi eius ſequaces, luxui & voluptatibus dediti inficiari conantur, cùm per Ioëlem dicat ipſa veritas, cap. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Quòd ſi corda per pœnitentiam ſciſſa haberemus, non vtique vaniſſimis mundi gaudiis & oblectamentis locus vllus in ipſo corde relinqueretur, quia voluptas & dolor, triſtitia & riſus, lachrymæ & gaudium non bene conueniunt, neque in eadem ſede morantur. Hinc eſt, quòd in omnibus ſacrificiis ſimile præcipiebat Deus veteri lege, vt ſuperinfunderetur incenſum, & oleum. Solùm hoc fieri prohibebatur, quando oblatio hæc, aut ſacrificium pro peccato fiebat. Et non aliam rationem reddit, niſi quia pro peccato eſt. Quem locum explicans Origenes inquit: *In ſacrificijs pro peccato, nec oleum lætitiæ, nec thus ſuauitatis imponitur, quia non bene conueniunt peccatum & gaudium, offenſa Dei cum lætitia.* Quod ſi nos de peccatis commiſſis, non vt par eſt dolemus, ideo accidit (vt exiſtimo) quod voluptates, vt præſentes intuemur, præſentem deguſtamus dulcedinem, & de amaritudine quam poſt ſe relinquunt, nihil cogitamus. Non enim Ariſtotelem conſulimus, qui dicebat: quòd *voluptates non venientes, ſed abeuntes aſpicere debemus*, id eſt, non quid de præſenti promittant, ſed quid de futuro comminentur. Solent per mare nauigantes quando tempeſtas, ſuboritur, & in magno vitę periculo verſantur, merces ſuas, & diuitias, abſque cunctatione vlla in mare proiicere, vt vitam incolumen ſeruare valeant: at ſedatis iam fluctibus, & tempeſtate tranſacta, tunc incipiunt eiulatu magno iacturam diuitiarum ſuarū deplorare. O homo peccator, cuius cor quaſi mare feruens eſt, quod

D. Ephr. *Gregor. Nazien.* *Damaſc. lib. 4.* *Chryſoſt.* *Euſeb.* *Ioël. 2.* *Origen.* *Ariſtot.* *Simile.*

Digitized by Google

quod quieſcere, non poteſt, & hinc inde vndæ voluptatum in conculcationem redundãt: ſiquidem dum tentationis ingruebat tempeſtas, non dubitaſti Deum perdere, & omnium meritorum tuorum iacturam facere, ſaltem poſt tranſactam iam voluptatem, poſt crimen commiſſum, & iacturam animæ tuæ factam, idipſum conſidera, & damna innumerabilia, quæ per culpam incurriſti & bona cæleſtia, quæ perdidiſti ad memoriam reuoca. Defle paupertatem tuam, & miſerabilem vicem tuam dolens, ad Deum cum Dauide pœnitente conuertere, dicens: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea: Et anima mea turbata eſt, valde, &c.* Quod ſi feceris ſupplex, non merita tua iactans, ſed infirmitatem naturæ recognoſcens: pœnitentiam veram, & non fictam agendo, quæ in publicum per bona opera ſatisfactoria prodeat, fiet, vt hîc ſaneris per gratiam & conſequaris gloriam, &c.

CONCIO TERTIA.

Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem, quis confitebitur tibi?

INTER omnes hominis miſerias, quæ neque paucæ, neque modici ſunt momenti, non infimum gradum obtinet inſufficientia quam habet ad ſeipſum reparandum poſt lapſum, & amicitiam Dei, quam amiſit per culpam, iterum comparandam, quod quidem ſuis naturalibus viribus abſque Dei ſpeciali ope & auxilio nullatenus poteſt. Hoc enim vnum (ſi ipſe homo dum peccat omnino non cæcutiret & rationis eſſet expers) per ſe ſufficeret, vt ab omni Dei offenſa manum extrahere. Poteſt quidem homo Deum offendere, & in peccati barathrum ſeipſum præcipitare, at inde exire, & ad Deum conuerti, abſque eius ſpeciali auxilio non poteſt. Et quando ad hanc veritatem probandam, alij non eſſent ſcripturæ loci, vel ille per ſe ſufficeret, qui habetur apud Oſeam, cap. 13. *Perditio tua Iſraël ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Poteſt

Hominis impotentia ad reſurgendum.

Oſea. 13. Simile.

quidem homo ſeipſum in foueam, vel profundiſſimum puteum proiicere: ſed reuocare gradum ſuperáſque euadere ad auras (vt Maronis vtar verbis) viribus ſuis non poteſt, niſi aliquis ei manus porrigat, illúmque ad regreſſum adiuuet. Sic licet peccator poſſit ſe in culpæ puteum proiicere, ſed non ſine adiutrice manu Dei inde exire, & ad Deum regredi. Adumbratum fuit, hoc in Ezechiele, capite tertio. Vbi refertur, quòd cùm ipſe Propheta viſione quadam ſtupefactus cecidiſſet in terram, à quodam ſpiritu ſubleuatus fuit, qui eum ſupra pedes ſuos ſtare fecit. *Et ingreſſus eſt*, inquit, *in me ſpiritus, & ſtatuit me ſupra pedes meos.* In quo facto abſque dubio inſinuatur, quod dum aliquis per culpam cecidit in terram, non ab alio, quàm à diuino Spiritu ſubleuari poteſt. Nam, licet exiſtens in peccato mortali, aliqua bona opera præſtare poterit, quibus de congruo aliquomodo ad gratiam ſe præparare poſſit, vt habet Doctor ſubtilis in quarto non tamen diſpoſitione vltima ſe diſponere, neque gratiã de condigno mereri, quia prima gratia, non noſtris meritis, ſed Chriſti confertur. Vnde, non eſt in hominis poteſtate iuſtificare ſeipſum, aut à culpa reſurgere. Et ad hunc ſenſum Doctor Incognitus ſuper Pſalmum 77. explicat illa verba Iob, capite decimoſexto, vbi de via peccati agens ait: *Omnes, qui eam ambulant non reuertentur.* Non reuertentur, inquit, per ſe, ſed per gratiam Dei reuocabuntur. Tantum enim peccator à Deo diſtat, quod propriis viribus ad eum reuerti non poteſt. Ad idem eſt illud Pſalmi 77. *Spiritus vadens & non rediens*: iuxta Titelmani interpretationem, qui ſic ait: *Vadens eſt homo, & non rediens*, quoniam per ſe quidem à Deo poteſt recedere, & in malum ire: verùm, per ſeipſum à malo ad bonum redire non poteſt, niſi adiutus ſpeciali Dei auxilio. Verba illa Pſalmi 32. idem confirmare videntur, quibus huic conſiderationi vltimam manum imponemus. Vbi dicitur: *Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem; in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.* Per Regem aliqui Seon Regem Amorrheorum intelligunt, qui cùm contra populum Iſraël cum magnis copiis veniret, *neque ſe neque ſuum exercitum ſaluare potuit*, vt habetur Numerorum vigeſimoprimo. Per gigantem Og Regem Baſan, qui ſolus ex gigantum genere ſupererat, vt habetur Deuteron. 3. Qui etiam à populo fuit deuictus. Per equum verò Pharaonem, qui in equorum & curruum ſuorum multitudine fidens, populum eſt perſequutus, & mare ingreſſus, cum curribus & equitibus ſubmer

Virgilius Maro.

Ezech. 3.

Scotus in 4. diſ. 14.

Doctor Incognitus.

Titelm.

Pſal. 32.

Digitized by Google

ſubmerſus eſt. Quæ quidem exempla (ſi Incognito: & Didimo credendum eſt) ad hoc fuere adducta, vt oſtendat, quod nullus propria virtute poteſt ſe ipſum ſaluare, ac per conſequens neque iuſtificare. Cuius rei probatio in hoc conſiſtit: quia ſi iſti, quantumuis regali dignitate, corporis magnitudine, & virium robore præcellentes, ſe temporaliter ſaluare, non potuerunt: quanto minus æternaliter beatificare, aut ſpiritualiter ſaluare, cuius principium eſt impij iuſtificatio, & ad Deum conuerſio.

Quæ ſine ſpeciali Dei auxilio fieri nequit. Quia miſericordia eius, ſemper peccatorem præuenire debet, vt ad eum poſſit conuerti. Inueniemus in ſcriptura ſacra, quod frequenter Deus peccatores ad pœnitentiam vocat, Dicens: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio*, &c. Et Ierem 15. *Si conuerteris conuertam me*: at è contra, peccator Deum vocat, & ab eo conuerſionem ſuam poſtulat, dicens. *Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus*. Et Pſalm. 89. *Conuertere Domine vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.* Quod ideo factum eſſe exiſtimo, vt dicamus hinc, quod neque peccator ſine Deo, neque Deus, ſine peccatore, ſed vterque pariter veram conuerſionem operari debet. Cùm Rex Ioas arcus ſagittas iecißet, quibus victoriæ eius adumbrabantur, ſuperpoſuit (vt ibi dicit textus) Eliſeus manus ſuas manibus regis, & ſic iecit ſagittas ſalutis Domini. Eliſeus ſalus Domini interpretatur, per quem Chriſtum mundi Saluatorem poſſumus intelligere, cuius manus adiutrices neceſſariæ ſunt, vt peccator qui vis de inimicis ſuis, peccatis ſcilicet, victoriam per veram pœnitentiam conſequatur. Neque enim manus ſola peccatoris ſine Dei manu, neque manus ipſius Dei, aliàs omnipotens, ſine peccatoris manu ad hoc erit efficax. Habent ſe Deus & peccator, ſicut qui in ingreſſu alicuius ianuæ ad inuicem ſe inuitant. *Entre vueſtra merced. No ſino vueſtro merced.* Et amplexi manibus ſimul ingrediuntur. Deus peccatorem ad pœnitentiam vocat, peccator è conuerſo Deum inuocat & eius auxilium implorat, & tandem vterque pariter concurrit & operatur.

Ioel. 2. — *Ierem. 15.* — *Ierem. 31.* — *Pſal. 89.* — *4. Reg. 1.* — *3. Figur.* — *Simile.*

Hoc quidem cum Dauidem non latuiſſet, cupiens ad Deum conuerti, & ad priſtinam amicitiam & gratiam per pœnitentiam redire: intelligens, quod principiũ noſtræ iuſtificationis à Deo debet eſſe, per gratiam excitantem & præuenientem, ad illum mente conuerſus, non ſine ingenti animi ſui affectu poſtulat, dicens: *Conuertere Domine, & eripe animam meam*, &c.

Conuer

Conuertere Domine. Nollem cogitemus Dauidē hîc à Deo poſtulare, vt ad ſe conuertatur, per aliquam ſui mutationem. Cùm enim immutabilis ſit & vbique præſens, omniáque repleat, nō poſſunt peccata noſtra de vno ad alium locum illum transferre. *Simile.* Contingit peccatori quod nauiganti, cui videtur quod ripa fugiat ab eo, cùm potius ipſe ab illa elongetur. Peccator eſt, qui à Deo recedit per culpam, non Deus ab eo. *Vide Didimum.* Vnde illud *conuertere,* ſecundum gloſſam, idem eſt, quod fac me perfectè ad te conuerti, Tunc nàmque Deus auertiſſe ſe à peccatore dicitur, quando peccator ab eo per culpam auertitur, & tunc dicitur conuerti, quando conuertitur per pœnitentiam. Itaque, Deus veſtigia peccatoris ſequitur. *Anda Dios al paſo del peccador.* *Quomodo Deus dicatur conuerti.* Si ipſe à Deo auertitur, Deus etiam ab eo ſe elongat, ſi autem ad Deum conuertatur, ſtatim Deus ſe conuertit ad ipſum. Vnde, per Zachariam inquit, cap. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, ne ſitis ſicut patres veſtri.* *Zach. 1.* Conuertimini ad me per pœnitentiam & peccatorum deteſtationem, & ſtatim ego conuertar ad vos per miſericordiam ſuſcipiendo, & iram meam à vobis auertendo. Ne ſitis ſicut patres veſtri, qui noluerunt ad me reuerti, & ego iram meam *Ierem. 2.* ſuper eos effudi illos puniendo. Quare Ierem. 2. conquerebatur dicens: *Elongauerunt ſe à me patres veſtri, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt.* Quos ſtatim comminatur dicens. *Factus eſt in prædam, rugierunt ſuper eum leones, & dederunt vocem ſuam, poſuerunt terram eius in ſolitudinem, ciuitates eius exuſtæ ſunt, nunquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum?* Inquit ergo per Zachariam *conuertimini ad me & agite pœnitentiam, ne ſitis ſicut patres veſtri, qui dereliquerunt me, & propterea ego dereliqui eos, grauitérque puniui & flagellaui.* Quinimo, ita contigit ſicut Deus minatus fuerat. *Dereliquerunt Dominum,* *Iſa. ca. 1.* *blaſphemauerunt ſanctum Iſraël*, vt ait Iſa. cap. 1. *Et alienati ſunt retrorſum.* *Procop.* Quem locum Procopius negat aliter quàm de *Cyrill. ſuper Ioan.* Chriſto intelligi poſſe: & D. Cyrillus ſuper Ioannem interpretans illud, *Quotquot autem receperunt illum*, idem ſentit: & *Tertull.* Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 3. putat Chriſtum ſemper loqui in Prophetis, & hoc loco exprobrare Iſraëli, quæ in illum erat commiſſurus. Itaqua quia Iudæi Deum ſuum non receperunt, excluſit illos, & quia ab illo retrorſum auerſi ſunt, ab eis etiam faciem ſuam auertit. Quod & Oſeæ 9. dixerat: *Oſeæ 9.* *Propter malitiam adinuentionum eorum, de domo mea eijciam* *Eze. 22.* *eos, non addam vt diligam illos:* & Ezech. cap. 22. *Quia oblita es mei,*

s mei, & proieciſti me poſt corpus tuum: tu quoque portabis ſcelus tuum. Proiecit quidem ſynagoga Chriſtum poſt corpus uum, quando illum coram faciem Pilati negauit, dicens: *Non habemus alium regem niſi Cæſarem*, magis æſtimãs temporalia bona, quæ perdere timuit quãdo dixit: *Venient Romani*, &c. quàm ipſum Deum: vnde, modo peccatum ſuum portat & pœnas luit tam grauis ſceleris: cùm vbique terrarum ad ſummum opprobrium & miſeriam ſint redacti: eò quòd Deum ſuum dereliquerint, nec ad eum velint reuerti. *Væ eis* inquit, per Oſeam cap. 9. *cùm receſſero ab illis.* Vbi ſeptuaginta verterunt: *Væ eis caro mea ex illis*, & verti poſſet: *Væ eis cum incarnauero ex illis*. Quia verbum Baſar, ex quo interpres *receſſero* tranſtulit ſignificat etiam carnem ſumere. Et cùm hæc ſumma fuerit miſericordia, ſummæ etiam malitiæ aſcribitur, quod gens quæ tantis beneficiorum vinculis tenebatur, ab eo receſſerit & crudeliter occiderit. *Nota.* *Oſea.9.*

Ex his facilè quis coniectari poterit, quantum malum eſt à Deo receſſiſſe per culpam, & non illico ad eum per pœnitentiam conuerti. Nam, quid boni accedere poteſt ei, qui à Deo ſummo bono ſeparatur? aut quæ mala non illos inſequentur? 1. Reg. c. 28. cùm Saul per magiam Phitoniſſæ Samuelem ſuſcitaſſet, ſic illum eſt affatus: *Coarctor nimis, ſiquidem Philiſtim pugnant aduerſum me, & Deus receſſit à me.* Cui Samuel reſpondit: *Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te?* O mirum, ſed dolendum reſponſum! Quaſi diceret: pro dicto reputa. *Dalo por dicho.* Non enim reſponſo indiget tua interrogatio. Si Dominus à te receſſit, vt tu fateris, quid boni tibi accidere poterit? Omnia in malum conuertentur: morieris tu & omnis exercitus, & regnum tuum ad æmulum tuum tranſibit. O quantum malum eſt à Deo aliquem derelictum eſſe! *Vide quàm malum & amarum eſt, dereliquiſſe te Dominum Deum tuum*, inquit Ierem. Intelligebat probe hoc Dauid cùm dicebat Pſalm. 70. *Dicebant mihi inimici mei Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.* Nihil enim inimicis Dauid oportunius & aptius videbatur ad tentandum illum & ſuperandum, quàm cum à Deo videretur derelictus & obliuioni traditus. Anima namque à Deo derelicta & dimiſſa ſuis viribus, facilè ab hoſtibus ſuperatur, & ab inimicis comprehenditur. *Malũ & amarũ à Deo recedere.* *1. Re. 28.* *Ierem. 2.* *Pſal. 70.*

Hinc planè fit, quòd iuſti & ſancti nihil æquè timeant, quàm à Deo ſeparari, & à dulci eius priuari conſpectu. *Ne derelinquas me Domine Deus meus*, aiebat Dauid, *ne diſceſſeris a me.* *Pſal. 37.*

à me. Quaſi diceret: etſi deſerat me mundus, Saul perſequatur, filius, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærat animam meam ad perdendum eam, & denique tota hominum & dæmonum multitudo contra me inſurgat: tu tamen, ne me derelinquas qui Deus meus es, & à me neque per momentũ diſcedas, quia hoc ſummum omnium malorum reputo. De aliquibus Gentilibus fertur, quòd Deos ſuos quos colebant, in templis concatenatos habebant. Si fortè templum Paganorum fuiſſes ingreſſus, non templum orationis, aut Deorum domicilium, ſed publicum & cõmunem carcerem iudicares. Hic Iouem compedibus vinctum, illic Martem catena ligatum, & in alio loco Venerem manicis ferreis conſtrictã intuereris. Quod quidem valde mirãdum eſt: quod Deos ſuos quos ſumme venerabantur, tali contumelia afficerent. At certè non propter eorum facinora eos conſtrictos & incarceratos habebant. (Nam poſſent quidem) cum eorum crimina, quàm nomina notiora eſſent (vt D. Hieronymi ſententia vtar) ſed vt oſtenderent quantum Deos ſuos diligebant, quantúmque eorum abſentiam & deſertionem timerent. Strictiſſimis enim vinculis comprehendebant, ne cultores eos deſererent, terga verterent & aufugerent. Quod ſi illi Deos ſuos ligneos & lapideos & æreos tanti æſtimabant, ſi tanto ſtudio cuſtodiebant, quid nos oporteret facere, qui verum Deum in quo bonum noſtrum conſiſtit, colimus & adoramus? *Inueni quẽ diligit anima mea,* aiebat ſancta illa ſponſa, *tenui, nec dimittam eum. Manibus meis fortiter apprehendam & brachijs meis, quaſi ſtrictiſſimis vinculis conſtringam, ne me deſerat & dulci ſua præſentia priuer.* Inueniſti, ô anima fidelis ſponſum tuum Deum per pœnitentiam quem per culpam amiſeras? apprehende eum nec dimittas non patiaris vllo modo, ab eo per momentum diuelli. Referam ad hoc propoſitum luctam quandam quæ non iniucunda erit auditu, Dicitur in Gen. Quod cùm Iacob cum Angelo nocte luctam habuiſſet, Angelus volebat ab eo diſcedere, quare dicebat illi: *Dimitte me, aurora eſt.* Quaſi diceret, iam tecum ferè per totam noctem ſum commoratus, tecum confabulatus ſum, & mea præſentia lætificaui, en aurora adeſt, quãdo ad decantandas diuinas laudes cum cœleſtibus ſpiritibus me adeſſe oportet: dimitte me & non ſis mihi moroſus, & moleſtus. At ille contendebat cum illo & nolebat eum dimittere, ſed fortiter brachiis ſuis comprehendebat. Inquirit Rupertus, nunquid bellum hoc iuſtum erat? Sed quomodo contra Deum rebellare iuſtum eſſe poterit? Tunc aliquod bellum iuſtũ eſt, quando

Dij Gẽtiliũ quare cõpedib. aſtringebantur.

D. Hier.

Cant. 3.

Deus nõ dimittẽdus.

Gen. 32.

Nota.

Rupert.

Digitized by Google

uando ex iuſta cauſa procedit. Sed quæ cauſa, obſecro, bellum :ontra Deum indictum, iuſtificare poteſt? *Verum bellum iſtud,* uxta Oſeæ vaticinium, *orationum fuit, & lachrymarum.* Sic :nim inquit de Iacob agens. *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit & rogauit eum.* Et quia Angelus ille Deum repræſentabat, tanto de illius præſentia perfundebatur gaudio, quod etiamſi magnam partem noctis cum eo egerit, quaſi momentum ſibi videbatur, nec permittebat ab eo diſcedere. Præſertim cùm ſecundum Diuum Auguſt, fuga illa Angeli, myſterium aliquod adumbraret: cuius conſcius Iacob, dimittere illum nolebat. Adumbrabat enim, fuga illa & dimiſſio, tempore egreſſus auroræ, quod luce Euangelica adueniente, populum illum rebellum propter ſcelera eius, Deus eſſet dimiſſurus: quod Iacob intelligens, gemitibus & orationibus impedire conabatur. Præuidebat enim, mentis oculis in quanta mala & incommoda miſer ille populus, propter Dei abſentiam eſſet deuenturus. Quæ quidem Propheta Euangelicus Iſa. viuis depinxit coloribus, dicens: *Et relinquetur filia Sion, ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & quaſi ciuitas quæ vaſtatur.* O Deus magne & immortalis, quæ lingua (etiamſi tempore ipſo velocior eſſet) breui tempore referre poſſet innumera mala, quæ populo illi rebelli contigerunt, poſtea quàm à Deo ſuo propter eius peccata fuit derelictus? Quis calamitates, & miſerias quas vbique loci, in dura ſeruitute conſtitutus, enarrare? vere de illis dictum eſt. *Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te, in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Timebat Rex ille ſanctus & Propheta ſeueritatem huius ſupplicij, quo Deus ingratos ſolet afficere cùm dicebat: *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſeruo tuo.* Quem alloquitur Auguſtin. dicens: *Quid ais, ô Rex ſancte, ne declines in ira à ſeruo tuo? Immo declinet & fugiat, ſi iratus eſt. Al enemigo huylle el roſtro.* Si Deus iratus eſt, melius eſt vt declinet, forſitan & indignatio eius mitigabitur, & declinabit. Verùm rectè & prudenter petis Rex ſancte, quòd non declinet à te in ira ſua, quia nunquam vehementius iraſcitur, quàm cùm nos deſerit, deſerere & iraſci idem ſunt in Deo. Deſerit illum cui iraſcitur, & iraſcitur ei quem deſerit. Quia quem Deus deſerit, innumera mala comprehendunt.

Oſea 12. *Iſa. 1.* *Ier. 17.* *Pſal. 26.* *Auguſt.*

Quòd ſi tot mala patitur ille qui à Deo per culpam receſſit, ſi tot

ſi tot calamitatibus ſubiectus manet: quid ſperare debes, ô miſer peccator: qui à breui voluptate deceptus, à Deo tam lõgè receſſiſti: & amicitiæ eius iura violaſti? *Domine*, inquit Propheta Ierem. *omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venã aquarum viuentium Dominum.* Confundentur enim peccatores propterea quòd, Deo derelicto, ad creaturam ſe conuerterunt, & vena aquarum viuentium contempta, ex lutoſis mortiferíſque Ægypti aquis vitiorum & voluptatum, ſitim ſuam expleuerunt. O quantam confuſionem ſtultiſſimi iſti homines in die iudicij patientur, quando à diuino conſpectu proiecti & confuſibiliter auerſi, omnibus innoteſcet: pro quàm vilibus & caducis rebus Deum ſuum commutârunt, & ad illum terga & non faciem verterunt. Vna ex abominationibus, quas vidit Propheta Ezechiel templum ingreſſus fuit, *quòd erant inter veſtibulum & altare viginti quinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad orientẽ, & applicabãt ramũ ad nares ſuas.* Quæ maior abominatio excogitari poteſt aut (vt potius dicam) dementia: quàm pro viridi florũ ramuſculo, dorſum ad Deum vertere, illúmque contemnere? Sed vtinam ad noſipſos abominatio hæc non ſpectaret: Video enim quòd in eadem damnatione ſumus, cum illis. Nam quid quæſo eſt omnis mundi proſperitas? quid carnis & voluptatis illecebræ? quid omnis tranſitoria pulchritudo: niſi ramus viridis & florum faſciculus, qui ſi viſum delectat, tamen cito marceſcit & exſiccatur? Audi Iſaiam clamantem: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos*, & Pſal. 102. *Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit.* Colligite flores, qui ſunt in hoc mundi vireto, ex hoc pulchritudinem, ex illo ſalutem, ex alio diuitias, hinc honorem capite, illinc proſapiam & parentum nobilitatem, non ſit flos aliquis, qui veſtras effugiat manus, ex his omnibus ſertum ad imponendum capiti, vel faſciculum ad applicandum naribus conficite, atque illius fragrãtia, & pulchritudine oblectamini, quid inde? nónne flores ſunt, qui cito marceſcent? nónne omnis mundi viror, & gloria quaſi fœnũ exſiccabitur, & in ſterquilinium mittetur? Omnis humana gloria quaſi flos fœni, quod ardore ſolis citò conſumitur & ſiccatur? Nónne igitur abominatio (imo dementia) vobis videtur, pro rebus tam parui momenti, Deo terga vertere, & ab illo ſeparari in æternum? Erat antiquitus Romæ, vt fertur, Pantheon, quod hodie ſancta Maria rotunda appellatur, omnium falſorum deorum

Ierem. *Iere.17.* *Ezech.8.* *Iſai.40.* *Pſal.102.* *Nota. Mundi gloria breuis.* *Pãtheon templum vniuerſitati deorum dicatum.*

eorum nominibus dedicatum, in quo (vt dicitur) Deus erat Romanorum, quem omnes aliarum prouinciarum Dij reſpiciebant. Quandocunque ergo prouincia aliqua à Romano imperio diſcedebat, ſtatim Deus illius prouinciç, aduerſus Deum Romanorum terga vertebat, quod certiſſimum erat ſuæ rebellionis ſignum, vnde Romani duces ſuos ad illam deuaſtandam mittebant. Sic nimirum anima noſtra, quamdiu diuinis ſubiicitur legibus, iugóque ſui creatoris collum ſubmittit, ad illum faciem conuerſam habere dicitur: & hoc ſignificatur illis verbis Cant. 2. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis*, id eſt. Non auertas faciem tuam à me per culpam, ad creaturas te conuertendo per inordinatum amorem, & me creatorem tuum deſerendo. At cùm in Deum crimen aliquod machinatur, culpam in corde ſuo admittens, ſtatim aduerſus eum terga vertit, & rebellis eſſe oſtenditur, debitam creatori ſuo ſubiectionem abnegando, & ab eius ſeruitio diſcedendo: contra quam cœlum arma ſumit, omniſque cœleſtis exercitus, ad vindictam & vltionem paratur. Sed quibus ſuppliciis inquies, dignus erit, qui tale flagitium commiſerit, & Deum creatorem ſuum pro nihilo penderit? Audi Ieremiam capite trigeſimo ſecundo, populo propter ſimile ſcelus innumera mala comminantem: *Propter malitiam*, inquit, *filiorum Iſraël & filiorum Iuda, quam fecerunt, ad iracundiam me prouocantes, ipſi & Reges eorum, & Principes eorum, & ſacerdotes eorum, & Prophetæ eorum, viri Iuda & habitatores Hieruſalem*. Omnia hæc ſupplicia, quaſi diceret, quæ grauiſſima ſunt, & incomportibilia, venient illis propter eorum malitiam. Rectè quidem & iuſtè: ſed quænam, ô Deus ſancte & omnipotens, fuit hæc malitia? quod ſcelus, aut facinus, quod oculos tuæ maieſtatis ſic offendit, quod viſcera pietatis tuæ, & miſerationibus plena ſic ſuccendit, & in iras exardeſcere fecit? *verterunt ad me terga, & non facies*, inquit, *cùm docerem eos, & erudirem diluculo, & poſuerunt idola ſua, in domo in qua inuocatum eſt nomen meum, vt pollueren eam*. Verterunt ad me terga, inquit, quod ad reuerentiam & inuerecundiam pertinet. Si enim aduerſus aliquem dorſum conuerſum habueris ſtatim vt auerteris, ab illo veniam ſupplex expoſcis: parce Domine, te enim non fueram intuitus. *Verterunt ad me terga*: inquit, *& non facies ſuas*. Me contempſerunt, ad voluptates ſuas & cordis deſideria conuerſi ſunt, & legem meam pro nihilo duxerunt. Sed quid ex hoc Dei contemptu ſequutum fuerit audiamus. *Poſuerunt*

Cant. 2.

Iere. 32.

Deo terga vertit peccator.

runt idola ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum; vt polluerent eam. Domus in qua nomen Dei inuocatur, cor humanum eſt: iuxta illud Prouerb. 14. *Sapientia requieſcit in corde prudentis*, Pſalm. 118. *In toto corde meo exquiſiui te.* Eſt enim cor tanquam propria Dei domus, in qua requieſcit, & ſummopere delectatur, & in qua inquirendus eſt & inuocandus: ex cuius contemptu prouenit, quod in hac domo in qua Deus ipſe ſanctificandus eſt, idola, quæ vnuſquiſque noſtrum colit, apponantur. Sunt autem idola hæc, vitia, voluptates, & terrena omnia, quæ pluris quàm ipſum Deum facimus, & propter quæ ab illius amore diſcedimus, dorſum & non faciem illi conuertentes. Non incongruum neque abs re erit illud vxoris Lot in medium adducere, cuius etiam meminit Origenes ſuper illud Pſalm. 36. *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur.* Vbi ſumma, qua ſolet, ingenij dexteritate oſtendit, quantum referat, eos, qui viam cœli ſemel ſunt ingreſſi, caput retrorſum non conuertere, neque peritura huius mundi oculis affectionis aſpicere. *Ingrediebatur*, inquit, *vxor Lot bene egrediens de Sodomis, & effugiens pœnas malorum, ingrediebatur, & aſcendebat ad montem, quo Angelo duce pergebat: ſed quoniam contra mandatum Dei fecit, quod iuſſa fuerat, non reſpicere retrorſum, cùm conuerſa ad poſteriora retrorſum aſpexit, permanſit perfecta ſtatuncula ſalis.* Hæc Origenes, ſed ad propoſitum noſtrum redeamus. Miſera hæc mulier Angelum ſequi iubetur, in illúmque oculos defixos habere: at illa præceptum contemnens, ab Angelo oculos auertit, & faciem ſuam conuertit in Sodomam: quare temeritatis ſuæ debitas pœnas luit, & propriam amittens naturam, in alienam, ſalis inquam, eſt tranſmutata. Sal namque, ſapientiæ ſymbolum eſſe ſolet. Quare ſtatua hæc ſalis, forſitan ad ſapientiam, & doctrinam noſtram, in ſcriptura ſacra erecta eſt. Quid enim aliud à nobis poſtulat Deus, niſi, vt incendia, & pericula huius mundi fugientes, illum ſequamur, & nil aliud præter ipſum reſpicientes, ad cœleſtem illum montem ſecuritatem nobis promittentem, greſſus noſtros dirigamus? At nos mundi huius cupiditate decepti oculos ad illius bona non vera, ſed fallacia, non permanſura, ſed peritura, conuertimus: & ſic lapidibus inſenſibiliores effecti, & dignitatis naturæ noſtræ quaſi obliti, in alienam naturam per peccata transformamur, & miſerabiliter perimus. Conuerterat Dauid terga ad Deum, quando ex ſolario domus ſuæ, oculos in Berſabæ coniecit, & pulchritudine illius deceptus, illam

Prou.14. *Pſal.118.* *Origenes* *Super Pſal.36.* *Quare vxor Lot in ſtatuã cõuerſa.* *Gen.19.* *Sal ſapiẽtia ſymbolum.*

Digitized by Google

.lam concupiuit: & in tantam mentis cæcitatem deuenerat, ꝗuòd per integrum annum à Deo fuit auerſus: poſtea tamen, ùm ad vocem Natham, quaſi à graui ſomno excitatus, ad il-um conuerti voluit: ſentiens hoc donum Dei eſſe, & quod eccator ſuis viribus id opere præſtare non poſſit, niſi Deus llum conuertat, ſupplici exclamatione ait: *Conuertere, Domi-ne, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericor-diam tuam.*

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Peto, Domine, tam anxiè, vt ad me conuertaris, & animam meam è poteſtate Dæmonum eripias, ne præoccupatus die mortis, nulla mihi ſalutis, & incolumitatis ſpes relinquatur. Scio enim quòd poſt mortem nemo ad pœnitentiam, ſiue ad veram confeſſionis laudem memor eſſe poterit. Quapropter rumpe moras, & ne vltra differas mihi ad pœnitentiam, & conuerſionem ferre auxilium. *Non eſt,* inquit, *in morte qui memor ſit tui, neque in inferno aliquis tibi confitebitur.* O duriſſima verba, & quæ cor noſtrum quantumuis ferreum emollire deberent, & ad pœnitentiam inclinare. Si enim pœnitentiam ante mortem non egerimus, & peccata noſtra confeſſi non fuerimus, miſericordiam non conſequemur, ſed in æternum condemnabimur. Ait enim Eccleſiaſticus capite decimo ſeptimo. *Conuertere ad Dominum, & derelinque peccata tua, precare ante faciem Domini.* Ante faciem Domini ille precatur, qui in hac vita de peccatis ſuis veniam petit. Sumus enim in hoc mundo, quaſi ante faciem Domini, cùm ab illo tam facile miſericordiam conſequamur: at damnati quaſi à tergo poſiti ſunt, cùm obliuioni in perpetuum ſint traditi. Inquit namque per Ieremiam, ca 9. *Et cadet morticinium hominis, quaſi ſtercus ſuper faciem regionis, & quaſi fœnum poſt tergum metentis, & non eſt qui colligat.* Cadunt damnati in inferno quaſi ſtercus. Aliter enim cadit triticum, & aliter ſtercus in terra: quod valde notandum eſt: triticum vt iterum cùm germinauerit, & fructum attulerit colligatur: ſtercus verò, quia ſterile eſt, cadit abſque vlla recuperationis ſpe, non enim iterum colligitur, vt ſeruetur. Item cùm fœnum ante faciem meſſoris cadit, colligitur & ſeruatur: at ſi cadat poſt tergum non colligitur, ſed ibi marceſcit & exſiccatur. Cadunt quidem iuſti aliquando in hac vita, quia ſepties in die cadit iuſtus, ſed quaſi triticum, quia & ipſe caſus, multoties in bonum illi conuertitur, & ad maiorem reſurgit gratiam, at damnatus cadit quaſi ſtercus inutile in inferno.

Eccl. 17.

Ierem. 9.

Nota.

Digitized by Google

Cadit etiam peccator in hac vita quaſi fœnum, ſed ante faciem meſſoris, id eſt Chriſti, vnde iterum per miſericordiam colligitur: at ſi cadat per mortem poſt tergum eius, abſque ſpe remedij cadit, quia in inferno nulla eſt redemptio. Ex quo colligitur quàm periculoſum ſit pœnitentiam differre peccatorum, & non ſtatim, cùm facultas nobis ſuppetit, ad Deum conuerti. Magno namque diſcrimini peccator poſitus eſt, qui totum vitæ curriculum in voluptatibus tranſiens vſque ad vltimam eius metam pœnitentiam protrahit. Molendinarius cùm tempus quietum & pacatum videt, tunc aquæductum, rotas, & omnia alia ad molendum triticum neceſſaria parat. Non enim tempeſtatem imminentem ad hoc expectat. Domus habitator tempore veris & ſerenitatis, tecta tegulis reficit, & totam domum reparat, ne à pluuiis, & tempeſtatibus hyemis tempore, offendatur. Prouidus nauta cùm mare quietum eſt, tempúſque placidum, omnia nauigationi neceſſaria præparat: ne poſtea ab ingruente tempeſtate præpeditus, id minimè poſſit præſtare: ſic nobis tempeſtiuè, & opportuno tempore, de rebus ad iter noſtrum peragendum neceſſariis, tractandum eſt: de pœnitentia, inquam, confeſsione, & ſatisfactione, & de emendatione vitæ, ſine quibus ad finem optatum peruenire non poſſumus. Quia ſi ſegniter hæc, & imprudenter in futurum reſeruentur, forſitan dum non ſperamus veniet repentina calamitas, & more præueniemur, ſuppliciiſque deputabimur æternis. Et huc ſpectat illud diui Auguſtini. *Cùm vult improbus homo non poteſt, quia quando potuit noluit, & ideo per malum velle perdidit bonum poſſe*. Et alibi, *non facilè inueniuntur in aduerſitate præſidia, quæ non fuerunt in pace quæſita.* Videtur eſſe non alienum ab hoc loco, exemplum illud regium à Chriſto Domino appoſitum Lucæ decimo quarto. Quis Rex iturus committere bellum cum alio rege, non ſedens priua cogitat ſit poſsit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Alioqui, adhuc illo longe agente legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt. Itaque, ſi diffidat potentiæ illius reſiſtere poſſe, legationem pacis illi mittit. Neque expectat, quouſque gladium ſuper caput ſuum diſtrictum videat: ſed antequam ad hoc perueniatur, de rebus cum illo componendis agit. O infelix & male prouide peccator, qui cum ſummo illo Rege bellum geris, cuius nutui omnia obediunt, cuius prouidentia omnia reguntur, quem Angeli tremunt, & Dæmones ipſi contremiſcunt: cuius tanta potentia eſt, quòd reſpicit terram

Non eſt differẽda pœnitentia.

Simile.

D. Aug.

Luc.14.

Digitized by Google

erram & facit eam tremere, & ad tactum manus ſuæ validiſ-
imæ altiſſimi montes fumigant & exardeſcunt, quæ eſt iſta
rana tua confidentia,aut quo conſilio rebellare diſponis? Ec-
:e confidis ſuper baculum arundineum confractum ſuper ſa-
utem, inquam, & vitam, quæ per peccatum primi parentis
:onfractæ ſunt, & mille rimulis infirmitatum morti patefa- *Iſai.16.*
ctæ, quod ſi ita eſt (vt eſt quidem) quare, non rogas ea quæ
pacis ſunt? Quare ad eum non ſupplex conuerteris, de male
actis veniam poſcens?& hoc quidem,adhuc illo longe agente.
No eſperes auer las vanderas deſte Rey, no aquete aprieten los cordeles. ni que te pongan puñales a los pechos. Quia fortè tunc
conuerſio erit inutilis. 2.Paralipomenon 13. dicebat quidam. *2. Paral.*
Filij Iſraël nolite pugnare contra Dominum Deum patrum ve- *cap.13.*
ſtrorum, quia non vobis expedit. Dies erit cùm deſiderabitis cum illo reconciliari, & non obtinebitis. Quæ verba omnibus peccatoribus conueniunt,qui cum Deò bellum gerunt, neque ſtatim reconciliari volunt, ſed vſque ad vltimos vitæ termi-
nos expectant. Quibus forſitan continget, quod reprobo *2.Mac.9*
Antiocho: de quo dicitur, 2. Machab.9. *Orabat ſceleſtus Do-* *Geneſ.*
minum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus: & quod *Hebr.12.*
Eſau,de quo dicitur. *Quod non inuenit locũ pœnitentia quam-* *Ficta pœ*
uis cum lachrymis exquiſiſſet eam, ad Hebræos duodecimo. *nitentia.*
Non quod pœnitentia de ſe ſufficiens non ſit ad quæcumque delenda crimina, ſed quia pœnitentia illa vera non fuit, qualis præſumi poteſt, quæ vſque ad vltimum vitæ terminum protrahitur, quæ magis ex timore, quàm ex amore procedit. Quòd ſi adhuc in vita pœnitentia inutilis eſſe poteſt, propter defectum rectæ intentionis, & virginibus fatuis ianua cœleſtis clauditur, dum ad emendum oleum pergunt: quanto ma-
gis poſt mortem? Præcipiebat Deus in Leuitico: *Quod ſi* *Leuit.24*
aliquis in ciuitate murata domum vendidiſſet,per annum inte- *Figura.*
grum copiam haberet redimendi,at poſt annum elapſum,nullam
poteſtatem recuperandi haberet. Agit de hoc Origenes in Le- *Origenes*
uitic. cap.24. Homiliam integram: & inquit, quod per hanc *domum* ſecundùm ſpiritualem ſenſum, non domum materialem manibus hominum conſtructam, ſed domum cœleſtem & non manu factam, intelligere debemus ,qualis erat domus
Iacob, de quo in Geneſin dicitur. *Erat enim Iacob homo ſim-* *Geneſ.*
plex habitans domum. Et de obſtetricibus Hebræorum pro laude dicitur. *Et quia timebant Deum obſtetrices fecerunt ſibi domos.* Sed quæ ſit iſta domus, & quale ædificium. Paulus

 indicat

1.Cor.5. indicat, dicens: *Domum habemus non manu factam æternam in cœlis.* Hæc eſt domus, quam extruere vel habitare nemo poteſt niſi timeat Deum, & niſi in puritate & ſimplicitate cordis. Sed quoniam per peccatum aliquando domus hæc crudeliſſimo fœneratori venditur, pietas legiſlatoris occurrit, vt intra certum tempus redimi poſſit. Pretium, pœnitentia eſt & lachrymæ. Tempus verò redemptioni congruum, tota vitæ duratio, quia poſt mortem nulla recuperandi facultas conceditur. De Alexandro potentiſſimo illo mundi monarcha legitur, quòd cùm vrbem aliquam rebellem obſidebat, poſt longam obſidionem, tandem facem accenſam ante fores vrbis apponebat, & voce præconis illis denunciabat: quòd ſi antequam extingueretur, vrbem tradidiſſent, ad ſuam amicitiam admitterentur; ſin autem, ſcirent ſe nullam miſericordiam conſequuturos. Idem pactum cum hominibus, Deum feciſſe mihi videor. Conceditur namque rebelli peccatori totum vitæ ſpatium quo fax accenſa durat, ad reſipiſcendum, quòd ſi vitæ lucerna ſemel extinguatur, de illo actum eſt, & nullus pœnitentiæ ſibi locus conceditur. Agit de hoc ipſo non inelegantibus verbis Propheta noſter Pſalm. 87. *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis?* Non inquam Domine, circa mortuos æterna morte mirabilia & magnalia tua oſtendis, illis parcendo, & ad vitam gratiæ tuæ reuocando: neque humana aliqua medicina eſt aut ars, quæ illos ſuſcitare & ad vitam reuocare poſſit, vt tibi confeſſione laudis aut ſalutaris pœnitentiæ confiteri valeant. Loco illius verbi, aut medici ſuſcitabunt, diuus Hieronymus vertit ex Hebræo: *aut gigantes reſurgent, & confitebuntur tibi*: Vbi per *gigantes* Angelos intelligere poſſumus propter illorum fortitudinem, de quibus Iob 26. dicitur: *Sed & gigantes tremunt ſub aquis tormentorum, ſic licet.* Quòd ſi Angelis, nulla ſpes reſurgendi ad ſalutem conceditur: quanto minus hominibus? Ad idem eſt quod ſequitur: *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam & veritatem tuam in perditione?* Nullus enim eorum qui ſepulchrum attigerunt, & ad æternam perditionem deuenerunt, narrabit miſericordiam tuam & veritatem tuam: quas circa peccatores in hac vita exiſtentes exerces, illis parcendo, & concedendo veniam: quia iam non eſt tempus veniæ,

Alexād. Non differenda pœnitentia.

Pſal. 87. In inferno nulla eſt rēdēptio.

D. Hier. ex Hebr.

Iob 26.

ſed

ſed vindictæ, non miſericordiæ, ſed iudicij. Neque mirabilia tua & magnificentiæ opera, quibus peccata condonare ſoles in tenebris illis denſiſſimis cognoſcentur, quia terra illa obliuionis eſt: perpetuæ enim obliuioni traditi ſunt: neque illorum Deus amplius ad liberandum aut parcendum recordabitur. Quod ſi ita eſt fratres? quis noſtros faſcinauit oculos? quis noſtram excæcat mentem? quis quaſi catenis ferreis & grauiſſimis compedibus noſtros pedes conſtringit, ne ſtatim abſque vlla mora, cùm tempus adeſt acceptabile, ad Deum conuertamur? ſcientes, quod benignus & miſericors eſt, neque ab illo repulſam patiemur? *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Confunditur facies alicuius militis, quando ad aliquem Regem aufugiens non admittitur, ſed repulſam paſſus, comprehenditur, & inimicis ſuis traditur. Si enim peccata veſtra timentes ad Deum tanquam ad ſacram anchoram confugitis, abſque dubio non confundemini, ſed ſumma benignitate & clementia vos recipiet, apud quem inuenietis gratiam, & in futuro gloriam. *Pſal. 87.*

CONCIO QVARTA.

Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos.

QVAM neceſſaria ſit perſeuerantiæ virtus omnibus pœnitentiæ viam ingredientibus, & ad æternæ fœlicitatis metam pertingere cupientibus, ſine qua coronam gloriæ promereri eſt impoſſibile: eleganti ſtylo, & dulciſſimis (vt ipſe aſſolet) verbis Laurentius Iuſtinianus oſtendit, in libro quem *lignum vitæ* appellauit, titulo *De perſeuerantia*, capite ſecundo: *Sicut enim*, inquit, *oculis corporalibus neceſſaria eſt lux, vt ſuo perfruantur fine, ita & omnibus prædeſtinatis & vocatis ad regnum cælorum, hæc virtus perſeuerantiæ. Et ſicut abſque luce,* *Perſeuerãtia neceſſaria.* *Laurentius Iuſtini.*

D. Bern. *fruſtra aperitur oculus, eodem modo inaniter currit, qui vſque ad finem vitæ non perſeuerat.* Diuus etiam Bernardus ſuper illo verbo, *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, dicit: Perſeuerantia ſola meretur, viris gloriam, coronam virtutibus; prorſus abſque perſeuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam conſequitur victor. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt, nutrix ad meritũ, mediatrix ad præmium. Hinc eſt, quòd diuus Ioannes Chryſoſtomus. In quodam ſermone quadrageſimæ qui incipit. *Licet nobis*, inquit: *Hæc eſt perfectorum vera iuſtitia, vt nunquam ſe præſumant eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incidant, in deficiendi periculum, vbi perficiendi depoſuerint appetitum.* Sed vt ad Scripturam ſacram deueniamus, ex illa facilè erit comprobare, quàm neceſſaria ſit hæc virtus, his qui ad cæleſtia promiſſa peruenire volunt. Nam quid illa Ezechielis animalia, volatu ſuo celerrimo exprimebant, niſi hominem ad cæleſtem patriam virtutum, Fidei & Charitatis alis, pergentem? De illis autem dicitur inter alia, *quòd non reuertebantur cùm incederent.* Non enim conuertebantur ingreſſu ſuo ſicut filij Efrem, qui intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli, neque aſpiciebant retro, ſicut mulier illa quæ in ſtatuam ſalis conuerſa eſt: ſed ibant perpetuo greſſu, quò cœperant. Sic enim ad cælum pergendum eſt, & ſic per hanc viam incedere debemus: vt neque per momentum retrocedamus, ſed ſemper ſine intermiſſione, ad deſtinatum finem curramus, ne ſimus ſicut paruuli fluctuantes, & omni vento circumferamur, aut ſicut filij Iſraël qui egreſſi ſunt ex Ægypto. Hi enim animi præſtantiam, turpi dedecore maculârunt, quia licet corporis pedibus, in promiſſam terram per deſertum ſe conferebant; animi tamen affectibus, ad Ægyptum reuertebantur. Panem cæleſtem quo Deus ſatiabat contemnebant, ollas verò Ægyptias vehementer optabant. Proh dolor! Quot ſunt hodie & fortè in religionibus, qui cæleſtem vitam profitentur, Ægyptum relinquere videntur, & ad patriam nobis promiſſam, recto itinere pergere, qui tamen quaſi reſipiſcentes, affectibus & totis animorum votis, ad mundum, ex quo egreſſi ſunt, regrediuntur: & ea, quibus ſemel renunciârunt, iterũ cum magna ſolicitudine quærunt, & amplexantur? Præcipiebat Dominus per Ezechielem, capite quadrageſimo ſexto, *ne homines templum ingreſſi, eo oſtio exirent, quo introierant, ſed vlterius tenderent, ne verterent terga, Deúmque relinquere viderentur.*

D. Ioan. Chryſoſt.
Ezech. 1.
Figura.
Pſal. 77.
Gen. 19.
Exod. 16.
Ezec. 46.

derentur. Ille quidem per eandem portam egreditur, per quam introierat in domum Domini, qui poſt inceptam viam virtutis & perfectionis ſemitam, illam deſerit, qui pœnitentiam, quàm cœperat, difficultate itineris perterritus prætermittit, & ad vitia priora reuertitur. Non enim per eandem portam exeundum eſt: quia hoc fieri nequit, niſi Deo terga vertamus, & noſmetipſos ad ea quæ dimiſimus, conuertamus. Quam longè ab hoc erat ille qui dicebat, Philip. 5. *Quæ quidem retro ſunt obliuiſcẽs, ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor brauium ſupernæ vocationis.* Ante nos æterna ſunt, retro autem temporalia, quia ab illis recedentes, ea poſt dorſum relinquimus, ad illa autem quæ æterna ſunt pergentes, ea inuenimus: talia ergo quæ poſt tergum reliquerat oblitus Paulus, ad æterna perquirenda ſe extendebat? vt ad brauium ſupernæ vocationis peruenire valeret. Debemus etiam quæ retro ſunt obliuiſci, quia ſic debemus currere, quaſi hodie curſum noſtrum incœpiſſemus, & nullum opus bonum effeciſſemus, ſed ſemper de virtute in virtutem pergentes, donec videatur Deus Deorum in Sion. *Quia ſunt nonnulli*, vt inquit diuus Gregorius, *qui cùm bona aliqua faciunt, iniquitatum ſuarum protinus obliuiſcuntur, & cordis oculum in conſideratione bonorum operum, quæ exhibent conuertunt, atque eo ſe iam ſanctiores æſtimant, quo inter bona, quæ agunt, malorum ſuorum in quibus & fortaſſe adhuc implicati ſunt, memoriam declinant.* Qui ſi diſtrictionem iudicis vigilanter attenderent, plus de malis ſuis metuerẽt, quàm de imperfectis bonis exultarent: Plus inſpicere, de his quæ eis adhuc agenda ſunt, debitores tenentur, quàm quod operantes quædam, iam partem debiti ſoluunt. Neque enim abſolutus eſt debitor, qui multa reddit, ſed qui omnia: nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte ſpectaculi velociter currit, ſi iuxta metas veniens, in hoc quod reliquum eſt deficit. Optabat hanc perſeuerantiæ virtutem in ſpõſa ſua cæleſtis ille ſponſus, Canticorum primo capite, cùm aiebat: *Murenulas aureas faciemus tibi ſpõſa vermiculatas argento.* Vbi alia litera habet. *Turtures aureas faciemus tibi.* Fuit enim Turtur perſeuerantiæ ſymbolum. Quia vt diuo Baſilio, & Valeriano Pierio placet, coniuge vita functo, ita ſe ab aliorum volucrum conſortio ſeparat, tantíque mœroris exempla exhibet, vt nunquam inde ſocietatem inire cum alio quopiam patiatur, ſed quod reliquum eſt vitæ, in perpetuo cœlibatu degat, ſola volet, neque in frondeſcenti

Philip. 5.

22. Mor. cap. 6.

Turtur ſymbolũ perſeuerantiæ.

D. Baſilius. Pierius Valerianus.

Nota.

Digitized by Google

ramo vnquam inſideat, eáque omnia faciat, quæ ad luctum & mœrorem ſpectare videantur. Turtures ergo aureas ſponſus ſponſæ ſuæ offert, vt ad manum habeat, vnde, huius auiculæ mores imitari poſſit. Vt anima illa, quæ per peccatum Deo ſuo orbata manſit,in perpetuo luctu & continuis lachrymis perſeueret. Non contenta ſit,bis,aut ter, peccata ſua plangere,ſed in continuo planctu & eiulatu, per totum vitæ ſuæ ſpatium, perduret. Sic quippe Dauid, (de quo ſermo noſter eſt) faciebat, ſicut hîc aduertit Chryſoſtomus. Qui quamuis commiſſum ſcelus ſemel & iterum planxerat,non tamen illico à lachrymis deſtitit, & ad priores voluptates eſt reuerſus: quin potius per ſingulas noctes, lachrymis lectum ſuum lauabat, & de imo pectore ignita ſuſpiria ad cælum vſque dimittebat: *Laboraui inquit, in gemitu meo.* Verum eſt, ſed non ideò lachrymarum habenas collegi, ſed vltra progrediens, & quæ retro ſunt obliuiſcens, *lauabo per ſingulas noctes lectum meum.*

D.Chryſ.

Antequam ad alia gradum faciamus, iuxta hunc Dauidis lachrymarum fluuium aliquantiſper commoremur. Quod ſi filij Iſraël, iuxta Babylonis flumina ſedentes, & aquæ decurſum contemplantes organa lætitiæ & inſtrumenta muſica ſuſpenderunt, multo magis nos, torrentem hunc lachrymarum conſiderantes, omne mundi gaudium & vanam ſæculi lætitiam, abſque dubio contemnemus. Nam quis non miretur, quàm ex corde Dauid pœnitentiam fuerit amplexatus, peccatáque ſua defleuerit? Laborabat enim in gemitibus, & lectum quem adulteriis maculauerat ſceleris ſui conſcium, per ſingulas noctes abluebat, & ſtratum ſuum regium profluuio lachrymarum,quaſi odoriferis aquis rigabat. Itaque in omni loco, & in omni tempore, lachrymis habenas laxabat: in lecto,in ſtrato, & in palatio regio. Per *lectum & ſtratum*, loca voluptatis intellige: illa ſcilicet, in quibus cùm Berſabe deliciatus fuerat, libidiníque ſtuduerat. De ſancta illa Heſter legitur, capite decimoquarto, ſuæ hiſtoriæ, quod cùm vellet Deum placare, depoſuit veſtes regias, & fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis variis, cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiuniis, & tandem dicitur: quod omnia loca in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit. Omnia hæc feciſſe Dauid in ſua conuerſione, manifeſtè conſtat. Depoſuit veſtes regias, & ſacco eſt indutus. Vnde ipſe inquit

Pſal.136.

Dauidis lachryma.

Heſt.14.

Digitized by Google

nquit Pſalmo vigeſimo nono: *Conuertiſti planctum meum in gaudium, mihi: concidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia.* Non manifeſtè legitur quod cinere caput ſuum aſperſerit, ſed pœnitentiæ ſuæ cinis non defuit, cùm ipſe dicat Pſalmo 101. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Humiliauit etiam corpus ſuum ieiuniis, & carnem abſtinentia affligebat. Pſal. trigeſimo quarto: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Et Pſalm. 108. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* Et tandem, ſicut Heſter omnia loca in quibus lætari conſueuerat, laceratis crinibus replebat: ſic Dauid omnia loca in quibus Deum offenderat, lectum præcipuè & ſtratum, gemitibus & lachrymis perfundebat. Quæ lachrymæ in tanta copia & abundantia perfundebantur, quòd lecti maculas ex adulteriis contractas, abluere ſufficiebant. Quod & verſio Diuus Hieronymus ex Hebræo magis exaggerat, ſic vertens: *Natare faciam lectum præ abundantia lachrymarum.* Ita vt lectus ipſe, non ſolùm lauari, verùm & natare poſſet in lachrymis: quod quidem, iuxta vſitatum loquendi modum, per quendam exceſſum intelligendum eſt. Sicut & illud quod Pſalmus 118. habetur: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Vbi Diuus Ambroſius cauſam ſui fletus oſtendit, dicens: *quia non cuſtodierunt legem tuam.* Sancto viro plus culpa, quàm ærumna defletur. Fleuit enim Dauid quando Natham ei de Vriæ morte indignationem oſtendit, & peccatum ſuum de præuaricatione legis agnoſcit: denique, filio in ægritudine conſtituto nec cibum ſumpſit, nec regium thronum aut cubile aſcendit, ſed ſtratus in terra ieiuna ora lachrymis diluebat: Non tam filij mortem, quàm peccati ſui pœnam in illo lauare deſiderans. Fleuit quando numerato populo, repente, corde percuſſus eſt, dicens: *peccaui grauiter.* Sciebat enim vir ſanctus, quòd lachrymæ de corde exeuntes, ſunt lixiuium quo animæ maculæ abluendæ ſunt. Vnde, tam facilis erat ad plorandum, quia grauitatem ſcelerum ſuorum, & remedij efficaciam ad veniam obtinendam, agnoſcebat.

Pſal. 29. *Pſ. 101.* *Pſal. 34.* *Pſal. 108.* *D. Hier. ex Heb.* *Lachrymæ commendantur.* *Pſal. 118.* *D. Amb.*

Sententia fuit cuiuſdam Philoſophi referente Diu. Ireneo: cui etiam ſubſcripſit Euripides, *quòd Regi flere non licet.* Quomodo námque maieſtas cum lachrymis, magnitudo cum puſillanimitate, & regia dignitas cum puerorum ſingultibus cohærebunt? Flere enim magis ad pueros & effœminatos animos, quàm ad reges ſpectare videtur. Non plorat

D. Iren. *Eurip.* *Regi flere non licet.*

Rex

Rex eo quòd ciuitatem amiſerit,aut bello fuerit ſuperatus,aut in captiuitatem ductus, quin potius de recuperanda ciuitate, aut rebus componendis, agit. Quod ſi aliquem magnum regem plorantem intueremur, magnum malum illi contigiſſe, proculdubio iudicaremus, magnam, vel honoris, vel diuitiarum iacturam incurriſſe. Plorat Dauid Rex ille fortiſſimus & dux ſtrenuus, & lachrymarum exitus, abſque vllo moderamine oculi eius deducunt, ergo magna ſui fletus extitit cauſa, magnam diuitiarum & bonorum ſpiritualium fecit iacturam. Amiſerat Dei gratiam & amicitiam, amiſerat iuſtitiam & æquitatem,amiſerat diuinum timorem, amiſerat Deum, & denique animam ſuam amiſerat:& ideo regiæ dignitatis oblitus, & aliis curis poſtpoſitis, lachrymis & fletui dabat operam. Vtinam Deus mentis noſtræ oculos aperire dignaretur, vt abſque vllis ignorantiæ nebulis contemplari poſſemus, quantum malum ſit peccatum, quantam Dei & animæ noſtræ iacturam faciamus, quando aliquod mortale committimus: non dubito quin ſtatim in magnum lachrymarum profluuium prorumperemus. *Matt.16.* *Nam quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, anima vero ſua detrimentum patiatur?* nihil certe. Audi, quid huiuſmodi detrimentum patientes, in inferno poſiti fateantur. *Sap.5.* *Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? ecce omnia tranſierunt quaſi vmbra.* Quare fratres mei in Chriſto chariſſimi, *Matt.10.* *eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*: vtrumque enim nobis à Domino præcipitur. Prudentia ſerpentis in hoc conſiſtit, quòd caput pluſquam reliquum corpus ſeruat: *Serpentis prudētia.* ſi ſerpenti gladio, aut fortè baculo mineris, ſtatim cauda & corpore in orbem actis, quaſi ſcuto caput defendit, totum corpus ictibus exponit, vt caput defendat in quo vita eius præcipuè conſiſtit,quod naturali ductu noui. Eſtote ergo prudentes ſerpentum inſtar, & animam quæ immortalis eſt, & æterna. pluris quàm corpus & cætera temporalia facite. Omnia deperdantur, diuitiarum iactura fiat, amittatur ſalus, honor periclitetur, & corpus ipſum mortem incurrat, tamen anima ſeruetur incolumis quæ ſuper omnia eſt: & vt ſalua fiat, omnia periculo exponantur. Quod ſi aliquando cum Dauide animæ iacturam feceritis, eſtote ſimiles columbæ,cuius cantus lugubris & gemebundus eſt, & peccata veſtra cum Dauide plangite: quia lachrymæ exterius exeuntes, latentis doloris fideliſſimi teſtes eſſe ſolent. Quod ex ipſarum definitione latè patet. *D. Baſil.* *Lachryma*, inquit D. Baſil.

ſunt

Digitized by Google

ſunt viſcerum exhalationes, quas ad cerebrum emittunt, quando dolore & anguſtia premuntur, quæ in cerebro quaſi in alambico diſtillantur, & per oculorum exitus emittuntur. D. Gregorius Nyſſenus inquit, *quòd ſunt guttæ ſanguinis de corde exeuntes.* Nam ſicut corpus vulneratum, per vulnus ſanguinem mittit, ſic cor vulneratum contritione, per oculos emittit lachrymas. D. Hilarius appellat eas *ſudorem animæ* quia ſicut corpus fatigatum, & labore concuſſum, emittit ſudorem, ſic anima dolore peccatorum afflicta, ſudore lachrymarum perfunditur.

Lachrymarum definitio.
Gregor. Nyſſ.
D.Hil.

Quod ſi lachrymæ exterius fuſæ interioris doloris ſunt ſigna: vbi eſt contritio noſtra? Vbi dolor de peccatis commiſſis? Vbi de iactura animæ noſtræ quam per peccatum fecit, veræ pœnitentiæ indicia? qui nec vllam lachrymam pro his omnibus fundere nouimus, ſed quaſi inſenſibiles effecti, vulnera animæ noſtræ non attendimus? Ploramus amicorum mortem, vxoris & charorum filiorum abſentiam, iacturam diuitiarum, & ſalutis amiſſionem: & animam noſtram mortuam per peccatum abſentiam Dei, & diuitiarum cœleſtium iacturam & amiſſionem, non ſentimus? Equidem exiſtimo hoc ex duritia cordis noſtri ortum habere. Habemus enim cor in peccatis induratum & emortuum, & ideo culparum læſiones non ſentit. Quibus illud D. Pauli in 1. quam ad Timotheum ſcripſit adaptari poteſt: *Cauteriatam habentes ſuam conſcientiam:* quod explicat Titelmanus in hunc modum, id eſt, *Diaboli charactere notatam*: quod eſt ſignum mentis obſtinatæ atque reprobæ. Eſt optima metaphora ad explicandam peccatoris duritiem. Accipit aliquis cauterium in fæmore ſiue in brachio, & ex vi ignis & ferri, pars illa in qua imprimitur, tam dura relinquitur, quod ferè inſenſibilis redditur. *Que podeys cortar vna rebanada, como quien la corta de vn cuero de vaca, ſin que ſienta dolor, ni le ſalga vna lagrima a los ojos.* Pars illa quæ acus cuſpide lædebatur, iam gladio acutiſſimo non læditur. Non mirum, quòd peccator læſiones animæ non ſentiat, & pro peccatis ſuis nec vnam lachrymam fundat, quia cauteriatum habet cor, & ad tantam duritiem, & obſtinationem per prauam conſuetudinem peruenit, quod plus corporis, quàm animæ læſiones ſentiat, plus diuitiarum temporalium, quàm cœleſtium iacturam lachrymetur.

1. ad Timot. c. 4.
Titelm.
Simile.

Ricardus expendens verba illa, *exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, ait, quod ſolent agricolæ ſiccitatis tempore, fontium

Ricard.
Simile.

Digitized by Google

fontium riuulis terrã irrigare,ne ariditate nimia, ſemina multiplicare nequeant terræ commendata:ſic ad horum imitationem Dauid, imbre gratiarum tardante deſcendere ſuper operum ſuorum fructus,lachrymarum vndam non negligit infundere.Sed væ nobis miſeris, quibus quotidie dolere & flere incumbit, propter innumera peccata quæ committimus, diuinã legem tranſgredientes,& mandata eius parui pendentes; & tamen nihil minus nobis eſt in corde,quàm veraciter pœnitere, aut propter delicta commiſſa lachrymas fundere.O quanta eſt mentis noſtræ cæcitas,quanta mortaliũ vecordia, quanta peccatorum ſtultitia! Si perdiderit homo ſubſtantiam ſuam,ſi filium amiſerit,vt dicebam nuper,aut fortè parente fuerit orbatus,in lachrymas prorumpit,& poſt multos annos,vix à gemitibus abſtinere poteſt:at ſi Deum perdiderit,qui amicus,pater,

Ier.22. & ſponſus eſt, nullum triſtitiæ ſignum oſtendit.Ierem. populum ſuum alloquens,cap.22.inquit:*Nolite flere mortuum, nec lugeatis ſuper eum fletu, plangite eum qui egreditur, quia non reuertetur vltrà,nec videbit terram natiuitatis ſuæ*,ac ſi diceret: Ne proſequamini lachrymis funera vulgi, & eos qui iam gladio vulnerati ſunt,qui in pace quieuerunt, ſed potius regis veſtri, perpetuum exilium & æternam captiuitatem: qui non reuerſurus,Babylonem ducitur.Hoc enim peccatori congruit, cuius captiuitas,quantum eſt ex parte ſua,perpetua eſt, magiſque deploranda eius mors, cùm æterna ſit, quàm corporum vulneratio aut interfectio. Peccator enim, quantum ex ſe eſt, æternaliter perit, & in perpetuum inferni exilium relegatur:

Pſal.77. Quia, vt inquit Pſaltes:*Spiritus vadens,& non rediens.* Quod

Incognitus, poteſt peccator per ſe cadere,ſed nõ reſurgere ſine Deo. explicat ad hunc ſenſum Incognitus, dicens: *Spiritus hominis carne coniunctus, per ſe in peccatum cadere poteſt, ſed per ſe reſurgere non poteſt.* Noli ergo ô peccator,patrem,aut filium, aut amicum mortuum flere, ſed te ipſum, qui per peccatum à Deo ſeparaſis, & in perpetuam Babilonis captiuitatem, à paradiſi gaudiis exul, duceris; ad amicitiam Dei, niſi per eius gratiam & auxilium, amplius non reuerſurus. Ezechieli præcepit Deus dicens cap.5.*Percute manum tuam,& allide pedem tuum & dic heu, ad omnes abominationes malorum Domus*

Ezech.5. *Iſraël.* Vult enim Deus quòd Propheta dolore illo violento, lachrymis venam apperiat, vt peccata filiorum Iſraël defleat, quæ ipſi deflere tenebantur. Chriſtus etiam Redemptor no-

Luc.19. ſter ſuper ciuitatem Ieruſalem cum in ea reciperetur fleuit, vt ciues ipſi, propter quorum peccata ciuitas illa deſtruenda erat,

Digitized by Google

it, multo magis flerent. Et vt nos etiam videntes ciuita-
n animæ noſtræ ſceleribus inquinatam (illam inquam ci-
atem, de qua regius vates dixerat Pſalmo. 54. *Vidi iniqui-* *Pſal. 54.*
tem & contradictionem in ciuitate, die ac nocte circundauit
n ſuper muros eius iniquitas) vim lachrymarum ſuper eam
idamus.

Lachrymæ iſtæ vt Deo ſint acceptabiles, non ex timore,
ex amore, non propter temporalia damna, ſed propter
rna, procedere debent. Inquit enim Chromatius concio-
prima in caput quintum Matthæi. *Quis verò nobis iſte* *Chroma-*
us intelligendus eſt? ſalutaris vtique: non ille, qui ex re- *tius.*
n detrimentis naſcitur, non qui ex amiſſione Charorum,
qui ex iactura ſeculiarum dignitatum, ſed hic eſt luctus
itaris, qui agitur pro peccatis, pro recordatione diuini iu-
j. Nam qui prius inter innumeras ſeculi occupationes, &
eritates animo conſtitutus, de ipſo cogitare non poterat:
ſecurus & mitis effectus, incipit ſe ipſum proprius in-
ri, examinare ſuos actus diurnos, atque nocturnos: &
teritorum vulnerum crimina incipiunt apparere, & tunc
tus ac lachrymæ ſubſequuntur ſalutares, & adeò ſalu-
s, quòd vox cœleſtis conſolatrix occurrat. Sunt enim
pretioſæ lachrymæ, quòd niſi propter Deum, & pecca-
ontra illum commiſſa, fundantur: iacturam earum faci-
, & pretium illarum ludimus. Referunt de monte Ethna, *Iulius.*
d cum igne ſulphureo perpetuo comburatur, tamen fons *Solinus.*
æ frigidæ ex illo profluit: ſic cor noſtrum fons eſt ex *Mons.*
lachrymæ egrediuntur, quod tamen tanquam Ethna, *Ethna.*
charitatis debet eſſe accenſum: vnde lachrymæ ſignum *Lachry-*
oris eſſe ſolent, quia nihil aliud ſunt, quam viſcera per *ma ſignũ*
los effuſa, ſanguis vulnerati cordis & contritione per- *amoris.*
i, argentum liquefactum, quod ſine igne, per fornacem *Iſa. 4.*
exit. Et hoc eſt illud Iſaiæ capite quarto. *Si abluerit Domi-*
ſordes filiarum Sion in ſpiritu iuſtitiæ, & ſpiritu ardoris,
em locum Diuus Ioannes Chryſoſtomus libro De Spiri- *Io. Chryſ.*
ncto, de eodem Spiritu ſancto explicat, qui animam iu-
cans, & maculas eius lauans, non ſpiritu frigoris, ſed
oris, non gelu, ſed igne, & charitatis feruore, ex quo la-
mæ ignitæ procedunt, ſanctificat, & abluit. Hoc enim
et ignis, quòd res quantumuis duras amolliat & lique-
at, & multoties in aquam reſoluat. Diuerſa florum genera *Simile.*
cipias, eáque in alembicum immiſſa, igne ſuppoſito cale-
is: ſtatim in odoriferam aquam reſoluuntur, quæ per fo-
ramen

tamen diffunditur. Ignis enim cauſa illius diſtillationis extitit, qui hanc habet proprietatem. Hoc etiam ignis Spiritus ſancti habet, quòd ſi in humano corde accenditur, cum vera mentis contritione: flores voluptatum qui in illo germinare ſolent, reſoluit: & in lachrymarum fontes per oculorum alembicos conuertit. Inquit Ariſt. 7. lib. de animalibus, quòd aqua fontium aut fluuiorum, quæ terreſtris eſt, qua horti & vireta irrigari ſolent: non eſt æquè vtilis ad irrigandam terram & fœcundandam ſicut aqua pluuialis, quæ de cœlo deſcendit cuius rei experientia in naſturiis aquaticis patet. Licet enim in medio aquarum plantati fuerint, ſunt tamen marcidi & languentes, ſi pluuia illis deficiat, at illa deſcendente, ſtatim germinant & reuireſcunt. Hæc eadem differentia reperitur inter lachrymas, quæ ex charitate procedunt, & eas quæ ex aliis principiis, & non propter Deum ſummè dilectum funduntur, ſed propter metum mortis aut inferni, vel propter aliquod temporale damnum, quod iſtæ quaſi aqua terrea ſunt, terrenum & humile habentes principium, vnde non tantæ ſunt virtutis & efficaciæ, quod per ſe animam fœcundare poſſint, aut fructum gratiæ producere: at illæ quæ ex charitate & Dei amore procedunt, cùm altius habeant principium, & à Deo ipſo procedant, vtiliſſimæ ſunt ad corda noſtra irriganda, mirificóſque fructus producendos.

Ariſt. l. 7. de anim.

Simile.

Quantæ virtutis & efficaciæ ſint huiuſmodi lachrymæ, in peccatrice illa euangelica, quæ lachrymis cœpit rigare pedes Ieſu euidenter apparet. Lauit enim lachrymis corporis, maculas animæ. Dimiſſa ſunt ei peccata multa quoniam dilexit multum, ita ſane, verùm patentes lachrymæ, latentis amoris teſtes extiterunt. Refert Eraſmus in ſuis apophtegmatibus quod cum Alexander legiſſet prolixam Epiſtolam ab Antipatro ſcriptam contra matrem ſuam, dixit: *Ignorare videtur Antipater quòd vna matris lachryma multas delebit epiſtolas*, quod ſi vna lachryma tam longam Epiſtolam delere potuit, quid tanta lachrymarum abundantia delere, aut quid non delere potuit in Magdalena? O quanta fuit harum lachrymarum efficacia, quæ & tot peccata delere, & fratrem mortuum ſuſcitare potuerunt. Deleuerunt quidem peccata, nam lauit lachrymis corporis maculas mentis, vt adimpleretur illud Iſaiæ vaticinium. *Delebo, vt nubem iniquitatem tuam, & vt nebulam peccata tua.* Nubes per ſui reſolutionem deleri ſolet, Nubem videbis atram fulguribus & tonitruis mundum minitantem, quæ tamen flante auſtro in aquam clariſſimam

Simile.

conu r

conuertitur. Sic iſta fœlix peccatrix mihi videtur, quæ quaſi nubes fulgurans aliquando fuit. Fulgurabat enim per os, per oculos, per geſtus, & amoris per verba, fulmina mittebat, quæ omnia flante Dei gratia conuerſa ſunt in lachrymas. *A conteçe que en vna potre aldea no ay mas que vna campana, ſube el ſacriſtan y taña a fuego, y ſube luego, y con miſma tañe a nublado. Aquellos ojos boca y cabellos de Magdalenas que tantas vezes auian repicado à fuego, aora tañen a nublado a los pies de Chriſto.* Hoc eſt delere vt nubem peccata, ſed ſubdit, & quaſi nebulam. Nebula enim ardore ſolis conſumitur. Contingit in hyeme totam terrã denſiſſima nebula plenam eſſe: oritur ſol, & radios ſuos per illam ſpargit, & ſic tota diſſoluitur. Non ſecus Magdalenæ peccata, quæ in abſentia illius veri ſolis iuſtitiæ, quaſi denſiſſima nebula, mentem ſuam occupabant, modo præſentia eius diſſoluta fuere. Poterunt denique lachrymæ iſtæ fratrem mortuum ſuſcitare, ſi tamen magis tibi videtur fratrem iam vita functum, quàm ſe ipſam peccatis mortuam reuocare ad vitam. Ex quo enim vidit eam Dominus plorantem, ſtatuit fratrem eius ad vitam reſtituere. 2. Reg. 12. dicitur, quod cùm puer quem Berſabe conceperat ex adulterio ad mortem infirmaretur: Dauid nimia triſtitia affectus, *ieiunabat, & flebat, neque volebat cibum ſumere, etiamſi ſatellites magis ac magis, ſuaſiſſent.* Accidit die ſeptima vt moreretur infans, & nemo audebat nunciare ei, quod cùm intellexiſſet ſurrexit à fletu & ieiunio, & veſte lugubri qua indutus erat dimiſſa, alia indutus eſt, & hilari vultu ſedens ad menſam comedit. Quod cùm mirarentur ſerui ſui, dixit. Ne miremini propter hoc factum, quia dum viueret infans ieiunabam & flebam propter ipſum. Dicebã enim quis ſcit, ſi fortè donec eum mihi Dominus, & viuat? nunc autem, quia mortuus eſt, quare ieiuno? ac ſi diceret. *Ya no ay para que ayunar ni plorar por el, han de ſer poderoſas mis lagrimas para tornar le a la vida? aſſi ſeñor Dauid que os parece caſo impoſſibile que las lagrimas reſuſciten aun muerto?* Impoſſibile quidem eſt per naturam, non per gratiam. Vide huius peccatricis lachrymas, quæ per Dei gratiam tantæ virtutis fuerunt, quòd defunctum fratrem, ab inferis reuocârunt ad vitam.

Simile.

2. Reg. 12

Nota.

Tales erant lachrymæ, quas Dauid fundebat peccata ſua defluens, non quæ ex timore ſupplicij, aut temporalis infamiæ, aut alicuius alterius rei dolore procederẽt, ſed ex igne ardentiſſimæ charitatis, & ex dolore offenſæ: quia legem Dei ſui, quem ſummè diligere tenebatur, non cuſtodierit. Vnde & in

tanta copia fundebantur, quòd verè poſſet dicere: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.*

Turbatus eſt à furore oculus meus. Per *oculum turbatum* Euſebius, oculum rationis intelligit, quem furor, & indignatio peccati perturbat, ne recta poſſit inſpicere. Vnde in ſcriptura *peccatum tenebræ* appellari ſolet: iuxta illud Pſalmum 138. *Et dixi forſitan tenebræ conculcabunt me*: vbi *per tenebras*, Incognitus cum aliquis aliis, peccata intelligit, quæ mentibus caliginem & obſcuritatem ſuffundunt. *Ambulabunt vt cæci*, inquit Sophonias, *quia Domino peccauerunt.* Nihil enim eſt quod magis mentem obnubilet, & rationis iudicium perturbet, quàm peccatum. Quomodo enim dum aliquis flagitium committit, voluntas eius ad illud perpetrandum inclinari poſſet, niſi intellectus ipſe cæcus eſſet? *Neſciuerunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, inquit Pſalmiſta Pſalm. 81. Et quid inde? mouebuntur omnia fundamenta terræ. Præſuppoſita cæcitate mentis, nullum fundamentum ſanctitatis, aut virtutis ſtabile & ſolidum eſſe poteſt, nullum ædificium tam firmum, quòd non ſtatim corruat. Cæcitas namque quam culpa ſecum adducit, mentem obſcurat, iudicium peruertit, & omnes animæ potentias perturbat. Iſaias cap. 19. De Ægyptiis agens, inquit: *Immiſcuit Dominus in medio Ægypti ſpiritum vertiginis*, vbi 70. vertunt, *Dominus enim immiſcuit eis ſpiritum erroris*, alij *ſpiritum peccati.* Quid eſt ſpiritus peccati? nil aliud, quàm ſpiritus erroris, aut vertiginis. Peccatum enim, cùm mentem obnubilet, errare facit peccatorem in actionibus ſuis. Eſt etiam ſpiritus vertiginis, ſiue, vt ait Simmachus, ſpiritus peruerſitatum, id eſt, peruertens. Peruertit enim ſanum ſenſum, ne intelligat ea quæ dicuntur. *Es vn vaguido de cabeça, vendar bueltas al rededor, y andar al retortero, como quien anda en dança, que trae el juycio alborotado.* Qui enim, quaſi turbo aut vertigo, in orbem volutatur, ſic noſtris de rebus iudicat: videtur illi mundus totus moueri, ciuitates corruere, & ædificia ſolo æquari: ſic ſpiritus peccati, ſpiritus vertiginis aut peruerſitatum appellatur, nam peruertit rationis iudicium. Peccator namque iudicat malum bonum, & bonum malum: amarum dulce, & dulce amarum, tenebras lucem & lucem tenebras, temporalia ſequitur, & æterna contemnit: fugit virtutes & vitia inſequitur, auertitur à creatore, & ad creaturas conuertitur. Huc ſpectat illud Pſalmiſtæ Pſal. 61. *Mendaces filij hominum in ſtateris*: vbi per *ſtateram* Euthymius iudicium & electio

Euſebius Theodor. Niceph. & Chryſoſtomus. Pſal. 138. Doctor Incognit. Peccatũ excæcat. Sophon. 1 Pſal. 81. Cæcitas mentis quot mala pariat. Iſai. 19. Septuag. Nota. Simach. Pſal. 61. Euthim.

& electionem intelligit dicens. Corrupta eſt in mortalibus iudicij ſedes, quoniam eligunt inſtabilia pro ſtabilibus, & mala pro bonis. Sed quomodo filij hominum in his ſtateris mendaces ſint & deceptores audite: Accipite in manu veſtra rationis & iudicij ſtateram, & in vna bilance Deum conſtituite, in alia verò, quicquid pulchrum, pretioſum, aut æſtimatione in hoc mundo dignum eſt. Ponite diuitias, aurum, argentum, lapides pretioſos, & omnes terræ theſauros. Ponite honores, dignitates, magiſtratus, & regimina. Ponite pulchritudinem, valetudinem corporis, & intellectus præſtantiam, denique appendite claritatem ſanguinis, & parentum antiquitatem, proſapiæve ſplendorem. Et vt cuncta vno verbo complectar, omnē mundi gloriam. Quid omnia hæc ponderis habent, ſi cum vno ſolo Deo conferantur? Nunquid alicuius ſunt momenti? Salomonem audite, qui quaſi manu ſua ſtateram tenens, hæc eadem ponderauit: *Quoniam ante te*, inquit, *orbis terrarum tanquam momentum ſtateræ, & tanquam gutta roris antelucani, qui deſcendit in terram. Todo el mundo en contrapeſo vueſtro, es como el eſcrupulo de la balanza, y como vna gota del rocio de la mañana reſpecto de la agua del mar.* Cùm ergo homines propter mundi vanitates, voluptates carnis, & corporis diuitias, Deum derelinquant, ſequitur, quòd mendaces ſint in ſtateris, & quod non recto iudicio res ipſas præponderent. Quod non ex alio principio ortum habet, niſi quòd oculus rationis propter peccati furorem in illis turbatus eſt. *Sap. 12.*

Inueterauı inter omnes inimicos meos. Per inimicos peccata intelligit Gloſſa, quæ naturæ noſtræ inſidiantur. Sed quid ex furore oculi, mentíſque cæcitate ſperari poterat, niſi quòd inter peccata ſua inueteraſceret? Nulla maior cæcitas excogitari poteſt, quàm inter inimicos crudeliſſimos commorari. Qui enim neceſſitate compulſi per terras hoſtium ingrediuntur, ſumma qua poſſunt celeritate, iter ſuum conficiunt, quia hoſtis ſemper eſt timendus. Et cum illo commorari non eſt tutum. *Quid eſt Iſraël*, aiebat Baruch, *quod in terra inimicorum es? inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis ſempiternis?* Terra inimicorum poteſt dici peccatum, vbi nulla ſecuritas, nulla pax. Semper peccatori parantur inſidiæ, & mors æterna illi comminatur. De terra hac intelligi poteſt illud Iſaiæ vigeſimo quarto, *formido, & fouea & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ.* Nullum malum eſt, nulla aduerſitas, nulla calamitas, quæ peccatori non immineat: ſed his precipuè, qui habitatores ſunt terræ & pec-

Gloſſa. *Idem Chryſoſt.* *Simile.* *Baruch 3* *Iſaia 24.* *Peccato obſtinatus omne malū incurrit.*

Digitized by Google

cati incolæ. Aliqui ſunt qui licet peccati confinia & terminos attingant, non tamen in illis commorantur, ſed tanquam per hoſtium regiones,curſim tranſeuntes, ſtatim illud deſerunt:at (quod dolendum eſt) ſunt alij, qui periculis omnibus poſtpoſitis,in regione peccati quietè viuunt,& ſecurè commorantur.Iam enim ad obſtinationis ſtatum peruenere, & ad tantam cordis duritiem,quod inter inimicos inueteraſcunt: & Deum ipſum contemnentes, animæ ſuæ omnino obliuiſcuntur. Quando Propheta Ezechiel per foramen parietis templum eſt ingreſſus, quatuor abominationes vidit, quarum vltima, omnes alias excedebat. Prima fuit ſtatua Baal in introitu portæ,ſiue primi atrij templi, ſecunda cultus picturarum in pate,in atrio ſecundo,tertia planctus mulierum ſedentium & colentium Adonidem in atrio tertio, quarta & vltima quæ longè grauior erat,contemptus ſeniorum,qui dorſa contra Deum habebant, & vultum ad orientem conuerſum. Prima abominatio ſignificat peccatum adhuc in deſiderio, quod nondum commiſſum eſt:ideo in introitu,quia turpis cogitatio initium eſt ſceleris.Secunda eſt perpetratio delicti.Tertia peccati conſuetudo, ideo ſedebant. Quarta defenſio ſcelerum,& inueteratio in peccatis, vſque ad Dei contemptum, & hæc vltima eſt abominatio,& vltimus fere gradus excidij. Vulgo dicitur, quod nimia conſuetudo parit contemptum: quod hîc verificatur,conſuetudo enim peccandi parit contemptum Dei,quod peccatum irremiſſibile eſſe ſolet. Amos,capite primo, minatur Propheta dicens:*Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum*, ex Hebræo verti poteſt *non parcam ei, eo quòd triturauerint in plauſtris ferreis Galaad.* Et idem repetit de Moab & Tyro; Qui locus varias expoſitiones admittit,ſed pro nunc vnicam cuiuſdam gloſſæ ſequamur,quę aſſerit primum peccatum eſſe in deſiderio aut cogitatione, ſecundum in opere,tertium in conſuetudine,quæ quidem facilè remittit Deus: quartum verò in contemptu, quo ſtante, nunquam remittitur. Dum peccator aliquis Deo contemptu, & pœnitentia, quæ peccati eſt medela poſthabita, in vitiis ſuis perſeuerat. Ieremias trigeſimo, inquit: *inſanabilis eſt fractura tua, non eſt, qui iudicet iudicium tuum, ad alligandum curationem tuam vtilitas non eſt tibi.* Quæ verba de peccatore in peccatis obdurato dicuntur. Et aduertit diuus Thomas ſuper Matthæum, quod iſtius obdurationis cauſa per ſe eſt homo, Deus verò non indurat, niſi, non impertiendo gratiam. Deus indurare dicitur, quia gratiam non largitur,homo verò, quia in pro

Ezech.6. Figura. Quatuor abominationes quid ſignificent.

Amos 1.

Iere.30.

D. Thomas ſuper Matthæum.

Digitized by Google

in propria malitia permanet. Sed quare non largitur gratiam? non ob aliud, niſi quia homo ad illam non diſponitur. Non emollit cor, quia ipſe obicem ponit, non conuertit, quia ipſe reuerti non vult, ideo peccatum obſtinationis & impœnitentiæ irremiſſibile dicitur, quia peccator diuinam miſericordiam ſpernit, quam ſi amplexatus fuiſſet nullum eſſet. Vnde Laurentius Iuſtinianus, ſermone exhortatorio ad conuerſionem, inquit. Porro apud Deum nulla eſt irremiſſibilis culpa, cùm ex cordis ſynceritate humiliter poſtulatur venia. Quid oro in peccatrice iuſtificata fuit, niſi lachrymarum effuſio, animíque compunctio? Fleuit poſt negationem Petrus, & priſtinæ reſtitutus eſt gratiæ, Compleuit Dominus in his duobus, quod prophetico prædixerat ore: *Quotieſcunque ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum.* Quid delinquenti, hac promiſſione dulcius? Quid deſperato, & vniuerſorum flagitiorum pleno amabilius? Quíd-ve, ad emendationis bonum dici potuit efficacius? Nónne Dauid de cuius pœnitentia modo agimus, inter inimicos ſuos inueterauerat, vt ipſe fatetur, vel vt verſio diuus Hieronymus habet, *ab vniuerſis hoſtibus ſuis,* peccatis ſcilicet, *fuerat conſumptus, & inutilis factus? Et tamen inquit, exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Quamobrem perſeueranti animo peccata noſtra defleamus, & qui hactenus cor impœnitens habuimus, calore diuini ignis illud liquefacere ſinamus: accedamus ad Chriſtum, qui extenſis in cruce brachiis ad nos amplexandum, aperto latere ad nos ſuſcipiendum, inclinato capite, ad nos oſculandum, noſtrum nimio cum amore præſtolatur aduentum: vt ex diuitiis ineffabilibus ſuis, nobis gratiam conferat, & gloriam.

Deus nō indurat peccatorem niſi ſubtrahendo gratiam.

Peccatū impœnitentia irremiſſibile.

D. Laur. Iuſtin.

Ezec. 18.

Verſio. D. Hier.

CONCIO QVINTA.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniā exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter

NON inter minora inconuenientia, quæ iuſto ad cæleſtem patriam pergenti, ſeſe offerre ſolent, ſocietas malorum, cum quibus vitam agere eſt neceſſe, annumeranda eſt. Quia humana malitia, præter quàm quod ipſa contagioſa ſit, & peſtifera, naturam noſtram propenſam ad malum & inclinatam reperit. Quia ſenſus hominis, vt dicitur Geneſ. cap. 8. proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. Quando ædificium aliquod inclinatum eſt, eiúſque parietes à debita rectitudine defecerunt, facilè ad terram proſternitur. Quòd ſi ædificium naturæ noſtræ, per peccatum, à rectitudine iuſtitiæ originalis defecit, & ad malum deflexit: quid mirum, quod tanta facilitate, malitiam ipſam amplexetur? quid quòd malorum ſocietas eam alliciat? quid quòd eorum exempla impellant? quia, vt inquit Regius Pſaltes Pſal. 17. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerſo peruerteris.*

Geneſ. 8. *Natura noſtra ad malũ inclinata.* *Simile.* *Pſal. 17.*

Hinc eſt, quod Deus populum illum, quem ad cultum & ſeruitium ſuum elegit, tanto ſtudio & cura, à malorum ſocietate ſegregare ſemper curauit: ne ex eorum conſuetudine & familiaritate, eorum etiam vitia contraheret. Ex duobus enim contrariis, ſemper alterum, alterum vincere neceſſe eſt, & vnum quódque eorum, alterum ſibi aſſimilare contendit. Quare, ſicut virtus vitium deſtruere conatur, ſic è conuerſo, vitium ipſam virtutem; quæ poſt peccatum debilior effecta, multoties ſuperatur & vincitur. *De ordinario la virtud ſale deſcalabrada del vicio.* Præcauens igitur Deus hoc periculum, Numer. 33. populum alloquens, præcepit, dicens: *Cùm intraueritis in terram Chanaan, diſpergite cunctos habitatores terra, ne eorum ſocietas ſit vobis in ruinam.* Timebat enim Deus id quod poſtea illis contigit, referente Pſalmiſta Pſalm. 105. *Non diſperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum, & immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Vide quanta mala ſubſequuta ſunt, ex illo primo principio. Ex eo inquam, quod inter gentes commiſti ſunt, prouenit illis, quòd opera illorum didicerunt & idolatriam imitati ſunt. Hinc haberi poteſt germana & literalis intelligentia illius loci, Cant. 4. *Veni de Libano ſponſa, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, Semir, & Hermon, de cubilibus leonum de montibus pardorum.* Sponſam ſuam ſynagogam vocat ad recipiendam coronam, & premium, quod in terra Chanaan illi parauerat, & monet eam, vt à monte Libano, Semir,

Num. 33. *Pſal. 105.* *Societas malorũ fugiẽda, quòd infinita mala pariat* *Cant. 4.*

mir, & Hermon in quibus Gentiles habitabant, (quos & leones nominat) exeat: ne eorum idolatria & deteſtandis moribus contaminaretur. Hinc etiam illius differentiæ, quæ inter illos duos Angelos, de quibus Daniel decimo agitur, intelligentia patet. Dixit enim Danieli Angelus, qui illum alloquebatur. *Ego veni propter ſermones tuos, princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michaël vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum.* Vbi excuſat ſe Angelus apud Danielem, quod tanto tempore demoratus fuerit. Et vt melius intelligatur, obſerua, quod dederat Rex Cyrus facultatem Iudæis redeundi Hieroſolymam, quorum multi redierant, multi manſerant in Perſide & Chaldæa redire nolentes: orauerat autem Daniel, viginti & vno illis diebus, pro omnium reditu qui exauditus fuit. De quo certiorem illum faciebat Angelus, ſed reddens rationem, quare non ſtatim ad illum veniret, inquit: *Quia Angelus regni Perſarum, qui ad cuſtodiendam illam prouinciam conſtitutus fuerat, reſtitit mihi.* Sed quare inter ſe diſſidebant? Nimirum, quia Perſicus Angelus ad vtilitatem illius regni aſpiciebat, quia ex ſocietate Hebræorum multi illorum, idolis ſpretis, ad cultum veri Dei conuertebantur: Angelus verò Hieroſolymitanus de egreſſu illorum inſtanter agebat, ne ex conſortio Perſarum, populus Dei contaminaretur. Sic enim diuus Gregorius decimo octauo Moralium locum hunc interpretatur. Huc etiam ſpectat, quod Numerorum decimo ſexto memoriæ proditum eſt. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Quis eſt qui oculis mentis diuum Petrum non intueatur, qui quem inter bonos, Deum verum confeſſus fuerat, inter malos & peccatores, non ſolùm negauit, verùm & iureiurando aſſeruit illum non nouiſſe. Semper enim aliquid mali propter vicinum malum aduenire ſolet (vt veteri vtar prouerbio) quare ſummo ſtudio malorum ſocietas cauenda eſt. Quod ſi aliquando neceſſe fuerit vel ratione officij vel alicuius rei gratia, inter peccatores conuerſari, magna cautela opus eſt, ne in peccatis & moribus eorum aliquis inuoluatur. Et quemadmodum qui è terra naufragium alicuius intuetur, poteſt illum tabula, vel ligno, vel fune aliquo modo iuuare, ſed non ita ſe debet appropinquare illi, vt ſubmergantur ambo pariter: ſic, qui iuſtitia & ſapientia præſtat, debet teterrimis ſceleratorum hominum moribus notatis, ita illis opem ferre verbis & exemplis, quòd non ſimul cum illis ſub-

Dan. 10.

D. Greg.

Num. 16.

Simile.

Digitized by Google

mergatur & pereat. Ad rem ergo vt deueniamus, cùm Dauid ſummis viribus de pœnitentia agenda, peccatiſque ſuis relinquendis ageret: non ſolùm à peccatis abſtinet, verum & ab omni occaſione peccandi. Inter occaſiones verò non infimum locum obtinet malorum conſuetudo & ſocietas eorum, qui forſitan ad facinora perpetranda conſilium, & opem illi præſtiterant. Quare, indignatione & tædio contra illos affectus, inquit: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, &c.*

Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Ac ſi diceret, iam cum illo reconciliatus ſum, ad priſtinámque amicitiam redij. Quod cùm ita ſit à me recedite, quia zeloſus eſt, & animam quàm diligit, nollet inter peccatores commorari, aut cum illis familiaritatem habere. Hæc eſt ratio, quare cum tanta feſtinatione populo ſuo per Hieremiam præcipiebat de Babylone exire: *Exite de medio Babylonis popule meus, & de terra Chaldæorum egredimini.* Et per Iſaiam, cap. 48. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis*: quaſi diceret: nimio zelo afficior, ferréque non poſſum, vos inter idolatras & paganos intueri, quorum idolatria & morũ peruerſitas quaſi peſtis mortifera fugienda eſt. Ideò ſumma celeritate Babylonem deſerentes in patriam vos recipite. Præcipiebat Deus in lege, ne filij Iſraël in mundum aliquid manducarent, & ne tangerent illud. Circa quod præceptum inquit Euſebius lib. de præpar. Euang. *Si igitur immunda animalia tangenda non erant: qui fieri poteſt, vt ſceleratos homines, quorum vitia ſunt omnibus perſpecta & explorata, nobis coniunctos, conſuetudine atque vetuſtate amicitia, ſine ignominia habeamus?* Cui ſententiæ conſonat dictum illud Anthiſtenis celebratiſſimum, qui aiebat: *Abſurdum eſſe non repurgare à lolio triticum*: quo ſignificare volebat, abſurdum eſſe, & ab omni ratione alienum, Rempublicam à peccatoribus & facinoroſis hominibus non repurgare. Ita illum locum interpretatur Plutarchus, aſſerens, non minus detrimenti afferre iniquos bonis, quàm tritico lolium. Quod quidem ex eo naſcitur, quod virtus in nobis quaſi extranea, & aduentitia eſt, nihílque ea fugacius. Quacunque enim arrepta occaſione, nos deſerit & fugit. Res quædam pro vera ab antiquis celebrata eſt, quæ omni ſua authoritate indiget, vt credatur: cuius meminit Plato in Memnone & in Hypia maiore, & Ariſtot. 1. de anima. Aiunt, enim, quòd ſtatuæ illæ Dædali quæ tanto artificio erant fabrefactæ, tantáque pollebant pulchritudine: niſi fortiſſimis funibus conſtringerentur, ſtatim aufugiebant, ab oculíſque hominũ abſcondebantur. Sic quippe

ſunt

Hier. 50. *Iſai. 48.* *Deus ſuus zelath.* *Deut. 15.* *Euſeb. Cæſar.* *Anthiſtenes.* *Plutarc.* *Plato.* *Ariſtot.* *Dædali ſtatua.*

Digitized by Google

ſunt virtutes rectíque mores, quod niſi ſumma cuſtodia obſeruentur, exemplíſque bonorum, quaſi quibuſdam vinculis alligentur, continuo terga vertunt, & ſe conuertunt in fugam. *Luego dan cantona da y nos dexan.*

Quare ſumma diligentia & ſtudio curandum eſt, vt peruerſi mores, in quocunque fuerint, ſiue in amicis & neceſſariis ſiue in parentibus & conſanguineis, vitentur, & eorum conſuetudinem & amicitiam ſolerti cura fugiamus, quorum vitia, nocumentum & ſcandalum, abſque dubio, ſunt allatura. Ad hunc ſenſum explicat magnus Chryſoſtomus verba illa ſeruatoris noſtri Chriſti, Matthæus quinto: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Et ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te.* Inquit enim: Non loquitur de membris, abſit, ſed de neceſſariis & amicis, quorum amicitiæ aſpernendæ ſunt; quando nec nobis, nec ipſis proſunt. *Chryſoſt. ſuper Pſal. 6. Matt. 5.*

Quod ſi dicas: Si malorum ſocietas tantum detrimenti iuſtis affert, & Deus iuſtos ſic zelat, quare ergo iniquos inter illos exiſtere permittit? Huic dubitationi tibi reſpondeat diuus Auguſtinus libro vndecimo de ciuitate, capite decimo octauo: *Nec Deus vllum, non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe praſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus bonorum vſibus commodaret, atque ita ordinem ſaculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret* Hæc eſt ratio quare Deus permittit iuſtos peccatoribus eſſe permixtos, ex quo zelus eius habet ortum, qui nollet animam inter occaſiones commorari. Quare non myſterio vacat, quod Canticorum ſecundo comparat eam columbæ, dicens: *Veni columba mea in foraminibus petra, in cauerna maceria.* Exi citò de medio populoſiſſimæ ciuitatis, relinque hominum impiorum tumultuantem populum, fuge periculoſum ad modum eorum conuiuendi modum, & in loca ſolitaria deſerta & inuia, te citò confer: vt in foraminibus petrarum & inacceſſis rupibus, ſecurè, vitam degas. Quis in his verbis, & charitatem Dei, & zelum eius non agnoſcat? Comparat ſponſam columbæ, ac per conſequens ſeipſum, qui illius ſponſus eſt. Columba & ſi amoris & charitatis ſit ſymbolum, vt apud Pierium reperies, eſt tamen coniugis zeloſiſſima, quem ſi viderit cum alio amicitiam contrahere, roſtro & alis percutere & caſtigare ſolet. O amantiſſime Deus, quantum animam meam & diligis, & zelas: quam ſi videris aliquid præter te adamantem miſericorditer corrigis & caſtigas, ægriter ferens, eam inter occaſiones voluptatum, gaudiorum, & *Aug. 11. de ciuit. Cant. 2. Pierius Varia.*

vanitatum huius ſæculi aſpicere. Exardeſcit enim zelus, quantum & amor quo me diligis: & ideo omnem conſolationem humanam mihi interdictam eſſe cupis, vt te offendendi mihi omnis auferatur occaſio. Columba etiam cùm inimicos habeat, qui illi ſemper inſidiantur, nidum ſuum conſtruere ſolet in altiſſima aliqua rupe, in qua tanquam in munitiſſima arce, ab hoſtibus, aquila, accipitre, & aliis, ſe defendit. O anima, inquit Deus, columba dilecta, quæ tot inimicis circundatis, cui tot inſidiæ patantur, quam mundus, caro, & diabolus ſuis aſtutiis decipere totis viribus conantur, occaſiones fuge, ab inimicis te abſconde, ne illis fidas, quia nulla in eis fides, nulla ſecuritas, inuenitur: Deuita mundi conſortium, & mundanos ipſos tanquam viuum ignem time, & cum regio vate proclama. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.*

Mundi fuga.

Lachryma loquuntur.

Vocem fletus mei. Inuſitatus quidem apud nos loquendi modus, ſed apud Scripturam ſacram non infrequens. Nunquid fletus ipſe aut lachrymæ loquuntur, vt dicat vocem ſui fletus audiuiſſe? Equidem. Lachrymæ pœnitentis lingua ſunt, Deum alloquuntur, & earum voces cælum exaudit, & in illis valde delectatur. Dicitur enim Eccleſiaſtici trigeſimoquinto: *Non deſpiciet preces ſtupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus.* Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas. A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum, & Dominus exauditor delectabitur in illis. O magna lachrymarum virtus, à maxilla deſcendunt ad terram, & à terra in inſtanti, vſque ad cælum aſcendunt. Fores diuinæ pietatis pulſant, miſericordiam implorant, & Dominus exauditor illarum eſt. Habent enim lachrymæ ſuum loquendi modum, quare diuinis auribus percipiuntur: alioquin Propheta Regius non diceret: *Exaudi orationem meam, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas.* Sed diligenter obſerua, quod ad hoc, quod huiuſcemodi lachrymæ vim habeant, & quod poſtulant aſſequantur, debent non ex oculorum ſuperficie, ſed ex imo corde procedere, ita quod cor ipſum ſimul cum lachrymis perfundatur, iuxta illud Pſalmi ſexageſimiprimi: *Effundite coram illo corda veſtra.* Quantum valoris & efficaciæ habeat huiuſmodi oratio in primo Regum, capite ſeptimo, planè oſtenditur, vbi dicitur. Quod poſtquam filij Iſraël victi ſunt à Philiſteis & arca Dei capta, ex quo magnum dolorem conceperunt, quo vſque tandem reſtituta eſt: conuenerunt in Cariathiarim, vt ſe munirent

Eccl. 35.

Pſal. 38.

Pſal. 61.

1. Reg. 7.

Digitized by Google

munirent & præpararent ad bellum, quibus Samuel dixit: *Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri, & ſeruite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſtim.* Quo peracto, dixit illis congregate vniuerſum Iſraël in Maſphat, vt orem pro vobis Dominum. Cumque Samuel oraſſet prò illis, inquit textus, *quòd ieiunauerunt illa die confitentes peccata ſua, non ſine magna contritione & lachrymis, & hauſerunt aquam & effuderunt in conſpectu Domini, qui exaudiuit eos, & pro eis contra Philiſteos pugnauit.* Sed quis inter hæc omnia, factum illud non miretur, quòd hauriebant aquam in medio orationis, & illam in conſpectu Domini effundebant? Difficultatem quidem hoc habet. Quid cæremonia illa adumbrabat? Variè de hoc expoſitores ſenſerunt. Rabbi Salomon referente Lirano, inquit: *quòd fuit humilitatis indicium effundebant aquam in recognitionem propria miſeria.* Fatemur, Domine, quòd coram te quaſi aqua effuſa ſumus, & quòd niſi te adiuuante inimicos noſtros non poſſumus ſuperare. Rabbi Oziel inquit: *quod fuit contritionis & lachrymarum ſymbolum.* Cognoſcimus Domine ſcelera noſtra eſſe grauiſſima, quæ lachrymarum lacu indigerent, vt expiari poſſent & deleri: lachrymæ nobis non ſuppetunt, quare aqua hæc effuſa defectum illarum ſuppleat. Rabanus verò & Hugo tenent veræ pœnitentiæ fuiſſe indicium, & quòd ad idola amplius non eſſent reuerſuri. *Fue vn jurar de vehementi, que no auian de voluer mas a los ydolos y que el dalles demano y va de veras* ac ſi dicerent: Sicut aqua hæc effunditur amplius non colligenda: ſic proiiciuntur idola rurſum non admittenda, O egregium orandi modum, diuinámque iuſtitiam placandi! Abiicienda ſunt idola quaſi qui aquam effundit, vitia ſunt relinquenda quaſi ſtercus, nec amplius ad ea reuertendum eſt. Quid prodeſt vitia ad tempus relinquere, ſi illico reſumuntur, & quaſi canis ad vomitum ad ea redimus? *Oy blas femamos del vicio, ymañana le quitamos la gerra, agora le damos de higas y luego voluemos a abraçalle, eſcupimos alos deleytes en la cara y luego les hincamos la rodilla.* Quaſi aqua effuſa relinquenda ſunt vitia, ſi Deum placare volumus. Quod ſi fiat, lachrymæ pœnitentiæ noſtræ non inutiles erunt, ſed magni pretij & momenti, & quæ in oratione exaudiri mereantur: ſicut lachrymæ Dauid fuerunt, de quibus nunc dicit.

Nota. Rabbi. Salom. Oziel. Raban. Hugo.

Exaudiuit Dominus deprecationē meā, Dominus orationem meam ſuſcepit. Liranus in expoſitione huius loci habet, quod hîc

Liranus.

Oratio. hîc Dauid ſpecialiter loquitur de exauditione altaris ædificandi in Iebuſæi ſolo, vt ibi illi ſacrificiũ offerret, ex quo certificatus fuit de culpæ remiſſione, quia non ſolet Deus ſacrificia libéter ſuſcipere de manibus peccatoris, quouſque per pœnitentiam illi reconcilietur. Hæc eſt prima conditio in oratione noſtra obſeruanda, quòd petens à Deo prius illi reconcilietur, & cum eo amicitias ineat. Iob 11. *Si iniquitatem quæ eſt in ſinu tuo abſtuleris à te: & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis.* Audiui quidem orationem tuam & clamores quibus Deum deprecatus es, & mihi videris oleum & operam perdere, non enim ſcopum veræ orationis attingis, tu autem firmaſti cor tuum, & expaudiſti manus tuas. Cor habes durum & in peccatis obſtinatum & firmum, & expandis manus tuas ad cœlum, miſericordiam poſcens? Quàm elegans orandi modus? Modus quidem orandi, & impetrandi à Deo aliquid, hic eſt; vt prius omnem iniquitatem à te excutias, & ab omni iniuſtitia cor mundes: & tunc ad Deum ſecurè poteris accedere oraturus, poſtulatáque obtinebis.

Iob 11.

Ex defectu huius conditionis prouenit, quòd à Deo multoties non exaudimur: quia nimirum peccata non relinquimus, quæ orationem noſtram impediunt. Threnorum 3. inquit Ieremias. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco inexorabilis es. Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos, occidiſti nec pepercisti, oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio. Aueys os cerrado con noſoſtros y teneys pueſta de por medio vna nube como muralla.* Hæc nubes peccatum eſt, Quia ſicut nubes parua, radios ſolares impedit: ſic peccatum cùm nihil ſit poſitiuum, radios diuinæ miſericordiæ. Accedimus ad Deum cum armis quibus illum offendimus, peccatis ſcilicet, in manibus, quomodo nos exauditurus eſt? Manus itidem plenas peccatorum ſanguine geſtamus, quomodo non magis ad iram prouocabitur? Iſa. 1. *Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam faciem meam à vobis: manus enim veſtra ſanguine plena ſunt.* Quem locum Euſebius Cæſarienſis demonſtrationum Euangel. libro 1. capit. 2.6. Ireneus lib. 4. capit. 32. Athanaſius de paſſione, & cruce Domini, & Procopius, de Iudæis interpretantur: quorum manus ſanguine Chriſti maculatæ fuerunt. Vnde, ſecundum ſeptuaginta viros illis dicitur: facti eſtis mihi in ſatietatem, non amplius remittam peccata veſtra. Sed quæri hîc poteſt cum Procopio, quomodo cùm dixerit *non dimittam peccata veſtra*, quod in explicabili crimine ſe obligauerint

Thren. 3. *Simile.* *Iſa. 1.* *Euſeb. Cæſar.* *Ireneus.* *Athan. & Procopius.* *70. Inter.*

Digitized by Google

rint Iudæi, cùm in crucem Dominum ſuſtulere, addiderítque: *Si multiplicaueritis preces veſtras*, ſubiiciat: *lauamini, mundi eſtote, &c.* Et reſpondet. Quòd id, quod per legem peccatum eſt immedicabile, Chriſtus veniens ſanat ſacro baptiſmate. Quibus verbis oſtenditur, quòd nullius manus tam fœdæ ſunt, ſanguinéque peccatorũ maculatæ, quòd ſi pœnitentia abluantur, ad Deum non poſſint ſubleuari, & earum preces exaudiri. Vnde Laurentius Iuſtinianus hoc loco Iſaiæ vtitur in ligno vitæ, cap. 4. dicens: *Quemadmodum, qui terram colit, ſolerter ſentes debet eradicare, vt vberiores valeat colligere fructus: ita qui concupiſcit dulcedinem deuotionis in oratione guſtare, ſummopere ſtudeat, ipſius impedimenta declinare: quia incaſſum currit ad portum orationis, quiſquis illi aduerſantia non tota intentione refugit.* Multa enim ſunt orationis impedimenta. Primum enim plurimum aduerſatur eidem peccatum, de quo Iſai. *Cùm multiplicaueritis preces veſtras. Et* paulo inferius (quod ex Diuo Auguſtino furatus eſt.) *Sicut nullum medicamentum proficit, donec ferrum latet in vulnere, ita nihil prodeſt illius oratio, cuius voluntas verſatur in ſcelere.* Et idem Auguſt. libr. de perfecta iuſtitia ad Iulianum Comitem, ait: *quod ſicut eſt quoddam genus ſerpentum, quod quando accedit ad fontem ad bibendum prius deponit venenum, & illud euomit: ſic qui ad fontem miſericordia aliquid petiturus accedit, prius peccati virus deponat neceſſe eſt.* Non ſpernanda eſt. Diui Ambroſij adnotatio circa illud Pſalm. 118. *Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine. Volare facit*, inquit, *orationem bona vita, & dat alas precibus ſpirituales, quibus ſanctorum ad Deum eleuatur oratio.* Et Doctor Incognitus in expoſitione eiuſdem loci aduertens tempus quo filij Iſraël fuere exauditi, & de dura captiuitate liberati, inquit: *Peccato graueſcit oratio & longe fit à Deo, tantò autem plus grauatur, quarto improbabilior eſt vita deprecantis.* Innocentium autem aſcendit oratio: & gemitus compatientis affectus, ſi Ægyptium lutum oderint, & operari terrena declinent. Denique ſic legiſti, quòd Hebræorum, qui dura Ægyptiorum imperia ferre non poterant, & vt grauia, ita & lutulenta opera indigna ſui nobilitate generis recuſabant, gemitus & vox aſcendit ad Dominum. Dicamus igitur, quod illorum orationem exaudit Deus, qui Ægypticam ſeruitutem oderunt, qui pecata deteſtantur, & luto illecebrarum & voluptatum renunciant: Et cum hoc aſſequuti fuerimus, poſſumus amicitiæ Dei indicia aliqua ſumere, & cum Dauide credere

Laurent. Iuſtin.

Iſai. 1.

D. Aug.

Simile.

D. Aug.

Simile.

D. Amb. ſuper Pſal. 118.

Doctor Incogn.

Peccato graueſcit oratio.

Exod. 3.

dere quod preces noſtræ ad eum aſcenderint, & orationem noſtram ſuſceperit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: confundantur & erubeſcant valde velociter. Poſtquam Dei bonitatem & clementiam in recipiendis peccatoribus, & eiſdem exaudiendis oſtendit, modò in præſenti verſiculo in obſtinatos,& proteruos inuehitur,quibus exprobrat,& eorum proteruiam confundit, dicens: *Verecundentur & confundantur omnes inimici mei,* illi ſcilicet, qui à Deo ſunt auerſi, nec volunt ad eum per pœnitentiam conuerti, quin potius, in ſua rebellione & duritie perſeuerant. Confundanter inquam,quia cùm de illius clementia non dubitent, bonitatis tamen eius diuitias contemnunt. Nihil eſt,quòd noſtram ſegnitiem & dilationem ſic confundat, ac Dei bonitas & miſericordia, quæ cùm tanta ſit, quòd eius ianua omnibus pateat, nullíque claudatur: nos verò ad tribunal gratiæ eius accedere pigritamur,

Ioel.2. & de die in diem differimus. Quid cogitas ô peccator? quid dubitas? nũquid de illius miſericordia? ſcito,quia benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia: proniórque eſt ad miſerendum, quàm ad flagellandum, & plura ſunt miſericordiæ opera,quàm iuſtitiæ.

Pſal.114. Quare,Pſalm.114.dicitur:*Miſericors Dominus & iuſtus,& Deus noſter miſeretur:*& Pſal.115.

Pſal.115. *miſericors & miſerator & iuſtus Dominus.*In quibus locis,pro vno titulo iuſtitiæ,duplex miſericordiæ ponitur,vt intelligas plura eſſe opera miſericordiæ quàm iuſtitiæ, & quod libentius Dominus miſeretur peccatoris, quam de illo ſumat vindictam.

2. Reg.8. 2.Reg.8.dicitur *quod Dauid menſus eſt duos funicules, vnum*

Nota. *ad occidendum, & vnum ad viuificandum:* & dicunt Hebræi quod funiculum ad viuificandum:maiorem fecit,quàm illum, qui fuit ad occidendum.Vnde & legunt:*Menſus eſt duos funiculos, ad mortificandum, & impleuit funiculum ad viuificandum*, vt plures vita donaret, quàm occideret, quaſi volens oſtendere, quòd pronior erat ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam: Non enim impleuit funiculum,qui ad mortem deſtinatus erat.Quod quidem multo melius de Deo noſtro poteſt aſſeri, qui,licèt funiculos duos habeat,alterũ iuſtitiæ,alterum miſericordiæ,ſed funiculus miſericordiæ maior eſt, ſempérq; adimpletur: at funiculus iuſtitiæ aliquando relaxatur,& illius menſuram non adimplet, cùm ad illum peccatores conuertuntur. Vnde ſponſa in ſuo epithalamio canit: *Oleum effuſum nomen tuum*, ſiue vt alia litera habet: *Vnguentum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentula dilexerunt te.* Per oleum enim

Deus pronior ad miſerendũ quàm ad vendicandum.

Miſericordia & iuſtitia in Deo.

Cant.1.

enim, aut *vnguentum*, miſericordia deſignatur, & quia Deus vnguenti & olei naturam in manſuetudine & lenitate imitatur, ideo animæ noſtræ illum diligunt, illum ſequuntur, & ad eum accedere non dubitant: *Accedite ad eum & illuminamini*, inquit Dauid, *& facies veſtra non confundentur. Iſte pauper clamauit & Dominus exaudiuit eum.* Pſalmo trigeſimo tertio: Quaſi dicat. Accedite ad lumen miſericordiæ eius, ſi illuminari, & de tenebris peccatorum ad lumen gratiæ eius transferri cupitis, & fidite, quòd non confundemini in die nouiſſimo, ſicut confundentur omnes illi, qui ad Deum non acceſſerint. Ego enim cùm pauper eſſem & deſpectus, peccatiſque irretitus ad eum acceſſi, & pro venia ſum deprecatus, qui & exauditus ſum, & cum miſericordia ſuſceptus. Sed non diſſonat à propoſito noſtro verſio Felicis, quæ ſic ait: *Reſpexerunt ad eum & cucurrerunt, & illuminati fuerunt, & vultus eorum non confundentur.* Illius enim vultus non confundetur in iudicio, qui ad Deum accedit, non quomodocunque, ſed currens & velox, qui pœnitentiã non differt vanis ſpeciebus præpeditus, & blanditiis carnis & mundi deceptus. Non enim procraſtinandum eſt in pœnitentia, ſed opportunè & præproperè agenda, ne poſtea confuſi, impœnitentes ante Dei tribunal præſentemur. Dicitur enim Eccleſ. 32. *Ante grandinem præibit corruſcatio, & ante verecundiam præibit gratia.* Locum hunc interprætatur Incognitus ſuper Pſalmũ trigeſimũ tertiũ dicens: Quid per *corruſcationem*, quæ luminoſa quidem eſt, ſed breuis, niſi peccati delectatio intelligitur? quæ ad momentum apparet lucida, ſed ſubito tranſit, quia laus impiorum breuis, ſed grando, qui hanc ſequitur corruſcationem, eſt pœnæ peccato debitæ grauitas: ante grandinem enim præcedit corruſcatio, quia culpa pœnam præcedit. Et ante verecundiam præibit gratia. Quid enim verecundia, niſi æterna cõfuſio ſignificatur? quam præcedit gratia: quia ad illam conſiderandam vt timeatur, nos diuina gratia inducit. Colligamus ergo ex his quòd tantò maior erit verecundia & confuſio quam patiemur, ſi ad Deum illico non conuertamur, quanto maior eſt eius miſericordia, quæ nos inuitat, & gratia, quæ nos præuenit.

Pſal. 33.

Felix.

Non differenda cõuerſio.

Eccl. 32.

Incogn. ſuper Pſ. 33.

O quanta erit confuſio virginibus fatuis & imprudentibus ianuam cœli clauſam reperire! Oleum cõtritionis & pœnitentiæ illis denegari, & ad fœlices illas & cœleſtes nuptias non admitti! Quantam rogo patientur, non dico verecundiam, ſed confuſionem & deſperationem maximam: quando ad ianuam

cœli

Digitized by Google

cœli pulſantes vocem illam valde pertimeſcendam audierint:
Matt.25. *clauſa eſt ianua. Amen dico vobis neſcio vos*, eo quòd in vtramque aurem dormientes, pœnitentiam non egerunt, neque tempeſtiuè quæ ad receptionem ſponſi neceſſaria erant, parauerunt. *Me oportet operari dum dies eſt*, inquit Redemptor noſter Chriſtus. *Venit nox, quando nemo operari poteſt*. Quid co-
Ioann. 9. gitas operari in nocte, quãdo in die nihil operatus fueris? quid agere pœnitentiam in morte, quam in vita contempſiſti? Vita noſtra diebus mercenarij comparatur in ſcriptura. Apud Iob
Iob 14. enim dicitur: *Et ſicut mercenarij dies eius*. Quare ad modum mercenarij ſe debet habere. Mercenarius quidem, laborat tota die, & à mane vſque ad veſperam aratrum non dimittit aut ligonem, vt cùm nox aduenerit, ceſſet à labore, domíque requieſcat. Sic tu peccator debes in vita laborare, & dum dies tibi conceditur, in bonis operibus exerceri, vt æternam requiem in poſterum conſequaris. Huic propoſito deſeruire poterit lo-
Iſai.21. cus, ille difficilis, qui apud Iſaiam extat. cap. 21. *Cuſtos quid de nocte? & dixit cuſtos: venit mane, & nox*. Verba ſunt iuxta li-
D. Hier. teralem ſenſum, ſecundùm explicationem D. Hieronymi ab Idumeis prolata, dum in magna calamitate verſarentur. Id eſt, ô ſupreme Deus hominum cuſtos, quid hac nocte de nobis futurum eſt? Impendebat enim illis mortis terror, & ſingulis noctibus putabant imminere ſibi vltimum exitium, quibus re-
Procop. ſpondit cuſtos *venit mane & nox*. Quod Procopius ſic explicat. Quibuſdam Gentibus venit mane, quas liberabo: quibuſdam nox, quæ me non quæſierunt. Proinde, qui meo eget auxilio me quærat. Sed ad noſtrum propoſitum, poſſumus verba hæc de damnatis in vltima illa & ſuprema miſeria conſtitutis intelligere. Qui perpetuis inferni tenebris mancipati, præ nimio ſuppliciorum dolore concepto ad Deum clamabunt & dicent: *Cuſtos, quid de nocte?* id eſt, ô ſupreme Deus, qui hominum cuſtos eſſe ſoles, & à ſuis calamitatibus & miſeriis eos defendere, quid de hac tenebrarũ nocte futurum eſt? Quando ex hoc carcere teterrimo educendi ſumus? Nunquid nox iſta in æternum durabit? quibus cuſtos reſpondebit: *Venit mane, & nox*. Conceſſi vobis lucidiſſimum vitæ mane, in quo bene operari potuiſtis, & de veſtris peccatis pœnitẽtiam agere: quod ſi non feciſtis, mihi non imputatur, ſed vobis qui tantam gratiam neglexiſtis. Quare, venit nox, tempus iam non eſt miſericordiæ, ſed iuſtitiæ, non merendi, ſed patiendi, non ferendi auxilium, ſed conferendi ſupplicium. Quare, ô peccatores, ſi quæritis quærite, conuertimini & venite. Quaſi dicat

Digitized by Google

dicat: Nunc cùm tempus eſt miſerendi, miſericordiam à me quærite, & pœnitentiam vſque ad vltimum vitæ ne differatis.

Et quod maximè nos deberet perſuadere ad non differendam pœnitentiam hoc eſt: quòd quantò magis differtur, tantò difficilius propter prauam conſuetudinem conuertimur. Vnde praua cõſuetudo carceri comparatur, ſecundùm Robertum Holcoth in Sapien. lectione 136. *Secundus carcer*, inquit, *eſt conſuetudo.* Peccatis namque & peruerſis moribus ductis in conſuetudinem, homo quodam modo violenter in malitia detinetur. Quare D. Gregorius 2. Moral. inquit, *Sæpe nonnulli exire à prauis actibus cupiunt, ſed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt.* Cui conſonat quod Græca hiſtoria de Alexandro narrat, quod, cùm potentiſſimus fuerit orbis dominator, & in moribus & inceſſu Leonidis pædagogi ſui tamen non potuit carere vitiis, quibus paruulus fuerat imbutus. Sed quid Alexandrum referam? Cùm Auguſtin. ipſe Eccleſiæ lumen & decus, de ſeipſo fateatur. lib. 8. confeſſi. *Rapiebar ad te decore tuo, móxque, diripiebar abs te pondere meo, & ruebam, in iſta cum gemitu, & pondus conſuetudo carnalis erat.* Quod ſi Auguſtinus tale bellum in ſeipſo experiebatur in principio ſuæ conuerſionis, ſi tanta cum difficultate vitia reliquit propter inueteratam conſuetudinem, quid de illis iudicandum erit, qui nec Auguſtini ſunt, nec eius præditi ſpiritu? Fax enim quæ modò extincta eſt, ſi illico accendatur ſtatim reaccenditur, luménque amiſſum reſumit: at ſi per tempus extincta manſerit, ſi ignis calorem amiſerit, impoſſibile eſt. Sic anima quæ per culpam extincta eſt, ſi ſtatim conuertatur, facilè lumen gratiæ reſtaurat, at poſtquam calore amiſſo deuotionis, in culpa inueterauit, ſumma difficultate, ad priſtinum ſtatum redit. Hinc eſt, quod Propheta Oſeas tantum de Efraim conuerſione diffidebat, quia nimirum, iam in idololatria inſenuerat, profundáſque radices miſerat. *Factus eſt*, inquit, *Efraim quaſi ſubcinericius panis, qui non reuerſatur, comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit, ſed & cani effuſi ſunt ſuper eum.* Panis ſubcinericius cùm in igne relinquitur nec reuerſatur, dureſcit, & comburitur, vſuíque hominum fit inutilis, canibúſque proiicitur: ſic populus iſte, inquit Propheta, inutilis factus eſt, nimíſque durus & pertinax in malitia ſua, de cuius conuerſione deſperandum eſt, quia cani effuſi ſunt ſuper eum, iam enim canitiem in malitia ſua contraxit. Ad idem eſt, quod capite 9. ait: *Efraim quaſi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero*

Holcoth. in Sapiẽ. *Praua cõſuetudo.* *D. Greg. 2. Moral.* *Græca hiſtoria.* *Auguſt.* *Simile.* *Oſeas 7.* *Oſeas 9.*

Digitized by Google

ab vtero, & à conceptu. id eſt, iam de Efraim actum eſt, nulla de eius reuerſione ſpe relicta. Aufugit enim quaſi auis, quæ de cauea egreditur, quæ nunquam reuertitur ad illam. Ratio autem quare conuerſio eius non ſperatur, eſt, quia gloria eius ab vtero, ironycos dicitur, id eſt, ignominia eius, qua propter idololatriam afficitur, non recens, ſed antiqua eſt, conſuetudine ferè in naturam conuerſa. Idem peccatori contingit, qui à Deo quaſi auis recedens, diu in vitiis commoratur: Præpeditur enim à praua conſuetudine, quaſi quibuſdam compedibus, ne ád illum per pœnitentiam redeat. Narrat Valerius lib. 7. cap. 2. in fine, quod Cretenſes cùm acerbiſſima execratione vti volunt aduerſus eos, quos vehementer oderunt: optant vt *mala conſuetudine delectentur.* Et addit, quòd modeſto voti genere efficaciſſimum vltionis euentum reperiunt. Videntur quidem modeſtè maledicere, & tamen imprecātur maximum genus mali. Quare fratres mei per Chriſti viſcera, eiúſque pretioſum ſanguinem vos obſecro, ne corda veſtra in peccatis obdureſcere permittatis, & ne prauis habitibus & conſuetudinibus peruerti patiamini: ſed omni mora poſtpoſita, veterem vitam deponite, nouam induimini; Sanum illud conſilium diui Hieronymi ad Paulinum minimè ſpernendum, accipite. Ait enim: *Feſtina quaſo te, & harenti in ſolo nauicula funem magis praſcinde quàm ſolue.* Occaſiones fugiamus, conſuetudinem peruerſorum hominum vitemus, quia difficile lilium inter ſpinas illæſum ſeruatur. Sic fiet, vt ad Deum conuerſi, miſericordiam & gratiam apud eum inueniamus.

Valerius Maxim.

D. Hier.

SVPER

Digitized by Google

SVPER PSALMVM SECVNDVM POENITENTIALIVM.

CONCIO PRIMA.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates : & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum : Nec eſt in ſpiritu eius dolus.

IPSIVS Pſalmi titulus, euidenter oſtendit, quis fuerit eius auctor. Sic enim ſecundùm 70. habet: *Intellectus Dauid*, & ſecundùm alios, *eruditio Dauid*, quæ duæ verſiones ſimul ſonant. Hæc eſt intelligentia & eruditio Dauid : non qua ipſe alios erudierit, ſed qua eruditus eſt & edoctus. Quod verſio Pagnini Lucenſis magis explicat quæ ſic habet, *Dauidi intelligentia*. Significans intelligentiam ipſam & eruditionem, ipſi Dauid fuiſſe factam. Pro cuius rei apertiori intelligentia, aduertite: quod nulla ſciẽtia difficilior, nulla Philoſophia obſcurior, ex eruditorum omnium ſententia reperiri poteſt, quàm ſui ipſius cognitio. Hęc enim altiſſima Philoſophia eſt, in tantùm, quod antiqui, referente Helinando viro doctiſſimo, ideo dixerunt de cœlo deſcẽdiſſe illam vocem. Γνῶθι σεαυτόν, id eſt, Noſce te ipſum. De cœlo venit, inquiunt, Γνῶθι σεαυτόν. Quo loquendi tropo ſignificârunt, Philoſophiam hanc ſummã eſſe, quam ſolum cœlum docere poſſit. Vnde eſt quod in Apollinis Delphici templo, in ipſis ianuis, litteris aureis deſcriptam habebant hanc ſententiam. Erat enim Apollo Deus ſapientiæ. Quo facto, vnum è duobus ſignificabant, vel quod ſeipſum cognoſcere ſoli Deo conceditur, vel ſaltem, quòd in hoc ſumma ſapientia conſiſtit. Sunt enim in hoc oculi mentis, corporis oculis perſimiles: quod, ſicut iſti cætera obiecta cũ videant & ſpeculentur, ſe ipſos videre non poſſint: ſic oculi mentis, intellectus ſcilicet noſter, cùm omnia cognoſcat, ſeipſum non cognoſcit. Percipit enim alienos defectus, & de aliorũ culpis ſtrenuè diiudicat: at proprias & domeſticas miſerias, diiudicare & intueri neſcit. Videmus enim Adamum primum noſtrum

Pagnin. Lucenſis

Cognitio ſui difficilis.

Helinan.

Templũ Apollinis

Simile.

Digitized by Google

parentem, omnibus rebus nomina impoſuiſſe, quæ earum naturis & proprietatibus conuenirent, quia dicitur Geneſ. 2. *Omne quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius.* Ex quo ſancti intulerunt, inter quos D. Auguſtinus & poſt eum S. Thomas in 2. ſententiarum, quod habuerit ſcientiam infuſam & cognitionem omnium rerum naturalium, alioquin quomodo poſſet omnibus rebus nomina ſuis naturis & eſſentiis conuenientia, imponere: niſi cognitionem earum haberet? Quia nomen quidditatem & eſſentiam rei, vel ſaltem aliquam eius proprietatem explicat. At licet omnibus rebus nomina inuenerit, ſibi ipſi nullum nomen impoſuit, quod & D. Baſilius adnotauit: quia *Adam* nō eſt nomen proprium, ſed appellatiuum & commune, & ſicut homo dicitur ab humo, ſic Adam à verbo *Adamath*, quod terram argilloſam, & rubram ſignificat: in quo videtur voluiſſe innuere, quòd quamuis omniū rerum & ſcientiarum naturalium notitiam & cognitionem habuerit, tamen ſe ipſum non agnoſcebat.

Geneſ. 2. *D. Thom.* *D. Baſil.* *Nomen Adam vnde.*

Fuit huius Philoſophiæ non ignarus Rex Siciliæ Agathocles, qui vt narrat Marci. cocus lib. 4. Epigramm. 25. referente Holcoth. ſapien. lectione 87. nunquam permiſit in vaſis aureis aut argenteis, niſi luteis ſibi miniſtrari: interrogatus autem, quamobrem hoc feciſſet, reſpondit, quòd quamuis tunc eſſet Rex, fuit tamen filius cuiuſdam figuli, & ne ſui generis obliuiſceretur, in luteis vaſis ſeruiri ſibi præceperat.

Concio 1. fol. 114. *Holcoth ſuper ſapien.*

Fictilibus cœnâſſe ferunt Agathoclea regem:
Atque abacum Samio ſæpe onerâſſe luto.

Intelligebat enim prudēs hic Rex, quàm labilis & difficilis eſt ſui memoria & cognitio, & quòd homo, natura ſua obliuioſus, monitore aliquo indiget, vt ſui ipſius non obliuiſcatur.

Sed ad propoſitum noſtrum deueniamus: vna ex maximis vtilitatibus, quas Dauidi diuina miſericordia occaſione peccati attulit, fuit propria cognitio & fragilitatis ſuæ experientia: & quòd deinceps de ſuis viribus nō eſſet præſumendum, ſed in ſola diuina gratia & ope ſperandum: quare, ſi Deus permiſit ipſum cadere, ideo fuit, vt omnem ſuperbiæ aut arrogantiæ faſtum in eo extingueret. Nunquam enim Deus mala ſolet permittere niſi propter maximas iuſtorum vtilitates, quæ ſub ipſis delitēſcunt. *Quia* vt Aug. inquit, *licet poſſint bona eſſe ſine malis, non tamen mala ſine bonis.* Poterit enim contingere, quòd ſint bona adeò bona, quòd malis non ſint mixta: tamen nō poſſunt eſſe mala adeò mala, quod bonis nō admiſceantur. Quare ſi permittit Deus iuſtos cadere à ſua gratia, & aliqua peccata

Quare Deus permittit mala. *D. Aug.*

committere,

Digitized by Google

committere, hoc ideo illis contingit, vt de ſe ipſis & de ſuis viribus non præſumant, ſed in ſolo Deo ſpem ſuam collocent, in tentationibus & calamitatibus vitæ præſentis, nullam ſecuritatem abſque eius ope & auxilio, ſibi promittentes: quia ſolus Deus eſt, qui inter tot vitæ præſentis infortunia, auxilium ferre poteſt. Et ad hoc propoſitum Doctor quidã illa explicat verba Deuter. 32. *Qui ſuggit mel de petra oleúmque de ſaxo duriſſimo. Tunc Deus*, inquit, *mel de petra ſuggit, cùm ex malis, quamlibet grauibus, quæ homines committunt, bona aliqua elicit.* O magna Dei ſapientia, quod ex duriſſimis & grauiſſimis peccatorum noſtrorum lapidibus, dulciſſimum humilitatis mel, & ſuauiſſimum miſericordiæ ſuæ balſamum, non ſine magno animarum noſtrarum lucro, educit! Quare nõ præter rem eſſet, quòd Deo verba illa diceremus, quæ habentur Matt. 25. *Metis vbi non ſeminaſti*: quia, cùm peccata non ſeminet, ex eis dulciſſimũ humilitatis fructum, & ſui ipſius cognitionem, colligit. Dauid ergo ante peccatum commiſſum non ſe cognoſcebat, ſed tam alienus erat à propria cognitione, vt diuum Petrum imitari videretur, qui de viribus ſuis præſumens, Chriſto Redemptori noſtro Apoſtolorum ſcandalum prædicenti, audacter reſpondit: *etſi omnes ſcandalizati fuerint ego nunquam ſcandalizabor.* Et iterum: *etſi oportuerit me mori tecum non te negabo.* Quaſi diceret: etſi iam ſenio ſim confectus, faciem rugoſam habeam, caput canis perfuſum, cæcutientes oculos, & vltra ſexaginta percurrerim, ſed non ideo timor aliquis mortis in corde meo morabitur, quin potius morte contempta, periculis quantumuis grauibus, intrepido animo me offeram, per ignes, per gladios, per labores & crucẽ, te ſequens. O virilem animum, tanto paſtore, & Apoſtolo dignum! Verùm præſumptio & arrogantia eius, plus quàm fortitudo eius, cùm ad puellæ vocem trepidauerit, magiſtrúmque negauerit. Ex quo effectum eſt, vt ad tam profundam humilitatem, & ſui ipſius cognitionem perueniſſet: quod interrogatus poſtea à Domino, & de dilectione conquiſitus, maxima cum humilitate & ſui ipſius diffidentia, reſpondit, ſicut adnotauit Chryſoſtomus: *Tu ſcis*, inquit, *Domine quia amo te.* In quibus verbis mali ſui bonum dignoſcitur, & vtilitas quam culpa pepererat. Non diſſimilis B. Petro noſter Dauid mihi eſſe videtur: qui diuinis fauoribus elatus, & ſui ipſius oblitus, proſperitatem ſuam firmam eſſe credidit, neque à diuina gratia poſſe cadere indicauit. Vnde illa verba protulit: *Ego dixi in extaſi mea*, Chaldaica tranſlatio habet, *Cùm ſederẽ in fiducia nõ monebor in æternum.*

[Margin: *Caſtro.* *Deut. 32.* *Matt. 25.* *Matt. 25.* *Ioan. vl.* *Pſal. 29.*]

Sed quid ex hac arrogantia conſequutum ſit, ſtatim confitetur, dicens: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Vix à me tuos oculos auertiſti, cùm in varias calamitates & miſerias ſum prolapſus. Nam adulterium commiſi, homicidium perpetraui, & nomen tuum blaſphemare feci. Permittit igitur Deus, Dauidem cadere, & tot patrare facinora, vt propriam miſeriam recognoſcens, ſibi ipſi non fidat, ſed ſoli miſericordiæ diuinæ, in qua omnis noſtra fiducia eſt collocanda. Quare, quia in hoc Pſalmo agitur de miſerabili eius caſu, & ſtupenda pœnitentia, qua culpam reparauit: ideo *eruditio Dauid* dicitur, ſiue *intellectus eius.* Quàm primùm enim citharam manibus arripiebat ad hunc Pſalmum decantandum: ſtatim, in virium ſuarum, & miſericordiæ diuinæ cognitionem deueniebat, & ideo, eruditio eius dicitur.

Athan. Expoſitionem etiam Athanaſius circa titulum hunc, quia ad mores ſpectat, non contemnendam eſſe duxi: quæ ſic habet. Inſcribitur verò *Pſalmus intelligentiæ*, propterea quòd ea maximè indigent homines: nam affectibus plus æquo feruntur, equis & mulis, in quibus non eſt intellectus, ſimiles fiunt. Rectè quidem inquit: Nam ſicut animalia bruta naturali quodam appetitu & impetu, abſque vllo rationis diſcurſu, ad ſua feruntur deſideria: ſic homines peccatores ſenſualitatem ſequentes, vitia & voluptates inquirunt, & quaſi omnino à ratione alieni ab impetu ſuarum cupiditatum feruntur. Solet morum corruptio in ſacris literis inundationi maris, aut fluminum comparari, vt videre eſt apud Oſeam, capite quarto, vbi dicitur: *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Tunc fluuius, aliquis inundare dicitur, quando illius aquæ alueo ſe non capiunt, & conſuetos terminos tranſgredientes, per ripas, & loca vicina latè diffuſéque expanduntur, & tunc quidem aquæ rapidiſſimo feruntur motu, & quidquid in via inuenerint inundatione ſua rapiunt & demoliuntur. Quare ſolent homines, vt inundationem fugiant ad montes ſe recipere, ſiue domus, aut alicuius altiſſimæ arboris faſtigium conſcendere. Quòd ſi aliquis de ſuis viribus præſumens, contra aquarum inundantium impetum ſe opponere vellet, abſque dubio ſubmergeretur & periret. *O quanta eſt*, inquit Propheta, *vitiorum inundatio.* Capitalia flagitia cumulatim creſcunt, & inſtar diluuij omnia adimplent. Et ſicut quondam fuit mundus aquis inundantibus obrutus, ſic nunc vitiorum diluuio ſubmerſus. Quare ſolerti ſtudio curandum eſt, ne ab vndis huius generalis diluuij rapiamur.

Peccatorũ inundatio.

Digitized by Google

piamur. Nulla maior infœlicitas excogitari poteſt, quàm peccatorum & voluptatum torrenti & turbini aliquem eſſe expoſitum, & quod fluctibus ſuarum cupidinum in omnem partem rapiatur. Cui alluſit Propheta Iſaias, capite ſexageſimo quarto, dicens: *Cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.* Quando folia ſunt ſuæ arbori coniuncta, accipiunt ab eo virtutem & virorem, in quo à tempeſtatibus & vehementiſſimis ventis proteguntur: at ab arbore euulſa nullam habent defenſionem neque reſiſtentiam, ſed à ventis modò huc, modò illuc feruntur: ſic homo qui folio arboris comparari ſolet, iuxta illud Iob: *Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam,* quandiu Deo quaſi firmiſſimæ adhæret arbori, poterit tentationibus reſiſtere, quòd ſi ab eo præciſus fuerit per peccatum, nullam firmitatem aut defenſionem habet, ſed in omnem ventum mouetur. Quare Regius vates de impiis agens, aiebat: *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Quo in loco inquit Incognitus, quòd per *rotam* hîc intelligat quoddam genus herbæ quæ in pratis naſcitur, quæ deſuper in ſummitate producit quandam ſphæram ex omni parte rotundam & albam, habentem pilos ſubtiliſſimos ad modum lanuginis, quæ rota ad modicum flatum ſtatim diſſipatur, & remanet calamus eius deſuper raſus, ad modum cutis depillatæ. Huic rotæ aut lanugini peccator ſimilis eſt: quia ſicut talis rota nulla ſtabilitate fulcitur, ſic peccator nullam habet conſtantiam, ſed ad ventum cuiuſcunque tentationis abſque vlla reſiſtentia mouetur. Quare Sapientiæ quinto, dicitur: *Spes impij, quaſi lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & quaſi ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt.* Quid inſtabilius lanugine vento rapta? Quid ſpuma maris inconſtantius? quid fumo faciliùs diſſipatur? Sic impiorum ſpes his rebus nullam ſtabilitatem habentibus comparatur, quia & ipſi in ſuis operibus inconſtantes ſunt, & à deſideriorum fluctibus inceſſanter mouentur. Quàm magnum malum ſit huiuſmodi vitiorum inundationem pati, ex eo conſtare poteſt, quod per hanc inundationem vniuerſa flagitiorum genera in ſcriptura ſolent intelligi. Quia in Ezechiele, capite decimooctauo, vbi dicitur: *Quod ſi genuerit filium latronem, effundentem ſanguinem, &c.* Ex Hebræo verti poteſt: *Si genuerit filium inundatum.* Hoc vno verbo vitia illa comprehendit. Nam, qui ab inundatione ſuæ ſenſualitatis ſine reſiſtentia arripitur, in omne flagitiorum genus prolabitur.

Iſai.64. *Iob 13.* *Pſal.82.* *Peccatoris inſtabilitas.* *Incognit.* *Sap.5.* *Ezec.18.*

Digitized by Google

Quod quidem ex cæcitate mentis & conſiderationis defectu prouenit,quia ſi conſideraret homo voluptatum exitum, & finem quem vitia ſunt habitura,non dubito,quin contra ictum fluminis reſiſteret,nec permitteret ab impetu ſuæ ſenſualitatis rapi. *Procuraria de y agua arriba de ſus deſios y inclinaciones.* Hoc ſignificare cùm voluiſſent antiqui, mulierem tauro inſidentem,ac per mare delatam, facie tamen poſt tergum conuerſa, & littus quod longè liquit reſpicientem depingebant. Significabant enim hac hieroglyphica loquutione, animam hominis, à propria ſenſualitate per huius mundi pelagus & per varia vitiorum pericula deferri. At quòd ipſa annuat, & conſenſum præbeat, ex eo prouenit, quòd faciem habet conuerſam,& animæ ſuæ diſcrimina non intuetur. Ferebatur quidem Dauid per mare libidinis à ſuis prauis cupiditatibus arreptus,qui faciem à Deo habebat auerſam,nec periculum animæ ſuæ contemplabatur:cui Deus aperuit oculos, & dedit illi intelligentiam, vt reſipiſcerat, & à via voluptatum greſſus aduerteret, & ideo Pſalmus hic *intelligentia Dauidi*, eſt nuncupatus.

Cælius. Auguſt. lib.59.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Hinc eiicere poſſumus quanti pœnitētiam facere debeamus,quàm digna ſit laude,& ad cælos vſque efferenda. Siquidem de illa illud Maronis dicere poſſumus: *Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.* Habet enim pœnitentia cùm Deo imperium in hoc diuiſum: quòd ſicut Deus beatificat in cælo,ſic in terris pœnitentia. Solus Deus beatificat in cælo iuſtos:& ſola pœnitentia beatificat in terra peccatores. Quia ſine pœnitentia nullus hîc poſt peccatum beatus eſſe poteſt. In hoc tamen diſtinguuntur huiuſmodi beatitudines,quod altera eſt in poſſeſſione,altera verò in ſpe, illa in patria,hæc in via. Ille enim, qui veram peccatorum ſuorum pœnitentiam agit, iam beatitudinis viam ingreſſus eſt,quare in ſpe beatus appellatur. Exemplo hoc manifeſtius fiet. Contingit aliquem Epiſcopum deſignatum eſſe, licèt nondum conſecratus fuerit:qui tamen Epiſcopus dicitur,ſicut ille, qui iam conſecratus eſt, & eadem illi impenditur reuerentia, non tamen reditu ſui Epiſcopatus fruitur, quouſque conſecrationem accepit & Epiſcopatus ſui poſſeſſionem: ſic nimirum beatus vterque dicitur,& ille,qui beatitudine gaudet in patria,& qui pœnitentiam agit in via:licèt alter conſecratus ſit,alter verò minime; alter reditibus gloriæ & cæli ſtipendiis gaudet, alter in poſterum ſe gaudere ſperat. Miſeria & beatitudo vt de ſe conſtat,ad inuicem opponuntur,ſed peccator

Pœnitentia virtus commendatur.

Beatitudo duplex.

Simile.

Digitized by Google

cator adhuc in via exiſtens miſer eſt,& ſuo modo infernum habet. Quia ſicut inquit Salomon: *Miſeros facit populos peccatum*: ergo ſi peccator miſer eſt, iuſtus cuius peccata ſunt remiſſa beatus erit. Hæc igitur eſt huius virtutis, quæ ad iuſtitiam punitiuam ſpectat,excellentia & præcipua laus, quòd in terris,idipſum,quod in cælis Deus,operatur, homines beatificans & ab æternæ damnationis miſeria liberans. *Niſi pœnitentiam egeritis*, inquit Redemptor noſter,*omnes ſimul peribitis*. Et in hoc ſola eſt, neque ſequentem habet pœnitentiæ virtus. Nam licet amor aliquando & dilectio ſuper omnia, potens ſit ad remittenda peccata,ſicut cum Scoto in quarto aliqui Scholaſticorum tenent. Quod patet in martyre, qui pro Chriſto ſanguinem ſuum fudit: qui quamuis tempore martyrij actualem peccatorum dolorem non habeat, tamen propter ignitam charitatem & ſummam dilectionem,qua morti ſe offert vltroneus, peccata ei condonantur:ſed hæc condonatio non omnino à pœnitentia aliena eſt,quia in illo charitatis actu virtualiter continetur pœnitentia. Sine illa enim impoſſibile eſt remitti peccata,ſicut & in Tridentino Concilio decernitur. Sed ex Pſalmo 33. hoc ipſum poteſt colligi, vbi interrogat Pſalmiſta: *Quis eſt homo,qui vult vitam,& diligit dies videre bonos?* ac ſi diceret:quis eſt homo, qui velit eſſe beatus? & ſtatim conditiones ſubdit: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum.* Inter alias conditiones neceſſarias apponitur, à malo diuertere. Peccatum enim eſt auerſio à Deo,& conuerſio ad creaturas:auerſio à bono incommutabili,& conuerſio ad bonũ commutabile, cui per culpam adhæret peccator, à quo diuertere debet per pœnitentiam & peccatorum deteſtationem,vt bono incommutabili adhærere poſſit,& vitam æternam poſſidere.

Prou.14. *Luc.13.* *Scotus in 4. diſtin. 14.q.2.* *Seſſio. 6. canone.* *Pſal.33.*

Sed vt ad peccatorem ipſum affectum noſtrum & ſermonem conuertamus,quis non in maximam rapiatur admirationem,videns illius væcordiam, & in agenda pœnitentia pigritiam? quis non admiretur,quod cùm à Deo per peccatum ſit auerſus, & ab illo æterno & incommutabili bono ſegregatus, nihil minùs cogitat, quàm ad illum per pœnitentiam conuerti? De hoc ipſe Deus per Hieremiam Prophetam ſimul conqueritur, & miratur (noſtro intelligendi modo, nam ipſe admirationis capax non eſt.) *Nunquid,qui cadit non reſurget,& qui auerſus eſt à via non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus meus à me auerſione contentioſa?* Vix enim quis in terram vel in ſterquilinium cecidit, quando ſtatim reſurgens

Non immorandũ in peccato. *Hiere. 8.* *Simile.*

Digitized by Google

maculas veſtium, ſiue puluerem, ſiue lutum, abſtergit & excutit: & qui aliquam petit ciuitatem, Romam, aut Toletum, ſi ignorans à recto itinere declinauit, quàm primùm id intellexerit, ad verum iter reuertitur: ſi ergo peccator cadit per culpam, quare non reſurget per pœnitentiam? Si ab illo auerſus eſt, qui de ſeipſo dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita:* & alibi; *Nemo venit ad patrem niſi per me*, quare non ſtatim ad veram viam per peccatorum deteſtationem reuertetur? è quod magis mirari debes, non ſolùm non reuertitur, verùm auertitur auerſione contentioſa, diuinis vocationibus reſiſtendo, & auxilia gratiæ eius, quibus reducere illum conatur, repellendo.

Ioann. cap. 14.

Duabus de cauſis ſolent aliqui ab agenda pœnitentia retrahi; alij, quia diuinam prouidentiam negant, & iudicium futurum eſſe minime credunt, de quorum numero ille erat de quo in Pſalmo nono dicitur: *Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius.* Contra quos inuehitur Iob decimonono dicens: *Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe iudicium.* Et bene gladij meminit, quia gladius ad iudicem ſpectat, iuxta illud: *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Quod ſi iudicium eſt, ergo & prouidentia: quia non poteſt iudex de his quæ ignorat, iudicare. Alij verò, etſi credant, retrahuntur tamen infirmitate carnis, quæ crucem refugit, & omnia aſpera & pœnalia deteſtatur, longam ſibi vitam promittit, & pœnitentiam de die in diem differt, quos tamen Eccleſiaſtici, capite quinto, alloquitur dicens: *Ne dicas in corde tuo, peccaui, & quid mihi accidet triſte? ſubitò enim veniet ira illius, & diſperdet te*, & ſecunda Petri tertio dicitur: *Non tardat Deus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter nos: nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti.* Sed vtrumque egregius ille pœnitentiæ prædicator Ioannes, excluſit ſua prædicatione dicens, Lucæ tertio: *Genimina viperarũ, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* Prouidentiam & iudicium per superuenturam iram intelligit, & ne quis differat pœnitentiam hortatur, cum præ foribus vindicta illa diuina appareat: *Iam enim*, inquit, *ſecuris ad radicẽ eſt poſita.* Si ergo nos cùm Catholici ſimus & fideles, iudicium futurum eſſe credimus, vindictámque ſuper peccatores celeriter peruenturam non ignoramus: quare deſidia, mortiferaq; pigritia quaſi compedibus

Pſal. 9.

Iob 19.

Rom. 13.

Eccleſ. 5.

2. Petr. 3.

Luc. 3.

pedibus

Digitized by Google

libus ferreis detinemur? Quare peccatorum noſtrorum de-
am ſatisfactionem non perſoluimns? quare oculorum no-
orum lachrymis, macnlas mentis non abluimus quid expe-
ıs ô peccator? quid cogitas in futurum facere? quo concilio
decernis? aperi oculos mentis,& vide diuinæ vltionis ſecu-
n ſuper caput tuum minitantem. Audi quid Regius Pſaltes,
nes ad pœnitentiam inuitans ſimul & comminans, dicat: *Pſal. 7.*
iſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum
endit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis, ſagitas
as ardentibus effecit. Gladium diſtrictum manu tenet,& ar-
m diſtentũ,vt nemo ſecuritatem ſibi promittat.Gladio nam-
ıe propinquum nobis percutimus,arcu verò, procul exiſten-
. Senex naturaliter morti,& iuditio vicinior eſſe videtur iu-
ene, qui quaſi à lõge mortẽ ipſam reſpicit:ſed neuter illorum
curus eſſe poteſt: quia,ſicut gladio ſenem, ſic arcu iuuenem
eus ferire nouit, quare nullus de illius armis eſt ſecurus.

Nullus ſecuritatem ſibi promittat.

Et quia de pœnitentia nobis eſt ſermo, operepratium erit
enitentiam diſtinguere. Pœnitentiam enim hic dicimus,
on cuiuſlibet pœnæ tolerantiam, prout vulgus dicere ſolet,
ui tũc aliquem iudicat agere pœnitentiam,cùm ieiunat,orat,
arnem ſuam flagellis cruciat, aut circa alia aſpera ſe exercet.
Non enim hîc loquitur de hac pœnitentia, Hæc enim potius
pars integralis pœnitentiæ eſt, quàm pœnitentia ipſa,neque
huius laudes in præſenti Pſalmo effert Dauid, quia hæc non
tanti momenti eſt, quòd per ſe peccata remittere poſſit. Non
enim exterioris pœnæ tolerantia (ſi interior pœnitentia deſit
culpas remittere,aut peccata delere ſufficit. Quia ſi ſola pœnæ
tolerantia eſſet: nullus hominum dæmonibus ipſis pœniten-
tior eſſet, quippe qui perpetuis cruciatibus inceſſanter affli-
guntur. Extat namque vera ſententia illa Diui Pauli 1.Cor.13. *1.Cor.13.*
Si tradidero corpus meum ita vt ardeat, charitatem autem non
habuero, nihil prodeſt. Quam charitatim, qui pœnitentiam
non egerit,nullatenus habere poteſt. Quod quidem, manife-
ſtè probat locus ille Iſa.cap.58. Vbi cùm Iudæi quærerent, ac *Iſa. 58.*
dicerent: *Quare ieiunauimus & non aſpexiſti, humiliauimus*
animas noſtras & neſciſti? reſpondet Deus: *Ecce in die ie-*
iunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores ve-
ſtros repetitis. Et poſt pauca ſubdit: *Nunquid tale eſt ieiunium*
quod elegi, per diem affligere hominem animan ſuam? Nunquid
contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem
ſternere? Ecce his verbis Deus omnẽ corporis afflictionẽ, quã
animę virtus non cõmitatur,inutilem eſſe oſtendit ad veniam.

Pœnitẽtia dupliciter diſtinguitur.

Digitized by Google

At quid enim, inquit, veſtra ieiunia, orationes, & eleemoſynæ? Ad quid caput præ macie, quaſi hominis cruci affixi contorquere, ſi inuenitur voluntas veſtra? Si adhuc in veſtra deprauata voluntate perſiſtitis? *Si toda dia eſtays en vueſtras treze.* Et pœnitentiam delictorum non agitis? Itaque habemus ex his quòd omnes pœnalitates exteriores, ſine interiori reſipiſcentia, ad culpam remittendam non ſufficiunt. Vera igitur pœnitentia quæ peccata remittere poſſit, eſt animæ dolor interior, & vitæ anteactæ tædium. Certum eſt enim, quòd medicina in loco vulneris apponi debet, ſed peccati vulnus exiſtit in anima, iuxta illud quod habetur Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta blaſphemia, falſa teſtimonia*; Ergo animæ, medecina adhibenda erit. Quorſum igitur corpus flagellatur, ieiunio & pœnitentia affligitur, ſi vulnus in corde latens derelinquitur, neque illi cõtritionis medela applicatur? *Scindite corda veſtra & nõ veſtimenta veſtra, conuertimini ad Dominum*, inquit Ioel. c. 2. Eſt enim corpus nil aliud, quam animæ veſtis, iuxta illud Pauli: *Nolumus ſpoliari, ſed ſuper veſtiri:* inquit ergo Ioel. *Scindite corda veſtra*, contritione, & pœnitentia, peccata deteſtando, *non veſtimenta*, id eſt, corpora veſtra, laboribus, & vigiliis vexando quia exterior iſta pænitentia ſine interiori, nullius valoris eſt.

Matt. 15. *Ioel. 2.* *2. Cor. 5.*

Vnde fratres chariſſimi, conſilium hoc accipite, quod animabus veſtris ſaluberrimum futurum eſſe non dubito. In hoc quadrageſimæ tempore, ſtatim abſque vlla mora, peccata veſtra confitemini, & corda veſtra pœnitentia conterite: ne ieiunia, orationes, eleemoſinæ, & reliqua omnis virtutis opera in quibus exercemini, inutilia & infructifera ſint vobis. Peccatum námque omne meritum deludit, & operum noſtrorum valorem deſtruit. Sicut enim ſolo corde Deus offenditur, ſic eo ſolo placatur. Nil Deum offendit niſi cor, quare ab eo ſatisfactio debet oriri, vt ibi applicetur medicina vbi morbus viget. Prouerb. 20. dicitur: *Liuor vulneris abſtergit mala, & plaga in ſecretioribus ventris.* Solet apoſtema percuti à chirurgo, vt inde omnis eius ſanies exeat & effundatur: & hoc eſt quod dicit; *liuor vulneris abſtergit mala.* Sic *plaga in ſecretioribus ventris:* ventris appellatione mentem intelligit, iuxta cuiuſdam doctoris interpretationem. Quare ſenſus eſt: quod ſicut apoſtema percutitur, vt ſanetur, ſic mens interiori vulnere percutit decet, vt à peccatorum ſanie & veneno liberetur. Quãdo quis magnum aliquod facinus committit, diſponunt leges, quòd in eodem loco, vbi facinus commiſum eſt, puniatur

Quæ ſit vera pœnitentia. *Prou. 20.* *Simile.* *Simile.* *Nota.*

r.Furem quem iudex appræhendit, qui imaginem Deiparæ
rona & veſtibus ſpoliauerat, in eodem loco, vbi delictum
trauit,furca ſuſpendit.Sic nimirum decernit Deus, quòd in
dem loco iuſtitiam & ſupplicium peccator exerceat, quo
imen patratũ eſt, & quia corde peccatur,cordis punitionem
ſupplicium, quod per contritionem fit, à peccatore exigit:
*ɟiere Dios que ſe haga tribunal del coraçon,y que aya alli
rca y cuchillo,a cuyos filos muerada la culpa,ſiendo el peecca-
r vn voluntario verdugo de ſi miſmo.* Cùm Rex Dauid ad *2.Re. 12.*
cem Nathan,illum de peccato arguentis,de corde protuliſ-
illud,*peccaui*,ſtatim audiuit ab eodem Propheta: *Dominus
tranſtulit peccatum tuum à te:*at cùm ad vocem Samuelis ar- *1.Re.15.*
entis Saulem, eo quòd præceptum Domini eſſet tranſgreſ- *2.Mac.9.*
,idem,*peccaui*, Saul reſpondiſſet, veniam criminis non eſt *Vera, & ficta pœnitentia.*
eptus. Rex etiam Antiochus de cœlo diuinitus percuſſus,
ccata ſua confeſſus eſt, de quibus amarè videbatur dolere:
tamen ei non fuerunt remiſſa:*Orabat*, inquit, *ſceleſtus Do-
num,à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Quid ergo
ſæ eſſe potuit, quod iſti remiſſionem peccatorum non in-
nerunt,quam tamen Dauid,tam citò inuenit?nil aliud certè,
i quod Saul & Antiochus, non in locó criminis iuſtitiam &
pplicium exercuerunt. Crimen enim commiſſum, fuit in
rde,ipſi verò pœnitentiam ſolum habuerunt in lingua.Non
im ex corde doluerunt, neque vera fuit eorum pœnitentia
contritio,& ideo miſericordiam non ſunt adepti. At Dauid
ctus,ſicut corde peccauerat, ſic corde ad Deum eſt conuer-
.De corde eius adulterium & homicidium exierat,& in eo-
m loco vindictam facinorum ſuorum ſumere decreuit. Sic
naque ipſe fatetur Pſal.37. *Afflictus ſum,& humiliatus ſum* *Pſal. 37.*
*nis,rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne de-
ſerium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus, cor
um conturbatum eſt.* Ecce quod corde commiſit, corde ſol-
:& ideo miſericordiam conſequutus, peccata eius remiſſa,
niquitates tectæ.Quare dicere nunc potuit: *Beati quorum
miſſa ſunt iniquitates.*

Et quorum tecta ſunt peccata. Magnum eſt quod hîc dici- *Peccatũ ſe ipſum prodit.*
: quia nihil difficilius peccato operitur. Etiamſi magis ac
gis tegere illud ſtudeatis: tamen ipſum ſeſe manifeſtat &
endit: *Luego peſtañea.* Quid non fecit Adam parens no-
r,vt peccatum ſuum abſconderet, & præ verecundia oculos
inæ maieſtatis fugeret? Ficulneam ſpoliauit, vt ex foliis *Gen. 3.*
s nuditatem ſuam operiret,fugit à facie Domini,& abſcon-
dit ſe

Digitized by Google

dit ſe intra arboris concauum, delictum ſuum excuſauit, in mulierem culpam retorquendo: ſed omnia hæc fruſtra excogitauit. Erat enim aquam haurire cribro, & tempus inaniter conterere. Quia quantó magis ſe abſcondere conabatur, tanto magis denunciabat eum culpa. Ipſum ſe abſcondere, nihil aliud quàm euidens peccati ſui manifeſtatio erat, quia ignorantiam fatebatur, quam contraxerat ex peccato. Niſi enim deliquiſſet, nunquam inſipienter crederet, quod lucidiſſimos Dei oculos effugere poſſet, quia *oculi Domini lucidiores ſunt ſuper ſolem, & contemplatur bonos & malos*, vt Salomon inquit. Sed ad Cainum filium eius deueniamus, qui cum mortem Abel fratris ſui machinaretur: *Quando andaua enhilando la muerte de ſu hermano*, maxima afficiebatur triſtitia, quem Deus ſic eſt alloquutus: *Quare triſtis es, & quare concidit vultus tuus? Nónne ſi bene egeris recipies, ſi autem male, ſtatim peccatum tuum in foribus apperebit*? Apparere præ foribus, eſt ſeipſum manifeſtare & oſtendere. Peccatum enim neſcit latere domi, ſed ſtatim vt committitur, ad ianuam vel feneſtram apparet, & ſeipſum manifeſtat: & quando ipſum peccatum latere vellet, Deus reuelaret illud: vt peccator ſaltem verecundia confuſus reſipiſceret & pœnitentiam ageret. Per Nahum enim Prophetũ ſic inquit: *Reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* O bone Deus, quanta peccatores committunt eò quòd credant, ſibíque perſuadeant occulta fore, nullíque hominum cognita, quæ tamen Deus reuelat & propalat! vt ignominia & contumelia pleni, facies eorum confundantur, & pœnitentiam amplexi, in meliorem frugem ſe recipiant. Stat enim verbum quod nullatenus poteſt deficere: *Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non ſciatur.* Sola enim pœnitentiæ virtus hoc gaudet munere, quod peccata operire poteſt, quia pœnitentiam charitas comitatur, de qua dicitur: *quod operit multitudinem peccatorum.* Quare Apocalyp. primo habetur: *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus appareat, & videant turpitudinem eius.* Quodnam eſt veſtimentum, quod animæ turpitudinem tegit, & cooperit nuditatem, niſi charitas, quæ veſtis nuptialis appellatur? Hanc autem ſine pœnitentia peccator habere non poteſt: *Beatus ergo vir pœnitens cuius tecta ſunt peccata.*

Eccl. 23. *Gen. 4.* *Nahũ 3.* *Luc. 12.* *1. Petr. 4.* *Apoc. 1.*

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Ei non imputatur peccatum, inquit Diuus Gregorius, qui Deum præueniens

D. Greg.

Digitized by Google

niens ipſe ſibimet peccatum ſuum imputat. *Que ſe haze pri-* 1.Cor.11.
ero cargo à ſi miſmo. Si nos ipſos iudicaremus, non vtique iu- Simile.
caremur, inquit Diuus Paulus. Cùm religioſus aliquis cul-
m commiſit, ſolet à ſuo guardiano vel priore petere, vt cul-
m illam corrigat, & debitam ei pœnitentiam iniungat: ne
rtè cùm ſuperior iudex tēpore viſitationis aduenerit, acrio-
ſupplicio illum puniat, quòd ſi ſibi facultas daretur iudi-
ndi & corrigendi ſeipſum, & quod in ſecreto cubiculo de
vindictam ſumeret: maior vtique miſericordia eſſet,
iam nullatenus rationis compos recuſaret. In hoc igitur
it diuina miſericordia, qua Deus peccatorem proſequitur:
iòd illi facultatem tribuat, de ſeipſo vindictam ſumendi.
ullum enim malum inultum debet remanere: quia cuicum- *Nullum*
ie facinori, ſupplicium debitum, vel in præſenti, vel in fu- *malum*
ro correſpondere debet, aliàs eſſet contra rectitudinem di- *inultum.*
næ iuſtitiæ: ſed tamen electio datur peccatori, & ad libi-
m eius derelinquitur, vtrum hîc vel in futuro peccata ſua
nire velit. Poteſt enim diuinam præuenire iuſtitiam ſe-
ſum iudicando, & de peccatis ſuis pœnitendo. Hoc conſi-
vſus fuit patientiſſimus ille Iob. *Peccaui*, inquit, *quid fa-* Iob 7.
m tibi, ô cuſtos hominum? cui quæſtioni, quam inſolutam
iquit, alibi reſpondet, dicens: *Dimittam aduerſum me elo-* Iob 10.
ium meum, loquar in amaritudine animæ meæ: dicam Deo,
oli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices? Quaſi
cat: etſi ſciam Domine, & non me lateat, quod iudex viuo-
m & mortuorum ſis, & nemo hominum ſit, qui ante tribu-
l tuum non teneatur apparere, tamen hic eſt ordo diuinæ
æ prouidentiæ: quòd eadem peccata non niſi ſemel punian-
r, nec multiplicetur cuiuſquam ſupplicium. Si ergo me-
etipſum ego ſemel iudicaui, & debitam delictorum vindi-
am ſumpſi: indica mihi cur me ita iudices? quia hoc contra
am rectiſſimam ordinationem eſſe videtur. Vſus etiam fuit
oc conſilio Dauid, in ſeipſo quæ commiſerat vindicando, &
ccata ſua amare flendo: *Exitus aquarum, inquiebat, dedu-* Pſal.118.
runt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Quapro-
er Pſalm. 118. confidenter petebat: *Iudica iudicium meum,* Pſal.118.
redime me, id eſt, vide iudicium meum quo memetipſum
dicaui, & redime me. Vbi gloſſ. & Doctor. Incognitus ſic ha- *Doctor*
t. Quia Deus videt quòd meipſum iudico, ideo me redi- *Incogn.*
it à peccato. Vbi ſummopere aduerte, quod huius iudicij
præſenti ſolùm eſt tempus, non in futuro. De quo iudicio
D.Greg.

Digitized by Google

D.Greg. D.Greg.25.Moral.cap.6.illum locum Iob explicat,cap.34. *Ne-*
Iob 34. *quaquam enim vltra in hominis eſt poteſtate,vt veniat ad iu-
dicium*.Verba eius ſic habent. Hic nimirum, non illud iudi-
cium deſignatur, quod per æternam retributionem punit, ſed
quod mente conceptum per conuerſionem diluit.Et quod eſt
1.Cor.11. illud iudicium? Niſi de quo Apoſtolus dicit:*Si noſmetipſos iu-*
Pſal.98. *dicaremus,non vtique iudicaremur*. Et de quo dicit Pſalmiſt.
Honor Regis iudicium diligit, vt videlicet,qui iam Dominum honorat ex fide, ſolicitè conſideret quid ei debeat in operatione. Et alibi dicitur:*Iudicare coram Domino & expecta eum.* Coram Domino iudicatur, qui corde Dominum conſpicit,& actus ſuos ſub eius pœnitentia ſolicita inquiſitione diſcernit, quem tanto ſecurius quiſque expectat, quanto quotidie vitam ſuam ſolicitus examinat. Qui enim ad extremum iudicium eius venit,nec iam coram illo,ſed ab illo iudicatur.Debet ergo vnius cuiuſque mens, & cauſas ſuas apud Dominum, & cauſas Domini contra ſe, ſolicita inquiſitione diſcutere,debet cautè penſare, vel quæ bona ab eo percepit,vel quæ mala bonis illis, peruerſè viuendo reſpondit: quod electi facere quotidie non ceſſant. Accedunt enim ad ſecretarium iudicis, intra ſinum cordis conſiderant, quàm diſtrictè quandoque feriat, qui diu patienter expectat: metuunt in his,quæ ſe egiſſe meminerunt, & puniunt flendo, quod ſe perpetrâſſe intelligunt. Adhuc D.Gregor.Quod ſi ita eſt fratres,hîc peccata noſtra iudicemus,hîc vindicemus quæ commiſimus crimina,& ſeueriſſimum illud iudicis tribunal non expectemus, in quo duriſſima ſententia contra peccatores ferenda eſt:ſed ipſum iudicem præuenientes, peccata noſtra vindicemus, & omnium culparum,quas commiſimus,debitam ſatisfactionem agamus,ne in poſterum nobis imputentur,quin potius per pœnitentiam hîc dimiſſis gratiam conſequamur & gloriam.

CONCIO SECVNDA.

Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea,dum configitur ſpina.

REMEDIVM hominis peccatoris poſt lapſum in culpæ confeſſione conſiſtit. Quod quidem adeò neceſſarium eſt, quòd ſine illo nemini vnquam cæli ianuæ

nuæ patefactæ ſunt. Et hinc ortum habet, quod Angeli pec-
itum irreparabile ſit, quia nimirum voluntas eius eſt inflexi- *Voluntas Angeli inflexibilis quia adhæret immobiliter.*
lis, & quod ſemel apprehendit, immobiliter amplectitur. Ad-
ęret enim immobiliter, neque in alteram partem flecti po-
ſt. Quare pœnitentiæ non eſt capax, ac per conſequens, cul-
m ſuam agnoſcere, vel confiteri, neſcit. Significatum fuit, &
irificis coloribus depictum hoc rebelle Angeli arbitrium,
is verbis Iob, quæ habentur capite quadrageſimo primo. *Cor*
us indurabitur quaſi lapis, & quaſi malleatoris incus ſtringe- *Iob 41.*
n. Cor Dæmonis, per quod voluntatem eius intelligit, duriſ-
no lapidi comparat, neque hoc ſolùm contentus fuit, quia ſi
ırities eius lapides nō excederet, poſſet à virtute diuini ver-
conteri, quia vt inquit Dominus per Ieremiam. *Verba eius* *Iere. 23.*
ut ignis, & quaſi malleus conterens petras. Quare addit in- *Simile.*
di malleatoris eſſe perſimile? Habet hoc peculiare incus,
ıòd quanto magis malleo percutitur, tanto magis induratur:
: Dæmonis ingenium nullis ictibus perſuaſionum, nullis cō-
ſſionibus ſuppliciorum delinitur: ſed ſemper in eadem duri-
:, & obſtinatione perſeuerat. Hinc fit, quod deſcendente Deo
paradiſum, ad puniendam tranſgreſſionem culpæ, licet ante
:am ſententiam, Adam, & Euam interrogauerit, ne cōtra in-
ditam partem ſententiam proferret: at ſerpentem nihil in-
rrogauit, ſed ſtatim contra eum ſententiam protulit. Ratio
ıius eſt quam Richardus & Theodoretus reddunt, quia ni- *Richard.*
irum ſerpens pœnitentiæ & cōfeſſionis capax non erat. Sem- *Theodor.*
r enim Diabolus in prima obſtinatione perſeuerat, quia *quod*
ud hominem mors, hoc apud illum peccatum efficit, inquit An- *Anſelm.*
lmus. Nam ſicut poſt mortem homo de peccatis commiſſis
enitere fructuosè non poteſt, ita neque poſt peccatum An-
:lus. Hoc quoad Angelum: verùm homo facilius habet arbi-
ium, & voluntatem in vtramque partem flexibilem. *Cor re-* *Prou. 21.*
s, inquit Salomon, *in manu Domini, quocunque voluerit ver-*
t illud. Cor hominis, quem Deus regem cunctarum creatu-
rum conſtituit, in manu, id eſt, in poteſtate ipſius Dei eſt,
ıare quocunque voluerit vertet illud, non vim inferendo,
l alliciendo, & inſpirando. Et appoſitiſſima eſt ſimilitudo,
ıam ibi Salomon adducit. *Sicut diuiſiones aquarum,* inquit,
eſt, ea facilitate, qua aqua ſcindi ſolet. Poteſt etiam cor
ominis verti ſicut aqua. Quia ſicut aqua, vel ad dextram, *Caietan.*
l ad ſiniſtram, nulla difficultate duci poteſt: ſic cor ho-
inis ad vtramuis partem. Et huc ſpectat illud Saluatoris

Digitized by Google

Ioan. 11. Ioannis vndecimo. *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* quaſi dicat. Cor hominis vas eſt boni & mali capax, nunquam in eodem ſtatu permanens, ſed modò ad hanc, modò ad illam partem declinans: ſi heri volebant me lapidare, hodie forſitan me
Peccatorum confeſſio. recipient, & ſententiam mutare decernent. Conſiſtit igitur tota animæ noſtræ ſalus in hoc, quod voluntas eius pœnitentiæ, & confeſſionis eſt capax, illud quod prius fuerat amplexa, de-
Iob 7. teſtando. Patientiſſimus ille Iob aiebat: *Peccaui. Quid faciam*
Iob 10. *tibi ô cuſtos hominum?* cui quæſtioni alibi reſpondere videtur, dicens: *Dimittam aduerſum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ.* Quaſi dicat, nullum aliud poſt culpam mihi ſuppetit remedium, quàm meipſum accuſare, &
Oſea 4. palam peccata mea confiteri. Oſeas capite quarto, Iſraëlem alloquens, inquit: *Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua, tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum.* Suadet Iſraëli, vt ad Dominum conuertatur & modum conuerſionis illi tradit dicens: *tollite vobiſcum verba*, ne muti ſitis ad confitenda peccata veſtra, ſed contra voſmetipſos verba ſumentes, illa coram Deo con-
Figura. fitemini. Leuitici decimo tertio, præcipiebat Deus, quod ſi
Leuit.13. aliquis per ignorantiam peccaret, capram immaculatam offerret, & eam ſacrificaret pro peccato ſuo: & quod tempore ſacrificij manum ſuper ipſius capræ caput, apponeret: & interim ſacerdos ſanguine animalis cornua altaris vngebat. Itaque, duo notabilia in hoc fiebant ſacrificio, alterum quod ſanguine ſacrificij altare vngebatur, quaſi ad placandum Deum offenſum ſanguine illo, alterum, quod peccator ſuper caput hoſtiæ manum ſuam ponebat, tanquam qui peccatum ſuum recognoſceret, & coram omni populo illud confiteretur. Quo facto ſacroſanctum pœnitentiæ myſterium adumbratur. Requiritur enim, primo ſanguis Chriſti, qui fuit vera hoſtia, & ſuper crucis altare ſanguinem ſuum fudit, illúmque patri obtulit. Quod quidem remedium, licet quoad ſufficientiam fuerit validiſſimum, ſed non quoad efficaciam, niſi peccator ſuper caput hoſtiæ manum ſuam admoueat, peccata ſua deteſtando, & confitendo. Peccante enim Adamo parente noſtro, *en adeſt Deus deambulans ad auram per paradiſum, illum vocitans: Adam vbi es? vbi es Adam?* Quæ verba nullam in Deo ignorantiam ſignificant: (ſciebat enim optimè vbi nam eſſet) ſed potius ſummam miſericordiam, & deſiderium ſuæ conuerſionis. Fuit illi occaſionem tribuere,

vt pecca

Digitized by Google

t peccatum ſuum confiteretur. *Fue vn dalle el pie para con-ſſar ſu culpa.* Idem in Caino filio eius reperies. Cùm enim Geneſ.4. atrem ſuum interfeciſſet, Deus ad illum interrogandum ve-it dicens: *Cain vbi eſt frater tuus Abel?* Sciebat enim, vbi ſſet, qui vocem ſanguinis eius audierat: En ſanguis fratris i clamabat ad me de terra, dicebat: ſed interrogauit illum de atre, vt occaſionem illi offerret facinus confitendi: & quia ud negauit indignum miſericordia diuina ſe fecit, & acri-r fuit punitus. Longè illo prudentior fuit Lamech, primus Lamech undi bigamus, qui cùm homicidium perpetraſſet, palam primus ram vxoribus ſuis illud eſt confeſſus. *Audite me vxores La-* Bigamus *ech,* inquit, *quoniam occidi virum in vulnus meum, & ado-* Geneſ.4. *lentulum in liuorem meum: ſeptuplum vltio dabatur de in, de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Circa hunc locum cunt Hebræi, vt Lyranus refert: quod Lamech erat cæcus, Lyranus. venationi addictus, quem paruulus manu ducebat, & in natione miniſtrabat: cùm ergo Cain, quaſi profugus in uis moraretur, & quadam die circa arborem latitaret, pue-lus Lamech, arcum eius contra ipſum Cain, exiſtimans ali-iam eſſe feram, direxit. Vnde nolens, illum occidit. At poſt-am rem factam aduertit, ad puerum conuerſus, illum etiam excandeſcens, pugno interfecit. Et hoc eſt: *Quoniam oc-li virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem um.* Et ſubdit: *Quoniam ſepties vltio dabitur de Cain,* qua-liceret: Neque exiſtimetis vellem, ô chariſſimæ vxores, od cuiuſquam timore perterritus, ad huiuſmodi confeſſio-m faciẽdam ductus ſim. Neminem enim timeo, cùm Deum otectorem habeam. Quare, ſi de Cain ſepties Dominus vin-cabitur, iuxta illud quod ei dictum fuit; *Qui occiderit Cain tuplum punietur,* multo magis de me vindictam ſumeret, ſi is contra me aliquid attentauerit. Non ergo timore alicuius minis, ſed Dei, peccata mea confiteor. Itaque, Lamech in eno capite periculum faciens, videns Cainum propter nega-nem criminis ſeuerè fuiſſe punitum, peccatum ſuum palam nfitetur. Sed, vt ad Dauidem conuertamus ſermonem, licet iã Hetheum inſidiis interfeciſſet, & cùm Berſabe vxor eius ılterium commiſiſſet, tam male hoc remedio in principio is fuerat, quòd peccata ſua neque agnoſcebat, neque cõfite-ur, quin potiùs pro viribus ocultabat. Quia vt inquit Lyra- Lyranus. s, ſacrificia quæ diſponebat lex, vt pro huiuſmodi ſceleribus tẽplo offerrentur, cautè, ne iudicaretur peccator, omittebat.

Obmutuerat præ verecundia, & confuſionis velamine cooperuerat vultum, ne peccata ſua fateretur, vnde illius virtutes, quæ per oſſa intelliguntur, ſenſim debilitate ſunt & corruptæ, & quod tunc præ verecundia confiteri non eſt auſus, nunc præ cordis contritione, libenter confitetur, dicens: *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea.*

Peccatorum confeſſio.

Quod ſi iſtius tacere in cauſa fuit, quòd oſſa eius corrumperentur, & vulnera inueteraſcerent: bone Deus, quot oſſa inueterata, quot vlcera corrupta & putrefacta erunt in hoc auditorio: quot erunt homines, qui per annum integrum, (& vtinam non amplius) tacuerint, ſuáque peccata abſconderint. Videtur ne vobis, quàm optimus oſſium corruptorum cumulus coaceruari poſſet, vt alium, inſtar Ezechielis campum plenum oſſibus aridis, referre videretur? Et quod magis mirandum eſt, quòd cùm remedium ſit tam facilè, confeſſio ſcilicet peccatorum, ore namque ſuo & lingua, ſicut canis, poteſt propria vlcera lambere, & tamen obmuteſcit peccator, nolens tam facili remedio vti. Quid ad hoc dicemus fratres? cuius opus hoc exiſtimandum erit, niſi dæmonis? qui verecundiam quam abſtulit ad committendum, modò ad confitendum reſtituit. Quod vel ex hoc conſtare poterit, quòd cùm peccatum coram duobus, vel tribus, vel fortè pluribus teſtibus commiſeritis, abſque vlla verecundia, & timore: modò vnico ſacerdoti confiteri, tantum verecundamini, & pertimeſcitis. Quando Dux aliquis arcem, vel ciuitatem obſidet, quàm primum omnes vias per quas illi auxilium venire poteſt, occupat: ne victualia, vel minutiones illi miniſtrent. Non ſecus Dæmon quando animam obſeſſam habet: vt ad poteſtatem eius deueniat, omnia remedij ſui itinera occupat, quibus deſuper illi auxilium poteſt contingere. Et ad hoc propoſitum explicat D. Hieronymus verba illa Pſal. 78. *Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam*, id eſt, eadem cura, & vigilantia, qua poma iam matura obſeruari ſolent. Sicut enim tempore autumni, quando ad debitam maturitatem fructus pomarij peruenerunt, ſolet olitor porticus omnes reficere & claudere, ne per illos pateat aditus ad furandum: ſic diabolus humanæ naturæ hoſtis, quando aliquem peccatorem, vitiis & peccatis plenum, & quaſi ad inferni ſupplicia iam maturum videt, maximam in illo obſeruando diligentiã adhibet: vnde omnes porticus & feneſtras claudit, oculos mentis excæcat, ne ſtatum ſuum videat, aures obturat, ne diuinas inſpirationes audiat, & os eius

Simile.

Hieron. ſuper Pſal. 87.

Nota.

Simile.

ɩs eius claudit, ne peccata ſua fateatur. Iob capite trigeſimo rimo. Tot labores, & plagas in ſeipſo expertus, cùm horum auſam cognoſcere non poſſet, dicebat: *Si abſcondi, quaſi homo, eccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam?* Ac diceret: forſitan quaſi homo, Domine, aliquod peccatum in nu meo retinui, vt propterea tot flagellis ſim percuſſus, & anta mala perpeſſus. D. Gregorius lib. 2. Moralium, cap. 12. & 4. Explicat illud, *quaſi homo* dicens, id eſt, *quaſi debilis*. Nam ebilem & effœminatum arguit animum, vlcera potius putreſcere permittere, quàm illa medico oſtēdere. Heu heu, quot nimæ hodie erunt plagis perfoſſæ, quot cōſcientiæ vitiis corɩptæ, quot corda quaſi ſepulchra fœtentia, vermibus & putreine ſcelerum ſuorum plena, eò ſolum ne detegantur, & conːſſori, ſiue potius Deo, cuius vices gerit, pateſiant. Vnum ex ıultis quæ Deus per Ezechielem Prophetam promiſerat, cap. 7. hoc eſt: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos e ſepulchris veſtris.* Quid enim aliud peccatoris corpus quā ːpulchrū animæ appellabis, in quo anima mortua iacet? Nam nima quæ peccauerit ipſa morietur. Eſt igitur corpus animæ ɩmulus, & fœdiſſimum ſepulchrum: vbi anima peccans, quaſi ɩmentum in ſtercore ſuo putreſcit: quare promittit Deus inːr alia egregia, quæ aduentu ſuo facturus erat, quòd etiā iſtoɩm mortuorum monumenta & ſepulchra ſit aperturus. Sed ad oc requiritur, quòd peccator obicem non ponat. Et ſi aliquid x ſua parte faciat, vt ipſi Deo cooperetur, tollendo lapidem ːpulchri, & os ſpeluncæ, per confeſſionem culpæ aperiendo. oſue 10. narratur, quòd cum quinque reges intra ſpeluncam atitarent, Rex inquam Hieruſalem, Rex Hierimoth, Rex Heɩron, Rex Lachis, & Rex Eglon, acceſſit Ioſue ad os ſpeluncæ ː dixit: *Aperite os ſpeluncæ, & educite quinque Reges qui in ea atitant.* Doctor Incognitus expendens illa verba Pſalm. 50. *Domine labia mea aperies*, inquit: quòd anima hominis peccaoris fouea quædam eſt & ſpelunca Dæmoniorum, vbi vitia, ː peccata latitant, præcipuè tamen quinque quaſi tyranni, vel Reges. Rex Hieruſalem, per quem *ſuperbiam* intelligit. Hieruſalem namque tantumdem ſonat, ac viſio pacifica, & ſuperbus e beatum iudicans, & iam Deo pacificè frui, credit. Rex Hierimoth, quæ dictio idem quod *ebrietas* ſonat, per quem gulam ıccipe. Rex Lachis, quod interpretatur *ſibimet vir*, quod eſt ıuaritia, quæ non alium præter ſeipſam cognoſcit, non patrem ıon matrem, nō filios. Rex Hebron, quod idem eſt, quod *conugium*, per quē regem, ſenſualitatem & venerem intellige, ad

Iob 31.

D. Greg.

Ezec. 37.

Corpus peccatoris tumulus animæ.

Ioſue 10. Figura.

Doctor Incognit.

Anima peccatoris ſpelūca Dæmonum.

Digitized by Google

voluptates ſemper inclinatam. Rex Eglon, quod *vitulus mœroris* interpretatur, iram ſignificans, quæ mœroris,& triſtitiæ cauſa eſſe ſolet. Cùm ergo anima ab his quinque tyrannis occupata eſt & poſſeſſa,verus Ioſue Saluator noſter Chriſtus, illam à tyrannide liberare cupiens, hos reges ſua diuina virtute foras mittit. Sed primum quod iubet eſt, *aperite os ſpelunca.* Aperi peccator os tuum per confeſſionem, vt hi crudeliſſimi

Prou.31. reges,qui in mente tua latitant,foras exire poſſint. Prouer.31. *Aperi os tuum,mute,& diſcerne quod iuſtum eſt,& iudica.* Sed quod nam ſit hoc iudicium iam ſuperius latè diſſeruimus. Et quia Dauid os ſuum non aperuit,neque ſeipſum iudicauit, ad tantum detrimentum peruenit, quòd modò dicat: *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea.*

D. Greg. Dubitatio. *Dum clamarem tota die.* Diuus Gregorius quandam difficultatem hîc mouet circa hæc Dauidica verba:Quomodo, inquit, hæc ſtare poſſunt & inter ſe cohærere , quod Dauid clamet & taceat,quod ſit mutus,& præco? ſi tacuit,quomodo totâ die clamauit? Si tota die clamauit,vt tacuit? Cui dubio reſpondet. Ille tacet & clamat, qui peccata ſua ſilentio contegit, merita verò per vocem magnificationis extollit. Et ad hunc

Solutio. Hieron. Aug. & Caſiod. ſenſum verſum hunc explicant diuus Hieronymus, Auguſtinus & Caſiodorus.Itaque ſunt aliqui,qui tacent quod non erat tacendum,& quod tacere deberent,voce præconis manifeſtãt.

Taciturnitas peccatorum vitioſa & propriarum virtutũ prædicatio noxia. Vitia ſua tacent,& merita, ſi quæ habent, tuba canentes ante ſe,omnibus nota faciunt. Thraſonem agunt, proprias laudes canentes,& ſuorum geſtorũ hiſtoriographi effecti. Vix enim opus aliquod virtutis in eis reperitur,& tamen nulli incognitum eſſe volunt.Cùm dicatur Matthæus ſexto:*Cùm facis eleemoſynam,noli tuba canere ante te.* Et quod de eleemoſyna dicitur, de omnibus aliis iuſtitiæ operibus intelligendum eſt. Quæ maior dementia excogitari poteſt, quàm medico, aut chirurgo brachium ſanum oſtendere,& illud quod percuſſum eſt,& putridum occultare? Sed dices, cuinam tanta dementia

Hypocriſis fugiẽda. contigit? Sunt enim huiuſcemodi (quod valde deplorandum eſt) non pauci Phariſæo illi ſuperbiſſimo ſimiles,qui dicebat: *Ieiuno bis in ſabbatho,decimas do omnium quæ poſſideo,non ſum*

Matt.6. Deut.15. *ſicut cæteri homines,raptores,homicidæ,adulteri.* Ecce quomodo quod ſanum erat manifeſtabat,& quod ægrotum & morbidum, abſcondebat Deuteronomio decimoquinto prohibuit Deus Iſraëlitis, ne primogenita ouium tonderent. Ouis, quæ nulli nocet,innocentiam ſignificat,iuſtitiam & bonitatem:vnde primogenitum ouis,eſt virtutis initium.Quare qui bonum

quod

Digitized by Google

quod facit aliis narrat, primogenitum ouis tondet, quia ſublato ſecreto, quo quaſi quodam vellere virtus ipſa tegebatur, tonſa poſt modum virtus manet. Prouerbiorum trigeſimoprimo de illa ſancta & forti muliere dicitur: *Laudent eam in portis opera eius.* Non inquit, laudent eam verba eius, ſed opera. Rex Ezechias, quia Babyloniis theſauros ſuos oſtendit, illos amiſit, quos Babylonij furati ſunt: ſic quam plurimæ virtutum, & meritorum diuitiæ amittuntur, eo ſolùm quòd publicantur. Hoc ſignificauit nobis patientiſſimus ille Iob, ſub quodam verborum tropo modóque loquendi, capite trigeſimo primo: *Si oſculatus ſum,* inquit, *manum meam ore meo, quæ iniquitas eſt maxima.* Per manus opera intelliguntur, per os verò verba: quia ore loquimur, & manibus operamur. Ille ergo manum ſuam, inquit Gregorius, ore proprio oſculatur, qui ſua ipſius opera, ore proprio laudat. *Prou. 31. Laus in ore proprio ſordeſcit.* *Iob 31.*

Secundo ad dubitationem reſpondet idem Doctor ſanctus, quòd peccator tacet & clamat: quia licèt ipſe clamare omittat, tamen peccata eius clamant ad cælum, petendo vindictam. Nihil enim loquaciùs peccato, quod inceſſanter ad Deum clamat, authorem ſuum denuncians, & apud ſupremum iudicem de illo petens vindictam. Et ad hunc ſenſum verba illa Domini Caino dicta, poſſunt explicari: *Si bene egeris recipies, ſi autem malè, ſtatim peccatum tuum in foribus apparebit.* Apparere in foribus (vt ego coniicio) nihil aliud hîc ſignificat, quam illum apud iudicem accuſare. Quia in foribus, vel portis ciuitatis antiquitus erant iudices, quod patet ex illo Iob trigeſimoprimo: *Si leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta ſuperiorem,* id eſt, *cum eſſem iudex & ſederem pro tribunali.* Et Pſalmo decimoſeptimo: *Beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, nõ confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta.* Et tandem Prouerb. 31. clariùs: *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* Itaque, in portis erat iudicium, quare per portas omnis auctoritas iudicantium, ſolet intelligi. Et ad hunc ſenſum puto explicanda verba illa Saluatoris: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Id eſt, omnis inferni auctoritas & potentia, omnis dæmonum calumnia & fraudulentia. Dicere ergo, quòd peccatum Cain in foribus apparebit, idem eſt ac ſi dicat, quòd vindictam apud ipſum iudicem erat exacturum. Non enim habet peccator contra ſe maiorem ipſo peccato delatorem. *No tiene maior fiscal ni acuſador.* Quia inceſſanter contra ipſum clamat: etſi ſurditas eius in cauſa ſit, quòd huiuſmodi clamores nõ audiat. *Secunda ſolutio. Peccata clamant ad Deũ.* *Gen. 4. Nota. Antiquitas in portis iudicabat. Iob 31. Pſal. 127* *Prou. 31.* *Matt. 16.*

Digitized by Google

Nili cathadupæ. Simile.

Sicut refertur de illis, qui circa Nili cathadupas habitant, qui ſurdi ſunt omnes propter validiſſimum ſonum ipſius fluuij, quòd ex altiſſimis rupibus inibi præcipitatur. Vehemens enim ille ſonus cauſa eſt, quòd ad inuicem ſe colloquentes, non audiant. Sic peccator de cuius corde dicitur, quòd eſt quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius: peccatorum ſuorum clamores, qui ad cælum vſque efferuntur, non audit.

Quatuor genera peccatorũ præcipuè clamant. Geneſ. 8. Peccatũ Sodomorum.

Et licèt commune ſit hoc omni peccato, quatuor tamen ſunt genera peccatorũ quæ principaliùs & validiùs ad Deum clamant. Primum eſt peccatum Sodomorum quod contra naturæ iura eſſe dicitur: Hoc enim peccatum vt horrendum eſt, ſic contra peccatorem magnis clamoribus vindictam poſtulat. Geneſis octauo dicitur: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis*: ac ſi diceret: Ego illis accuſationem non infero, ſed habent contra ſe crudeliſſimos teſtes, grauiſſima, ſcilicet crimina, quæ commiſerunt, quæ tam inſtanter & anxiè clamant vltionem petentia, quòd ſi illis parcerem, iuſtitiæ non ſatisfacerem. Secundum genus peccatorum, quod etiam inſtanter ad Deum clamat, eſt pauperum oppreſſio & afflictio, quia cùm nullum humanum auxilium habeant, diuinum eis non deficit. Exodi tertio: Cùm filij Iſraël, qui in Ægypto erant captiui valdè affligerentur, dixit Deus: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum qui præſunt operibus*. Cùm enim flagellis & oppreſſionibus affligerentur, ad Deum preces ſuas fundebant, & vſque ad cælum voces eorum aſcenderunt. Sciat enim Prælatus, Princeps, aut iudex, quòd ſi pauperem oppreſſerit, aut ſubditum expilauerit, licèt hi tacuerint, erit tamen qui pro illis loquatur. Ipſa enim iniuſtitia ad Deum clamabit, & de illis ſeueriſſimam vindictam exiget: quia cùm Deus rectiſſimus ſit iudex, ad eum ſpectat illorum iudicium, & imbecillium cauſa. *Tibi derelictus eſt pauper*, inquit Dauid, *orphano tu eris adiutor*. Et Iob trigeſimoquinto: *Neque enim fruſtra audiet Deus, & ſingulorum cauſas intuetur*. Tertium genus eſt opus mercenarij, & mercedem eius defraudare, teſtimonium illi imponere, vt hac occaſione merces illi denegetur. Graue quidem eſt hoc peccatum, & propter eius grauitatem diuinas aures clamoribus pulſat. Vnde Iacobi quinto dicitur: *Ecce merces operariorum veſtrorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum introiuit in aures Domini Sabaoth.*

Oppreſſio pauperũ. Exod. 3.

Pſal. 9. Iob 35.

Mercedis defraudatio. Iacob. 5.

Digitized by Google

ibaoth. Dominum Sabaoth illum appellat, quod eſt nomen laieſtatis, cùm de hac agit cauſa, vt intelligiamus illius pontiam & virtutem, ad fragilitati pauperum operariorum ccurrendum. Optimè quidem nouerat Deus, hominũ ignaam & incuriam ad mercedem perſoluendam, cùm dixit Letici decimonono: *Non morabitur opus mercenarij apud te vſte manè.* Et Iob iuſtificans ſemetipſum dicebat, capite trigenoprimo: *Si aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſuleius deflent, ſi fructus eius comedi abſque pecunia, & aniam agricolarum eius afflixi: pro frumento oriatur mihi triılus, & pro hordeo ſpina.* Vnde ſequitur, contra illum terram amare, & ſulcos aratro factos ſanguineis lachrymis plorare, ii opus mercenarij, aut defraudat, aut detinet. Quartum & timum genus peccatorum, quòd ad Deum clamat, eſt homidium; humani inquam ſanguinis effuſio. Tanta eſt huius ccati grauitas, quòd illius occaſione, primò maledictionem cepit homo: vt in Caino videre licet, qui propter homiciım à Deo maledictus fuit. Sed fortè non deerit aliquis iolus, qui dicat prius hominem in Adamo maledictum fuiſ, cùm dictum fuit illi: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & ibulos germinabit tibi.* Tamen ſi attente verba illa perpenımus, quod aduertit Irenæus libro ſexto aduerſus hæreſes, ɔtius maledictionem terræ, quàm hominis in ſe continent. ɔn enim hominem maledixit, ſed terram. Fuit enim illa madictio ad hominem potius terrendum, quàm feriendum. abet quis filium inquietum & diſcolum, quem terrere cuens, lapidem, vel fortè candelabrum, in eum proiicit, terram ıæ circa illum eſt percutiens; cuius intentio non eſt illum rcutere, ſed terrefacere: ſic Deus tanquam piiſſimus pater, cèt maledictionem in primum hominem iecerit, tamen non li aliquid nocuit, non illum, ſed terram percuſſit, vt timeret: in Cainum tanquam in ſcopum perditionis, maledictionis gittam iniecit, dicens: *Maledictus eris ſuper terram, quæ apenos ſuum ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua.* Geſis quarto. Ille ergo, qui ſententiam primi hominis, propter ılpam in ſeipſum commiſſam temperauerat, nolens homiım, quem ad ſimilitudinem ſuam creauerat, maledicere: tam ueram & rigidam ſententiam contra fratricidam Cainum otulit, illum acriter maledicens, quia peccatum eius de gere illorum erat, quæ clamant ad cælum, & debitam è ſupreıo iudice, petunt vindictam. Et ad hunc ſenſum veniunt in-

Leuit. 19.
Iob 31.
Homicidium.
Nota.
Iren. 6. aduerſ. hæreſes.
Simile.
Geneſ. 4.

Digitized by Google

Hebr.12. telligenda verba illa diui Pauli ad Hebræos duodecimo quæ de ſanguine Chriſti profert. *Non enim acceſſiſtis,&c. ſed ad ſanguinis aſperſionem,melius clamante quàm Abel.* Hoc enim ideo dicit,quia ſanguis Chriſti,miſericordiam clamabat,& petebat:at ſanguis Abel,clamabat pro iuſtitia. Poteſt etiam grauitas huius peccati ex eo dignoſci, quòd, dum Scriptura ſacra flagitium aliquod nimis aggrauare deſiderat,ſanguinem illud appellare ſolet: quaſi humani ſanguinis effuſio peccatorum omnium quæ committuntur contra proximum, ſummum teneat apicem. Adnotauit hoc diuus Gregorius decimotertio Moralium, capite decimo, & Doctor Incognitus ſuper Pſalmum quinquageſimum: *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ.* Et adducunt ad hoc comprobandum illud Oſeæ quarto: *Sanguis ſanguinem tetigit.* Tunc ſanguis ſanguinem tangit, quando culpa culpæ adhæret, & vnum peccatum per aliud cumulatur. Quod Chaldæus magis confirmat ſic vertens. *Et aggregant peccata peccatis.* Itaque ex hoc habetur, quod tanta eſt huius ſceleris grauitas apud Deum, tantùm de effuſione humani ſanguinis Deus offenditur,quòd grauiſſima peccata per exaggerationem ſanguis effuſus appellantur. Solet Deus propter hoc peccatum iudicium & vindictam accelerare, quod non niſi propter grauiſſima crimina facere conſueuit. Quare Dauid Pſalmo quinquageſimo quarto aiebat: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Multoties Deus non permittit effuſores humani ſanguinis vſque in multam canitiem vitã producere: ſed eos ante terminos vitæ ſuæ, quos naturaliter attingere poterant, de medio tollit in ſuæ crudelitatis punitionem. Ad hunc ſenſum aliqui expoſitorum, explicant verba illa à Domino prolata in Ezechiele,capite vigeſimoſecundo: *Et tu fili hominis nónne iudicas ciuitatem ſanguinum, & oſtendis eis omnes abominationes ſuas? Ciuitatem ſanguinum* appellat Hieroſolymam, eo quòd crudeliter Prophetas occidebat, iuxta illud Saluatoris: *Hieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Inquit ergo Deus: Quare ô Propheta non iudicas dignam eſſe morte talem ciuitatem, quæ ſanguinem Prophetarum fundit? *Hæc dices: Hæc dicit Dominus, Ciuitas effundens ſanguinem in medio ſui, vt veniat tempus eius.* Id eſt, quia ciuitas hæc crudelis nimis eſt, & ſanguinem innocentem fundere non veretur, tempus eius ante tempus veniet, quia viſitatio eius & ſupplicium accelerabitur. Hinc eſt, quòd animæ interfectorum propter verbum Dei, vt refert diuus Ioannes in Apocal.

Homicidiũ graue nimis.

Innominatus.

Oſeæ 4.

Pſal.54.

Ezec.22

dicebant

Digitized by Google

cebant & clamabant: *Vſquequo non iudicas ſanguinem no-* *Apo. c.6.*
um Deus noſter? Et acceperunt diuinum reſponſum: *Adhuc*
pectate modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum
ſtrorum. Modicum tempus expectare iubet ad vindican-
im humanum ſanguinem, qui vindictam aliorum peccato-
m per longa temporum ſpatia differre ſolet. Quia homici-
um tam graue peccatum eſt, quòd multoties diuinam vin-
ctam accelerare facit. Clamat etiam fuſus ſanguis, quia in-
ſtanter fundentis cor pulſat, quaſi in vindictam tanti faci- *Cōſcientia mille teſtes.*
oris, nec quieſcere eum per momentum ſinit, aut volupta-
m capere. Memoria namque facti, & conſcientia accuſans
rpetuo eum cruciat. Vnde, de tyranno humanum ſangui-
m fundente, Iob inter alia dixit: *Sonitus terroris ſemper* *Iob 15.*
auribus illius, & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpi-
tur, & poſt pauca: *Terrebit eum tribulatio & anguſtia.*
empre al tyrano le dan alarma alas orejas, ſiempre anda
re ſaltado. Quod in vindictam facinoris Deus ipſe permit-
. Nam æquum eſt, vt qui iniuſto gladio vitam alicuius ab-
lit, gladio diuini timoris adhuc in vita exiſtens, terreatur.
ne quidem in Abacuc cantico dicitur: *Exultatio eorum ſi-* *Abac.3.*
t eius qui deuorat pauperem in abſcondito. Latro enim aut
ædo, qui in abſcondito nemore pauperem hominem ſpo- *Simile.*
uit & interfecit, licèt ſceleris ſui teſtem non habuerit, ta-
en propria terretur conſcientia, ſemper ſuſpicatur inſidias
i parari: & ſi forſitan aliquem virgam manu tenentem vi-
rit, credit miniſtrum eſſe iuſtitiæ, & iam ſe mortuum &
prehenſum diiudicat. Non grauabor verba illa referre, quæ
udentiſſima Abigail Dauid dixit: cùm ab eo veniam poſce-
t: quia verba illa maxima diſcretione pollent. 1. Reg. cap. 25. *1.Re. 25.*
ccurrit illi obuiam, cum armata manu contra Nabal virum
um & omnem domum eius veniebat: cui inter alia dixit:
viro meo Nabal peperceris, & ſanguinem eius non fuderis,
m conſtituerit te Deus ducem ſuper Iſraël, non erit tibi hoc
ſingultum, & in ſcrupulum cordis. Domino meo, quòd effude-
ſanguinem innoxium. O bone Deus, quot ſingultus patiun-
r, quot cordis ſcrupulos magnates, & principes, & illi etiam
i in Regia dignitate ſunt cōſtituti, qui poſtpoſito Dei timo-
ſanguinem innocētem fuderunt. *Que latidos les da el alma,*
e ſuſpiros arrancan del coraçon. Repreſentatur enim illis
iſponente Deo) ſanguis innoxius quem fuderunt, & per-
tuo dolore & timore eos cruciat. Quare fratres mei manus
ſtras ſeruate innoxias, & humanum ſanguinem nolite fun-
dere,

Digitized by Google

dere, quia hoc peccatum eſt grauiſſimum, quod ad Deum inceſſanter clamat. Inter alia peccata, quæ Dauid commiſerat, præcipuum locum habuit, Vriæ innocentis interfectio. Dedit enim illi Rex literas, quas ad Ioab deferret, in quibus de morte eius agebatur. Iubebat namque, quod in primo belli congreſſu, in perículoſiori, minúſque tuto loco exercitus poneretur, vt iaculo vel gladio interfectus caderet. Peccatum enim hoc nimis graue fuit apud Deum, quòd Dauid ipſe tacebat, quando ſecretum fore ſibi perſuadebat: at ipſum ſcelus per ſe diuinas aures pulſabat, & clamores vſq; ad cœlum proferebat. Quare inquit: *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua.* Plures peccatores ad Deum conuertunt aduerſa, quàm proſpera: iuxta illud Pſalm. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et illud Pſalm. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum.* Refert Pomponius Mela, quendam fontem eſſe in Sicilia fontem ſolis appellatum, mirabilem quandam proprietatem habentem, ſcilicet, quod in feruore diei frigidiſſimus exiſtit? media autem nocte calore flagrat, & mirabiliter feruet. Cui fonti ſimiles videmur, qui tempore proſperitatis frigidi ſumus at media aduerſitatis nocte ingruente, quando laboribus vexamur, tunc Deum inquirimus. Vnde ſolet Deus peccatores, laboribus & perſecutionibus diuexare, vt ad eum conuertantur. Quod cum Dauide factum eſt. Aggrauit enim ſuper illum manum ſuæ omnipotentiæ, iureiurando, quòd de domo ſua gladius perſecutionis non erat receſſurus, quo ad illum ſtatim conuerſus eſt. Quod quidem ſpinæ methaphora explicat dicens: *Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua. porque me aſſentaſtes bien la mano. Conuerſus ſum in ærumma mea, dum configitur ſpina.* Alij legunt, *dum confringitur ſpina.* Habet aliquis ſpinam gutturi adhærentem, vel partem ſagittæ fœmori incluſam, quam chyrurgus cùm extrahere non poſſit, confringit, vt confracta facilius foras exeat: quod quidem non ſine magno patientis dolore fit, tamen chyrurgus non dolorem, ſed infirmi ſalutem intendi. Sic cùm peccatum ſit nil aliud quàm animæ ſpina, qua transfigitur & tranſuerberatur, intendit Deus illud ab anima abſtrahere, ne moriatur & æternaliter pereat. Quare ſpinam hanc laboribus & afflictionibus confringit: & hoc eſt quod inquit: *dum confringitur ſpina.* Ex quo manifeſte colligitur, quòd aliquem flagellare in hac vita, illúmque laboribus & ærumnis afficere, potius beneficio & ſummæ miſericordiæ, quàm

Pſal. 82. *Pſal. 77.* *Pompon. Mela.*

Fōs ſolis in Sicilia.

Labores ad Deum ire compellunt.

Tribulatio miſericordia adſcribitur.

Digitized by Google

iàm inimicitiæ adſcribi debet. Quod ex quodam Iſaiæ lo- *Iſa.21.*
,cap.21.comprobari poteſt,vbi ſic habetur: *Tritura mea,& Nota.*
a area mea,quæ ventura ſunt annunciaui tibi. Poſtquã enim
abylonis deſtructionem prophetauit,per apoſtrophem,Hie-
ſalem alloquitur,& eam *trituram & filiam areæ vocat. Tril-*
da mia y hi ja de mi hera. In area triticum teritur, & à bel-
is conculcatur., vt omni palea purgatum in horrea congre-
ri poſſit. Appellat ergo illam *trituram & filiam areæ*, vt hinc
ſcamus, quòd illos quos Deus diligit, conculcat & terit in
c vita, tunſionibus & preſſuris, ſicut canit Eccleſia. Vidit
iuus Ioannes Euangeliſta multitudinem quandam in cœlo *Apoc.7.*
ſtes perlucidiſſimus habentem, coronas in capitibus, & in
anibus palmas,quaſi victores, omnes geſtantes. Et cùm in-
errogaſſet de illis:Iſti qui ſunt,& vnde venerunt? Dictum eſt
ab Angelo:Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, &
aerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Iſti ſunt qui in mundo,
omnibus conculcabantur, qui fortunæ ictibus erant expo-
i, qui premebantur pauperie,qui afficiebantur iniuriis,quo-
m vita perpetua crux erat, ſed ſors eorũ iam in melius com-
utata eſt,iam in ſummo honore & gloria collocati ſunt, iam
laboribus victoriam reportârunt, iam de ſuis victoriis pal-
am acceperunt. Pro labore requiem, pro contumelia hono-
m, pro lachrymis conſolationem, pro paupertate diuitias,
o perſecutionibus cœlorum Regnum ſunt adepti. O Deus
terne,ô Chriſte ſancte, vera lux hominum, ſi talis eſt labo-
ım exitus,ſi ſic iuſti remunerantur, ſi illi qui in præſenti vita
uci ſubiacent & in ſanguine tuo innocentiſſimo ſtolas ſuas *Epilog.*
uant,talibus coronis decorantur,quid mirum ſi labores con-
emnam?ſi difficultatibus me offeram? ſi cruci humerum ſub- *Abac. 3.*
ciam?Quidni cùm Abacuc dicam? *Ingrediatur putredo in oſ-*
bus meis,& ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribula-
ionis,vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Igitur, fra-
res mei, ſi ad populum hunc pulcherrimum aſcendere cupi-
is, ego viam vobis oſtendam. Via enim eſt peccatorum co-
nitio & confeſſio, aperire tumulos conſcientiæ veſtræ, vt
er confeſſionem omnis peccatorum putredo foras exeat,ape-
ire os, non ad magnificanda veſtra merita, ſed ad demerita
onfeſſori oſtendenda:alioquin ſi tacueritis,ſcelera veſtra cla-
nabunt, & apud tribunal ſummi iudicis accuſabunt vos. La-
ores libenter ſufferre,ſcientes quòd labores non inimicitiam
ſtendunt,ſed amicitiam, ſed charitatem,& gratiam, qua me-
iante gloriam conſequemini.

CONCIO

Digitized by Google

CONCIO TERTIA.

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

HOMILIAE proximæ præcedenti vltimam impoſuimus manum, oſtendendo, quomodo in laboribus à Deo inflictis, viſcera eius quibus homines proſequitur, quandoque oſtendūtur, quos immittit non tantùm ad vindictam, quantùm ad correctionem, vt inſanus peccator pœnis ſibi inflictis (quod aiunt) ad ſanam mentem redeat, & flagellum Dei ſentiens, timore faciat, quod amore noluit. Eſt enim conſideratio hæc non parui momenti, & quæ non obiter & tranſcurſim, ſed pedetentim. Et ex propoſito tractanda eſſet: quia vnum eſt ex efficaciſſimis mediis, quibus Deus vtitur, ad peccatores rebelles conuertendos: quod per labores inflictos principaliter intendit, quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Quare ſagittæ, quæ ex pharetra ſuæ miſericordiæ exeunt, licèt affligere & percutere videantur: tamen amore flagrant, & igne charitatis ſunt accenſæ, non peccatoris damnum ſed commodum, non interitum ſed reparationem, non denique mortem ſed vitam operantur. Et ſic meo iudicio intelligendū, venit illud Pſal. 7. *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrauit arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Vbi D. Hieron. vertit: *Sagittas ſuas ad comburendum operatus eſt.* Vt enim corda noſtra frigida & dura poſſit mollificare & accendere: ſagittas tribulationum igne charitatis accēſas Deus fabricare nouit. Conſueuerunt fortiſſimi quíque duces, quando ciuitatem aliquam, vel arcem obſederūt, ſagittas intra ipſam cum ſulphureo igne immittere, vt intra ciuitatem, vel arcem exiſtentes, videntes ignem ſuccendi & mœnia ardere incipere, ciuitatem, vel arcem tradant. Sic inquit Dauid, niſi conuerſi fueritis, & deſinatis illi bellum inferre, & inſpirationibus eius reſiſtere, diſtrictum habet gladium, & paratum arcum ad vos occidendos. Et in ipſo arcu ſagittas habet paratas, igne charitatis & miſericordiæ plenas, vt corda veſtra tribulationibus percuſſa caleſiant, & in amorem eius accendantur. Non ab hoc propoſito

Tribulatio peccatorem cōuertit. Pſal. 7. D. Hier. verſio. Simile.

abhor

Digitized by Google

horret, quod Hugo Cardinalis adnotauit circa illam victo- *Hugo*
m, quam Dauid de Goliath reportauit, quem ictu lapidis *Cardin.*
cidit, ſicut 1. Reg. narrat hiſtoria. Dicitur enim ibi, *quòd Da-* *1. Reg.*
l elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides, & miſit eos in pe-
m paſtoralem. Per quam intelligit Hugo, vas quoddam in
o lac effundebatur, ouiúmque vbera ſugebant. Itaque lapi-
s lacte lauit ſiue vnxit. Et quidem ſi non iam D. Paulus præ- *1. Cor. 10.*
uiret nos dicens: *quòd omnia illis in figura contingebant, &*
òd omnia illa typus erant & vmbra futurorum, impertinens
cui videri poſſet illa lapidum lotio. Ad quid enim lacte
effundebantur, cùm neque ob hoc duriores redderentur, ne-
e ad dexterius percutiendum promptiores? Quare, creden-
m nobis eſt intra literæ corticem medullam latere myſterij.
oc nimirum eſt, quod quando manus fortis, verus inquam
uid, ille qui tam fortem habet manũ, quod ſolo tactu illius
ra tremit, & montes fumigant, eóſque à radicibus ſubuertit:
ando hîc manus fortis, cum aliquo huius mundi gigantum
certare ſtatuit, & illum deuincere, duriſſimos lapides eli-
, tribulationes, inquam, labores, & infirmitates, quibus ar-
s., potentiam ſuam proſternat. Sed hos lapides prius in pe-
n paſtoralem proiicit, prius lacte ſuæ miſericordiæ illos ſu-
fundit, quia non mortem, & interitum, ſed vitam & corre-
onem intendit. Perbelle hoc Dauid Pſalm. 65. depinxit: *Pſal. 65.*
multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui. Ha- *Simile.*
t aliquis inimicum honori ſuo detrahentem, à quo, cum *Nota.*
ca perſonam, iniuriam, & circa honorem, contumeliam ac-
ceperit, ad duellum illum prouocat, & certamen cum illo init:
em cùm deuicerit, & ad pedes proſtratum habet, gladio
per eum minitans, petit ab eo ſub interminatione mortis, vt
cta contra eum irritet, & palinodiam decantet: quod metu
ortis ſine cunctatione facit mentitur tamen, quia aliter ſen-
quàm confitetur, & extra periculum illud poſitus, ad contu-
eliosa verba regreditur. Itaque timor mortis fecit illũ men-
i. O Deus animæ meæ, quoties tibi Domine mentimur,
oties fidem tibi datam non ſeruamus. Tribulatio enim eſt
cus certaminis, vbi Deus de peccatoribus victoriam repor-
. *Es el campo de Dios donde rinde a ſus enemigos.* Et ibi mul-
ti mentiuntur. Multa quidem promittunt, ſed pauca ope-
complent. Quid non promittimus & iureiurando affir-
mus, quando gladium diuinæ vltionis ſuper nos diſtri-
um intuemur? O Domine libenter fateor mea peccata, &
òd maieſtatem tuam grauiter offendi, fateor omniũ pecca-
torum

torum eſſe maximum,ſed tempus pœnitentiæ mihi cócede, vt de omnibus quæ commiſi tibi ſatisfacere poſſim, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Hæc & huiuſcemodi alia ſunt quæ promittimus,quando in tribulatione ſumus: mentimur tamen,quia extra illam poſiti,fidei promiſſæ non ſtamus, ſed ad priora peccata reuertimur. Et hoc eſt: *In multitudine virtutis ſuæ Deo mentiri.*

Hier. 2.
Peccator onager dicitur.

Hûc etiam attinet quod habetur Hierem. 2. *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui, nullus auertet eam: omnes qui quærunt eam non deficient, in menſtruis eius inuenient eam.* Comparat populum aſinæ ſylueſtri quæ velociſſima eſt,præſertim tempore voluptatis,id eſt, *Quando anda en zelo.* At appropinquante partus tempore, onere conceptus grauata,non tam celeri curſu fugit,quare faciliter à venatoribus capitur. Vnde in Hebræo habetur,vt hîc aduertit Liranus: *In menſe ſuo inuenient eam,* quod exponens Rabbi Salomon dicit, quod in vno menſe anni onager dormit toto menſe (forſitan hic menſis eſt, cùm appropinquat partui) & alio tempore nó quæritur,vt capiatur: quia hoc eſſet inaniter, propter eius curſum velocem. Hoc idem peccatori contingit: qui dum valet,dum proſperitate fruitur,dum omnia ſibi ad nutum eueniunt, quaſi onager eſt aſſuetus in ſolitudine,qui à via mandatorum Dei deuians, per varia præcipitia voluptatem quærens, deambulat: neque retibus ſe diuini verbi comprehendi permittit. Eſt enim quaſi curſor leuis explicans vias ſuas. At in tempore ſuo inuenient eum. Tempus autem quo peccator comprehenditur,eſt tempus tribulationis,& aduerſitatis. Grauatus enim laboribus, & infirmitatibus manus omnipotentis Dei effugere non poteſt.

Liranus.

Itaque tribulatio hoc habet,quod reſipiſcere nos facit & ad Deum conuerti. Quod in Dauide nunc videmus impletum, qui in tribulatione poſitus,manum duriſſimam eius in ſeipſum expertus, & lapidibus perſecutionum percuſſus, ad eum conuertitur, & ſcelus ſuum quod priùs abſcondebat, detegit, dicens: *Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina: ideo delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.*

Diſcrimẽ inter delictum & iniuſtitiam.

Suſpicantur hîc expoſitores, neſcio quid diſcriminis inter delictum, & iniuſtitiam, ſiue peccatum: arrepta hinc occaſione, quòd Dauid non contentus eſt dicere: *delictum meum cognitum tibi feci*: ſed inſuper addidit: *& iniuſtitiam meam non*

Digitized by Google

non abſcondi. Et hanc dubitationem auget quod cap. 7. Leuit. præcipitur, quòd *idem ſacrificium quod pro peccato offertur, offeratur etiam pro de licto.* Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto. Vbi videtur cōſtituere differentiam, inter delictum & peccatum. Et in Ezechiele cap.4. dicitur: *Et in veſtibulo porta, duæ menſæ hinc inde, vt immoletur ſuper eas holocauſtum, & pro peccato, & pro delicto.* Quod ſi peccatum, & delictum inter ſe non differrent, vana eſſet eiuſdem rei per diuerſos terminos repetitio. D.Hier. ſuper primum cap. epiſtolæ ad Epheſios, inquit, quod delictum eſt initium peccati, quod nondum ſimpliciter in corde ſedem habet, cui partim voluntas conſenſit, partim repugnauit: de quo à Dauide dictum eſt: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Quia delicta huiuſcemodi cùm radices ſint & initia peccati cum difficultate cognoſcuntur: quare omni ſtudio & diligentia cor debet obſeruari, ne vanis cogitationibus pateat. *Beatus*, inquit Pſalmiſta, *qui allidet paruulos ſuos ad petram.* Per paruulos, naſcentes malas cogitationes, & cupiditates D. Auguſtin. intelligit: quæ ne robur accipiant, & inualeſcant, quando adhuc paruulæ ſunt, ad petram Chriſtum allidi debent, quia ſi ad prouectiorem ætatem peruenerint, contra animam inſurgunt, eámque occidere conantur. Et huc ſpectare poterit dictum illud celebre Salomonis: *Quaſi à facie colubri fuge à facie peccati.* Non enim myſterio vacat, quòd ſerpenti, aut colubre peccatum cōparauerit. Inquit namque Auguſtinus propterea dictum eſſe, quia coluber hoc habet, quod caput per rimulam immittat, ſtatim totus ingreditur, & collabitur. Hoc idem habet peccatum, cui ſi initio non reſiſtitur, ſed mentis ianua illi aperitur, deinceps difficulter euitatur. Quare omni cuſtodia cuſtodiendum eſt cor, iuxta illud Prouerbiorum 4. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Sed proh dolor! ecquis illud tanta cuſtodia cuſtodire poterit, cùm ex natura ſua inquietum ſit & inſtabile? Vnde Bernardus in meditationibus inquit: *Nihil in me corde meo fugacius, quod quoties me deſerit, & per prauas cogitationes defluit, totiens Deū offendit.* Cor meum, cor vagū, inſtabile, ſuo ducitur arbitrio & diuino caret conſilio, in ſemetipſo non poteſt conſiſtere, ſed omni mobili mobilius, per infinita diſtrahitur. Gregorius etiam 4. Moral inquit: *Facile eſt peruerſa opera vitare, ſed nimis difficile eſt ab illicita cogitatione corrigere.* Has prauas cogitationes fures appellabat B.Iob cap.19. *Venerunt*, inquit, *latrones & fecerunt viam per me.* Sunt enim latrunculi, qui theſaurū animę

Leuit. 7.
Ezec. 4.
D. Hier.
Pſal. 18.
Cogitationes praua ab anima pellenda.
Pſal. 136.
D. Aug.
Eccl. 21.
D. Aug.
Peccati initio reſiſtere debemus.
Prou. 4.
Bernard. in meditationibus.
Cor humanum inſtabile.
Greg. 4. Moral.
Iob 19.
Nota.

inceſſanter furari ſtudent, quare ab illis cauendum nobis eſt.
Simile. Conſueuerunt famoſi fures, puerulum aliquem ſecum ferre.
qui ad domum diuitis cuiuſuis veſpere accedens, fingit ſe fame, pauperie & frigore perire; quem diues miſericordia motus, intra proprias recipit ædes, ne rigore frigoris correptus intereat. Ille verò, media nocte conſurgens aliis latronibus ianuam aperit, qui ingredientes pretioſa quæque furantur, & diuitem ipſum occidunt. Sic iniqua cogitatio latrunculus quidã eſt, per ſeipſam theſaurum animæ noſtrę ſurripere non valens, tamen ſi hanc intra animæ noſtræ hoſpitium recipimus, ipſa aliis latronibus, videlicet, mortalibus peccatis, ianuam patefacit.
Iſaiæ 1. Quare Iſaiæ 1. dicitur: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis:* quaſi conditio eſſet neceſſaria, ablatio cogitationum iniquarum, ad mũditiam cordis ſeruandam. Quod quidem (vt diximus) difficile eſt valde, quia cor noſtrum alis ſuis vbique volans, nunquam quieſcit, niſi gratia Dei ſtabiliatur.
Holcoth. Agit de hac materia Holcoth in
Simile. ſuis ſapientialibus, lectione 6. cap. 1. Et inquit, quòd eſt de corde humano ſicut de argento viuo, quod eſt ſemper in motu, ſiſtitur autẽ aliqualiter, & mortificatur per odorem hoc eſt per
Ariſtot. fumum ſulphuris, ſicut docet Ariſtot. 4. Metheororum. Sic, ſi ſiſtere & domare velimus cor noſtrum à vagis motibus ſuperbiæ, & elationis, & carnalium delectationum, adhibeamus ei odorem ſulphuris, id eſt, conſiderationem æterni ignis. Refert
Giraldus Cambr. hîc idem Doctor ex Giraldo Cambrenſi in libro ſuo de Topographia Hiberniæ, quòd quondam in mare prope Hiberniam apparuit ſubitò quædam inſula ad quam Hiberni nitebantur applicare naues aſcendentes, at cùm nauis prope inſulam eſſet,
Mirabilis inſula quòd iudicio illorum poſſent ponere pedes ſuos in terram deſcendendo, ſtatim inſula ab eis fugiebat, & ad alium locum mouebatur: quod cùm frequenter tentaſſent, & ſemper modo prædicto fuiſſent deluſi, tãdem dixit eis ſenex; audiui quòd ignis valet contra phantaſmata: accipiat ergo aliquis ſagittam ignitam, & ſagittet inſulam, & ſtatim phantaſmata ceſſabunt.
Inſula fugitiua. Quod quidem iuxta ſenis conſilium factum eſt, & inſula ſtabilita fuit, & inſula fugitiua deinceps appellata. Quid aliud cor noſtrum dicam (vt ad propoſitum reuertamur) quàm fugaciſſimam inſulam, phantaſias, & volubiles cogitationes patientem? Nunquam enim quieſcit, neque in eodem permanet ſta-
Eccl. 34. tu. Eccleſ. 34. *Sicut percutientis cor tuum phantaſias patitur, niſi*
Pſal. 118. *ab altiſſimo miſſa fuerit viſitatio.* Quod quidẽ ſtabiliri debet, & quietari per ſagittam verbi Dei ignitam, iuxta illud Dauidicum:

dicum: *Ignitum eloquium tuum vehemẽter.* Has igitur noxias cogitationes, delicta vocat Dauid, iuxta D. Hieronym. quam perſecuti ſumus ſententiam. D. Auguſtin. & D. Gregor. tenent, quòd per delictum intelligitur peccatum omiſſionis. Quando, inquam, quis deficit ab eo quod poterat & tenebatur. Et per peccatum aut iniuſtitiam, peccatum commiſſionis, quando id quod non tenebatur, & poterat vitare committit. Iſichius ſuper Leuiticum, quod per delictum magnum aliquod crimen intelligitur, ſicut eſt omne illud, quod directò eſt contra Deũ, & difficulter veniam impetrat. Vnde 1. Regum 1. Heli ſacerdos, filios ſuos erudiens dicebat: *Si peccauerit vir in virum, placari poterit ei Deus, ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Difficile quidem eſſet tam grauiſsimorum virorum componere placita, vel de illis iudicium proferre. Quare pro nunc ſententiam ſuſpendamus, & ex illis omnibus conſiderationem aliquam ad noſtros mores componendos eliciamus. Sit ergo conſideratio, quòd hæc Dauidis confeſsio fuit perfectiſsima, & mira integritate pollens, ſiquidem non ſolùm de peccatis, verùm & delictis ſe accuſat. Leuia & grauia fatetur. Et ſic legit D. Gregorius: *Et iniuſtitias meas non abſcondi.* Quia confeſsio debet eſſe integra, & nullum peccatum, quantumuis graue, aut leue prætermittendum eſt. Vno enim prætermiſſo confeſsio pro nihilo reputatur. Quemadmodum omnia vulnera chirurgo ſunt oſtendenda, inquit Boëtius, libro de conſolatione, & omnes infirmitates medico detegendæ, vt debitam medicinam illis accommodet, ſic omnia peccata confeſſori. Si enim medico vnam infirmitatem manifeſtaueris alia occultata, forſitan medicinam tibi præbebit mortiferam. Nam quod vni morbo ſalutiferum eſt, alteri ſolet eſſe nociuum: quia quod iecori prodeſt (vt aiunt) hoc ſpleni obeſſe ſolet. Sic ſpirituales infirmitates, quæ inter ſe diſſident non eodem medicamine curantur: quare omnes ſunt detegendæ. Patet hoc (vt alia peccata ſileam) in ſuperbia, & auaritia. Auaritia quidem, cùm ſuperbia, & inani gloria pugnat. Nam popularis hic fauor, & inanis aura, ſæpiſſimè oritur ex prodiga quadam pecuniarum effuſione, quoniam illi qui prodigè & pluſquam decet diuitias ſuas expendunt, ab inſano vulgo laudari ſolent at huic vitio non conſentit auaritia, quæ totum ſuum ſtudium, ad diuitias congregandas conuertit. Cùm ergo tanta ſit inter ipſa vitia contrarietas, ſequitur, quòd contrariis remediis curari debeant, alioquin contingeret, vt medicina quæ vni peccato mederetur, aliud pariat & nu-

Per delictum peccatum omiſſionis intelligitur.

Iſichius.

1. Reg. 1.

Confeſſio integra.

Boëtij ſimile.

triat. Quare omnes animæ infirmitates ſpirituali medico ma-
Leuit.24. niſeſtari debent. Leuitic. 24. præcipiebat Deus, quòd *leproſi*
Figura. *qui coram ſacerdote præſentabantur, vt mundi haberentur, omnes capitis pilos raderent.* Per *capillos* cogitationes intellige, quarum tanta eſt ſubtilitas, quòd niſi per diuinos oculos videri non poſſunt. Capilli facile à vento circumferuntur, ſic cogitationes noſtræ velociſſimè volant. De his capillis, credo intelligendum eſſe quod Christus Redemptor noſter aſſerebat,
Matt.10. Matth. 10. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*: quia de omnibus cogitationibus in die iudicij ratio exigetur, neque vna præteribit, cuius merita non ſint excutienda. Leproſus ergo mundandus, omnes capillos capitis ſui radere iubetur: quia peccator, qui peccati lepra infectus eſt, vt mundus ſit coram Deo, omnes cogitationes ſuas mortaliter culpabiles, nouacula confeſſionis radere debet: alioquin mundus non cenſebitur. Sed timeo ne aliqui Saulem reprobum imitetur, cui cùm præcepiſſet Deus, vt omnes Amalechitas interficeret, & non par-
1.Reg.15. ceret iuueni, aut ſeni: ipſe tamen Regi Agag pinguiſſimo pepercit. Quare Regnum illi fuit ablatum, & indignationem Dei incurrit. Sic nos iubemur omnia noſtra peccata necare, igne, & ferro, ſcelera noſtra deſtruere, & perſequi. Et faxit Deus, ne hoc nobis contingat, quòd aliquibus occiſis, Regem viuum relinquamus! Ille enim hoc facit, qui cùm minutiores quaſdam culpas, & quæ ad rem facere non videantur, confitetur, tamen maximum aliquod crimen, ſuperbiam videlicet, aut odium, ſiue deſiderium vindictæ in anima reſeruat, neque gladium confeſſionis, aut arma pœnitentiæ contra illa accipit,
Pſal.118. vt cùm Regio Propheta dicere poſſit: *Ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui*, id eſt, ſicut omnia mandata tua amplector, ita omne perſequor peccatum.
3.Reg.10. Tertio Reg. 10. refertur de Regina Sabba, quòd audita fama
Figura. Salomonis venit ad eũ in ænigmatibus, vt ænigmata quædam & difficultates illi aperiret. Et dicitur de illa, quòd locuta eſt ei vniuerſa, quæ habebat in corde ſuo. Pectus ſuum illi aperuit, nec fuit ſecretum aliquod, quod illi non oſtenderet, vt de omnibus ſolutionem acciperet. Congruit hæc hiſtoria peccatori ad pœnitentiam accidenti. Quia *Sabba* captiuitatem ſignificat, per quam peccatricem animam intelligere, non abs re erit,
Cõfeſſor ſapiens ſit. quæ peccatorum laqueis captiua tenetur. Hæc enim primum Salomonem debet adire: non ſtultum & imperitum confeſſorem, qui neſciat diſtinguere inter lepram & lepram, inter peccatum & peccatum: ſed confeſſorem adeat, qui verè ſit Salomon,

mon, verè ſapiens & omni diſciplina eruditus. O bone Deus quis non hiſce temporibus ſegnitiem noſtram, ſiue vt potius dicam, temeritatem non admiretur, in diligendis confeſſoribus, & ſpiritalibus medicis? Vel enim inſipientiorem eligimus, vel quem prius offendimus, non ſine magna animarum noſtrarum iactura, & periculo. In quo manifeſtè conuincimur, pluris noſtra corpora quàm animas facere. Quia ſi caput doleat, ſapientiorem medicum inquirimus; ſi autem anima in extremis laboret, & mortaliter ſit percuſſa, ſtolidiorem. Debemus ergo Salomonem inquirere qui animæ noſtræ languoribus mederi poſſit. Hunc cùm inuenerimus, debemus illi aperire cor, ita quòd nullum ſit ſecretum crimen, quod illi palam non faciamus, vt omnia noſtra ænigmata ſoluere poſſit, & de illis iudicium, ſimul, & abſolutionem proferre. Sed quomodò hoc fieri debeat ſpeciali quodam & cœleſti ſpiritu Propheta Ieremias depinxit Threnorum 2. *Deduc quaſi torrentem lachrymas, per diem & noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui: Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini.* Miris coloribus in his Ieremiæ verbis conditiones veræ pœnitentiæ & confeſſionis depictæ ſunt. Sed quoniam ad alia properamus nobis non ſuppetit tempus ſingula explicandi. Quare aliis prætermiſſis, vltimam illam conditionem expendamus: *Effunde quaſi aquam cor tuum ante cõſpectum Domini.* Non vacat myſterio, quòd inter omnes liquores aquæ ſolùm meminit. Non enim dicit effunde cor tuum quaſi mel, aut quaſi oleum, vel vinum, ſed quaſi aquam: quia nimirum inter omnes liquores, nullus tam totaliter effunditur ſicut aqua. Si mel effundas, aut oleum, ſemper aliquid liquoris in vaſe remanet, ſi vinum, odoris: at ſi aquam, tota effunditur, & nihil eius remanet. Effunde igitur ô homo cor tuum ante conſpectum Domini in confeſſione, non ſicut mel, ita quòd aliquid peccati reſeruetur, aliquid effundatur: non ſicut oleum, aut vinum, quod ſaltem remaneat odor prauarum cupiditatum aut affectionum, ſed ſicut aquam, ita quòd nihil in corde tuo remaneat, ſed omnino euacuetur à culpa. Sic quippe faciebat ille, qui lachrymabili voce dicebat: *Delictum meum cognitum tibi feci, &c.*

Diſſimile.

Ierem. 2.

Nota.

Simile.

Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Multa hic notatu digna occurrebãt, quæ cõſulto miſſa facimus, ne longius ſermonem protrahendo: auditoribus tædium ingeramus. Quare breuitati

Digitized by Google

conſulentes duo ſolùm adnotemus. Primum circa illud, *Dixi:* quod ſic exponit Caſſiodorus, id eſt, *deliberaui apud me.* Sunt enim aliqui tanta ignauia & væcordia præditi, quòd ad ſacramentum pœnitentiæ ferè ſine aliqua arbitrij deliberatione accedunt, abſque vlla prorſus præuentione & conſideratione animi. Vnde ortum habet, quòd ad pedes confeſſoris poſiti, neque vnius peccati memoriam habent, ſed quaſi qui ex lethæo flumine bibiſſent, omnia obliuioni tradidiſſe videntur. Et confeſſorem ſuum Prophetam, ſiue ariolum aut coniectorem eſſe volunt, & quod illorum facta, aut dicta, ad ipſorum memoriam reuocet. Videntur iſti mihi perſimiles Nabuchodonoſori fuiſſe, qui ſomnio quodam perterritus Magos ſuos, ariolos, & aruſpices vocare iuſſit, ab eíſque inſtanter exigebat, vt ſomnium, cuius iam fuerat oblitus, indicarent ſibi, & interpretationé eius illi explicarent. *Pedia que le dixeſſen el ſueño, y la ſoltura.* Cui magi & ſapientes è contrario reſpondebant. *Dicat Rex ſomnium ſeruis ſuis, & interpretationem eius indicabimus.* At ipſe replicabat dicens: *Sermo receſſit à me niſi indicaueritis mihi ſomnium & coniecturam eius, peribitis vos, & domus veſtra publicabuntur.* Sunt huiuſmodi non perpauci peccatores, qui cùm ſuorum ſcelerum, nullam fecerint memoriam, ad eaſdem anguſtias confeſſorem ſuum pertrahunt, ſomnium & interpretationem ab eo enixè poſtulantes. Petunt namque, quod peccata ſua illis prophetizet, & eorum abſolutionem tribuat. Iſaiæ capite trigeſimoquarto quædam verba habentur, quæ licèt de Hieroſolyma euertenda ad literam dicta ſint, iuxta diui Cyrilli interpretationem: tamen huiuſmodi peccatoribus nullo negotio adaptari poſſunt. Inquit enim: *Ibi habuit foueam Hericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in vmbra eius.* Per *Hericium* iuxta diuorum Ambroſij, Chryſoſtomi, & Baſilij interpretationem, peccatorem intellige, qui peccatorum ſpinis eſt plenus. Hic namque fouet & circumfouet catulos ſuos, quando peccata quæ in anima ſua nutrit, gladio confeſſionis non iugulat. Hericium videbis ſub malo, vel arbuſto catulos ſuos nutrientem, exit à fouea, & huc illúcque diſcurrens ex pomis veſcitur & per arbuſta volutatur: manibus pomum tenet & dentibus illud corrodit. Si autem eo tempore ad illum acceſſeris, ſtatim manus, & pedes comprimit, os occultat, & ad modum orbis conuertitur; nec mouetur amplius, ita vt mortuum exiſtimes. Non abſimiles illi peccatores iſti ſunt, qui cum pungentibus ſpinis peccatorum ſint pleni, quàm plurimáque per anni circulum perpetrauerint

Caſſiod.

Dan. 2.

Iſai. 34.

Simile.

uerint

uerint mala, tamen cùm ad pedes confeſſoris accedũt, peccata ſua occultant, & quaſi mortui & exanimes redduntur, quaſi nihil mali egerint: eo ſolùm quod abſque vllo conſcientiæ examine ad confeſſorem accedunt. Debet ergo peccator, cùm ad confitenda peccata ſua accedere ſtatuit, ſufficientem præuentionem facere, vt omnia ad memoriam reuocare poſſit. Theſæus vt à labyrintho ſoſpes egredi poſſet, tot ambagibus & variis viis implicatum, & monſtrum intus latens occidere, filo quodam vſus eſt, quo viam ingreſſus & egreſſus, inuenire poſſet: ſicut narrat Ouidius libro octauo, Metamorphoſeon, & Iſidorus tertio ethymologiarum. Sic tu peccator, vt monſtrum peccati intra labyrinthum animæ tuæ incluſum poſſis occidere, filo conſiderationis, vtere, omnia opera tua ad memoriam reuocando cum Rege Ezechia, qui dicebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* *Ouid.* *Iſidor.* *Iſai.38.*

Secundum, quod hîc notare debemus, eſt: quàm pronus ſit Deus ad miſerendum, quanta facilitate culpas remittat peccatori, qui toto corde ad eum conuertitur. *Dixi*, inquit, *confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Quaſi dicat: vix ſtatueram in corde meo peccata mea confiteri, vix primam lachrymam effuderam, aut primum gemitum edideram, quando iam peccati mei impietatem remiſeras. Hoc vnum inter alia deberet nos ad pœnitentiam impellere, facilitas, inquam, ipſius pœnitentiæ. Non enim requiritur ad impetrandam veniam, quòd ſtatim peccator ad confeſſorem accedat, & peccata ſua confiteatur; ſed ſufficit, vt hoc animo ſuo ſtatuens, de peccatis ſuis doleat: quòd ſi dolor ſit ſufficiens, culpas omnes delere poterit. Deus enim pronior eſt ad miſerendum, quàm ad puniendum: ſi enim actu vnico voluntatis damnatur homo, ergo eodem etiam iuſtificari poterit. Remiſſio namque peccati, & condonatio eius, aliquid ex parte noſtra requirit, & aliquid ex parte Dei. Ex parte noſtra, deteſtationem peccatorum, & ex parte Dei, collationem ſuæ gratiæ, & vtrumque in inſtanti fieri poteſt, nec longas temporis requirit moras. Primum ex illo Ezechielis manifeſtè colligunt Doctores: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius amplius non recordabor.* Vbi *hora* pro inſtanti accipitur. Nec requiritur, quòd contritionis dolor per aliquod determinatum tempus protrahatur, vt aliqui falsò exiſtimârunt. Quia ſequeretur (quod omnino à diuina miſericordia alienum eſt)

Deus pronus ad miſerendum. *Vide de hoc Nicephorum.* *Iuſtificatio in inſtãti fieri poteſt.* *Ezec.18.* *Pœnitentia non requirit, quod per aliquam moram protratur.*

Digitized by Google

quòd per aliquod tempus peccatori recluſa eſſet ſalutis via. Hoc quantum eſt ex parte peccatoris, ſed ex parte Dei multo minùs mora aut dilatio ponenda eſt: quia cùm eius virtus ſit infinita, temporis ſpatiis non coarctatur: quare in inſtanti poteſt peccatorem iuſtificare, ad ſuámque amicitiam priſtinam reſtituere. Præſertim cùm tam ſit pronus ad miſerendū, quòd vix peccator peccata ſua deteſtari ſtatuit, quando iam Deus præſtò adeſt cum venia. Et hoc ſignificant illa verba Apocalypſis, capite tertio: *Pœnitentiam age, ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Deſumpta eſt metaphora ab illo, qui domum amici ingredi cupit, & cùm ianuam clauſam inuenerit, ictibus pulſat, vt ianuam illi aperiant. Quibus verbis ingens deſiderium indicat, quo tenetur dimittendi peccata, quando cordis domum peccatis clauſam habemus. Ipſe enim præuenit peccatorem, & ſanctis inſpirationibus cordis eius interiora pulſat. Et vt magis deſiderium ſuum explicet addit: *Cœnabo cum illo, & ipſe mecum:* vt oſtendat ſe famem & ſitim noſtræ ſalutis habere. Explicatur magis hæc Dei ſitis Sapientiæ ſexto, vbi dicitur de increata ſapientia: *Praoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet.* Non enim poteſt peccator tam manè ſurgere ad quærendum Deum per pœnitentiam, quod illum præueniat, quinimo præuenitur à ſua miſericordia, quam inueniet ad cordis ianuam expectantem. Quando gloria Domini egreſſa eſt de templo, in quo tot erant abominationes, & idololatriæ genera, iuxta Ezechielis vaticinium: *ſtetit*, vt ipſe inquit, *in introitu templi, ibique ſiſtit.* Non longiùs abiit, ſed in ipſa templi porta gradum fixit. Sic nimirum, quando Deum à nobiſipſis peccatis noſtris & ſceleribus fugamus, non procul recedit, ſed in veſtibulo cordis noſtri commoratur, vt quamprimum ei ianuam aperimus, intus ſe recipiat. Quamplurima huius veritatis exempla ex ſacra Scriptura poſſemus in medium proferre, ſed duobus contenti ſimus. Primum ex vigeſimo primo capite tertij Regum, vbi prolata contra Regem Achab duriſſima ſententia, propterea quòd innocentem Naboth iniuſtè occidiſſet, ita vt dictum fuiſſet illi ab Helia, quòd in eodem loco vbi canes ſanguinem Naboth linxerant ſuis carnibus ſaturandi erant, tamen Rege pœnitentiam agente, ſtatim Deus placatus eſt, & ſcelus illi remiſit. *Cùm audiſſet Achab*, inquit textus, *ſermones iſtos ſcidit veſtimenta ſua, &*

Apoc.3. *Metaphora.* *Sap.6.* *Ezec.10.* *3.Reg.21*

operuit

operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Quæ pœnitentiæ ſigna, vix opere complere cœperat, quando factus eſt ſermo Domini ad Heliam dicentis: *Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam in diebus eius malum.* Vide quàm citò Deus placatus eſt, ſententiámque temperauit: vt adimpleatur illud diuus Auguſtinus dictum: *Nouit Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare vitam.* Secundum & adhuc euidentius habetur quarto Regum vigeſimo. Cùm enim dictum eſſet Regi Ezechiæ, ab Iſaia Propheta, quòd in craſtinum eſſet moriturus: *Ipſe*, vt ibi dicitur, *conuertit faciem ſuam ad parietem, in quo erat feneſtra, qua ad templum aſpiciebat, & orauit Dominum fletu magno*; quem tam propitium, & ad miſerendum pronum expertus eſt, quòd antequam Iſaias egrederetur mediam partem atrij, dictum eſt ei: *Reuertere, & dic Ezechiæ: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & ecce ſanaui te.* Sed percontari libet, quomodo hic dicitur, *vidi lachrymam tuam*, cùm Ezechias (vt ipſe textus aſſerit) fleuerit eiulatu maximo? Hoc enim apertiſſimè demonſtratur, quàm facilis ſit Deus ad miſerendum, quàm ex animo parcat. Licèt enim Ezechias magnum lachrymarum imbrem profuderit, vnius tamen lachrymæ fit mentio: ad inſinuandum, quòd non plures lachrymas expectauit ad parcendum illi, ſed viſa prima, ſtatim illi conceſſit veniam, & vitam liberaliter auxit. Benedictus ſis Deus omnipotens, qui tanta benignitate polles, tantáque miſericordia præditus es, quòd ad qualemcunque peccatoris pœnitentiam (ſi tamen ſit ex corde) tam præſtò ades; quòd vnica lachryma poſſit à te veniam multorum peccatorum impetrare. Quid ergo expectas ô peccator? Vt quid de die in diem pœnitentiam differs? Qui non es hodie, cras minus aptus eriś. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Subito enim veniet ira illius, & diſperdet te.* Forſitan in hora mortis doloribus circumdatus, & timore præoccupatus, quæres locum pœnitentiæ, & culpa tua non inuenies. Vide ne fatuis virginibus aſſimileris, quæ nouiſſimè venientes, clauſa iam ianua, fores incaſſum pulſarunt: quæ tamen repulſam paſſæ ſunt. Canticorum quinto, cùm ſponſus ad fores ſponſæ media nocte pulſaret, ipſa tamen, noluit illico eius precibus acquieſcere, ſed vanis & inutilibus excuſationibus ſe defendit, neque de lecto in quo iacebat ſurgere voluit, quare ſponſus iniuria offenſus, dimiſit eam & abiit: poſtea verò, cùm ſurgeret ad

D. Aug.

4. Reg. 20

D. Hier.

3. Reg. 7.

Nota.

Eccleſ. 5.

Cant. 5.

Digitized by Google

aperiendam illi ianuam, iam damnauerat, neque inuenit illum, niſi cum magna difficultate, quia dum illum quæreret, multa in itinere paſſa eſt: nam inuenerunt eam vigiles ciuitatis, percuſſerunt illam & abſtulerunt pallium eius. Vt ex his intelligamus, quod abſque vlla dilatione, Deus inquirendus eſt. Quia, ſi cùm poſſumus, nolumus, fiet, vt cùm voluerimus non poſſimus. Ipſe enim laboribus & tribulationibus nos diuexat, vt illecebris, & voluptatibus dimiſſis, ad eum toto corde conuertamur, & peccata noſtra confiteamur, quæ quidem omnia confitenda ſunt, tam ea quæ mente concipiuntur, quàm ea quæ opere fiunt. Neque prauis cogitationibus locum concedere debemus, cùm peccatorum ſint quaſi ſemina & initia. Sic fiet, vt noſtra confeſſio perfecta ſit & abſoluta, noſtráque pœnitentia Deo accepta. Ad hoc ſufficiens etiam præuentio requiritur, ne caſu & tranſcurſim ad ſacramentum hoc accedere videamur. Nec differamus de die in diem conuerſionem noſtram, ſed miſericordiam ſuam & ad parcendum promptitudinem conſiderantes, abſque vlla temporis dilatione, ad Deum accedamus, à quo miſericordiam, & gratiam conſequemur.

CONCIO QVARTA.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno: Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Solus Deus peccata poteſt remittere propria auctoritate. Sacerdos verò accepta à Christo auctoritate. Ioan. 20. Matt. 19.

CVM in præcedenti verſu, de peccatorum venia & remiſſione egerit, dicens: *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*: nunc oſtendit remiſſionem hanc, non ab alio quàm à Deo poſtulandam eſſe, quippe qui ſolus peccata remittere poteſt. Tam magnum quiddam eſt peccatorum remiſſio, quòd ſoli Deo cui fit offenſa, reſeruatũ ſit. Nulla namque creaturarum, ſiue corporalium, ſiue ſpiritualium, ſiue terreſtriũ, ſiue cæleſtium, hoc priuilegio gaudet: quòd authoritate propria, culpã quantumuis leuem, poſſit dimittere. Hoc quidem Phariſæos Chriſti inimicos non latuit: qui, cùm Chriſti verba audirent paralitico dicta Matthæus 19. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* tunc quidam de Scribis dicebant intra ſe: *Hic blaſphemat*, quaſi exiſtimantes quòd diuinitatem ſibi rapina vſurpabat. Non enim

enim credebant Chriſtum Deum eſſe, & ideo blaſphemum illum iudicabant, qui remiſſionem peccatorum ſoli Deo debitam, ſibi aſcribebat. Quæ quidem non minorem virtutem requirit, quàm rerum creatio. Sicut enim in creatione eſſe naturale cõfertur, ita in iuſtificatione, eſſe ſupernaturale & gratuitum, quod longe excellentius eſt. Nec minus diuinum (vt quidem dixit) hæc verba ſonant: *Remittuntur tibi peccata tua*, quàm quæ in rerum creatione legimus, cùm dixit Deus: *Fiat lux, & facta eſt lux*. Et Pſalm. trigeſimo ſecundo: *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt*. Et alibi: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius*, &c. Et apud Ouid. in Metamorph. *Ouid.*

Iuſſit & extendi campos, ſubſidere valles.

Hoc autem illa interſunt, quod in rerum creatione nullius quàm Dei voluntas; in peccatoris autem reparatione, ipſius peccatoris conſenſus requiritur: iuxta illud Auguſtini, *qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te.* Hinc concludit Magiſter ſentent. in quarto diſtinction. 28. multiſque authoritatibus ſcripturæ probat, quòd ſoli Deo competit peccata dimittere. Quare ipſe per Iſaiam inquit, capit. quadrageſimo tertio: *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Ego ipſe ſum, inquit Deus, licet velo mortalitatis abſconditus, & habitu inuentus vt homo, qui peccata tua olim delere ſolebam. Ille ego qui quondam, quaſi diceret, peccata delere ſolebam, nunc etiam deleo. Et hoc, propter me: non ſolùm propter tuam vtilitatem, ſed etiam propter meam gloriam, quia glorioſum eſt mihi cùm ſim homo, peccata dimittere, quod ſoli Deo competit. Et ad hunc ſenſum interpretari poſſunt verba illa Pſalmo 24. *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Quia ex remiſſione peccatorum, magnum ſibi nomen incomparabilémque gloriam Deus lucratur, cùm præter illum, nullus alius poſſit illa remittere. In quarto Regum volumine, capit. quinto habetur, quòd Rex Siriæ miſit Naamam Ducem exercitus ſui leproſum ad Regem Iſraël, cum literis commendatitiis, vt eum à lepra curaret: quas quidem literas cùm legiſſet, ſcidit veſtimenta ſua, dicens: *Nunquid Deus ego ſum, vt occidere poſſim, & viuificare, quia iſte miſit ad me, vt curem hominem à lepra ſua?* Quod ſi ad lepram corporalem curandam diuina virtus requiritur, quanto magis ad curandam ſpiritualem animæ? *Quis poteſt*, inquit Iob, *facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu qui ſolus es?* Ex his

Auguſt. *Magiſter in 4. diſt. 28.* *Iſa. 43.* *Pſal. 24.* *Ex remiſſione peccatorum Deus ſibi gloriam cõparat.* *4. Reg. 5.* *Iob 14.*

Digitized by Google

his planè ſequitur, quòd cùm ſolus Deus poſſit remittere peccata, & mentis maculas abluere, ſolus ipſe pro huiuſmodi remiſſione ſit exorandus. Sic quippe peccator ille faciebat, de
2. Paral. vltimo. quo 2. Paralipom. vltimo agitur, quia ſine magna cordis contritione dicebat: *Peto rogans te Domine, remitte mihi, remitte mihi, ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque*
Pſal. 38. *in æternum reſerues mala mihi.* Sic etiam Dauid, qui Pſal. 38. dicebat: *Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas. Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum, & peregrinus ſicut omnes patres mei. Ne ſileas* idem eſt, quod ne differas petitioni acquieſcere & me exaudire, & ne meam deprecationem contempleris. Sed quid ô Rex ſancte, tot mentis affectibus, tantíſque verborum repetitionibus à Deo poſtulas? *remitte mihi*, inquit, *vt refrigerer, priuſquam abeam, & amplius non ero.* Vbi de remiſſione
Heſich. culparum ſecundum Heſichij, & Aſterij placitum loquitur.
Aſterius. Priuſquam abeam, inquit, per mortem: quia ſi quis mortem
Simmachus. obierit, remiſſio ei denegatur. Simmachus ſic vertit: *Recede à me vt rideam, priuſquam abeam & non exiſtam.* Sic etiam
D. Hier. D. Hieronymus. quæ verba ſic expendit Euſebius: Niſi hic mu-
Euſeb. tatis in riſum lachrymis, pro tua benignitate riſero, & mihi dum vixero, peccatum remiſeris, & quæ perperam egi condonaueris, vt refrigerium ſentiam, & ipſe me refocillem, cùm ex hac mortali vita diſcedam, non erit, quod vllum habeam pœnitendi tẽpus, & niſi in vita, quæ apud te eſt, veniã conſequar, non ero amplius: verùm eiectus ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Sed adhuc Felix ſic vertit: *Declina à me & corroborabor*, vel *relaxa à me & conſolidabor. Señor dadme lugar para que me repare antes que muera.* Poſt mortem namque nullus reparandi peccata locus conceditur. Quod attendens Pſalmiſta in præſenti verſu, inquit: *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno.* Pro hac, inquam, peccatorum remiſſione, quam tu ſolus & non alius, tua virtute & miſericordia conferre potes, orabit ad te omnis quamtumuis ſanctus ſit & iuſtus, in tempore tamen opportuno.

Sed quid ais Propheta, *pro hac orabit omnis ſanctus?* imò omnis peccator, qui criminum laqueis eſt irretitus, ſanctus verò & iuſtus à peccatis alienus eſſe debet, quare huiuſmodi oratione non indigebit. Oſtendit locus hic, neminem eſſe inter filios Adæ tam ſanctum & iuſtum (Chriſto Domino noſtro, & glorioſiſsima eius matre exceptis) quem non deceat
Dupliciter. huiuſmodi oratio. Nam dupliciter poteſt hoc intelligi, aut de remiſsione

Digitized by Google

remiſſione culpæ, aut pœnæ, & vtroque modo omnes com- *terexpli-*
prehendit. Primo quantum ad culpam, quia nemo quantum- *catur hic*
uis ſanctus à culpa excuſatur, dicente Salomone, Eccleſiaſt.7. *verſus.*
Non eſt iuſtus homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *Eccl.7.*
Cui conſonat D. Ioannes 1.cap.1. *Si dixerimus quia peccatum* *Io.1.c.1.*
non habemus: nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Iob 4.*
B. Iob mirificam rationem adducit. cap. 4. quæ argumentum *Nemo*
à maioris appellatur. *Ecce*, inquit, *qui ſeruiunt ei, non ſunt ſta-* *mundus*
biles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem: quanto magis hi, *abſque*
qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, *ſorde.*
conſumentur velut à tinea? Si ſpiritus illi fortiſſimi, qui in
cœlo empyreo, loco prima facie tutiſſimo, creati fuerunt, in
veritate non ſteterunt: vt habetur Ioan.8. quãto magis, inquit, *Ioan.8.*
qui habitant domus luteas? Domus luteas quippe habitant
animæ noſtræ, quandiu in hoc terreno domicilio continen-
tur: iuxta Salomonis: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat* *Sap.9.*
animam, & terrena inhabitatio, deprimit ſenſum multa cogi-
tantem. Et Seneca animum hominis, Deum in terrena do- *Seneca.*
micilio hoſpitatum, definiuit. Quæ domus non lapideæ non
æreæ, ſed luteæ appellantur, propter carnis noſtræ fragilita-
tem, quæ ab adoleſcentia ſua ad malum inclinata eſt. Animæ
igitur noſtræ, iſtarum domorum habitatrices, velut à tinea
conſumentur. Nam hoc eſt tineæ peculiare, quod eandem
veſtem, in qua gignitur, corrumpit & corrodit: ita ex carne *Simile.*
noſtra beſtialis oritur concupiſcentia, quæ eandem carnem
ſimul & animam lacerat. Eſt ergo Iobi argumentum: ſi ſpiri-
tus angelici, cœleſtéſque illæ creaturæ, quæ nulla carnis mole
premuntur, à veritate gratiæ in qua conditi fuerunt, ceci-
derunt, & à culpa non fuerunt alieni: quanto magis nos, qui
debiles & carnales ſumus à peccato omnino immunes non
erimus? Ex quo ſequitur, quod dum in carne viuimus, nemo *Nemo de*
poteſt certò ſcire, an ſit in gratia & amicitia Dei, quia nemo *ſua gra-*
ſcit, vtrum odio, vel amore dignus ſit: quare neque iuſtificare *tia cer-*
noſmetipſos debemus, aut de noſtris meritis præſumere: *Nihil* *tus eſt.*
mihi conſcius ſum, dicebat Paulus: *Sed in hoc non iuſtificatus* *Concil.*
ſum. Et patientiſſimus ille Iob: *Si lauero me quaſi aquis ni-* *Trid. ſeſ.*
uis, & fulſerint quaſi mundiſſima manus mea, abominabuntur *6.cap.9.*
me veſtimenta mea: quaſi dicat, delicta quis intelliget, & in- *1. Cor.4.*
teriores mentis maculas quit cognoſcet? Vnde ſi opera mea *Iob 9.*
mundiſſima iudicauero: tamen adhuc contingere poterit, im-
munda eſſe & iniuſta, & quòd meipſum veſtimenta mea abo-
minentur, tanquam iniuſtum & impurum. Sanctus quidem
erat

Digitized by Google

erat Iacob, & in nullo offenderat ſocerum ſuum: tamen magno diſcrimini ſe expoſuit, quando iuſtificans ſemetipſum.
Gen. 31. Geneſ. 31. dixit: *Apud quemcunque inueneris Deos tuos necetur coram fratribus noſtris, ſcrutare, quidquid tuorum, apud*
Figura. *me inueneris, aufer.* Ignorabat enim, quòd Rachel furata eſſet Idola. Sic vir iuſtus, dum hac carne mortali comitatus incedit, ſeipſum iuſtificare non debet quia licèt nil ſibi conſcius ſit, tamen caro noſtra ad ſurripienda Idola, & voluptates amplectendas, eſt procliuis, & multoties nobis inſciis, ad idola prohibita, manus ſuas extendit. Quare nemo de ſua iuſtitia debet præſumere. Solus Chriſtus Redemptor noſter potuit dicere liberrima illa verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*
Ioan. 8. Ioannis 8. & alibi: *Venit Princeps mundi huius, & in me non ha-*
Ioan. 14. *bet quicquam. No tiene en mi prenda de que poder aſir.* Habet aliquid Diabolus in peccatoribus, ſed non æqualiter in omnibus, quoniam in aliis plus, in aliis minus habet. In illo enim qui mortali peccato eſt obnoxius, multum habet, quoniam totam illius animam poſſidet, tanquam proprium domicilium
Iob 37. & habitaculum. Quare de illo agens, ait Iob: *Ingredietur beſtia latibulum ſuum, & in antro ſuo commorabitur* Beſtia nomine,
D. Greg. iuxta Diui Gregorij ſententiam, libro tertio moral. capite ſecundo Diabolus intelligitur, quia licèt rationalis ſit, tamen ſicut beſtia ferociſſima in hominē deſæuit. Et ad hunc ſenſum
Doctor Incogn. interpretatur Doctor Incognitus, verba illa Pſalmi ſeptuageſimi tertij. *Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi.* Harum be-
Pſal. 73. ſtiarum latibula ſunt peccatorum animæ & conſcientiæ. Tunc beſtia latibulum ſuum ingreditur, quando homo Dæmonis tentationi conſentit: tunc in antro commoratur, quando in peccato cui conſentit, perſeuerat. Alij ſunt in quibus aliquid habet Diabolus, parum tamen, quales ſunt illi, qui ſolùm venialibus ſubiacent. In his autem non inhabitat, quia charitatem habent, quæ per venialia non amittitur, tamen aliquid habet in eis, quia ius habet ad affligendos illos temporali pœna. Solus Chriſtus per naturam, ab omni culpa fuit alienus, & in eo quicquam non habuit Sathanas: quia nec peccauit, nec peccare potuit. A qua lege etiam glorioſa eius mater, per priuilegium & gratiam eximitur? quæ ab omni labe peccati fuit immunis, ſicut decebat Dei matrem, quibus exceptis, omnes legi peccati ſubiacēt: quare pro remiſſione illius, decet illos orare.

Secunda explicatio. Secundo modo poteſt verſus hic intelligi, de remiſſione pœnæ, culpæ reſpondentis, pro qua omnis Sanctus ſemper orare

orare debet. Remiſſa enim culpa per pœnitentiam, pœna æterna quæ illi erat debita in temporalem commutatur, pro qua debet quis ſatisfacere, vel in præſenti operibus ſatisfactoriis, vel in futuro purgatorio igne. Sunt autem huius ſatisfactionis tres partes, ieiunium, eleemoſyna, & oratio: quæ triplici peccatorum radici correſpondent. Eſt enim triplex radix peccati ſecundum illud primæ Ioannis ſecundo. *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Contra concupiſcentiam carnis valet ieiunium, contra concupiſcentiam oculorum, ſcilicet auaritiam, eleemoſyna, contra ſuperbiam vitæ, oratio humiliantis ſe, quæ cœlos penetrare ſolet. Recte ergo cùm de ſatisfactione agat Dauid, inquit: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus.* *Satisfactio neceſſaria.* *1. Ioan. 2.* *Scotus in 4. diſt. 15. quæſt.*

Sed dicet aliquis, poſtquam Chriſtus iam pro nobis ſatisfecit, ſanguinémque ſuum abundè fudit, crudeliſſimam mortem perferendo, ad quid noſtra ſatisfactio requiritur, poſtquam iam culpa per contritionem deleta eſt? Dico quòd non eſt peccatori neceſſarium, ſub pœna noui peccati mortalis, aliam in hoc ſeculo ſatisfactionem vltra contritionem & confeſſionem, ſuperaddere, ſed eam ad placitum poteſt, vel in hoc, vel in futuro ſoluere. Eſt tamen neceſſaria ſatisfactio in præſenti vita, ex ſuppoſitione (vt aiunt Theologi) ſcilicet; ſi homo vult plenam in præſenti vita, peccatorum remiſſionem conſequi, & alterius ſeculi ſeueriſſimam vindictam euadere. Vnde Concilium Tridentinum ſeſſione 4. ſub Iulio 3. capite 8. & Canon. 12. determinat, ſatisfactionem eſſe neceſſariam, & anathematizat eos, qui dixerint, quòd ſemper, ſimul cum culpa pœna omnis remittitur, & quod noſtris operibus non ſatisfacimus Deo, pro pœna temporali, in quam æterna peccato debita, commutata eſt. Et vt hæreticos huiuſmodi ſatisfactionem negantes, confundere poſsimus, ex aliquibus Scripturæ teſtimoniis, illius neceſsitatem corroboremus. Patet enim ex 2. Reg. 24. vbi cùm Dauid, de peccato quo populum numerare fecerat, vel ex quadam animi elatione, aut ex Dei diffidentia, veniam per pœnitentiam eſſet adeptus: ſatisfactionem vlteriorem Deus exegit, hoc eſt pœnam aliquam, cuius electio, ipſi Dauid conceſſa eſt. Dixit enim illi Propheta Gad. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his: aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur, aut tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* *Dubium.* *Solutio.* *Concil. Trid. ſeſ. 4.* *2. Re. 24.*

Et

Digitized by Google

Et hoc vltimum elegit, melius iudicans incidere in manus Dei, quàm in manus hominum. Numerorum etiam 12. Maria ſoror Moyſi, poſt obtentam veniam de peccato ſuo (murmurauerat enim in Moyſem) ſeptem diebus manſit ex ſententia Domini extra caſtra, lepra in ſuperficie eius ſuperfuſa. Ozias Rex qui ſacerdotis officium contra diuinum præceptum vſurpauerat, poſt actam pœnitentiam, manſit per vitam ſuam leproſus. Sed quid immoror in hoc probando, cùm in Ioele c.2. luce clarior hæc veritas contineatur? Dicitur enim ibi: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & plãctu.* Quòd ſi ſola contritio & conuerſio peccatoris, ſufficiens eſt, ad culpam & pœnam remittendam, quorſum in ieiunio, fletu, & planctu, conuerti præcipimur? Hoc Eccleſia à ſuis (vt aiunt) incunabulis ſentit, hoc à maioribus fideles acceperunt, hoc Doctores ſancti tam antiqui, quàm moderni, ſemper docuerunt: quomodo ergo hæretici noſtri temporis Gnoſtici, inquam, veſtigia Audianorum ſequentes contra quos Theodoretus inuehitur, libro hæreticarum fabularum, ſatisfactionem à pœnitentia excludunt? D. Auguſt. in ſermone de monte, inquit, Satisfactio à Ioanne præcipitur, vbi ait, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, ſcilicet, vt ſecundùm qualitatem, & quantitatem culpæ, ſit qualitas, & quantitas pœnæ. Non enim par debet eſſe fructus boni operis, eius qui minus peccauit, & eius qui grauius cecidit. Idem etiam habetur in gloſſa 2. ad Cor. 13. Non ſufficit peccatori mores in melius commutare, & à malis recedere, niſi, & de his quæ facta ſunt, Domino ſatisfaciat per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. D. Hieronym. in Ezechielem lib. 8. Vbi dicitur, *& accingetur cilicio*, ait: Vetus lumborum libido damnatur: vt qui vixerant in deliciis, poſtea pœnitentes viuant in auſteritate & duritia. Et in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium Epiſtola 27. in hæc verba prorumpit: Affligendum eſt corpus quod multis vacauit deliciis, longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu, mollia linteamina, & ſerica precioſiſſima aſperitate cilicij commutanda: defluant oculi lachrymis, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt, palleſcat facies quæ quondam viruit impudicè, denique totum corpus incuria maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat, quia male ſibi de pulchritudine placuit. Cor verò ſit liqueſcens ſicut cera, ieiuniis inquietans ſeipſum & cogitationibus ventilans, quare ſit ab inimico ſubuerſum, ſenſus etiam crucietur, quia in membra corporis, cùm haberet

Num.12. *2.Par.26* *Ioel.2.* *Thedor.* *D.Aug.* *Gloſſa.* *D.Hier.*

domina

dominationem,malo ceſſit imperio. Talis vita,talis actio pœnitentiæ,ſi fuerit perſeuerans,audebit ſperare,& ſi nō gloriam, certè pœnæ vacuationem. Tertullianus libro de pœnitentia: Offendiſti,inquit, ſed reconciliari adhuc potes. Habes cui ſatisfacias,& quidem volentem, id ſi dubitas, euolue quæ ſpiritus Eccleſiis dicat. Deſertam dilectionem Epheſiis imputat, Apocal. 1. Stuprum & idolotytorum eſum Tiatirenis exprobrat;Sardios non plenorum operum incuſat.Pergamos docentes peruerſa reprehendit. Laodicenos fidentes diuitiis obiurgat. Et tamen omnes ad pœnitentiam commouet,ſub comminationibus quidem. Et ibidem Satisfactio confeſſione diſponitur,confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur.D.Gregorius lib.4.Commentariorum in 1.Regum 9. In illa Samuelis verba ad Saulem dicta : *Ecce quod remanſit pone ante te:*Remanſit quidem,inquit,quia non omnia noſtra Chriſtus expleuit. Per crucem quidem ſuam omnes redemit, ſed remanſit, vt qui redimi, & regnare Deo nititur, crucifigatur, præceſſit Chriſti crux, noſtra conſequitur, præceſſit prima illa per Chriſtum ſatisfactio, conſequitur & noſtra. Ad hunc ſenſum debemus intelligere verba illa D. Pauli ad Colloſſ.1. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Agebat enim de laboribus quos in prædicatione Euangelij perpeſſus eſt.Sed nunquid aliquid paſſioni Chriſti defuit,cùm Propheta dicat : *Et copioſa apud eum redemptio ?* Abſit : fuit quidem redemptio Chriſti copioſiſſima quantum ad ſufficientiam, ſed quantum ad efficaciam,aliquid ex parte noſtra requirit : opera ſcilicet rectè facta quæ niſi fiant, paſſio quidem & ſatisfactio Chriſti ſufficiens erit,ſed efficax nobis non erit. Pillulæ enim à medico in medicinam & infirmi ſalutem ordinatæ, de ſe ſufficientes ſunt ad purgandum humorem, infirmum curandum, & conferendam ſalutem : at, ſi non ſumantur ab infirmo, & intra ſtomachum recipiantur, vt ibi operari poſſint, quid illi proderunt ? Profectò nihil, ſed adhuc in ſua infirmitate manebit : Sic paſſio Chriſti, licèt ſufficientiſſima ſit ſpiritualium infirmitatum medela, tamen ſi deſidia noſtra, per opera à nobis exhibita non applicetur, vel per veram pœnitentiam ad delendam culpam, vel per operum ſatisfactionem, ad remittendam pœnam, inefficax erit nobis. Non enim omnia paſsioni Chriſti relinquenda ſunt, neque in ſatisfactionem eius ſolùm omnia peccata noſtra reiicienda, ſed etiam nos pœnitentiæ & bonis operibus debemus admouere manum : ne illud Dauidicum nomine Chriſti dictum, nobis

Tertul.

D.Greg.

Colloſſ.1.

Pſal.129

Chriſtus ſatisfecit pro omnibus ſufficienter non efficaciter.

Simile.

Pſal.128. impingatur: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Ille enim ſupra dorſum Chriſti totam peccatorum ſuorum fabricam conſtruit, qui omnia ſatisfactioni eius relinquit, quaſi ſatisfactio peccatoris propria, nullo modo ſit neceſſaria. Sunt quidem ſupra dorſum Chriſti peccatorum pondera imponenda: nam & *pater poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum* (vt cùm Iſaia loquar: (Verè enim languores noſtros ipſe tulit, & labores noſtros ipſe portauit ad ſatisfaciendum pro eis: verùm non ideò humerus peccatoris ab eiſdem peccatis omnino eſt ſubtrahendus. Sentiat peccati pondus cor, quod leuitatem eius commiſit, experiatur amarum ſicut prius expertum eſt dulce, doleat de culpa, ſicut prius de voluptate gaudebat: D. Hieronymus ſic vertit hunc verſum: *Supra ceruicem meam arabãt arantes, prolongauerunt ſulcum ſuum*: & ſicut etiam habet Felicis verſio, quaſi diceret: Ideò peccatores ſulcos iniquitatum ſuarum protraxerunt, ideò à peccatis ſuis non amouent manum, neque conuertuntur, quia ſupra ceruicem meam arant, & ſupra dorſum meum peccata ſua conſtruunt, ſatisfactioni meæ ſolùm innitendo. Si enim ſupra ceruices ſuas ararent, & ſatisfactionem operum ſuorum neceſſariam eſſe, ſibi perſuaderent: forſitan ſulcos culparum ſuarum, & peccatorum fabricam, non tantum prolongarent. Diuus Paulus in ea quam ad Hebræos ſcripſit, de Chriſto ſeruatore noſtro agens, ſic ait: *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Non enim æterna ſalus omnibus promittitur, licèt pro omnibus ſit paſſus & mortuus, ſed ſolùm ſibi obtemperantibus & obſequentibus: quibus paſſio Chriſti, & fuſus eius ſanguis virtutem & efficaciam præſtat. Non longè ab hoc propoſito videtur eſſe locus ille Iſaiæ capite 21. vbi Idumæos introducit ad Deum clamantes, & ab eo efflagitantes auxilium. Erant enim in tribulatione & calamitate conſtituti: qui dicebant: *Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte?* Id eſt: ô ſupreme Deus hominum defenſor & cuſtos, defende nos in hac tenebroſa calamitatum, & miſeriarum nocte. Quibus cuſtos præbuit reſponſum. *Venit mane & nox ſi quæritis: conuertimini & venite.* Vbi ſeptuaginta verterunt: *Cuſtodite propugnacula, cuſtodite propugnacula:* cuſtodio mane & nocte. Cuſtodi Domine populum iſtum, dicebant Idumæi, vide quanta nobis immineant mala, en præſens, adeſt pallida mors, gladius aduerſus nos ſuſcitatur, & hoſtis ciuitatem noſtram ex omni parte circundat. Annuit Deus eorum petitioni dicens: *cuſtodio quidem mane & nocte*, id eſt, inceſſanter

Iſaia 53. — *Verſio D. Hier.* — *Hebr. 5.* — *Iſaia 21.* — *Septuag. interpr. verſio.*

Digitized by Google

inceſſanter vos cuſtodiam, veruntamen, ô Idumæi, voſmetipſos etiam cuſtodite, & propugnacula veſtræ ciuitatis obſeruate. Cuſtodes & vigiles ſuper muros conſtituite, reficite mœnia, eligite Duces, congregate milites, & arma ad bellum neceſſaria præparate. Obſeruabo quidem, ſi tamen vos ex parte veſtra, quod in vobis fuerit feceritis. Sunt aliqui Idumæis ſimiles, qui ſaluari cupiunt, & à mundi periculis liberari. Clamant ad cœlum quotidie diuinam implorantes opem, & auxilium Dei poſtulantes: ipſi verò, circa ſuam ſalutem nihil operantur, pœnitentiam negligunt, crucem oderunt, & conuerſionem differunt, morti Chriſti, & paſſioni eius innitentes, quaſi opera noſtra poſt ſatisfactionem Chriſti requiſita non eſſent, vel ad delendam culpam, vel ad remittendam pœnam. Quibus idem quod Idumæis dici poteſt; *Cuſtodite propugnacula, cuſtodite propugnacula: cuſtodio mane ac nocte.* Vos etiam quod veſtrum fuerit facite, peccata deteſtamini, ad me per veram pœnitentiam conuertimini & debitam pro peccatis ſatisfactionem facite, vt perfectam eorum remiſſionem accipiatis. Attendens igitur Pſalmiſta quod inter opera ſatisfactoria principem locum tenet oratio, ideo in præſenti verſu inquit: *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus.*

Facienti quod in ſe eſt, Deus gratiam non denegat.

Sed aduerte quod ſequitur: *In tempore opportuno.* Quod tam ad remiſſionẽ culpæ quàm pœnæ debet referri. Sunt enim aliqui, qui peccatorum pœnitentiam, & culparum ſuarum ſatisfactionem, vſque ad ſenectutem differunt, vel mortis articulum: totam vitam in vanitatibus, deliciis, & voluptatibus tranſigentes, ſolùm mortis momentum pœnitentiæ & conuerſioni deputant; non attendentes, quòd tẽpus illud neque opportunum eſt ad pœnitendum, neque ad veniam impetrandam ſecurum. Quia tunc ægritudo viget, dolor vrget, infirmitas aggrauatur, & mors ipſa præſentia ſua terret. Quare ſenſus omnes hebetantur, & ratio variis cogitationibus implicata, ad ea quæ ſalutis ſuæ ſunt, minus apta inuenitur. O Deus infinitæ clementiæ! quot ſunt, qui modo ardent in inferno, & miſerabiliter cruciantur, eò quòd pœnitẽtiam de die in diem vſque ad mortis articulũ diſtulerunt: quos tamen ſua fefellit opinio, & à mortis doloribus præoccupati, ſine pœnitentia ſufficienti deceſſerunt: Exod. 14. Cùm Pharao Rex Ægypti aquis iam pœnè ſubmerſus potentiam Dei agnoſceret, dixit: *Fugiamus Iſraël, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Qui retrocedere volens, iam aquæ maris ſimul cõuenerant, & inuium iter remanſit: qui, vt ſerò ſapuit, miſerabiliter in medio fluctuum ipſius

Exod. 14

maris periit,& in infernos ſepultus eſt. Huic ſimiles ſunt peccatores,qui per totum vitæ curriculum Deo rebelles cùm fuerint,in mortis articulo,Dei potentiam,& vltricem manum intuentes,ad eum vellent conuerti : inefficaciter tamen,& inutiliter, quia praua conſuetudo pellectum trahit affectum , ne ad Deum toto corde conuertantur, quod ex praua conſuetudine,

2.Reg.2. importunitate temporis contracta prouenit.Habetur 2.Reg.2. quòd cùm pugnaſſet Ioab Dux Regis Dauid cõtra Abner Ducem exercitus Iſraël, dixit Abner ad Ioab,*num vſque ad internecionem,tuus mucro deſæuiet ?* cui Ioab reſpondit. *Viuit Dominus,ſi locutus fuiſſes mane , receſſiſſet populus* : quaſi diceret. Serò ſapuiſti, iacta iam eſt alea , tempus induciarum aut pacis iam non eſt,ſed belli,& ſanguinis.Ecce viuis coloribus peccatoris ingenium depictum. Ambulat enim peccator per totum diem contra Deum extento collo (vt verbis Iob vtar) & cõtra omnipotentem roboratur,pinguíque armatur ceruice,& poſtquam per integrum vitæ diem, bellum cum eo geſsit, veſperè mortis,ab eo inducias petit. O Domine pacem mihi concede, locúmque pœnitendi præſta,quia vellem quæ ignoranter feci, in melius emendare. Cui Dominus reſpondere poterit : viuo ego ſi locutus fuiſſes manè,petitioni tuæ acquieſcerem,peccatáque tua remitterem: ſed quia ſerò ſapuiſti & pœnitentia tua non eſt vera,ſed coacta & ficta, petitio erit inutilis,& in æternum peribis.Age igitur peccator, rumpe moras, neque in craſtinum pœnitentiæ ſatisfactionẽ differas:irritas fac, quas cum mundo veteres amicitias iniiſti , frange vincula peccatorum, & operare dum dies eſt,quia veniet nox quando nemo operari poteſt. Nox enim mortis aut ſenectutis ad agendam pœnitentiam & vitæ auſteritatem ſectandam,opportuna non eſt.

Per aquã tribulatio intelligitur. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum, &c.* Aquarum nomine tribulationem intelligit Propheta, ſecundùm conſuetiſsimum ſcripturæ morem.Dicitur enim Iſaiæ 48.*Iuſtitia tua ſicut gurgites maris.* Et Oſeæ 5. tribui Iuda & Beniamin com-

Iſaia 48. minatur dicens : *Effundam ſuper eos quaſi aquam iram meam.*

Oſea 5. Ecce quomodo tribulatio à Deo immiſſa ad peccatorum vindictam aquæ effuſæ comparatur : quoniam ſicut aqua impetu currens,& torrens aliquis immodicis imbribus & niuibus diſſolutis exaſperatus multa diſsipare ſolet : ſic tribulatio à Deo

Pſal.68. immiſſa in peccatorum vltionem,ſolet deſæuire. Pſalm.etiam 68.dicitur : *Saluum me fac Deus , quoniam intrauerunt aquæ*

Incognit. *vſque ad animam meam.* Quæ verba dum expenderet Incognitus,inquit. Rectè enim per aquas aduerſitas vitæ præſentis figuratur:

Digitized by Google

figuratur;quoniam ſicut in aqua,res leues ſupernatant, & emi- *Simile.*
nent,vt ligna: res autem graues, ſubmerguntur, vt plumbum & ferrum: ſic leues & bonos homines, peccati pondere non grauatos,aduerſa ſurſum eleuãt per gratiam,& ad Deum ipſorum mentes dirigunt,ſed malos,& graues,ſcilicet peccatis implicatos, per impatientiam ſubmergunt. Et hoc eſt quod dicitur Sapient.10. *tranſuexit illos,* ſcilicet, bonos,*per aquam nimiam: inimicos autem eorum,*ſcilicet malos,*demerſit in mare.* *Sap.10.*
Cùm ergo aquarum appellatione tribulatio intelligatur,& inter omnes tribulationes ſummum gradum mors obtineat, iuxta illud Ariſtotelis: *Omnium terribilium terribiliſſimum eſt mors,*iure optimo per diluuium aquarum multarum,tribulationem mortis intelligere poſſumus. Cui interpretationi fa- *Ariſtot.*
uent D.Hieronymus & D. Auguſtinus. Erit igitur ſenſus germanus huius verſus, quòd in tempore opportuno, ad Deum confugere debemus, ad poſtulandam peccatorum noſtrorum veniam, quia in diluuio aquarum multarum, ſcilicet in hora mortis, petrati erunt, qui poſtquam totam vitam in peccatis tranſegerint, ad eum per veram pœnitentiam appropinquent. *D. Hier. & Aug.*
Sed non vacat myſterio quòd dolores mortis & tribulatio illa maxima,diluuio comparetur.Nam ſicut illi qui diluuio perierunt, vana quadam confidentia erant præditi,non credentes prædicationi Noë viri iuſti, qui licèt mundi ſubuerſionem & peccatorum pœnitentiam illis prædicaret:videbatur tamen eis quaſi ludens loqui, & non credebant illi, ex quo factum eſt quòd venit ſuper eos repente diluuium & inundatione aquarum ſubmerſi ſunt:ſic qui pœnitentiam ad diem vſque vltimũ differunt, plus debito,vitæ confidentes,à vana ſua confidentia fallentur, & repente ſuper eos veniet tribulatio mortis, ad inſtar diluuij,locũ pœnitentiæ illis denegans.Et ad hunc ſenſum verba illa Saluatoris poſſunt intelligi,quæ habẽtur Matth.24. *Sicut enim in diebus Noë erãt comedentes & bibentes,& venit ſuper eos diluuium: ita erit aduentus filij hominis.* Quæ verba etſi de generali iudicio communiter intelligantur, poſſunt nihilominus de aduentu per mortem vniuſcuiuſque etiã intelligi.Quare Iob de impiis agens,cap.34.inquit:*Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertranſibunt, & auferent violentũ abſque manu.* Deſumpta eſt metaphora, ex eo quod in morte alicuius tyranni,ſolet contingere. Populi enim videntes alicuius Principis tyrannidem & iniuſtitiam, ſolent contra eum inſurgere & illum de medio tollere: quare *media nocte* rebellionem parant, vt eũ ſecurius occidant, & auferant, *Geneſ.7. Mat.24. Mat.24. Iob 34. Metaphora.*

tanquam violentum tyrannum & gentium oppreſſorem. Et hoc *abſque manu*, id eſt, nullo negotio, ſed ſumma facilitate. *Sin hechar mano à la eſpada*. Sic nimirum, inquit, impij qui Pharaonis duritiem imitantes, pœnitentiam agere contemnunt, ſubito morientur: & dum non ſperatur, veniet eis repentina calamitas. Nam hac animaduerſione ſolet percuti peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei. Huc ſpectat viſio quædam Amos Prophetæ, capite octauo qui interrogatus, quid nam videret, reſpondit: *Vncinum pomorum ego video*: & ſtatim vocem audiuit: *Venit finis ſuper populum meum Iſraël*. Alia litera habet: *Aucupium, vel vas aucupis ego video*, id eſt, rete vel inſtrumentum ad aues capiendas: quam tranſlationem Theodoretus interpretatur, & ſequitur ſtatim: *Venit finis ſuper populum meum*, quaſi dicat, ſic erit populi mei finis, & repentinus interitus. Fingite mentibus veſtris aucupem, qui tendiculas ſuas paratas habeat, retéque extenſum, ad aues capiendas, qui tamen, cùm viderit eas dulcius garrientes, & ſecurius grana deguſtantes, retia ſuper eas ſubito expandit, vt captas occidat. Non ſecus, inquit Deus, finis veniet ſuper populum meum: cuius obſtinatio & durities tanta eſt quòd comminationibus non mouetur & flagellis non emendatur, ſed ſemper in ſuis vitiis, & voluptatibus perſeuerat. Quare cùm maiorem ſibi ſecuritatem promittent, tunc repentè veniet ſuper eos mors, & indignatio mea. O anima peccatrix, ſaxis durior, adamante fortior, & dæmonibus ipſis obſtinatior, quouſque tandem patientia Dei abutens, in tuis voluptatibus perſeuerabis? Caue frater ne te imparatum mors inueniat, & cùm ſecuriùs voluptatibus, & illecebris carnis te tradideris, antequam reſipiſcere poſſis, & ad meliorem mentem redire, mors ipſa ſuper te ſuum expandat rete. Age dum ſanus es, quod forſan tibi non licebit ægrotus. Age pœnitentiam quando peccare tibi liberum eſt, & tunc de peccatorum remiſſione ſecurus eris. Quoniam ſi eo tempore pœnitentiam egeris, quo iam peccare non poſſis, veniam peccatorum tuorum tibi certam non facies. Adumbratum eſt hoc Leuitici quinto, vbi in oblatione illius, qui iuxta legem, nec pecus, nec columbas, nec turtures offerre valuit: oleum in ea mitti, aut thus, prohibetur. Ille quidem pro peccato ſuo pecus offert, qui in bonis operibus exercetur: qui corpus ſuum, vigiliis, ieiuniis, & flagellis affligit: qui pauperibus miſericordiæ opera impendit. Ille verò columbas, aut turtures ſolas propter paupertatem offert, qui cùm bona opera explere non poſſit, ſuam impotentiam ſicut turtures,

Iuſtè ſui obliuiſcitur in morte qui viuens Dei oblitus eſt.

Amos Propheta, cap. 8.

Nota.

Simile.

Leuit. 5.

Figura.

Digitized by Google

turtures,aut columbæ gemebundæ deflet. Et huiuſmodi , qui bonum quod affectant, exequi non valent , pro hac ſola bona voluntate , diuinæ reconciliationis mercedem recipient. Sunt tamen aliqui tam pauperes, qui neque hoc etiam ad offerendum pro ſui peccati remiſſione impetranda,habent: veluti ſunt illi,qui morte appropinquante , pro multis quæ contra Deum commiſerunt , nullam habent aut boni operis, aut bonæ voluntatis oblationem , quam poſſint offerre : ſed quia dum ſupereſt halitus,non eſt recluſa peccatori via ſalutis , neque interdicta pœnitentia,adhuc illi oblationem offerre conceditur, ſed oleum in ea non mittitur : quia talibus,qui vſque ad mortem pœnitentiam differunt, certa miſericordiæ ſpes promitti non poteſt. Thus etiam in tali oblatione apponi non permittitur,quia talibus,orationis fiducia, quantum eſt ex parte ſua, ſubtrahitur. Ne ergo in has deueniamus anguſtias , tempore opportuno ad Deum accedamus , & veniam peccatorum noſtrorum ab eo poſtulemus , qui ſolus poteſt illam præſtare. Oremus etiam ſupplices pro remiſſione criminum , cùm omnes peccatores ſimus, quia nemo eſt quantumuis ſanctus, qui omnino à peccatis,ſaltem venialibus,ſe excuſare poſſit.Itidem pro remiſſione pœnæ orandum eſt,ne in futurum nobis reſeruetur,& hoc in tempore apto & opportuno,ne in tẽpore mortis, doloribus & infirmitatibus , quaſi aquis diluuij ſuffocati, ſubmergamur : & ita fiet,quòd remiſſionem culparum conſequentes, gratiam adipiſcamur & gloriam.

CONCIO QVINTA.

Tu es refugium meum , à tribulatione quæ circundedit me : exultatio mea, erue me à circundantibus me.
Intellectum tibi dabo,& inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.

HOc vnum eſt inter alia , cui Deus ſummum ſtudium & infatigabilem curam adhibet , nimirum,in ſeruis ſuis,& amicis,ex quocunque periculo , & tribulatione eripiendis. Adiutor enim *Pſal.45.* eſt in tribulationibus , quæ inuenerunt nos nimis. Ipſe namque cognoſcit figmentum noſtrum, & imbecillitatem noſtram optimè nouit,quorum fortitudo non eſt la-

pidea, neque caro ænea, vt per ſe laboribus, calamitatibus, & periculis, quibus vndique obſidetur, poſſit reſiſtere. Poteſt enim homo ſeipſum perdere, & in profundum miſeriarum baratrum præcipitare, ſed inde ſine Dei auxilio exire non poteſt. *Perditio tua Iſraël ex te tantummodo, in me auxilium*
Oſeas 13. *tuum*, ait per Oſeam: Sine me nihil poteris, mecum autem quæcunque magnifica & ardua aggredi poteris. Eſt ad hoc
Iſai.41. propoſitum quidam locus in Iſaia, capite quadrageſimo primo quo vtrumque comprobatur, & hominis imbecillitas, & Dei fortitudo ad auxiliandum. *Noli timere vermis Iacob, quia mortui eſtis ex Iſraël, quia ego auxiliator ſum tui, ego poſui te quaſi plauſtrum triturans montes.* Alloquitur hîc Apoſtolos, quos vermes deſpicatiſſimos vocat, qui ab omnibus, contemnuntur & conculcantur, & hortatur eos, ne à potentia mundi phantaſtica paueant, quæ contra eos nullatenus præualere poterit. *Quia*, ego, inquit, *auxiliator ſum tui.* Ego, qui fortitudinem vobis præbebo, & ab omnibus eruam periculis. Et quidem imbecillitas veſtra mea fortitudine adiuta, tam fortis erit: quòd eritis quaſi fortiſſimum plauſtrum dentes ferreos habens, ad terrendos ſuperbiſſimos montes, ad deuincendos Reges & Principes tyrannos, & eorum tyrannidem reprimendam. O bone Deus, quam fortiſſima plauſtra fuerunt Apoſtoli, poſtquam ærea illa virtute ex alto illis ſuperueniente, fuerunt roborati. Quæ facinora non ſunt aggreſſi? quas palmas non ſunt conſecuti? quas victorias de inimicis ſuis non reportârunt? quæ pericula non ſunt experti? quas difficultates non deuicerunt? Fuerunt enim quaſi plauſtra noua & validiſſima, quæ omnem mundi potentiam ſolo coæquârunt. Contriuerunt Princepes & mundi monarchas & tanquam triticum in Eccleſiæ horrea reponendum à puluere, & paleis idololatriæ, induſtria ſua repurgârunt. O magna Dei virtus & admirabilis potentia, ex vermibus plauſtra ferrea facit, ex puluere Principes conſtituit, & ex mortuis fortiſſimos Duces ſuſcitat. Vt inde intelligas, quod ſine Deo omnis potentia eſt impos: cum illo autem, impotentia potens. Sine illo vita mortua eſt, cum illo autem mors ipſa viuens. Hinc eſt quòd patientiſſi-
Iob 17. mus ille Iob tantùm auxilio huic fidebat, dicens: *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me: Pone me Señor en vueſtro cuerpo de guardia, que ay eſtara mi cuerpo muy bien guardado.* Omnis enim manus inualida erit, contra eum cui tu dederis manum. Si te ad manum habuero, nulla manus quantumuis potens & valida, erit mihi timenda. Hinc etiam fiducia

Iuxta Hieron. & Procopium Apoſtolos alloquitur.
Apoſtolis fortitudo vnde.

Digitized by Google

fiducia & ſecuritas Eccleſiæ naſcitur, & omnium filiorũ eius, qui ſuo gremio fruuntur, & ſponſi ſui fidem amplexantur. Habent enim Deum adiutorem. Quare, licèt fremat mundus, deſæuiant tyranni, Barbari, & hæretici in ſua feritate & armis confidant, tamen Eccleſiæ firmitatem ſuperare non poterunt: quia noſtra infirmitas, illius virtute, qui omnipotens eſt, adiuuatur. Eſt locus quidam in Iſaia, capite trigeſimo quinto de hac Eccleſiæ firmitate agens: qui à nobis in præſenti harũ explicandus eſt ad fidelium conſolationem. Neque abs re erit hiſce temporibus aliquid in noſtris concionibus, de ſtabilitate Eccleſiæ dicere, quando Chriſti ſponſa, per totum terrarum orbem diſperſa calamitatibus diuexatur, ſacrilegis linguis maledicitur, & infideliũ manibus dilaniatur. Promittit ergo Dei nomine Propheta magnam Eccleſiæ ſecuritatem, & ait: *Oculi tui videbunt Hieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum.* Per *Hieruſalem* Eccleſiam intelligit, quæ videns Deum interpretatur, quia ſola Eccleſia Deum videt per fidem. Et hanc *tabernaculum* appellat, quia iuxta Apoſtoli dictum: *Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Sed hoc tabernaculum non eſt inſtar Synagogæ, quod inſtabile fuit, ſed firmiſſimum & ſtabile, & vſque ad ſeculi finem duraturum. *Ecce*, inquit, *vobiſcum ſum vſque ad finem ſeculi.* Et hoc eſt: *Non auferentur claui eius vſque in ſempiternum. Locus fluuiorum*, inquit, *riui altiſſimi & patentes.* Hoc ſpectat ad ſecuritatem, quod dupliciter exponi poteſt. Primò quòd fluuiis profundiſſimis cingetur ipſa ciuitas vndequaque, ne inimicis pateat aditus, quod ad munimen & fortitudinem cuiuſuis ciuitatis ſpectare ſolet. Secundò quòd licèt hæc ciuitas profundiſſima flumina habeat, tamen erunt omnibus patentia, neque aliquo præſidio indigebunt: quia tanta erit illius ſecuritas, quòd nauis extranea aut inimica, etiamſi portus omnibus pateat, illuc accedere non erit cauſa. *Dominus*, inquit, *exercituum iudex noſter, Rex noſter*: quaſi dicat, tali patrono & defenſore, nihil nobis erit timendum. Laxati ſunt funiculi tui, ſed non præualebunt. Sic erit malus tuus, vt dilatare ſignum, non queas. Tanta namque tranquillitate & pace frueris, ô ciuitas ſancta, quòd naues & triremes erunt in portu ocioſæ. *Eſtaran las naues en el puerto ſurtidas*, quia neceſſariæ non erunt. Vnde malus nauis confractus erit, vela collecta, & funes diſſipati: quod accidere ſolet, quando ciuitas aliqua ſumma pace perfruitur, neque ab aliquibus inimicis infeſtatur.

Securitas Eccleſiæ.

Iſai.35.

D.Cyrillus, & Procopius.

Matt.18.

Digitized by Google

feſtatur. O fœliciſſima illa tempora hæc,inquam,noſtra,quæ tali pace & ſecuritate gaudent! fœlices ciues, quibus talia beneficia contingunt! & fœlix ille qui tali & tanto domino ſeruit, quem ab omni periculorum metu & inimicorum minis, defendit & protegit! *Si conſiſtant aduerſus eum caſtra non timebit cor ſuum, ſi exurgat aduerſus eum prælium,in illo ſperabit & confidet.* Quis non diui Petri confidentiam miretur? qui

Act.12. cùm ad crucem iam damnatus eſſet,carceri incluſus,& in craſtinum producendus:erat nihilominus ipſa nocte inter armatos milites dormiens, etiamſi duabus catenis vinctus, & licèt occidendus:tamen magna confidentia dormiens, quia diſcalciatus & nudus, ac ſi domi in lecto iaceret. *Calcea te*,inquiebat Angelus, & excitare illum non poterat, quare latus eius percuſſit, vt à ſomno eum excitaret. Vnde tibi,ô Petre tanta ſecuritas? vnde tanta fiducia? quòd neque mortem timeres,neque timor ſomnum excuteret?Sed quidem ſomno confidentiæ dormiebas,conſcientia puta tibi ſecuritatem promittebat,& Deus adiutor tuus à te omnem timorem expellebat. Diogenes cynicus neminem magis à timiditate liberum, & reuera animoſum eſſe dicebat, quàm illum qui nullius mali ſibi conſcius eſſet. Magnum quidem donum eſt conſcientiæ puritas, & incomparabilis theſaurus Deum amicum ſibíque propitium habere, & in omnibus ſuis periculis patronum & defenſorem. Hoc enim animum in periculis, tolerantiam in

Simile. laboribus, & in perſecutionibus patientiam tribuit. Nauta namque, cùm fortunam in mediis fluctibus maris patitur ſciſſis velis,malo fracto,& naui ipſa vndique perforata, profundæ noctis tenebris totam terram occupantibus, & ventis ſuprà modum ſæuientibus, & ad inuicem pugnantibus: ſi tanto timore corripitur ſpe ſalutis amiſſa, non ob aliud eſt, niſi quia polo arctico occultato & amiſſo, omnino vbi ſit,vel quorſum tendat ignorat:quare in magno poſitus eſt naufragij periculo. At ſi in maiori ipſius tempeſtatis vi, nubes paululum aufugiant, & diſgregentur, vt arcturus apparere poſſit, tunc nauta ſpe concepta, vires amiſſas colligit, & quaſi ab ipſius mortis faucibus ereptus,& ad vitam reuocatus, de nauis ſalute curat, & ad vicinum portum eam dirigere conatur. O bone Deus! ſi vnicum cæli aſtrũ ſuo aſpectu tantas vires tribuit,vbi deficiebant omnino,ſi ſenſus reſtituit iam amiſſos,& ſpem penè deficientẽ viuificat,quid de luce illa immenſa & inacceſſibili Deo, erit exiſtimandum? Lumen enim eſt inextinguibile,ſtelláque fulgen

Digitized by Google

fulgentiſſima in mediis iuſti tempeſtatibus & periculis micans: quam, ſi fide pura & ſpe vera fuerit intuitus, proculdubio ab omni tempeſtate & tribulationum turbine ereptus, ſaluus & incolumis euadet. Et ſic ad Deum conuerſus, & in eo ſpem ſuam conſtituens, cum Regio vate dicet: *Tu es refugiũ meum à tribulatione quæ circundedit me: Exultatio mea erue me à circundantibus me.*

Silentio hîc præter eundum non eſt, id quod Pſalmiſta his verbis innuit, cùm inquit: *Erue me à circundantibus me.* Videtur enim ſignificare, quod tribulatio nihil aliud damni iuſto infert, quàm circundare illum. Poteſt quidem illi inſidias parare, & domum eius vndique circundare: tamen abſque eius conſenſu illam expugnare, vel intus ingredi minimè poteſt. Poteſt iuſtum in exterioribus lædere, ſed non in interioribus bonis. Quando Sathanas à Domino licentiam obtinuit, vt Iobũ tentaret, hac conditione petitum impetrauit, ne animam illius læderet: *Dimitte me*, inquit, *vt tangam eum.* Cui Deus reſpondit: *Tange eum, verumtamen animam illius ſerua.* Quaſi diceret: Licentiam tibi tribuo tentandi, & tangendi illum, verumtamẽ quoad exteriora bona, diuitias ſcilicet, proſperitatem, & ſalutem tantùm: non autem ad interiora animæ extendatur. Conſonat Salomonis auctoritas Sap. 3. vbi ſic inquit: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientiũ mori, illi autẽ ſunt in pace.* O felices animæ quib. talis fauor cõtingit, quæ tali præſidio gauderis, quod in manu omnipotentis Dei cuſtodimini. Quid mali vobis poteſt accidere, aut quid boni non cõtinget? Labores nihil vobis nocere poterunt, mũdi mala longe à vobis aberunt, nullæ perſecutiones erunt vobis timendæ, nullius manus formidanda: *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me,* dicebat Iob, vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Qui enim Deũ timet & rectus eſt corde, ſemper à malo recedit: quia malum illi appropinquare non audet, cùm Deum protectorem & defenſorem habeat, qui malum etiam ipſum in bonum ipſius conuertit. Sunt ergo in manu & protectione Dei iuſtorum animæ, & ideo ſecuræ ſunt & tormentũ mortis illos non tanget ad ruinam & exterminium. *Eſtan como encantadas a todos los tormentos y trabajos del mundo.* Quare etſi oculis inſipientium videantur quandoque mori, ſunt tamen in ſumma pace, & requie, & ſpes illorum immortalitate plena eſt. Cùm videt mundus iuſtum aliquem laboribus vexari, affli-

Tribulatio circundat, ſed non lædit.

Sap. 3.

Iob 17.

Digitized by Google

ctionibus percuti, & perſecutionibus tyrannorum concuti, iudicat de illo iam actum eſſe, impoſſibile omnino reputans, inter tot mala poſſe conſiſtere: at longe fallit eum opinio, quia cùm mortuus exiſtimatur, tuuc ſumma pace & tranquillitate gaudet. Dum agitantur tauri in publicis ſpectaculis, videbis hominem magna dexteritate, & agilitate præditum, contra taurum ipſum pergentem, quem in medio colliſæi expectat omni tempore poſtpoſito: accurrit taurus magno impetu, & in eum inuehitur, vt occidat & cornibus ſuis dilaniet: ipſe verò in taurum pallium ſuum proiicit, & in tabulatum propinquam celeri ſaltu ſe recipit. Populus qui à longe proſpecta, videns taurum pallium diſcindentem, iudicat hominem inter cornua illius perire, fallitur tamen: quia ſolum pallium ictibus eſt expoſitum, homo verò, in pace & ſecuritate conſtitutus. Sic namque, licèt iuſtum mundus præmere videatur, licèt Diabolus in eum deſæuiat, licèt omnia mala eum circumdẽt, ita vt mundus ipſum inſipiens, perire credat & mori: ille vero ſecurus eſt, ſumma perfruitur pace. Patitur quidem corpus quod veſtis animæ eſt, ſed anima ipſa cùm in manu Dei ſit perpeti pace perfruitur. Et hoc eſt quod Diuus Paulus, tuba illa Euangelica, ad Corinthios ſcribens dicebat: *Quaſi morientes, & ecce viuimus, vt caſtigati, & non mortificati; quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* Labores enim iuſti, non ſimpliciter, labores, ſed quaſi labores ſunt, quia tales ab inſipientibus exiſtimantur, Phyloſophia hæc Anaxarchum Philoſophum non latuit, qui cùm iuſſu Anacreontis Regis in pila quadam lapidea torqueretur: genus illud tormenti contemnens, inquit: T*unde, tunde tyranne, nam vas confringis, Anaxarchum autem intus latentem non lædis.* Perſuaſum ſibi habebat, corpus terreum quoddam vas eſſe animam intus continens, quod cruciatibus conteritur, anima illæſa manente: iuxta illud Pauli: *Portamus theſaurum in vaſis fictilibus.* Quodnam ſolatium maius homini iuſto poteſt contingere, aut quæ conſideratio illum magis aut efficacius in tribulationibus conſolari poteſt, quàm intelligere, quòd præſentis vitæ labores, inimicorum perſecutiones, & tentationes Diaboli, quantumuis in illum ſæuiant, exterius quidẽ lædere poſſunt, interiùs verò attingere nõ poſſunt. Frangitur quidem exterius vas, ſed theſaurus intus exiſtens non attingitur: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autẽ non poſſe occidere.* Ratio in promptu eſt: quia

Simile.

2. Cor. 6. *Aliàs, Tunde Anaxarchi Manticã: nam Anaxarchum nõ percutis.* Laërtius l. 9. c. 10.

2. Cor. 4.

Matt. 10.

Digitized by Google

quia nihil aliud, præter peccatum, animam poteſt occidere. Peccatum enim gladius animæ eſt, quo iugulatur & perit, iuxta illud Ezechielis: *Anima qua peccauerit ipſa morietur.* At peccatum eſſe non poteſt, niſi voluntarium ſit, ergo neque anima niſi ipſa conſenſerit poterit occidi. Ad hoc ſpectat viſio illa Diui Ioannis Euangeliſtę quæ habetur Apocal. 9. Vidit ſtellam de cœlo cadentem, cui data fuit clauis putei abyſſi, quam manu ſua accipiens, puteum abyſſi aperuit, & in ipſum ſe iniecit, & ſtatim aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol. Quid quæſo per ſtellam, niſi anima noſtra intelligitur? iuxta illud Diui Pauli: *Sicut differt ſtella à ſtella in claritate, ita erit reſurrectio mortuorum.* Vbi per ſtellas, animæ intelliguntur, quæ diuerſis meritorum ſplendoribus reſurgent ſimul cum corporibus in die iudicij. Tunc ergo ſtella cadit de cœlo in puteum abyſſi, quando anima de ſtatu gratiæ labitur in ſtatum peccati, & ex amicitia Dei ad amicitiam Diaboli trahitur. Peccatum enim abyſſus quædam eſt, & profundiſſimus puteus, in quem peccator faciliter ſe præcipitat, à quo regredi, & gradum reuocare propriis viribus eſt impoſſibile. Ex hoc puteo fumus ſolem obſcurans exit, quia peccatum mentem peccatoris excæcat, ne miſerabilem ſtatum, & ingens in quo verſatur periculum poſſit intueri: *Ambulabunt vt cæci*, inquit Sophonias, *quia Domino peccauerunt.* Sed quod valde notandum eſt, & magis ad noſtrum ſpectat propoſitum illud eſt, quòd ſtella illa clauem abyſſi in manu ſua tenebat, qua puteum aperuit, & in eum ſe præcipitauit, vt intelligamus hinc, peccatum omne voluntarium eſſe, alioquin non eſſet peccatum, neque veram rationem culpæ haberet. Non dicat aliquis, caro hæc, cui anima eſt vnita in cauſa eſt, neque meipſum ab ea poſſum deffendere: quia hoc eſt Adamum parentem noſtrum imitari, qui dixit: *Mulier quam dediſti mihi in ſociam dedit mihi vt comederem, & comedi.* Neque dicat alius, *ſerpens decepit me*, ſicut Eua, quaſi in Diabolum culpam retorquens: quin potius in ſeipſum culpam vnuſquiſque reiiciat, quia omnia iſta voluntatem noſtram cogere non poſſunt, neque menti noſtræ vim aliquam inferre. Et ad hunc ſenſum explicat Nicephorus verba illa: *Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* In inundatione aquarum multarum, non approximabunt ad te tentationes, ita vt obruaris procul enim turbabunt & terrebunt. Sicut enim Deus ſtat ad oſtium & pulſat, vt voluntariè ianuam illi aperiant: neque

Ezec. 18. *Apoc. 9.* *1. Cor. 15.* *Soph. c. 1.* *Omne peccatũ voluntarium.* *Gen. 3.* *Niceph.*

Digitized by Google

que in animam nolentis ingreditur: ſic tentatio fores pulſat, cui ſi reſiſtitur, nullatenus poteſt ingredi. Poteſt quidem exteriora domus pulſare, ſed non introire; rationibus ſuadere, ſed non cogere: quia tentatio eius minatur quidem, ſed non percutit niſi volentem; circundat animam, ſed murum eius penetrare non valet, ipſa manum inimico non porrigente. Quare hoc intelligens Dauid ad Deum conuerſus ait: *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me.* Nihil enim aliud quam circumdare, nihil ſine nobis, poteſt facere tribulatio, aut perſecutio.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris. Promiſſio quidem homini iuſto ſatis neceſſaria: nam tot difficultatibus & ignorantiæ tenebris plena eſt via, qua ad patriam pergimus: quòd niſi Deus ipſe ducatum nobis præbeat, itérque noſtrum interna illuſtratione præparet, paſſim offen-

D. Greg. demus & à via veritatis declinabimus. Quia, vt inquit D. Gregorius, quandiu hîc viuimus in via ſumus qua ad patriam tendimus, maligni autem ſpiritus iter noſtrum, quaſi quidam latrunculi cuſtodiunt, & operi noſtro inſidiãtes, deceptionis ſuæ laqueos tendunt. Facile ergo inter laqueos ambulantes labi-

D. Anto. mur, niſi ſapientiæ ducatu gubernemur. De D. Antonio fertur, quòd vidit mundum laqueis plenum, quos Dæmones ad capiendos homines parauerant, alios quidẽ ſuperbiæ, alios auaritiæ, alios luxuriæ: qua viſione perterritus dixit: *O Domine, quis tot & tam diuerſos laqueos effugere poterit & ſuperare?* Et ſtatim vocem de cœlo audiuit: *Antoni, ſola humilitas.* Quibus verbis inſinuatur, quòd illi ſolum qui animo humili, & ab omni faſtu arrogantiæ alieno, ad Deum confugiunt, ſupplicitérque ab eo auxilium gratiæ ſuæ depoſcunt, laqueos Diaboli

Pſal. 139. poſſunt euadere. Cui viſioni verba Pſal. 139. conſonant, vbi ſic legitur: *Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*: Vbi per ſuperbos aliqui expoſitorum, Dæmones intelligunt. Et

Iſa. 24. Iſaias cap. 24. inquit: *Formido & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ.* Habitatorem terræ illum vocat, qui mente & corpore terram habitat. Cùm ergo ita ſit, quòd antiquus hoſtis tot nocendi modos ſciat, tot laqueos paret, quis inter tot pericula, non iuſte timeat? quis in hoc itinere paſſim non offendat, niſi diuino fauore fuerit adiutus, & cœleſti lumine deſuper illuſtratus? Cùm filij Iſraël de Ægypto egreſsi ad patriam ſuam pergebant: difficultatẽ itineris conſiderantes (erat enim

Digitized by Google

enim ſolitudo illa montuoſa, & ad inimicorum inſidias paratiſsima) à Deo enixè petebant, vt eos præcederet, & per viam duceret:& cùm ad hoc munus exequendum, Angelum illis obtuliſſet, dicens: *Angelus meus præcedet vos*: dixerunt illi, *Si tu ipſe non præcedas nos, ne educas nos de loco iſto.* Quare ipſe Deus illos comitabatur, in columna ignis per noctem, & in columna nubis per diem, vt dux eſſet vtroque tempore. Quæ quidem columna, non ſicut aliæ nubes remota: ſed terræ propinqua incedebat: quam cunctus ſequebatur exercitus ſiue ad dextram, ſiue ad ſiniſtram, ſiue recto tramite procederet. Cùm mouebatur columna mouebatur exercitus, & cùm quieſceret, quieſcebant omnes pariter. Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, Exodi 13. Non ſecus Deus in lege gratiæ *Exod. 13.* iuſto cœli iter oſtendit, quem protegit & defendit; in die proſperitatis, diuina ſua gratia, contra concupiſcentiæ ardores; & eadem in nocte aduerſitatis illuminat, ne corruat & intereat. Quod quidem auxilium tam ſufficiens eſt & efficax, quòd hoc vno omnes itineris difficultates nullo negotio ſuperat. Quare de via iuſti dicit Iſaias capite vigeſimo ſexto. *Semita* *Iſa. 26.* *iuſti recta eſt: rectus callis iuſti ad ambulandum.* Vbi ex Hebræo verti poteſt, *ſemita eſt iuſto recta.* O tu recte Deus callem iuſti ponderabis, & ſic vertit Sanctius Pagninus Lucenſis: *Verſio* Deus enim iuſtus viam iuſto parat, & ad libellam æquat. O *Pagnini.* magna exaggeratio, quis non miretur Dei ſtudium erga iuſti viam? Cùm Rex per aliquam viam arduam & difficilem, ſco- *Simile.* pulíſque aſperrimis plenam, tranſiturus eſt ſolent homines viam illi parare & diſponere, vt ſaltem equitans: ſine periculo per illam poſsit incedere. Sed bone Deus quis vnquam hoc vidit, quòd omnem viam lapidibus & lateribus ſternerent, & quòd libella & perpendiculo à principio vſque ad finem, illam æquarent? Hoc nimirum eſt quod Deus in fauorem iuſti facit: ad libellam æquat illi viam, & omnia offendicula & impedimenta ab ea tollit, vt ſecurus & gaudens per eam ad æternam patriam, abſque vllo impedimento, percurrere valeat. Et hoc eſt quod Diuus Ioannes dicebat: *Luc. 3.* *Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas: Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* O felicem iuſti ſortem & millies beatam, qui tali beneficio gaudet: *Perfice*, aiebat Dauid, *Pſal. 16.* *greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea*, id eſt, perfectos fac Domine greſſus meos in via cœleſti, quæ

tuis

Digitized by Google

tuis veſtigiis terenda eſt: vt te in omnibus ſequens, neque ad dexteram, neque ad leuam declinem, ſed recto itinere incedã. Ad hoc enim Deus de cæleſti ſede deſcẽdit in terram, vt viam hanc nos doceret, & ſuis veſtigiis redderet facilem. Pſalm. 36. *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Vbi per *greſſus hominis* Doctor Incognitus, animæ affectiones quibus ad Deum pergimus per bonorum operum viam intelligit. In hoc diuum Gregorium ſecutus, lib. 21. moral. c. 4. qui circa illa verba Iob 31. *Nónne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* inquit: Quid viarum nomine niſi actiones denunciat? Hinc etenim per Hieremiam dicitur: *Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra.* Quid verò appellatione greſſuum niſi initium accipimus meritorum? quibus profecto greſſibus ad ſemetipſam veritas vocat.

Pſal. 36.
D. Incog.
D. Greg. ſuper Iob 31.
Hierem.

Hinc proficiſcitur, quòd cùm peccator hac ſuperna luce nõ illuſtretur, neque hoc cæleſti beneficio gaudeat, greſſus eius infamiſſimi ſint, (vt verbis Salomonis vtar.) Pergit enim per viam obſcuram & tenebroſam, caligine & horrore plenam. Cùm enim non ab alio quàm à propria ſenſualitate & libidine ducatur: non poteſt non paſſim corruere & interire. Via enim quam percurrit, licèt illi ſpatioſa & lata videatur, tamen ambagibus & ſcopulis, labore & calamitate plena eſt, & ad æternum præcipitium ducens. *Via illorum tenebræ & lubricum*, inquit Dauid, *Angelus*, inquit, *Domini, perſequens eos.* Hominem contemplamini per ardua ſaxa arctiſſimámque viam media nocte pergentem, quem tamen aliquis flagello aut gladio minaretur & percuteret: certum eſt quòd hic paſſim offenderet & rueret, non ſine magno vitæ ſuæ diſcrimine. Non aliter diabolus, inquit Pſalmiſta, peccatores per viam inferni, tenebris & præcipitiis plenam, ad interitum ducit: *Angelus*, inquit, *Domini perſequens eos.* Hîc offendunt, illic cadunt, & de peccato in peccatum ruunt, & tandem miſerabiliter in infernum præcipitantur. Et licèt via præſentis vitæ lata & ſecura, deliciíſque plena illis videatur, tandem tamen aſperitatem eius cognoſcent & fatebuntur, quando cùm damnatis verba illa proferent, quæ Sapientiæ quinto habentur: *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis, laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Iter illud quod prius floridum & amœnum illis videbatur, quando dicebant: *Coronemus nos roſis: nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra:* nunc

Pſal. 34.
Simile.
Sap. 5.

nunc difficile aſperum & ſpinis plenum eſſe confitentur. Quia ea quæ nunc delectant & dulcia videntur, poſtea morte ipſa amariora eſſe videbuntur. Hæc eſt malorum ſors, & hic eorum exitus. Bonorum autem longè aliter ſe habet, cùm creatoris ſequantur veſtigia, & per viam quam illis demonſtrat, recto tramite percurrant. *Intellectum*, inquit, *tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris.*

Firmabo ſuper te oculos meos, O dulciſſima verba, & quis illa audiens, non dulcedine reſoluitur, & totus in creatoris ſui amorem accenditur? Ponam, inquit, homo ſuper te oculos meos, vt qui te tetigerit, pupillam oculi mei neceſſariò tangat. Sicut pia mater quæ oculos ab infante ſuo aduertere non audet, ne cadat, & aliquid damni patiatur. *Oculi Domini ſuper iuſtos & aures eius ad praces eorum*, inquit, Pſalm. 33. Sed quorſum hoc propheta ſancte? Hoc magis Pſalmo 32. explicat, dicens: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum.* Quando vas aliquod pretioſum vitreum eſt, non audemus ab eo oculos auertere, ne frangatur: quod ſi ruinam minatur, aut ſuper menſam mouetur, ſtatim manu illum tenemus. Iuſtus quidem vas pretioſiſſimum eſt liquore gratiæ refertum, tamen vitreum & fictile, & quod faciliter frangi ſolet. *Portamus*, inquit D. Paulus, *theſaurum in vaſis fictilibus*, magna cura & ſolicitudo neceſſaria nobis eſt, quia lapidem pretioſiſſimum animæ noſtræ ſuper omnes mundi theſauros æſtimabilem, in vaſe fragili carnis portamus. Tantum ergo Deus iuſti animam facit, quòd ab ea oculos maieſtatis ſuæ non auertit, ne pericli-tetur & corruat, aut ſaltem in aliqua vitia prolabatur. O bone Deus, quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, & omni dulcedine plenus, qui tantum animam meam diligis. Sed quid mirum, cùm pro ea ſanguinem tuum pretioſiſſimum in pretium dare non dubitaueris. *Quid eſt Domine homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis, quoniam reputas eum? Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Et cùm his omnibus, tantum me diligis, quòd crudeliſſimam mortem pro me ſuſtinueris. Quid Domine nunc dicam? aut quas tibi pro tanto amore gratias referre valeam? Niſi cùm Propheta Regio exclamare & dicere: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* ſiue vt Hebræa habent: *Cuncta retributiones eius ſuper me.* Obruor Domine immenſis tuis beneficiis quæ virium mearum facultatem ſuperant, quod dignum tibi pro illis offeram? Cum Diuo Paulo etiam magnitudine

Simile.

Pſal. 33.

Pſal. 32.

Simile.

2. Cor. 4.

Pſal. 143

Pſal. 115.

Digitized by Google

Philip. 2. tuæ miſericordiæ ſuperatus dicam: *Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Hunc igitur Dominum fratres, toto corde, & totis viſceribus diligamus, ab eóque inceſſanter poſtulemus, vt inter tot mundi huius laqueos, & tentationes auxilium nobis præſtet: vt de omnibus victoriam reportare poſſimus, & ab hoſtibus qui nos circundant vndique liberemur: fiet enim quod nullum aliud damnum, quàm nos circundare, nobis inferant. Obſecremus etiam quòd nobis viam ſuam aperiat & demonſtret, per quam illum ſequentes ad cœleſtem patriam ſecuri & ſoſpites peruenire valeamus.

CONCIO SEXTA.

Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.

In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.

INTER omnes creaturas, quæ ſub lunari circulo continentur, & à Deo optimo maximo eſſe acceperunt, nulla eſt, præter hominem, quæ eſſe ſuum & natiuam dignitatem degenerando deſerat. Solus homo in hoc, ſolus reperitur: qui à propria dignitate deuians, velut alter Protheus, in varias naturas tranſmutatur, quòd ex libertate ſui arbitrij naſcitur, ſecundùm quàm, modò ad hanc, modò ad illam creaturam, vel ad virtutem ſectandam, vel vitium amplectendum, menti affectu inclinatur. Voluntas namque vt D. Dionyſio, magni Pauli diſcipulo placet, virtus transformatiua eſt; ſecundùm quàm diligens, in id quod diligit transformatur. Hinc factum eſſe exiſtimo quòd cùm omnes creaturæ, in ſua creatione, approbationem & cenſuram Dei acceperint, de ſolius hominis bonitate, nihil dictum eſt. *Vidit Deus lucem quòd eſſet bona,* inquit Moſes, idémque iudicium de terra & alijs creaturis protulit: at de hominis bonitate, nec vllum verbum dixit, ſed indeciſa & indefinita manſit eius bonitas. Quare iure optimo dubitabit aliquis, cur, cùm omnes aliæ creaturæ, cenſuram ſuæ bonitatis de ore ipſius Dei acceperint, ſolus homo, qui reuera omnibus illis eſt per

Margin notes: D. Dion. — Geneſ. 1. — Dubium — Nota.

perfectior, abſque appprobatione relinquatur? Cui dubitationi vt faciamus ſatis, præmittendum eſt, inter hominem & alias creaturas rationis expertes eſſe differentiam in hoc: quòd in his, ſola naturalis bonitas reperitur, à qua nulla tenus deuiare poſſunt, quæ non, ex earum arbitrio, ſed potius ex creatoris ſui virtute pendet, & inamiſſibilis eſt. Et ideo mox, vt creatæ fuerunt, illarum bonitas declaratur: at homo, cùm libero potiatur arbitrio, altioris bonitatis eſt capax, moralis ſcilicet, ſecundùm quam, vitiis ſpretis, virtutes amplectitur, quibus ſuo creatori aſſimilatur, vel è contrario reiectis virtutibus, vitiis adhæret, & ſenſualitatem ſequitur, in beluinóſque mores transformatur: quapropter nihil de illius bonitate actum eſt, quouſque exitus probaret acta: & ſi bonitatem diligeret exiſtimaretur bonus, ſi malitiam, malus. Quare regius vates, ſtultitiam & miſeriam eius ſimul deplorans, inquit: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Fuit namque homo in ſua creatione, in ſummo honore & dignitate conſtitutus, cùm omnia Deus ſubiecerit ſub pedibus eius, imaginémque ſui ipſius in illo impreſſerit: at cùm ad lignum vetitum extendens manus diuinum mandatum eſt tranſgreſſus, mox ab illa decidit dignitate: & in tantam miſeriam & abiectionem deuenit, quod brutis inſipientibus, fuerit aſſimilatus. Erat ab hac conſideratione non alienus Diuus Ambroſius in ſuo Exameron, qui exponens illud Geneſis primo. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum*: inquit, Et tu homo iuxta genus tuum viue, non adulteres genus tuum. Vis illud noſſe? Attende Apoſtolum in actibus dicentem: *Genus cùm ſimus Dei, &c.* Lignum generi ſuo reſpondet, & non reſpondes generi tuo? Tritici granum ſparſum terræ, generis ſui granum reddit, & tu à te degeneras? Fruges non adulterant ſui ſynceritatem ſeminis, & tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis caſtitatem? Eſt enim homo in hoc materiæ primæ ſimillimus, quòd ſicut illa omnibus formis adornatur & induitur, ſic homo per affectum & voluntatem, in omnium naturas transformatur, alienóſque mores induit. Veritas hæc quamplurimis ſcripturæ Sacræ locis comprobari poteſt. In primis ſe nobis offert, illa Nabuchodonoſoris in beluam tranſmutatio, de qua in Daniele agitur. Et licèt Ioſephus, vir alioquin grauiſſimus, ſentiat quod realiter in bouem fuerit conuerſus, pro-

Solutio.

Pſal. 48.

Solus homo in varias formas trãſformatur.

Ambroſ.

Simile.

Dan. 4.

Ioſeph. reſellitur.

pterea quòd dicitur: *Cum feris atque beſtiis erit habitatio tua, & fœnum quaſi bos comedes*: tamen tenendum eſt cum Lyrano, huiuſmodi methamorphoſim, non fuiſſe ſecundùm veritatem, ſed ſecundùm ſuam imaginationem, quia amens & furioſus erat, donec ad ſanam mentem conuerſus eſt. Geneſ. 49. *Iuda leoni, & catulo leonis comparatur. Iſachar aſino forti inter terminos accubanti. Dam ſerpenti Ceraſtes*: non ob aliud, niſi quia horum animalium mores imitati ſunt. Vbi ſummopere conſiderandum eſſet, quanta ſit peccati deformitas: quæ hominem ad imaginem Dei creatum deturpare valet, & in varias rerum, quas diligit formas, per affectum tranſmutare. Quod & ethnicos, & lumine fidei deſtitutos non latuit. Nihil enim aliud per illas hominum in varias beſtias transformationes, meo iudicio, intelligere voluerunt: ſub his fabularum velaminibus ſignificantes, illos, qui non vitam humanam & rationi conſonam, ſed potius beluinam, & ab omni ratione alienam agunt, non homines, ſed potius beluas & bruta animantia appellandos eſſe. Nam quid aliud Diogenes ille cynicus ſenſit, quando referente Laërtio, in foro hominibus pleno, lucernam geſtans, quærenti ſimilis, obambulabat, clariſſima luce: Rogatus verò, quid ageret, *hominem*, inquit, *quæro*. Sentiebat enim homines quos intuebatur, vanitatibus, libidini, & luxui deditos, vix appellatione hac eſſe dignos, & potius animantia bruta, quàm homines ratione vtentes dicendos eſſe. Non ſecus Propheta Regius, videns tantam peccatorum multitudinem à vera hominum dignitate degenerantium, ſenſualitatem ſequentium, & à rectæ rationis legibus & limitibus deuiantium: pœnitentem exuens, & predicatorem induens, in eos acriter inuehitur, dicens: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*. Quaſi diceret. O filij Adæ ad imaginem & ſimilitudinem Dei creati, tot donis naturalibus & ſupernaturalibus inſigniti, quouſque rationem deſerentes, ſenſualitatem ſectabimini? Nolite obſecro dignitatem, & conditionis veſtræ excellentiam deſerentes, & beluinos mores imitantes, in ipſas beluas, quas imitamini, transformari.

Lyranus. *Gen. 49.* *Laërtius lib. 6.*

Sed myſterio vacare, non eſt credendum, quod inter omnia bruta animantia, equi potius & muli, quàm aliorum mentionem fecerit, dicens: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, &c.* D. Gregorius quem Doctor Incognitus in hac parte ſequitur, tenet, quòd per equum ſuperbus, & per mulum luxurioſus intelligitur. Inquit enim Gregorius: Equi nomine ſuperbia dignitatis temporalis accipitur. Salomone atteſtante, qui ait.

D. Greg. Incognit. *Per equũ ſuperbus intelligitur.* *Eccl. 10.*

Vidi

Vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes, quaſi ſeruos ſuper terram. Omnis quippe, qui peccat ſeruus eſt peccati. Serui ergo in equis ſunt, dum peccatores ſuperbia præſentis vitæ, dignitatibus efferuntur. Principes verò, quaſi ſerui ambulant, cùm multos dignitate virtute plenos, nullus honor erigit, ſed ſumma hos aduerſitas, velut indignos, deorſum premit. Et rectè quidem per equum ſuperbus intelligitur. Eſt enim equus animal ferox, pertinax, & inſolens, quod ſemper erecta ceruice graditur, & ſupra pedes ſuos, ſeipſum erigit, ſic ſuperbus erecta ceruice contra Deum ambulat, & ſupra ſua merita cupit aſcendere. Philo etiam vir diſertiſſimus veſtigia Platonis, quem imitatus eſt, ſequens: in equo illo Moſaico, qui in mare proiiciendus eſt, ſuperbiam, & elationem mentis intelligit. Eſt etiam equus audax & intrepidus, & ad bella gerenda propenſus. Vnde eſt, quod antiqui tradunt: Horum poſt obitum apparuiſſe Oſiridi, quem multarum rerum vſum edocuerit, præcipuéque, quod animal bello vtilius eſſet ſciſcitanti, equum ei negotio magis commodum reſpondiſſe. Et Ariſtot. in Ethicis, virtutem in equo eam præcipuè laudat, quaſi ad currendum portandúmque hominem idoneus, & ad inuadendum, expectandúmque hoſtem, minimè formidoloſus. Sed neque B. Iob laudes eius ſilentio præterire paſſus eſt, qui cap. 39. ſui vaticinij, de illo agens, inquit: *Gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter, & in occurſum pergit armatis: contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Hæc equi mira audacia, & periculorum contemptus, ex eius ſuperbia & vanitate procedit: quare ſub illo ſuperbus rectè intelligitur, qui ad dira quæque ferenda, ad gloriam & propriam excellentiam ſpectātia, audaciſſimus eſt. Laboribus non frangitur, periculis non parcit, & mortem ipſam contemnit. Huius rei duo gentilium exempla proponam: quibus aliud ex ſcriptura ſacra ſubiiciam. Primum eſt Pauſaniæ, qui cùm Hermoclem percontaretur, quonam modo ſubitò clarus poſſet euadere: atque is reſpondiſſet, ſi illuſtrem virum aliquem occidiſſet, futurum, vt gloria eius ad ipſum redundaret: continuò omnibus difficultatibus poſthabitis, Philippum interemit. Et quidem (vt verba Valerij feram) quod petierat aſſecutus eſt: Tam enim ſe parricidio, quàm Philippum virtute notum poſteris reddidit. Secundum ſit Agrippinæ matris Neronis, quam cùm Genethliaci Chaldæi certiorem facerent, infantem in vtero geſtare, qui ſummum Imperium eſſet accepturus, occiſurus tamen matrem: reſpondiſſe fertur, occidat, modò imperet. Tanta tenebatur

Philo.

Videatur Pierius lib. 4.

Equus ad bella gerenda propēſus.

Ariſtot.

Iob 39.

Valer. lib. 8. c. 15

Refert hoc Suet.

Digitized by Google

imperandi libidine. Quod ſi ambitio & ſuperbia à proprio ſanguine non abſtinet, quantò magis ab alieno? Exemplo nobis eſſe poterit Abimelech Gerobaal filius, Iudic.9. qui cùm indignus eſſet imperio, ſeptuaginta fratres ſuos occidit ſuper lapidem vnum, vt principatum obtineret, qui rectè in parabola ibi appoſita rhamno comparatur, ex quo ignis proceſſit totam Sichimorum ciuitatem ſuccendens. Quia quando aliquis indignus ad dignitatem promouetur, nihil aliud de illo ſperari poteſt, quàm quòd ſit ſuorum ſubditorum totalis deſtructio & pernicies. Sed Abimelech dimiſſo, Herodem & Pilatũ in medium proferamus qui, ne à dignitate in qua conſtituti erant exciderent, talia facinora perpetrârũt. Ille quidem, ſanguinem paruulorum crudeliter effudit, hic verò, ipſum Deum innocentiæ auctorem interemit. Cùm enim innocentiã eius agnoſceret, ac proinde, ſummopere liberare cuperet: tamen poſtquam in ore ei dictum eſt verbum illud: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*, ac ſi dicerent: ſi dimiſeris eum, illico quaſi hoſtis & inimicus apud eum accuſaberis, & à tua dignitate deponeris: audito hoc ſermone, in hæc verba deteſtanda prorupit: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate.* O deteſtanda ambitio! ô vehemens mundi lues! ô execranda peſtis! Quid non mortalia pectora cogis, immoderata dominandi cupido? Tu pericula contemnis, difficultatibus non parcis, mortem non times, ab innocente ſanguine non abſtines, & contra Deum ipſum manum extendis. Hinc factum exiſtimo, quòd ſuperbus in ſacris literis ebrio & furioſo comparatur. Quia ſicut homo dum ebrius eſt, aut amens, per media arma irruens, gladios hoſtium non timet: ſic ſuperbus per medias difficultates & pericula, ad obtinendam dignitatem properat. Iſaias capite vigeſimo octauo, ſic inquit: *Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius.* Et poſt pauca: *Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim & erit flos decidens gloriæ exultationis eius, quaſi temporaneum ante maturitatem Autumni.* Vbi inquit: *Væ coronæ ſuperbiæ*, ſeptuaginta habent: *Væ coronæ iniuriæ*, vt intelligas ſuperbos (quod dicebamus modò) ad inferendam quamcunque iniuriam eſſe propenſos, ne à ſua dignitate deponantur. Sed vt melius ſpiritum huius Prophetæ percipere valeamus, aduertendum: quòd hîc inuehitur in Hieroboam, qui ne diadema regni amitteret, à vero Deo Iſraël cum decem tribubus apoſtatauit, & vitulum conflauit aureum: quare minatur coronæ & principatui eius, quòd breuiſſimo tempore eſſent

Iudic.9.

Ioan.19.

Superbus ebrio comparatur.

Iſai.28.

Gloria mundi breuis.

eſſent permanſura, & quod citò marceſcerent, ſicut ſertum floribus intextum. Hoc enim habet mundi gloria, præſertim malis mediis acquiſita, quòd momentanea eſt, & citò tranſiens. Sciat omnis ſuperbus, qui ambitione, & illicitis mediis, ad ſupremum dignitatis apicem pertigerit, quòd gloria eius non eſt ſtabilis, & diuturna, quin potius decidens & caduca, flori decidenti & marceſcenti ſimillima. Superbi enim, quàm citiſſimè, Deo permittente, à ſua dignitate cadunt. Quod ſi in altum aliquando euehuntur, timere debent, ne inde validius elidantur. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, humillimus ille Rex dicebat, pedi ſuperbiam comparans: quia pede ad domus faſtigium aſcenditur, & ſuperbus ſemper aſcendere conatur. *La ſoberbia todo es trepar y ſubir*, & in nullo loco quieſcit, ſed nouos ſemper ambit honores. Sed quis non aduertit, quòd ſuperbiæ, non duos pedes, ſed vnum tribuit? Nempe vt intelligamus claudam & inſtabilem eſſe. Qui enim vno pede ambulat, aut ſtat, nullo negotio ad terram deiicitur. Quod quidem euidenter Pſalmiſta inſinuauit illis verbis, quæ habentur Pſal. 36. *Inimici verò Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.* Fumus enim quantò altiùs exaltatur, tantò plus euaneſcit, quod & ſuperbis plerumque contingit. Sed neque contemnenda eſt diui Hieronymi verſio quæ ſic habet: *Gloriantes vt Monocerotes, conſumentur ſicut fumus.* Gloriatur Monoceros in ſua fortitudine, cæteráque animalia contemnit, ſic ſuperbus in fortitudine ſua, proſperitate, & diuitiis gloriari ſolet, qui tamen ad modum fumi citò euaneſcet. Nónne Monoceros tibi videtur Imperator ille Babyloniæ Nabuchodonoſor, qui in aula palatij ſui deambulans dicebat: *Nónne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Nunquid non ſuperbiſſimus Monoceros in fortitudine ſua confidens, Pharao Rex Ægypti æſtimabitur, qui cubans in medio fluminum Regni ſui quaſi draco, dicebat: *Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum?* Gloriabantur quidem quaſi Monocerotes, ſed quaſi fumus omnis eorum gloria conſumpta eſt. Minatur Dominus ſuperbis per Zachariam, cap. 12. dicens: *In die illa dicit Dominus: percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem eius in amentiam.* Vbi per equum & aſcenſorem, ſuperbos intellexit, propter arrogantiã & ferocitatem huius animalis, ſicut ſuperiùs diximus. Quare aduentus filij Dei in tanta humilitate & abiectione inter alia fuit, niſi vt mundi faſtum & arrogantiam confundere.

Pſal. 31.

Pſal. 36.

Verſio D. Hieron.

Dan. 4.

Zach. 12.

Zach. 9. Vnde poſtquam idem Propheta dixerat, cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi Sanctus & Saluator, & ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam:* ſtatim ſubdit, *& diſperdam quadrigas ex Iſraël, & equum de Hieruſalem.* Quaſi diceret: Confundam & pudefaciam meo exemplo, mundi ſuperbiam & arrogantiam. Nam quæ ſuperbia non confunditur mundi Regem, cælorum Imperatorem, & Angelorum Dominum, qui ſuper Cherubim ſedere ſolet, ſuper aſinam ſedentem, & humiliatum videns: *Exinaniuit*, inquit, D. Paulus, *ſemetipſum formam ſerui accipiens.* Phil. 2.

At fratres quis non hiſce noſtris temporibus, Eccleſiæ vices doleat? quando humilitas abiecta eſt, ſuperbia verò & ambitio, vſque ad ſydera exaltata, pauper & inops ſempiternæ obliuioni traditur, diues verò & ſuperbus in magno pretio habetur, & ab omnibus æſtimatur: dignitates Eccleſiaſticæ pro maiori parte non benemeritis conferũtur, ſed idiotis & indignis, quos humanus fauor ad apicẽ dignitatis euexit. Hoc eſt quod Hier. 34. ſanguineis lachrymis Propheta Hieremias deplorabat, cap. 34. Nota. dicens: *Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones.* Vidi, quaſi diceret, in terra abſurdum magnum, & rem inſolitam, ab omníque ratione alienã, qua perſpecta ſummo dolore & ſtupore ſum affectus. Et quidnam fuit hæc res, Propheta ſancte, quæ tantæ admirationis & doloris cauſa fuit? Lyranus. *Onagri*, inquit, *ſteterunt in rupibus, &c.* Draco eſt animal calidiſſimum, inquit Lyranus, quare ad eius refrigerium, non ſolùm vtitur potu aquæ, ſed etiam aëris attractione. Solet enim alis ſuis ad cacumina rupium conſcendere, vt ibi aëre attracto, melius refrigeretur. Inquit ergo Propheta, quod dracones ad faſtigia montium conſcendant, aërem attrahentes, nõ mirum, cùm alas habeant quibus volare poſſunt, & illuc conſcendere. At quod Onagri, qui nec alas habent, neque ea leuitate qua dracones gaudent, illuc cõſcederint ventúmque attrahant, hoc ridiculum eſt, magnáque admiratione dignum. Quod homo iuſtus, doctus, & literatus, & qui ſcientia & virtute quaſi quibuſdam alis condecoratus eſt, ad faſtigium dignitatis aſcendat, hoc quidem rationi valde conſonum eſt: at quod Onagri, homines illiterati & inſipientes, & qui prima ſcientiarum rudimenta non attigerunt, quis non miretur? quis non doleat? quis non in magnum rapiatur ſtuporem? Igitur Filij hominũ, inquit Propheta noſter, nolite ſuperbire, & ſuper voſmetipſos, veſtráque merita efferri, ad indebitos honores aſpirãdo: quin potius humiliamini ſub potenti manu Dei. Nolite fieri ſicut equus, qui animal ferox, ſuperbum, & ambitioſum eſt.

Non

Digitized by Google

Non contentus eſt dicere, ſicut equus: ſed addit, *ſicut mulus.* Per mulum lubricum & luxuriæ deditum, Doctor Incognitus intelligit: quia animal hoc ad luxuriandum eſt procliuè. Quare Paulus Burgenſis inquit: *Animalia bruta ſemper paſſiones carnales ſequuntur, ſine aliqua moderatione rationis, quòd in hominibus eſt maxime vitioſum.* Vnde etiam Philoſophi tales increpant, tanquam vitam pecudum eligentes, vt in 1. Ethicorum patet. *Per mulũ luxurioſus intelligitur Doctor. Incogn. Paulus Burg.*

De vitio hoc luxuriæ operepretium erit nonnihil dicere, quia vitium hoc inter omnia vniuerſalius eſt, & pro maiori parte, vniuerſam naturæ noſtræ terrã inundans. Vnde eſt, quòd beatus Remigius inquit: *Demptis paruulis, ex adultis propter hoc vitium, pauci ſaluantur.* Ratio huius eſt quam tradit Caſſianus, quia cætera vitia forinſeca ſunt, & leui pellũtur impulſu: quia eorum pugnam ab extra nobis inferri ſentimus, vt autem libidinem ferociſſimam & indomitam beluam ſuperare poſſimus, non extra nos, ſed intra, auxilia quærenda, magnam nobiſmetipſis vim inferre debemus, & intra nos ſunt tela quibus ipſam fugare valemus. Beatus etiam Auguſtinus ſic inquit: *Inter omnia Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, vbi continua pugna & rara victoria.* Primum certamẽ & durius quod Iſraëlitæ ad patriam pergentes habuerunt, fuit contra Amalech, vt habetur Exod. 17. Cùm nullo enim alio hoſte importunius & periculoſius pugnatum eſt: quare non armis ſolùm, ſed etiam orationibus debellârunt, vt obtinerent victoriam. Incognitus explicans verba illa Pſal. 82. *Amalech & alienigenæ cum habitantibus Tirum*: inquit, quod Amalech interpretatur gens bruta. Amalech difficilè ſuperatur, quia gẽs bruta cum magna difficultate vincitur. Sed quænam erit hæc gens bruta, quæ iter noſtrum, quoad fœlicem patriam pergimus, impedire conatur: niſi ſenſualitatis noſtræ paſſiones, & carnis rebelles motus, qui rationi obedire nolunt? Hæc inquam gens bruta per totum vitæ ſpatium crudele bellum nobis infert, cui fortiter & viriliter reſiſtendum eſt, non ſolùm corporalibus armis, flagellis, carnis maceratione, & ieiuniis, ſed etiam continuis precibus & orationibus. Sic quippe faciebat ſtrenuus ille Eccleſiæ miles Paulus qui dicebat: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, &c. propter quod ter Dominum rogaui.* Quò igitur hoc vitium naturalius eſt, eo tenaciùs, & quò tenaciùs eo periculoſiùs, & ad vincendum difficilius. *Remig. Caſſian. Luxuria vis & Tyrannis. D. Aug. Exod. 17. Doctor Incogn. ſuper Pſal. 82. 2. Cor. 12.*

Quòd ſi tam continua, & periculoſa eſt huius acerrimi hoſtis pugna, debemus vtique ab eo omni cura & diligentia cauere,

uere,& omnes carnis occaſiones vitare, quæ ſunt velut porticus quidam per quos diabolus ad animam habet ingreſſum. Debemus non ſolum libidinis turpitudinem, verùm & conſortia mulierum, earúmque conſpectum, tanquam mortiferum virus vitare. Vnus ex inimicis,qui contra filios Iſraël de Ægypto egredientes pugnauerat,fuit Sehon Rex Amorrhæorum,de quo Pſal.134. dicitur: *Sehon Regem Amorrhaeorum & Og Regem Baſan.* Et aduertit quidam interpres, quòd Sehon interpretatur tentatio oculorum.Et hic Rex regnat in Amorrhæis; quia Amorrhæus nihil aliud ſonat, quàm amor reus, amor,inquam,turpis & carnalis:in quo tentatio oculorum regnat: quia ferè ſemper (vt quidam dixit) oculi ſunt in amore duces, & per illos quaſi per feneſtras amor inhoneſtus ad arcem noſtræ mentis labefactaneam, ingreditur. Contra hunc Regem bellum debemus inferre, oculos à conſpectu mulierum auertendo,ex quibus interdum iacula ignita corda noſtra transfigentia egrediuntur.Sic enim faciebat ille qui de ſeipſo fatebatur,dicens: *Pepigi fœdus cum oculis meis,vt ne cogitarem de virgine.* Aduertite quod inquit,ſe pepigiſſe fœdus cum ſuis oculis. Quando inter duos fœdus celebratur,hac lege fieri ſolet,vt vnus alteri moleſtiam,aut damnum non inferat: Sicut patet in fœdere inter Abraham & Abimelech celebrato,& inter Iacob & Laban. Sic Iob cum ſuis oculis fœdus init, quòd neque oculi animæ, neque anima oculis noceant. Ac ſi anima diceret, oculos ſuos alloquens: Chariſſima lumina, ſiquidem in nullo vobis nocui, quin potius vitam donaui vobis, & ex me ipſa ſpiritum,lumen,& decorem recepiſtis,ne mihi nocumento ſitis, neque morti per vos,quaſi per feneſtras, introitũ præbeatis:ne meam innocentiam commaculetis, neque vanis imaginibus domum meam impleatis, ſed tali deinceps coniungamur fœdere, quòd neque mens luminibus, neque lumina menti damnum aliquod inferant.

Deuter. 2.& 3. *Figura.* *Iob 31.* *Nota.* *Gene.21. & 31.*

Habet etiam vitium hoc libidinis id peculiare, quòd poſtquam aliquem ſui iuris efficit, ſumma cum difficultate ab eo diuellitur. Eſt enim validiſſimus tyrannus, qui poſtquam ſemel cor noſtrum vſurpauerit, neſcit illum libertate donare. Quare per Salomonem,Spiritus ſanctus inquit: *Fouea profunda meretrix, & puteus anguſtus aliena.* Non contentus fuit dicere,quòd meretrix ad libidinem prouocans ſit fouea profunda,in qua, proh dolor, multi quaſi ſepulti iacent, ferè ſine ſpe redeundi ad vitam: ſed addit inſuper, quòd eſt puteus anguſtus, vbi ſi quis ceciderit, ſumma difficultate educitur:

Prou.22.

præſer

Digitized by Google

præſertim cùm inueterata fuerit conſuetudo. Sunt peccata, quæ, tanquam hoſpites & peregrinos ſuſcipit anima, quæ citò à ſe expellit, & de domo eiicit:ſic multoties recipit iracundiam,ſic odium contra aliquem conceptum, ſic vindictæ deſiderium: at alia ſunt, quæ recipit tanquam naturales & domeſticos ciues. *Peccados de aſſiento,que tienen caſa y hogar en el alma*. Et huiuſmodi eſſe ſolet libido. Sic in corde Dauidis recepta eſt, qui per annum integrum, vel ſaltem vndecim menſes,vt Chryſoſtom. aduertit,in ea durauit. Sed dices,quomodo Nathan Propheta in ſua parabola peccatum hoc conuiuio peregrini comparauit, ſicut Diuus Auguſtin. aduertit lib. de doctrina Chriſtiana? Reſpondet Doctor quidam,quod hinc argumentum deſumi poteſt, quàm diuturnum eſſe ſoleat hoc vitium,& quam radicitus ſenſualitati inſidens. *Quan pegajoſo ſea*.Siquidem peccatum vnius anni,peregrino vnius diei comparatur. Quia ſolet per totius vitæ ſpatium durare:& ideo annus integer in Dauid, pro breuiſſimo ſpatio computatur.Taurus quàm primum agitatur, & virgis percutitur, mugit,& fremit,nec vllo modo vulnera ferre poteſt: at cùm iam vulneribus & virgis plenus eſt, ſanguinéque perfuſus, vulnera de nouo illata non ſentit. Non ſecus hominibus voluptati carnis deditis contingit: Quàm primum enim huic vitio ſuccumbunt, punctiones eius in mente ſentiunt,& à commiſſis culpis illico ſe excutiunt per confeſſionem: at poſtquam iam præualuit antiqua peccandi conſuetudo, Deíque timorem à ſe repulerunt, nihil de animæ ſuæ ſalute curant, ſed in ſuis vitiis abſque vllo conſcientiæ remorſu perſeuerant. Quare non incongruè tauris comparari poſſunt. Nam & Geneſ.34.vbi ſcriptura ſacra agit de ſtupro, quod Princeps Sichem in Dinam commiſit,& de vindicta ſtupri, vbi lectio noſtra vulgaris habet, quod ingredientes ciuitatem Hemor, & pariter Sichem necauerunt:Legit. B. Chryſoſtomus fratres Dinæ,taurum occiderunt. Vbi Sichem appellatur taurus, propter eius incontinentiam, & puellæ oppreſſionem. Taurus enim apud antiquos ſymbolum petulantiæ fuit,vt apud Pierium inuenies.l.3. Quare Niliaci illi ſacrorum cuſtodes, cùm hominem à priori petulantia, ſibi modeſtius conſulentem ſignificare vellent, non ſimplici forma taurum, ſed caprifico caput, colla, armóſque redimitum,proponebant:quia caprifico ea vis eſt,vt laſciuientium taurorum naturam compeſcat, & quaſi reddat immobilem. Habet & hoc taurus, quod vt libidinem ſuam expleat,per media irruet arma, neque erit qui eũ poſſit auertere.

Duo genera peccatorum. *Nota.* *Libido peccatũ diuturnum.* *Chryſoſt.* *Dubium D. Aug.* *Solutio.* *Simile.* *Gen. 34.* *Nota.* *Taurus luxuriæ ſymbolũ.* *Pierius.*

Et

Et ideo Sichem iure optimo taurus appellatur, qui vt Dinam violaret omnia poſtpoſuit. Sed quid mirum, quòd hominem incontinentem & lubricum taurum appellet, quem Scriptura ſacra mulum rationis expertem appellare non dubitauerit: *Nolite fieri ſicut equus & mulus.*

Quibus non eſt intellectus. Recte ſane de equo & mulo dicitur, quòd intellectu careant: quia vitia quæ per hæc animalia ſignificantur, ſuperbia, inquam, & luxuria, intellectu & ratiocinatione priuant. Probemus hoc primò de ſuperbia, & deinde de luxuria comprobabimus. *Superbia dãnatur.* Superbus enim intellectus expers eſſe conuincitur, ex eo quod ſeipſum non cognoſcit: quia ſi ſe cognoſceret, & propriam vilitatem aſpexiſſet, non vtique ſuperbiret, cùm tot habeat in ſe humilitatis ſtimulos. Nam quid ſuperbit terra & cinis? *Superbia & luxuria rationis vſu hominẽ priuant & demẽtant.* Ideo Deus hominem de limo terræ formauit, vt terra ipſa in qua conſtitutus eſt, quæ inter omnia elementa infimum locum tenet, & ab omnium pedibus conculcatur, ſuæ vilitatis illum admoneret. Et ad hunc ſenſum poſſumus intelligere verba illa à Salomone prolata, Sapient. 9. *Sap. 9.* *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Deprimit quidem corpus hoc terreum & vile domicilium animam noſtram, quam aggrauat, ne cogitationibus vanis in ſuperbiam elata, contra Deum creatorem ſuum vexillũ conetur erigere. Quare *Pſal. 9.* Propheta Regius dicebat: *Non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.* Cuius loco D. Hieronym. ex Hebræo vertit: *Non apponat vltra magnificare ſe homo de terra.* Elegans quidem ratio. Ac ſi diceret. Quid ſe magnificat, aut quid ſua iactat homo de terra? *De que ſe entona el hombre ſien lo hecho de tierra? de que preſume de ſi?* Si enim homo eſſet de cœlo, ſi ex aliqua cœleſti materia conſtitutus, ſi purus eſſet ſpiritus, & ab omni carne alienus, non mirum; at cùm ſit ex terra compoſitus, & in terram citò reſoluendus, non eſt cur ſeipſum tanti efficiat. Hac vna conſideratione ſapientiſsimus ille Salomon effrenes arrogantiæ ſpiritus (ſi quos habebat) corrigere frequen-*Sap. 7.* ter conabatur: *Sum & ego,* dicebat: *mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt.* Ac ſi diceret: Abite retro cogitationes ſuperbæ, quæ cor meum decipere & expugnare intenditis, ſuadentes, quod diadema regni & diuitiarum gloria, me in aliquem alium magnum transformauerint. Nihil vobis proderit deceptio & adulatio veſtra. Terra enim hæc qua conſtitutus ſum, eruditio mea erit. Ipſa ad aurem mihi loquitur, & proteſtatur, quod neq; generis proſapia,

neque

Digitized by Google

neque claritas regia, neque pretioſa purpura, neque diuitiarum abundantia, aut ſapientiæ gloria, meam naturam commutarunt, aut diſſimilem aliis mortalibus fecerunt: quare non eſt cur de his omnibus ſuperbire debeam. Inuehitur Propheta Euangelicus Iſaias in Gentiles, eorum Idololatriam confutando, cap. 44. eóſque ſtultitiæ conuincit, eò quòd Idola lignea aut lapidea adorarent, ac ſi in eis Deitas aliqua contineretur, & inquit: *Artifex lignarius ſuccidit cedros*, &c. Argumentum eius, quod per totum caput proſequitur in hoc conſiſtit, quòd cùm artifex ex aliqua arbore quam ſuccidit, medietatem in igne proiecerit, & in cineres conuerſa fuerit, ex alia medietate in runcina, & in circino idolum format, & erigit, & ſtatim genu flexus, quaſi Deum adorat, & ſubdit: *Pars eius cinis eſt, & cor inſipiens adorauit illum*: ac ſi diceret, hanc ſummam inſipientiam & ſtultitiam eſſe. Idem argumentum contra homines ſuperbos & elatos qui ſe Deos exiſtimant cæteríſque hominibus longo interuallo anteferri, poſſumus nunc facere. Dic mihi ſuperbe, qui quaſi Deus eſſes, reliquos te inferiores eſſe putas: Nónne omnes ex eodem luto formati ſumus? nónne ex eadem radice & trunco procedimus? nónne ſumus omnes eiuſdem arboris prædicamentalis propagines? Si ergo alias medietates combuſſit ignis, ſi omnes mundi Principes, & Mornachę in cineres collapſi ſunt, quid aliud de te erit iudicandum? reſolueris quidem, ſicut & illi, in cinerem & viliſſimum puluerem: quomodo ergo tam ſtultus es & iuſipiens, quòd quaſi Deus eſſes, te ipſum adoras? Idololatra tui ipſius es, & hominem eſſe non cognoſcis. Hinc eſt quod Eccleſia ſancta quæ ſemper ſalutis noſtræ curam gerit per ſingulos annos in die cinerum, conſiderationem hanc ad noſtram reuocat memoriam, vt omnem à nobis ſuperbiæ & arrogantiæ faſtum propellat: *Memento*, inquit, *homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Quaſi diceret: Memento homo quod homo ſis, & cito in cinerem reuertendus, & noli ſuperbire, aut ſupra teipſum efferri. Philippus Macedo magni Alexandri pater, referente Plutarcho, puerum habebat, qui quotidie illum admoneret, & ad memoriam reduceret ſe hominem eſſe. Dum enim erat in conuiuiis, ſpectaculis, aut publicis lætitiis, apparebat coram Rege & genuflexus capitéque detecto, alta voce dicebat: *Memorare Rex quòd homo ſis*. Ad quem Rex conuerſus illum demitabat, ſed multo magis conuerſus ad ſemetipſum, dicebat: Homo ſum, & quidem homo mortalis. Heu me miſerum, homo

Iſa. 44.

Cinerum memoria.

Cognitio ſui.

Plutar.

Digitized by Google

ſum & cito in cinerem reſoluendus, vt quid ergo ſuperbiam, & iactabundus in aliquo gloriabor? Illuſtre quidem Pagani exemplum & dignum quod nos, qui Chriſtiana profeſſione cenſemur, quotidie illud imitemur. Heu me Domine, quia homo ſum: quod ſi homo, quomodo, quaſi belua eſſem, vitam tranſigo? Sum mortalis, quomodo in me vitia non moriuntur? ſum breuiſſimo temporis interuallo finiendus, quomodo in me mores peruerſi non finiuntur? Si cinis ſum humilitatem referens, quomodo conſideratione hac non

D. Aug. humilior? Aduertit Diuus Auguſtinus ſuper Geneſim, quòd mulier, quam ante peccatum Deus, virago, vocauerat, eò

Gen.3. quòd ex viro ſumpta eſſet: poſt peccatum Eua appellata fuit, eò quòd futura eſſet mater omnium viuentium. Mirabile quidem videtur, quod poſtquam per tranſgreſſionem ſententiam mortis incurrerit, nomen vitæ illi imponatur. Si enim antequam morti damnata eſſet ſimul cum omnibus ſuis poſteris nomen Euæ illi tribueretur, nemini abſonum videretur, at poſt latam mortis ſententiam, cui non videbitur

Nota. à ratione alienum? Reſpondet Doctor ſanctus quod poſt ſententiam mortis nomen vitæ illi imponitur, eò quòd mortalis effecta, & peccati miſeriis damnata: omnis ſuperbiendi occaſio ab ea ablata eſt. Mors corporis à morte animæ, quæ per ſuperbiam incurritur, eam præſeruauit, & ideo recte poſt mortem contractam nomen vitæ illi imponitur. Poſt peccatum etiam aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe eſſe nudos. Viderunt enim nuditatem ſuam confuſibilem, quæ fuit illis humilitatis occaſio. Humilis oculos habet apertos ad ſuam vilitatem cognoſcendam, quam ſuperbus tanquam cæcus non intuetur, & ideo intellectu carere dicitur.

Luxuria etiam carnis, mentem obnubilat, & rectum rationis vſum peruertit. Quod in Sodomitis illis peſſimis adum-

Gen. 19. bratum eſt, quos Deus cæcitate percuſſit, vt habetur Geneſ. 19. ne oſtium domus Loth inuenire poſſent. Per quæ aliquis peccat, per hæc & plectitur, cúmque illi cæcitate mentis laboraſſent, cæcitate etiam eos percuſſit: *Omnes adulterantes,*

Oſea 7. inquit Oſeas, *quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* Non incongrue clibano ſiue fornaci ignis, in quo vaſa fictilia decoquuntur, corda carnalium comparat: quia in clibano, non ſolùm ignis eſt intentiſſimus, ſed & fumus oculos excæcans inde exit. Sic ignis ſenſualitatis cor humanum comburit, quia ignis eſt comburens, & vſque ad conſummationem deuorans:

& ex

Digitized by Google

& ex ipſo corde combuſto fumus exit, mentem & rationis vſum obnubilans. Hoc ipſum idem Propheta inſinuauit (licèt aliis verbis) dicens: *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Ac ſi diceret: ſicut vinum & ebrietas cor auferunt, quia auferunt ſapientiam rationiſque vſum in corde reſidentem, ſic etiam fornicatio. Sunt enim fornicarij omnes excordes, cæci, & amentes, cùm periculum animæ ſuæ, & damna quæ ex hoc vitio procedunt non videant. Huc ſpectat, ſtatua illa Veneris tantum ab antiquis celebrata, ex ebore & auro confiἀa, cuius auctor Phidias fuit inſignis ſtatuarius, vt refert Pauſanias in Eliacis poſterioribus, & Plutarchus in præceptis connubialibus. Habebat autem ipſa Venus teſtudinem altero pede preſſam, quod quidem myſterio vacare non eſt exiſtimandum. Pauſanias huius rei iudicium aliis relinquit. Plutarchus, & Pierius, ad mulierum recollectionem & taciturnitatem referunt: ita quòd fama, non forma mulierum vulgata ſit. At, verum huius picturæ intellectum venari poterimus: ſi teſtudinis naturam, & proprietatem mirabilem attendamus, de qua refertur quod non habet cor. Vnde eſt, quòd de illa inquit Ariſtotel. lib. de ſomno & vigilia, ſcilicet, quòd in illa natura inordinata eſt. Quia cùm cor ſit principium vitæ in aliis animalibus, ipſa viuit ſine corde. Quid ergo eſt Venerem teſtudinem pede præmere? niſi innuere, illos quos Venus vincit & conculcat, excordes eſſe, & ab omni ſapientia & intellectu alienos: ac quaſi fœtidiſſimas teſtudines, in cœno voluptatum ſuarum perpetuò vitam degere. Patet igitur ex dictis, quomodo vitium hoc luxuriæ intellectu priuat: iam ad alia procedamus.

Oſea 4. *Veneris ſtatua.* *Pauſan.* *Plutarc.* *Pauſan.* *Teſtudo excors.* *Ariſt. li. de ſomno. & vigil. & devit. & mor. cap. 1.*

In chamo & fræno maxillas eorum cōſtringe, &c. Circa hunc verſum Diuus Gregorius ſic inquit: Plerumque qui præcepta Dei aure cordis audire renuunt, perſecutionum verberibus admonentur: vt ad virtutis amorem pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non inuitant. De quibus nimirum ſcriptum eſt: *Sola vexatio dat intellectum.* Semper enim amator præſentis ſeculi, ita ab eodem quem diligit mundo deſpicitur, & impugnatur, vt cum eo nequaquam currere valeat, ſed fractus aduerſitate torpeſcat: quod profectò diſpenſatione diuinæ miſerationis agitur: quia in hoc mundo deſpectus, tantò celerius trahitur ad Deum, quantò nihil habet in ſeculo, vbi delectetur. Hactenus Diuus Gregorius. Quod & Plutarchum inſignem clariſsimúmque Philoſophum non latuit, qui libr. de capienda vtilitate ab inimicis, ſic inquit:

D. Greg. *Labores ſunt Dei ſtimuli.*

Fuerunt

Ferunt nonnulli, quibus exilium & pecuniarum iactura viaticum exterit ad ſtudium & Philoſophiam, veluti Diogeni, &
Zenon. Crateri. Nam Zenon vbi nauigium ſuum fractum audiſſet: bene facis, inquit, fortuna, cùm ad pallium nos compellis. Itaque ſicut eques, equum cui inſidet, cùm à recta via declinare con-
Simile. ſpicit, fræno & calcaribus frænat & percutit, vt recto itinere graditur; ſic Deus, qui ſupra vnumquemque noſtrum inſidet, & animarum noſtrarum curam & rationem habet, iuxta il-
Abac. 3. lud Abacuc. 3. *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio* (ad hoc enim inſidet & ſuper nos aſcendit, vt ſaluemur) cùm quemquam noſtrum deuiare conſpicit, fræno & chamo duræ correctionis reducit, ne per varia voluptatum & vitiorum præcipitia pergentes, ad mortem ſempiternam deueniamus. Quid namque aliud erat Pharao Rex Ægypti, contra
Ezec. 29. quem Ezechiel vaticinatur. cap. 29. niſi effrenis equus, qui per idololatriam à recta via declinabat? Quem propheta, Dei nomine alloquitur, dicens: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis meus eſt fluuius, & ego feci &c. Ego ponam frænum in maxillis tuis.* Quid autem hoc loquendi tropo & ſchemate ſignificare intenderit, ſtatim declarat, dicens: *Ecce ego adducam ſuper te gladium.* Itaque frænum Dei, quo peccatores compeſcere & frænare ſolet, gladius tribulationis & perſecutionis eſt. Hoc enim fræno peccatorum indomitam ferocitatem ſolet coërcere. Quid etiam Senacheribum Sirorum Regem, niſi præcipitem equum, & feroſſimam beſtiam appellem? Qui magno impetu & furore ad debellandũ populum Iſraëliticum, & fun-
Iſa. 38. ditus deſtruendum venerat. Cui Iſaias minatur. capit. 38. dicens: *Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in via per quam veniſti.* Frænum quod impoſuit in labiis eius ad reducendum illum, fuit percuſſio exercitus eius per Angelum facta. Occidit namq; Angelus vna nocte cẽtum octoginta quinque millia. Qui cùm militum ſuorum ſtragem videret, egreſſus eſt, & abiit, & reuerſus eſt. Itaque nullum genus fræni durius eſſe poteſt, ad frænandam peccatoris ſuperbiam & audaciam, quàm tribulatio & laborum perpeſſio. Et ſicut fræno & onere domantur beſtiæ, ſic Deus quandoque indomitum peccatorum domeſticare ſolet freno & onere perſecutionem temporalium. Hominem videbis Dei oblitum, & in deliciis & voluptatibus vitam ſuam degentem, quem neque ſermones cõcionatorum, neque amicorum conſilia conuertunt, neque internæ Spiritus ſancti inſpira-

ſpira

Digitized by Google

ſpirationes à via ſua mala auocant, immittit illi Deus infirmitatem, quæ ſalutem ab eo, & omne robur corporis auferat, ſiue corporalis ſubſtantiæ iacturā incurrens ad extremam paupertatem deuenit: & ſtatim ad Deum illum videbis conuerti, peccatorum pœnitentiam agere, & veniam ſuppliciter à Deo poſcere. Ille enim qui prius effrenis erat & indomitus, iam ſupplex & humilis, omni feritate depoſita, quaſi agnus manſuetus, per viam mandatorum Dei deinceps incedit. Dauid Pſalm. 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Et Pſalm. 81. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Tunc peccatoris facies ignominia impletur, quando laboribus vexatur, quando tribulationibus concutitur, & infirmitatibus conteritur. Et tunc nullum aliud ſuffugium habet quàm ad Deum accedere, & nomen eius inuocare. Vnde Iſaiæ 48. Populo Iſraëlitico dicitur: *laude mea infrænabo te ne intereas. Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Septuaginta viri habent: *oſtendam tibi furorem meum*: Alij *prolongabo furorem meum*, id eſt, per multos dies te caſtigabo. Deſiderat Deus populi illius conuerſionem ad fidem, & ideo per longum tempus caſtigat eos, affligendos illos, ſeruitute, ignominia, & paupertate, vt quaſi filius prodigus, fame, & egeſtate afflictus, ad Deum conuertatur. Quæ verba dum expenderet Origenes contra Celſum, lib. 5. inquit: Ignem Deus illaturus eſt mundo, non vt coquus aliquis, ſed vt beneficus erga eos, qui dolore affligendi ſunt, & igne indigent. Vnde ſacræ literæ atrociora quædam edicunt, vt eos perterrefaciant, qui aliter nequeunt à peccatis auerti. 2. Reg. 14. habetur, quòd Princeps Abſalon miſit nuntios ad Ioab, vt ad eum veniret, qui tamen diſſimulauit, & venire noluit, at Abſalon ſecundos ei miſit nuntios, ſed neque ad veniendum motus eſt: tunc dixit ſeruis ſuis: ſcitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem meſſem hordei, ite igitur & ſuccendite eum igne. Quod cùm nuntiatum eſſet Ioab, ſtatim ſurrexit & venit ſupplex ad domum eius. Ecce ſub cortice huius hiſtoriæ miſericors Dei vocatio, & peccatoris conuerſio deſcripta eſt. Cùm enim Deus peccatorem à ſe auerſum videt, primò inſpirationibus, quaſi quibuſdam animæ nuntiis eum vocat, quod non ſemel ſed multoties facit, dicens: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, & non erit vobis iniquitas in ruinam*, & alibi: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum: quoniam benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia.* At peccator multoties (quod grauiter

Pſal. 15. *Pſal. 81.* *Iſaia 48.* *Septuag.* *Pugnin.* *Origenes* *2. Reg. 14* *Figura.* *Ezec. 18.* *Ioel. 2.*

dolendum eſt) in ſua duritie & obſtinatione perſeuerat: quare ad vltimum remedium perueniens, ſubſtantiam eius ſuccendit igni, labores illi immittit, & tribulationibus afficit, vt tandem trahat dolor, quem amor trahere non potuit. Et hoc eſt multiplicare infirmitates, faciem ignominia implere, & fræno duræ correctionis maxillas confringere. Si ergo aliquando, fratres mei chariſſimi, frænum diuinæ correctionis durum & aſperum ſenſeritis, ſi flagellum eius fueritis experti: nolite vocationi eius reſiſtere, nolite corda veſtra obdurare, nolite ſicut equus & mulus fieri, quibus non eſt intellectus: ſee fræno & chamo correctionis diuinæ obedientes, & voluntati eius obtemperantes, ad Deum ſupplices properate, apud quem gratiam & gloriam inuenietis. Amen.

CONCIO SEPTIMA.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circundabit.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.

SI Ordinem diuinæ prouidentiæ debita conſideratione penſemus, & modum, quem circa peccatores & iuſtos obſeruat, aduertamus: proculdubio, hoc vnum certiſſimum eſſe reperiemus: quòd ferè ſemper iuſti laboribus in hac vita vexantur, flagellis & plagis afficiuntur: at peccatores, de quorum ſalute deſperatur, multoties ad placitum voluntatis ſuæ viuere permittuntur.

Iuſtus laboribus vexatur.

Prou. 3. *Hebr. 13.* Et quidem de iuſtis, nulli dubium eſt. Inquit namque Salomon, Prouerbiorum tertio, quem locum refert etiam diuus Paulus ad Hebræos duodecimo. *Diſciplinam Domini ne abiicias, nec deficias cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Deus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Itaque, iuſtum quem Deus paternali affectu diligit, vexat, corrigit, & caſtigat.
Tob. 13. Ad idem eſt illud Tobiæ decimo tertio. *Quoniam tu flagellas & ſeruas, deducis ad inferos, & reducis.* Ex quo loco infertur, quòd flagella, quibus Deus ſuos proſequitur, non ad eorum interitum, ſed ſalutem ordinantur. Flagellat, ſed vt ſeruet, deducit

Digitized by Google

ducit ad inferos, ſed vt reducat ad vitam. 2. Regum 18. cùm Rex Dauid exercitum ſuum contra Abſalonem filium rebellem miſiſſet, ſtetit in porta ciuitatis quando milites egrediebantur, & præcepit Ducibus exercitus, vt omni diligentia cauerent, ne Abſalonem & interficerent. *Seruate*, aiebat, *mihi puerum Abſalon* cunctis audientibus. Itaque, magnifico illo militum & armorum apparatu, non illius mortem, ſed reductionem intendebat. Cupiebat enim ipſum viuum apprehendere, vt vel ſic ad ipſum reduceretur. *Ego*, inquit Deus per Hieremiam, *cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Si Deus iuſtum affligit, ſi ab eo ſalutem aufert, ſi diuitiis, honore, aut quibuſuis fortunæ bonis priuat: cogitatio pacis fuit, non afflictionis, non belli, & ipſa afflictio, afflictionis cogitatio non eſt, ſed miſericordiæ, & pacis. Hinc factum exiſtimo, quòd quando Deus per Prophetas ſuos aliqua ſupplicia minatur, his verbis vtitur: & leuabo manum meam: vt videre eſt apud Zachariam, cap. 2. *Ecce ego leuabo manum meam ſuper eos, eruntque prædæ, &c.* Dicitur Deus leuare manũ ſuam, cùm flagellat, ſecundùm cuiuſdam interpretationem: quia manus leuatio, iuxta Romanorum ritum, ſymbolum erat amoris & pacis. Flagellat ergo Deus leuando manum, quia flagella & ſupplicia eius, quibus ſuos affligit in præſenti vita, ex infinito eius amore procedunt, & nihil aliud, niſi pacem & reconciliationem prætendunt, iuxta illud Ezechiæ: *Corripies me, & viuificabis me, ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Quàm plurimos vates huius rei teſtes poſſem adducere, ſed ſolùm Dauidem referam dimiſſis aliis. Qui quaſi vir expertus, Pſalm. 38. loquitur, dicens: *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuiſti hominem. Et tabeſcere feciſti, ſicut araneam animam eius.* Defeci, inquit, à fortitudine manus tuæ. Sed à quo defeciſti Rex ſancte? Defeci à culpa, defeci à legis tranſgreſſione, à mandatorum tuorum præuaricatione. Nam ſicut quis peccando deficit à iuſtitia, quia deſinit eſſe iuſtus: ſic relinquendo peccata deficit à culpa, quia deſinit eſſe peccator. Et ſubdit, Propter iniquitatem corripuiſti hominem, id eſt, meipſum, qui quaſi homo debilis, & miſer peccaui. Et tabeſcere feciſti, per duram manus tuæ correptionem, quaſi araneam vitam meam. Araneus ſtatim ac quis telam eius tangit, tabeſcit, & totus contremiſcit, ac commouetur: ſic cùm Deus corpus per tribulationem tangit, animam tabeſcere & timere facit. Quia correctiones diuinæ ad emendationem animæ ordinantur. Sed

Hier. 29.

Deum leuare manũ quid.

Zach. 2.

Nota.

Iſaia 38.

Pſal 38.

Digitized by Google

Verſio Hieron. aduertendum quod vbi vulgata dicit: *Et tabeſcere feciſti ſicut araneam*, &c. Diuus Hieronymus vertit: *Poſuiſti quaſi tineam deſiderabilia eius.* Quaſi dicat: Hoc tuum ingenium eſt, quòd illa quæ in maximo pretio peccatori habentur, vt ſalutem, diuitias & honorem, quaſi tinea corrodis & deſtruis, vt his ſtimulis ad te conuertatur. *Greg. 6. mor. c. 16.* Vnde eſt, quod B. Gregorius expendens illa verba Iob 5. *Beatus homo qui corripitur à Domino*, inquit: Electus quiſque vt æterna ſupplicia euadat, & præmia acquirat æterna, debet hic aſſiduis flagellis atteri, quatenus in iudicio purgatus valeat inueniri. Ipſo namque infirmitatis noſtræ pondere, deorſum quotidiæ ducimur, niſi mira manu artificis per ſubleuantia flagella ſubleuemur. Ex quo ſequitur, quòd plus nobis nocent proſpera, quam aduerſa. Adducit ad hoc propoſitũ Doctor Incognitus quoddam dictum *Auicen. Doctor Incognit.* Auicennæ 3. Canone qui loquens de paraliticis, inquit: quòd aqua ſalubrior eſt eis quàm vinum. Cuius ratio eſt, quia vt plurimum, vinum in corporibus eorum aceſcit: ſic moraliter loquendo, quamdiu ſumus in hoc mundo, paraliſi diſſoluimur: ſicut patet ex contrarietate motuum quos ſentimus, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: & ſic plus nobis expedit aqua tribulationum, quàm vinum proſperitatis, plus labor, quàm requies, aduerſitas, quàm tranquillitas. Vnde conſilium illud Salomonis ortum habuit. *Ne intuearis vinum*, ſcilicet, proſperitatis, *quando flaueſcit*, &c. *Prou. 13.* Et Demetrius dicere ſolebat, referente Stobæo: *Nihil ſibi videri infœlicius eo, cui nihil vnquam euenit aduerſi, quòd oporteat talem hominem aut ſibi ignotum eſſe, vt qui nunquam ſui periculum fecerit, aut diis inuiſum, quem præterierint, velut ignauum ad fortunæ conflictum.* *Stobæus ſerm. 18. Infœlix aſſidua proſperitas.* Patet igitur abundè ex dictis, quomodo Deus ſoleat iuſtos laboribus vexare. Iam ad peccatores deueniamus.

Et quidem, ſi de peccatoribus agitur, certiſſimum eſt, quòd in hac vita proſperantur; quod & experientia docet, & Scripturæ ſacræ teſtantur. *Hier. 12.* Hieremias duodecimo, dicitur: *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt.* *Iob 12.* Iob 12. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cùm ipſe dederit omnia in manus eorum.* *Pſal. 72.* Et Pſalmo 72. *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſeculo, obtinuerunt diuitias.* Sed ad propoſitum iam deueniamus. *Dubitatio.* Si ergo iuſti (vt vidimus) flagellis & laboribus conteruntur, peccatores è conuerſo ſumma pace gaudent, & fœlicitate proſperantur. Si hos Deus temporalibus bonis ſic proſequi

ſequi

ſequitur, illos verò calamitatibus perſecutionibus & miſeriis afficit: quomodo ſtabit quod Pſaltes in præſenti verſiculo decantat, dicens: *Multa flagella peccatoris, &c.* Imò omninò contrarium mihi videtur contingere. Multa proſperitas & fœlicitas peccatoris, ſperantem autem in Domino flagella Dei apprehendunt, & vndique labores & calamitates circundant. Ecce difficultas poſita eſt: ſuper vt ad eam reſpondeamus. Pro cuius ſolutione duo nobis aperienda ſunt: & quòd peccatorum flagella ſint multa, licèt proſperari videantur, & quòd iuſtum etiam in ipſa tribulatione miſericordia circundat, quia ipſa tribulatio, miſericordia Dei eſt. Et quantum ad primum, flagella peccatorum multa ſunt, quod non de flagellis præſentibus, ſed futuris intelligitur, quæ multa, & incomportabilia ſunt: puta in æternum duratura. Flagella enim, quibus Deus ad eruditionem in præſenti vita ſuos exercet, non multa, ſed pauca & leuia dici poſſunt, quia momentanea ſunt, & cito finiuntur. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Neque bona, neque mala diuturna ſunt in hoc mundo, ſed vtraque ad tempus, & momentanea. *El bien es vigilia del mal, y el mal vigilia del bien: la proſperidad dexa citada la aduerſidad, y la aduerſidad a la proſperidad.* Vnde Salomon Eccleſ. 11. *In die bonorum, ne immemor ſis malorum.* Quaſi dicat: Quando bonum magis amplexatus fueris, tantò debes brachia, malis & aduerſitatibus præparare. Quia bona & mala in præſenti vita varia viciſſitudine ſe cōſequuntur. Hoc probè nouerat Philippus Rex Macedonię, cui cùm fœliciſſima quædam nuntia, vna die allata fuiſſent, ſcilicet, quòd Alexāder filius illi natus fuiſſet, & quòd exercitus eius de inimicis magnam victoriā fuerat cōſecutus: Deos immortales obteſtabatur, vt in tertio nuntio rigorem ſuum temperarent. Intelligebat enim, tāquam inſignis Philoſophus, varios eſſe fortunæ ſucceſſus, & quòd non omnia læta & iucunda in hoc vita poſſunt accidere, ſicut nec omnia triſtitia. Quia hic eſt ordo diuinæ prouidētiæ, quòd in cœlo omnia ſint læta & iucunda, in inferno omnia triſtitia, at in terra, quæ medium tenet locum, *es como entre ſuelo del cielo y del infierno*, medio modo res ſe habēt: quia aduerſa proſperis, & proſpera infauſtis & aduerſis admixta ſunt. Et hoc eſt illud Tobiæ: *Poſt tempeſtatem tranquillum facis*, Et Pſal. 70. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus viuificaſti me.* Hinc fit, quòd flagella præſentis vitæ, nec multa ſint, nec diu durare poſſint: Nam ſicut gaudium Hypocritæ eſt ad inſtar puncti, ſic triſtitia iuſti & flagella quibus affligitur, breuiſſi

Solutio.

Iniquorū miſera fœlicitas

Pſal. 29.

Eccl. 11.

Vide Eraſ. l. 4. Apopht.

Labores huius vitæ citò finiuntur.

Tobiæ 3.

Pſal. 70.

breuiſſimo tempore finiuntur. At flagella peccatorum multa iure dici poſſunt, quæ infinito tempore duratura ſunt, neque habitura finem. Adumbrata eſt hæc ſuppliciorum differentia

Hiere.1. Hieremias primo, vbi dicitur: *Quid vides Hieremia?* Et reſpondet: *Virgam vigilantem ego video.* Deinde, quid vides? Et reſpondet: *Ollam ſuccenſam à facie Aquilonis.* Viſiones iſtæ, ſupplicia & flagella quibus homines Deus ſolet vexare ſignificant. Percutit Deus primo in hac vita, ſed percutit virga debi-

Simile. li, quæ citò frangitur, duobus aut tribus ictibus illatis. Sicut ſolet aliquis virga, puluerem pallij ſui excutere: ſic Deus excutit in nobis puluerem culparum. Aut ſicut pater virga percutit fi-

Simile. lium, quam illico frangit, & in ignem proiicit: ſic Deus percutit nos laboribus, calamitatibus, & aliquãdo peccatoribus ipſis,

Iſai.10. quos in ignem æternum proiicit: *Væ Aſſur virga furoris mei,* inquit per Iſaiam, capite decimo: *Et baculus ipſe eſt. In manu eius indignatio mea.* Itaque, omnia ſupplicia vitæ præſentis,

Ignis inferni perpetuus. etiam ſi ſub illis labores Tobiæ, perſecutiones Dauid, & Iob calamitates intelligas, ſolùm percuſſio virgæ ſunt. At ſupplicia futura & inferni calamitates, quæ peccatoribus obſtinatis & impœnitentibus reſeruantur, ſunt olla ſuccenſa, & facies eius à facie Aquilonis, vnde validiſſimus ventus exſufflare ſolet, ne ignis ille in æternum extinguatur, quare damnatis dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* O tremendum verbũm, & omni acerbitate plenum. Ecquis æternitatem huius ignis, & durationem huius ſupplicij exaudiens, non exhorreat, & timeat? O ſupplicia æterna, ô ignis comburens & non deficiens! ô verè multa flagella & in-

Pſal.4. comportabilia? *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quis ex vobis habitabit cum igne deuorante, aut quis ſtare poterit cum ardori-*

Iſai.33. *bus ſempiternis.* Iſai.33.

Sperantem autem in Domino, miſericordia circumdabit. Ille namque ſperat in Domino in ſuis laboribus, qui patienter ſuffert, à Domino retributionem expectans. Et hunc miſericordia Domini circundat, quia pro momentaneis laboribus, æternam retributionem accipiet. Hinc eſt quòd Iob tam patienter calamitates ſuas ferebat: quia nimirum in Deo ſuo confidebat, & ab ipſo omnium laborum ſuorum præmium expectabat.

Iob 7. *Sicut ſeruus*, inquiebat ille, *deſiderat vmbram, & mercenarius præſtolatur finem operis ſui, ſic ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi.* Enumerat quippe ſibi mercenarius, & ſeruus menſes vacuos & noctes laborioſas, quas paſſus eſt,

ſus eſt, vt mercedem & retributionem ſuorum laborum tempore ſtatuto accipiat. Sic faciebat vir iſte ſanctus, omnes illos menſes conſolatione vacuos, & laboribus plenos, & triſtiſſimas illas noctes, doloribus & calamitatibus abundantes, ſibi aſcribebat. *Las aſſentaua a ſu quenta*, vt in poſterum requiem & retributionem acciperet. Quod quidem non incongruè ipſemet ſignificauit, capite vltimo ſuæ hiſtoriæ. Nam, cùm poſt tranſactam ſuam tentationem, ad pinguiorem fortunam fuiſſet reſtitutus: primam filiam quam genuit, diem appellauit, ſignificans, quòd poſt tranſactam noctem ſuorum laborum, iam dies illuxerat ſplendidiſſima. Quaſi diceret: Nullus quantumuis tribulatus & afflictus, de miſericordia Dei diffidat, quia poſt nubila Phœbus. In quo etiam facto adumbratur, quòd tranſacta vitæ præſentis ærumnoſa nocte, iuſti qui laboribus probati fuerint, ſui certaminis triumphum, & ſuorum laborum remunerationem ſint accepturi. Vnde eſt, quòd diuus Gregorius libro octauo Moralium, capite ſeptimo ait: Mercenarius cùm facienda opera conſpicit, mentem protinus ex grauitate laboris adiicit, cùm laceſentem animum ad conſiderandum operis præmium reuocat, quod graue perpendit ex opere, leue æſtimat ex remuneratione. Sic electi, cùm mundi huius aduerſa patiuntur, cùm honeſtatis contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, eſſe grauia quibus exercentur penſant: ſed cùm mentis oculum ad æternæ patriæ conſiderationem tendunt, ex comparatione præmij, quàm ſit leue quod patiuntur, inueniunt. Quod enim valdè eſſe importabile ex dolore oſtenditur, conſideratione præmij leuigatur. Quare beatus Paulus 2. Corinth. 4. dicebat: *Id enim quod in præſenti momentaneum tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis nõ contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Æternum, inquit, gloriæ pondus operatur. Pondus æternum gloriam appellat, quia animæ noſtræ vires ſuperat, neque eam ferre poſſet, niſi ſpeciali Dei auxilio adiuta, & lumine gloriæ illuſtrata. Fideli illi ſeruo, qui in quinque talentis lucratus eſt alia quinque, dictum eſt à Domino: *Euge ſerue bone, quia in pauca fuiſti fidelis, &c.* intra in gaudium Domini tui. Vbi obſeruauit quidam, quod non dixit: *Intret gaudium Domini tui in te, ſed intra in gaudium Domini tui.* Tanta enim eſt illius gaudij magnitudo, quòd magis nos in illud, quàm ipſummet in nos intrare dicitur. Beatitudo enim illa, facultatem mentis noſtræ excedit: quia licèt ad illam propenſionem habeat, tamen

Iob vlt.
Figura.

D. Greg.
Triſtitia iuſtorum in gaudiũ vertitur & præmij ſpes laborem minuit.

2. Cor. 4.

Digitized by Google

eam viribus naturæ nequaquam poteſt conſequi. Quòd ſi iuſti labores tanto pondere gloriæ remunerandi ſunt, quòd omnes vires noſtræ, ad illud portandum ſint impares, quis non cum regali Propheta fateatur, quod ſperantem in Domino, quantumuis laboribus vexatum, perſecutionibus afflictum, contumeliis affectum, miſericordia in futurum circundabit?

Lætamini in Domino, & exultate iuſti, &c. Duo in præſenti verſiculo dicit. Primum, quòd ſoli iuſti & recti corde lætari debent, iuxta illud quod in Pſal. 32. dixit: *Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.* Secundum, quòd hæc lætitia & exultatio debet eſſe in Deo, & non in alio. Quantum ad primum, ſoli iuſti exultare debent & lætari. Peccatoribus namque omnis lætitia vera interdicta eſt. *Licèt enim peccatores lætentur cùm malefecerint, & exultent in rebus peſſimis,* in quibus valde triſtari deberent, & licèt teneant tympanum & citharam, & ad ſonitum organi gaudeant, tamen gaudium eorum non eſt verum, ſed fictum, & lætitia eorum, lætitia apparens & hypocritarum, quæ citò peritura eſt. Eſt enim inſtar puncti: & cùm ex mala conſcientia procedat, doloribus & ſolicitudinibus permixta eſt. Vnde diuus Gregorius exponens illud Iob, capite trigeſimo (vbi de gaudiis peccatorum agit) *ſub ſentibus delicias eſſe computabant,* inquit: *Quia mali peccatorum delectationibus preſſi, ex affectu vitæ præſentis, quàm ſint aſpera quæ patiuntur ignorant lætantur itaque: ſed ſub ſentibus, quia rebus quidem temporalibus gaudent, ſed tamen dum diſpenſare ſine tribulatione eadem temporalia non valent, eo iure punguntur miſeri, quò ſub ſentibus præmũtur. Et hoc ipſum delicias æſtimant, quia & dura quidem ex præſentis vitæ amore tolerant, & tamen affectu nimiæ cupiditatis obligari laborem eiuſdem tolerantiæ voluptatem putant.* Adhuc diuus Gregorius. Cuius verbis, hoc vnum liceat mihi addere, quòd peccatoris gaudium ſemper ſub ſentibus eſt, quia tot habet pungentes ſpinas, quot ſunt remorſus conſcientiæ, miſeram animam lacerantes. Fingite aliquem inter ſentes, alicuius rei voluptatem captare, vel flores colligendo, vel fructum aliquem ibi exiſtentem deguſtando, neceſſariò cùm manum ad florem vel pomum extenderet pungeretur. Non abſimilis eſt mundana lætitia: eſt enim ſentibus vndequaque circumſepta: vnde illam captantes punctionibus propriæ conſcientiæ feriuntur. Lætatur aliquis in vanis ſpectaculis, aliquis in ebrietate & gula, alius verò, in turpitudinibus, & carnis voluptatibus, tamen in his non eſt vera lætitia, quia ſine remorſu conſcientiæ eſſe non

Pſal. 32.

Prou. 2.

D. Greg. 20. Mor. cap. 15.

Simile.

non poteſt. Vnde Oſeæ nono dicitur: *Noli lætari Iſraël, noli exultare ſicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo. Fornicatio* in ſacra pagina ſæpenumero pro idololatria ſumitur. Quare ſenſus eſt: Noli lætari, quia idololatriam commiſiſti: ſicut populi, id eſt Gentiles. Quaſi diceret, quòd Gentes & Pagani in peccatis idololatriæ lætentur, non mirandum eſt, quia idololatræ ſunt, & Deum verum non agnoſcunt: at tu Iſraël popule meus, qui Deum verum cognoſcis, & fidem profiteris, noli ſicut populi lætari & exultare, quia propria conſcientia te accuſat, & opera tua contra te clamant. Sed ſpecialiter inquit: Noli lætitiæ occaſionem ſumere, vnde potius flendi deberes aſſumere. Noli lætari ex peccatis, ex quibus triſtari potius deberes. Hoc idem quod Oſeas populo ſuo, nos peccatori in vitiis ſuis lætanti dicere poſſumus: Noli lætari, ô peccator, noli lætari ſicut populi, quòd à Deo tuo per mandatorum tranſgreſſionem fueris fornicatus. Quomodo enim lætari poteris, quamuis proſpere, & ex ſententia omnia tibi ſuccedant, cùm Deum infenſum habeas, & ſcias tibi parata eſſe æterna ſupplicia, dignam tuorum flagitiorum mercedem. Si lætaretur Epicurus, qui negabat Deum curare quid ageret humanum genus, ſi illi qui putarunt animum extingui cum corpore, ferendum eſſet: at lætari Chriſtianum & ridere, qui Dei iuſtitiam nouit, qui ſcit horrendum eſſe incidere in manus Dei viuentis, cùm ab illo per culpã fuerit ſeparatus, hoc phrænetici animi manifeſtum indicium eſt. Licèt enim futura ſupplicia nulla vereretur, ſatis eſſet ad eum torquendum, atque excarnificandum conſcientia, quòd tantis beneficiis obligatus, fornicatus ſit à Deo ſuo. Vnde cæcinit Perſius.

Oſea 9. *Non lætandum in vitiis.*

Ante magis Siculi gemuerunt æra iuuenci,
Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter ceruices terruit? Imus,
Imus præcipites.——

Perſ. ſat. 1.

Quaſi dicat, equidem peccatoris lætitiam non veram arbitror, ſed commentitiam & falſam. Lætitia enim eorum, quaſi in extremis laborantium eſt, qui quamuis lætitiæ ſigna oſtendant, tamen morti valde ſunt propinqui, & eorum lætitia citò in luctum conuertitur. Quemadmodum delphini ludentes, & præ lætitia ſalientes in mari, portendunt imminere tempeſtatem, ſic peccatores dum exultant in peccatis, dicemus iam in ianuis adeſſe eorum ruinam. Hoc enim in ſtultiſſimo illo Balthaſare Babyloniæ Rege intueri ad oculum poſſumus, qui nocte illa, qua mors eius, & ſui Regni tranſlatio inſtabat: tantum exulta-

Simile.

Digitized by Google

uit, quod ſolenne conuiuium parare fecerit: cùm tamen ipſa nocte ab inimicis fuerit extinctus. Vnde in perſona illius Iſai. ait: *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.* Loco cuius aliqui verterunt, *nox à me deſiderata, verſa eſt mihi in horrorem.* Sunt enim ipſius Balthaſaris verba quaſi dolentis. Heu me, inquit, quantum noctem iſtam conuiuij mei deſideraueram, quantas feceram expenſas, quantas paraueram epulas, vt magnitudinem potentiæ meæ ſimul & magnificentiam meam regiam oſtenderem, & nox iſta, quam deſideriis emeram, verſa eſt mihi in horrorem. *Ha ſe me aguado la fieſta, el deſſeo ſe me ha buelto en temor, la cena en tragedia, el vino en ſangre, y la muſica en llanto.* Video enim vrbem meam dilectam à Perſis expugnatam, & inimicos ſuper me gladiis ſuis irruentes. Valdè enim hoc cuilibet peccatori conuenit, qui in peccatis ſuis lætatur. Lætitia enim eius tandiu quæſita, in ſtuporem & ſempiternum mœrorem citiſſimè vertetur. Cuius rei conſideratio ſufficeret, ne de ipſis vitiis voluptatem captaret. Idem Propheta, capite decimotertio de illis ſuperbis Babylonis ædificiis loquens ait: *Et reſpondebunt vlulæ in ædibus eius, & Sirenæ in delubris voluptatum.* Erunt, inquit, in illis ſupremis ædificiis Sirenes dulciſſimè canentes, quæ etiam Vliſſem ipſum, & quemuis prudentem hominem cantu ſuo dulciſſimo attrahant: ſed in eodem loco reſpondebunt vlulæ nocturnæ aues, lugubri ſuo cantu ad triſtitiam prouocantes. *Las vozes alegres de las ſirenas, ſe mezelan con las vozes lamentables de los autillos.* Nulla domus, etiamſi magnatum & Regum ſit, tanta fœlicitate gaudet, quòd non ibi triſtiſſimæ voces & nocturna lamenta audiantur. Etiamſi Sirenes ſint dulciter modulantes, etiamſi proſpera omnia & læta videantur ſuccedere, tamen in medio huius lætitiæ, triſtiſſima propriæ conſcientiæ vox reſpondet. Heu, quàm triſtis voluptas, heu, quàm illicita gaudia, heu me miſerum, quia omnia hæc quæ contra legem Dei fiunt æternis ſuppliciis ſunt luenda. Refert Doctor Incognitus ſuper illud Pſal. 96. *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia,* ex Magiſtro hiſtoriarum: quòd Cyrus Rex Perſarum, non valens bellis ſubiugare ſibi gentem Lidorum ſtrenuam in armis, & bellicoſam, finxit cum eis amicitiam: & vt eos redigeret in væcordiam, ſub ſpecie amicitiæ, tradidit eis ſolennitates & ludos, vt ludis & voluptatibus vacarent: quibus vacantes, virtutem & artem bellandi perdiderunt, & per lætitias temporales illos ſuperauit, quos armis ſuperare non poterat. Sic quippe faciunt mundus, & diabolus; qui nobis multas procurant temporales lætitias,

Iſai. 29.
Nota.
Iſai. 13.
D. Incog.
Magiſt. hiſtoriar.

Digitized by Google

lætitias,vt nos peccatis ſubiiciant,& mortem tribuant ſempiternam,ex quo infertur ſummam eſſe ſtultitiam in talibus lætari. Quare dicitur Eccleſ. 7. *Cor ſtultorum vbi eſt lætitia.* Cor enim ex parte ſuperiori dilatatur, & ex parte inferiori, quæ verſus terram eſt, conſtringitur: vt auctor naturæ nobis innueret, quòd lætitia, cuius cor eſt receptaculum, ex cœleſtibus non ex terrenis petenda eſt. Hanc autem lætitiam, quæ de cœleſtibus eſt, ex futurorum bonorum ſpe, & ex gaudio propriæ conſcientiæ prouenit, quare, ſolis iuſtis & rectis corde conuenire poterit: quia *ſecura mens*, vt inquit Salomon *quaſi iuge conuiuium*. Conſcientia enim bona & ſecura magnum poſſeſſori gaudium promittit. Quare Zachariæ 10. de iuſtis inquit Dominus: *Et erunt quaſi fortes Efraim, & lætabitur cor eorum quaſi à vino.* Quinam ſunt fortes iſti Efraim, niſi iuſti & ſancti, qui fortiter & ſtrenuè contra Diabolum, carnem, & mundum rebellarunt, voluptatibus ſuis non ſe ſubiicientes? Hi nimirum lætabuntur quaſi à vino, quia liquore illo gratiæ diuinæ inebriati, omnes mundanas delicias & voluptates contemnent, & in ſpe præmij, & futuræ retributionis, incomparabiliter gaudebunt: iuxta illud Iſaiæ. *Lætabuntur coram te, ſicut lætantur in meſſe, & ſicut lætantur victores capta præda, cùm diuidunt ſpolia.*

Eccl. 7.

Vera lætitia è cælo eſt & mente recti conſcia.

Prou. 15.

Zach. 10.

Iſa. 9.

Iuxta ſecundum, ſcilicet, quòd iuſtorum lætitia & exultatio debeat eſſe in Deo, ſciendum, quòd gaudium eſt animæ theſaurus: & ſicut theſaurus in loco aliquo tutiſsimo recondi debet: iuxta illud Saluatoris, Matth. 6. *Nolite theſauriſare vobis in terra, ſed theſauriſate vobis in cælo, vbi nec ærugo, neque tinea demolitur*: ſic gaudium noſtrum, non in alio quàm in Deo, vt ſecurum ſit debet collocari. Si enim gaudium tuum in diuitiis, lapidibus pretioſis, auro, vel argento, aut fortè in dignitatibus & honoribus collocaueris, ſecurum non eſt: quia omnia hæc terrena ſunt, periculis expoſita, & citò peritura. Quare gaudium ex illis proueniens, non erit diuturnum, ſed in triſtitiam conuertetur. Loquitur Propheta Iſaias, capit. 24. de huiuſmodi mundanis gaudiis, dicens: *Luxit vindemia, infirmata eſt vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.* Hoc enim amatoribus huius ſeculi continget in die mortis, & in die iudicij, quando omnis eorum lætitia, in mœrorem, riſus in lachrymas, & gaudium in gemitum conuertetur. Vnde Eccleſ. 2. dicitur: *Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi, quid fruſtra*

Gaudiũ iuſti in quo eſſe debeat.

Matt. 6.

Iſa. 24.

Eccl. 2.

fruſtra deciperis? Decipit enim glaudium huius ſeculi, quia fallax eſt, & quando maiorem ſecuritatem promittit, ſubitò deficit & euaneſcit. Solus Deus verum & diuturnum gaudium cultoribus ſuis promittit, & confert: *Petite & accipietis*, inquit, per Ioan.cap.16. *vt gaudium veſtrum ſit plenum, & gaudium veſtrum, nemo tollet à vobis.* Gaudium mundi non plenum eſt, ſed vacuum & inane. Sicut enim arundines cum vireſcunt, & exterius apparent, viſum delectant, at ſi gladio ſcinduntur, intus reperiuntur vacuæ: ſic mundi gaudium, licèt magnum aliquid exterius promittat, tamen ſi illius periculum facias, vacuum & inane reperies. Quapropter Beata illa fœmina Heſter, capit. 14. dicebat: *Tu ſcis Domine quòd nunquam lætata eſt ancilla tua, niſi in te Deus.* Et glorioſiſſima Deipara Maria (non ſine magno mentis iubilo) cantabat, dicens: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Non in mundi gaudiis lætata ſum, non in ſeculi voluptatibus, non in opibus & diuitiis, non in regali progenitorum ſtirpe, ſed in Deo ſalutari meo, qui veræ exultationis & lætitiæ centrũ eſt, & ſolus vera gaudia animæ conferre poteſt. Quare fratres, ſi vera gaudia conſequi cupitis, in ſolo Deo gaudij noſtris auctore, & in bonis gratiæ eius, ſpem veſtri gaudij collocate. Sic quippe faciebat ſponſa quæ dicebat in Canticis: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.* In te vno, ô dulciſſime animarum ſponſe, lætabimur, qui veram lætitiam & gaudium nobis conferre poteris, gaudium, inquam, plenum & vndequaque abſolutum & perfectum, gaudium immarceſſibile & indeficiens: cui ſi gaudia omnia terrena comparentur, quæ, ex diuitiis & voluptatibus haberi ſolent, proculdubio vileſcent animo, & pro nihilo reputabuntur. Talia enim ſunt hæc gaudia, quòd ſola eorum memoria mentes noſtras lætificare ſufficit ſuper omnem mundanam lætitiam. Memores, inquit, vberum tuorum ſuper vinum. Per vinum, mundana conſolatio & lætitia frequenter in ſacra Scriptura intelligitur: vt eſt illud Iſaiæ 24. *Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam.* Et Ioël. cap. 1. *vlulate qui bibitis vinum in dulcedine.* At per vbera Dei, diuina eius conſolatio, nectar, inquam, illud precioſiſſimum gloriæ, ex eius pectore procedens, quo beati inebriantur: iuxta illud Iſaiæ 66. *ad vbera portabimini, & ſuper genua mea blandientur vobis: Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.* O bone Deus, cuius cor lapideum, & ſi ſuper adamantem ſit durius, talia

Ioan.16.

Simile.

Heſt.14.

Luc.1.

Cant.1.

Iſa.24.

Ioel. 1.

Iſa.66.

Digitized by Google

talia audiens, non diſoluitur & conteritur? Quàm pulchrum erit viſu, tot filios, tot beatas mentes ex vberibus Dei noſtri prudentes, & lac illud pretioſiſſimum captantes iuxta vniuſcuiuſque capacitatem & menſuram. *Inebriabuntur Domine ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſal. 35.
Hæc igitur ſunt beata illa vbera de quibus ſponſa audacter affirmat ſuper vinum meliora eſſe: quia dulcedo illorum, omnem humanam voluptatem, omnem terrenam lætitiam, omne imaginabile gaudium incomparabiliter tranſcendit. Læta horum vberum memoria appetitum excitat, mentem reficit, voluntatem attrahit. Hæc virginem inuitat, martyrem animat, & confeſſoris ſuorum laborum, & certaminum coronam promittit. Verè memoria horum vberum ſuper vini dulcedinem dulcior eſſe dicitur: quia liquore eorum aliquatenus in via deguſtato, omnia mundi gaudia facillimè deſpiciuntur: *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*, inquit Pſal. 33.
Pſalmographus: *Beatus vir qui ſperat in eo.* Hanc dulcedinem deguſtauerat ipſe & ſuauitatem eius fuerat expertus, ſiquidem dicebat: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit cor meum & caro mea, pars mea Deus in æternum.* Et in Pſalm. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Eandem etiam, licèt curſim & raptim, deguſtauerat magnus ille Paulus Eccleſiæ Doctor qui dicebat: *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et in alio loco. *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Sed & B. Petrus aliquid deguſtauerat, cùm dulcedine hac ineſcatus ſuper Thabor, dicebat: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe.* Sed quid immoror in dulcedine illius ſupremæ viſionis enarranda? Cùm Propheta Iſaias, poſt quem beatiſſimus Apoſtolus Paulus cæcinerit: *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Nam (vt verbis magni Gregorij vtar) quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit, quanta illius ſupernæ fœlicitatis ſint gaudia? Angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere, incircunſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. Cùm omnes ſponſi partes, ad decorem & naturalem pulchritudinem ſpectantes, alicui materiali rei, ſponſa in canticis comparauerit, oculos ſimiles columbæ eſſe dicens, caput eius auro perſimile, & ſic de aliis: dum ad gutturillius

Pſal. 72. Pſal. 30. Rom. 8. Philip. 3 Matt. 17. 1. Cor. 2. D. Greg.

deuenit,

Digitized by Google

deuenit, & de dulcedine illius ageret, nulli rei illud comparauit, ſed contenta eſt dicere: *Guttur illius ſuauiſſimum*, vt inſinuaret nobis, dulcedinem quæ à gutture illius procedit, qua beatas & fœlices illas mentes inebriat, omnem creatam dulcedinem ſuperare & antecellere. Quod ſi ita eſt, fratres, vt fides noſtra docet, & Chriſtiana pietas profitetur: quare mundanis gaudiis ſpretis, & terrenis voluptatibus contemptis, cœleſtia illa gaudia non concupiſcimus? vel vt melius dicam, quare cœleſti beatitudine poſtpoſita, terrenam hanc & breuiſſimam conſolationem ſummo ſtudio & diligentia, totíſque animæ noſtræ viribus inquirimus? Heu, heu, quàm meritò de nobis Deus conqueri poteſt, verba illa Hierem. cap. 2. proferens: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas.* Ciſterna ad hoc conſtituitur vt aquam ad vitæ ſuſtentationem neceſſariam in ſe contineat, quòd ſi ciſterna in quam infunditur perforata eſt, aquam in ſe retinere non poteſt, quare in illa confidens, tempore æſtiuo fruſtrabitur, & vnde ſitim ſuam expleat non habebit. Ciſterna diſſipata mundus eſt: quia aquam voluptatis, in qua mundani confidunt, in ſe diu retinere non poteſt, quia omnis voluptas breuis eſt & tranſitoria. Omnis cura & ſolicitudo filiorum huius ſæculi, in hoc conſiſtit: vt aquam præſentis proſperitatis in mundo retinere faciant: quod vtique in vanum procurant: quia mundus ciſterna diſſipata eſt, nihil in ſe fœlicitatis retinens, quia tranſit mundus & concupiſcentia eius, quare dimiſſo mundo, ad Deum confugiamus, qui fons eſt aquæ viuæ, ex quo vera & ſempiterna gaudia dimanant: *Haurietis*, inquit Iſa. *aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

Cant. 5. — *Hier. 2.* — *Simile.* — *Iſai. 12.*

Deus ſolus fons omnis boni.

Habet ſuos fontes mundus ex quibus mundani & peccatores, vtcumque aquam voluptatis hauriunt: alius de fonte ambitionis, alius de fonte auaritiæ, alius verò de fonte luxuriæ: verùm hæc aqua non cum gaudio, ſed cum magno labore & gemitu educitur. Honor, & dignitas non ſine magna ſolicitudine & cura acquiritur, diuitiæ cum magno labore comparantur, carnales voluptates non ſine magna ſalutis & honoris iactura emuntur. Solùm ex fontibus ſaluatoris cum magno gaudio ſpiritualíque lætitia educuntur. Cùm populus in deſerto ſitim pateretur, dixit Dominus Moyſi: *Virgam, qua percuſſiſti fluuium, tolle in manu tua, percutiéſque petram, & exibit ex ea aqua, bibétque populus*, quod & ita factum eſt. Sed

Exod. 17. — *Nota.*

Sed quorſum ei dicitur, quod tollat virgam qua fluuium percuſſit? Nónne ſat eſſet dicere, quod virgam tolleret & percuteret petram, niſi adderet illam particulam, qua flumen tetigiſti? Et quidem non fruſtra, aut caſu id fuiſſe additum exiſtimo. Percuſſit enim Moyſes virga in Ægypto aquam fluminis, quæ cùm clariſſima eſſet, ſtatim in ſanguinem verſa eſt. Qui ergo aquam potuit in ſanguinem conuertere, cur non poterit ex petra aquam educere? Haurite ô filij Adæ, aquas, de fontibus Saluatoris. Nam qui mundi delitias in ſanguinem conuertit, cùm facit quod mundani principes, & alij ſeculi magnates, in ſuis voluptatibus, & diuitiis, in potentia & gloria, non verum gaudium, ſed triſtitiam & tædium inueniant, faciet etiam quod iuſti, ex rupe, dulciſsimam aquam conſolationis exhauriant. Ex fonte enim paupertatis, humilitatis, & abiectionis Saluatoris noſtri Ieſu, cum magno gaudio & iubilo, aquam conſolationis exhaurient, in præſenti per gratiam, & in futuro per gloriam.

Aqua Ægypti in ſanguinẽ verſa docet mũdi delitias in ſanguinẽ verti.

***

SVPER

SVPER PSALMVM TERTIVM POENITENTIALIVM.

CONCIO PRIMA.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: Et confirmaſti ſuper me manum tuam.

Pſalmi titulus. Hieron.

TITVLVS huius Pſalmi in Hebræo ſic habetur: *Pſalmus Dauid ad recordandũ*, quod Hieronymus ſic interpretatur, *Pſalmus Dauid in rememoratione die Sabbathi.* Quia fortè Pſalmus hic compoſitus fuit à Dauid & inſtitutus, vt diebus Sabbathinis Domino decantaretur. Sed cùm Sabbathum idem ſit quod requies (vt ipſe Hieronymus interpretatur) quia die Sabbathi, quæ ſeptima fuit, requieuit Dominus ab omni opere quod patrarat, & eodẽ die populus ab omni ceſſabat labore, & diuinis vacabat laudibus, requiem illam, vt ipſemet Doctor ait, adumbrat, quando

Eccleſia quãdo requieſcet.

requieſcet Eccleſia poſt tranſactum laborem in illa requie Paradiſi, quam perdidit Adam primus noſter parens. Ideò per Sabbathum vita beata ſignificatur, in qua vera requies cõſiſtit: cuius recordatio, nos ducit ad memoriam peccatorum, de qua in

Auctor huius Pſalmi. Scopus Pſalm.

præſenti Pſalmo agitur. Huius Pſalmi auctor fuit ipſe Dauid, quem compoſuit ad recordandum propria peccata coram Domino: quia licèt demiſſa eſſent quantum ad culpam, quando dictum eſt ei: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te*, & aliquam etiam pœnã ſuſtinuiſſet: timebat tamen, ne de nouo pœnæ multiplicarentur ſuper ſe, vel ſuper populum ſuum: quia cùm quantitas ſatisfactionis pro peccatis commiſſis, ſoli

Peccator ſemper timeat. Deut. 25.

Deo ſit cognita eiúſque relinquatur iudicio: ſemper peccator debet timere, & nunquam eſſe ſecurus. Si enim (vt dicitur in Deut.) iuxta menſurã delicti, debet eſſe plagarum modus: cùm delictorum grauitas, ſoli Deo ſit cognita, quid aliud ſequitur, niſi

Digitized by Google

niſi quod peccator nunquam de ſua ſatisfactione, aut de ſupplicijs peccato debitis, ſecurus eſſe debeat? Vnde rectè Iſidorus de ſommo bono inquit: *Quamuis per pœnitentiam, propitiatio peccatorum ſit, ſine metu tamen homo eſſe non debet, quia pœnitentia ſatisfactio, diuino tantum penſatur iudicio, non humano.* Sanctus ille Iob, qui potentiſſimā Dei manum in ſeipſo expertus fuerat, dicebat: *Semper quaſi tumentes fluctus timui ſuper me Deum.* Nauta enim licèt à proxima tempeſtate, & procellarum ventis euaſerit liber, tamen nunquam ſibi ſecuritatem promittit, quouſque ad optatum portum perueniat. Sic homo, dum in medio mundi huius mari nauigat, iter ſuum ad æternam fœlicitatem dirigens: nunquam non debet timere, nunquam de diuinæ iuſtitiæ fluctibus eſſe ſecurus: ne ſit quaſi dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo, verbera & flagella Dei non ſentiens. Beatus igitur Dauid qui naufragium peccati paſſus fuerat, licèt iam in ſeipſo fluctus diuinæ iuſtitiæ, in morte filij, & in vindicta populi peſtilentia percuſſi fuerat expertus: tamen non omnino ſecurus erat, neque à timore liber peccatorum ſuorum grauitatem agnoſcens. Vnde, per ſingula Sabbatha, hunc Pſalmum ab eo compoſitum decantare faciebat ob peccatorum ſuorum recordationem, & memoriam: vt grauitate peccatorum permotus, ad pœnitentiam incitaretur & lachrymas.

Iſidorus. *Iob 31.* *Simile.*

Sed iam aliquem interrogantem me audiſſe videor, & ſciſcitantem; quomodo hæc inter ſe cohærere poſſunt, cùm valde ſunt diuerſa, peccatorum commemoratio, & vulnerum occaſione eius inflictorum, cùm æterna requie, quæ ſignificabatur per ſabbathum. Peccatum namque, labores omnes, & calamitates, quibus humana infeſtatur natura, peperit: quæ omnia ab illa fœlici requie & tranquillitate, qua iuſti in patria perfruuntur, ſunt valdè extranea. *Quia ibi* (vt inquit Iſaias Propheta) *ſedebit populus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Habet quidem iuſtus in hac vita pulchritudinem pacis, nam pax multa diligentibus Dei legem, & mandata eius cuſtodientibus: ſed non ſedet in illa: *no ez paz de aſſiento y ſiguna*, cùm militia ſit vita eius ſuper terram, ſicut teſtatur ille ſtrenuus miles, qui in certaminibus ſuorum laborum ſemper victor euaſit. Eſt enim vita hominis militia, tum quia ſemper arma gerit: tum etiam quia momentum ſecuritatis non habet. Fortiſſimos enim, & crudeliſſimos habet hoſtes: cum quibus certamen inire quotidie, eſt neceſſe. Vnde licèt pacem habeat, tamen arma non de-

Dubium *Iſaia 32.*

 ponit

ponit, nec à gladio amouet manum ſuam. Sed tunc ſedebit in pulchritudine pacis, cùm, *diſſolutus* (vt Paulus inquit) *carne tranſlatus fuerit ad requiem.* Habet etiam in hac vita

Eccleſia quãdo ſit taberna-culum. tabernaculum, quia & Eccleſia ipſa tabernaculis Cedar dicitur eſſe ſimilis, tamen tabernacula iſta non fiduciæ ſunt ſed timoris, non pacis ſed belli, non quæ ſecuritatem promittant, ſed quæ militem ſemper inuitent ad arma, & ad ſanguinem

Cant.1. excitent. Sunt enim huiuſmodi tabernacula, quibus milites in bello vti ſolent, in quibus nulla ſecuritas eſt, quin potius ſuſpicio & formido. Nam quando milites aliquam ſecuritatem ſibi promittunt, ſomnóque indulgent, tunc inimici ſolent inſidias parare, caſtráque repentinò ſonitu inuadere, iugulare, & occidere. At in beata illa patria, ſedebit populus in tabernaculis fiduciæ, vbi nulla damna, aut incommoda

Apoc.21. erunt timenda. *Imò* (vt inquit diuus Ioannes) *abſterget tunc Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia iam prima abierunt.* Si ergo in requie illa Sabbathi ſupremæ beatitudinis, dolori, labori, & luctui, quæ omnia peccatum ſecum adduxit in mundum, ianua clauſa eſt: quomodo igitur in commemoratione diei Sabbathi qui titulus eſt huius Pſalmi, de peccatis, & laboribus propter

Solutio. hæc inflictis, agit Pſalmiſta? Videtur enim titulus cùm Pſalmi materia non cohærere. Tamen huius dubij ſolutio non difficilis eſt, quia poſt peccatum perueniri non poteſt ad requiem, niſi per laborem, ad pacem niſi per bellum, ad gloriam, niſi per pœnam, ad triumphum, niſi per ſanguinem.

Geneſ.3. Hoc ſignificatum fuit Geneſis capite tertio, vbi dicitur: quòd *poſtquam primi noſtri parentes à requie Paradiſi fuerunt ex-*

Nota. *pulſi, appoſuit Deus Cherubin gladium flammeum & verſatilem in manu ſua habentem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* In quo nobis ſignificatum fuit: quòd nulli mortalium filiorum Adæ poſt tranſgreſſionem Paradiſi ianua patebit ad fructum vitæ æternæ conſequendum, niſi per ignem & gladium.

Violenti rapiunt cœlum. *Que ſea de ganar el cielo à fuego y cuchillo.* Non enim deſides, & in deliciis & voluptatibus degentes, Regnum cœlorum ingredientur, ſed violenti & fortes: qui propriæ carni, & ſenſualitatis ſuæ deſideriis, violentiam inferunt: ſeipſos caſtigando, carnémque ſuam in pœnitentiis aſperis exercendo.

Matt.11. Quia *Regnum cœlorum vim patitur. Ha ſe de ganar a bote de lança.* Itaque, poſtquam iuſtus intra beatitudinis ianuam fue-

Pſal. 65. rit receptus, dicere poterit illud Dauidicum: *Tranſiuimus per*

ignem

Digitized by Google

ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium, introibo in domum tuam in holocauſtis. Ingreditur enim iuſtus in holocauſtis, non taurorum aut vitulorum, non hircorum aut arietum, ſed ſuæ carnis, ſui appetitus & affectionum ſuarum: quæ omnia per pœnitentiam, tanquam holocauſtum Deo acceptabile offert. Toties enim holocauſta ſuæ propriæ carnis Deo offert iuſtus: quoties affectionum ſuarum petulantiam iugulat. Inter alias ſuperſtitiones, quas cæca gentilitas admiſit, etiam Dearum Volupiæ, & Angeronæ veneratio continetur, quas vt Deas colebat, diuinum honorem eis tribuens. Erat enim Volupia laborum aut triſtitiæ Dea; Angerona verò, lætitiæ: ſic appellata, eò quòd Angores depellebat, quæ quidem in eodem venerabantur templo, tali ordine diſpoſitæ, quod ad Deam lætitiæ, niſi per Deam laborum non poterat perueniri. In quo nihil aliud innuebant (ſi tamen huius rei aliqualem habuerunt notitiam) niſi quod ad requiem, perpetuámque illam fœlicitatem, per labores, lachrymas, & calamitates huius vitæ perueniendum eſt. Aſcenſus myſterio, ſi illius Salomonis ferculi, de quo in Canticis agitur, purpureus erat, id eſt, colore ſanguineo, quoad reclinatorium aureum aſcendebatur, vt ſignificaretur nobis, quòd via per quam ad reclinatorium ſupremæ beatitudinis aſcendendum eſt, purpurea debet eſſe & ſanguinea, plena tribulatione & dolore: In his præſertim, qui peccatis ſuis Deum offenderunt, & legem eius ſunt tranſgreſſi. Quod intelligens Dauid in Pſalmo hoc, quem pro commemoratione diei Sabbathi ſiue requiei æternæ compoſuit: de peccato ſuo, laboribus, ac calamitatibus agit, quibus illius cauſa fuit vexatus.

Volupia Angerona.

Per triſtitiam peruenitur ad gaudium, & per templum virtutis ad templum honoris.

Dij laboribus omnia vendunt.

Cant. 3.

Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. Theodoretus verba hæc expendens, inquit: Precatur, vt more medici, non iudicis caſtigetur, neque vt amarioribus diſciplinis, ſed leuibus curetur. Cui conſonat Diui Hieronymi expoſitio, quæ ſic habet: Ira eſt commotio animi, furor verò vindicta irrationabilis cùm fellis amaritudine. Ideo iſte qui ſe peccatorem ſcit, non ira, ſed per miſericordiam, nec furore, ſed per patientiam ſe argui poſtulat. Ex quibus colligitur, quod non emendari recuſat, cùm alibi dixerit: *Quoniam ego in flagella paratus ſum,* ſed in furore & in ira, quia infirmus ſit, & conturbata ſint oſſa eius. Sciebat enim, quòd ſicut ad diuinam prouidentiam ſpectat, ne aliquod meritum maneat irremuneratum, ita neque demeritum impunitum. Ex quo principio (vt fertur) Ariſtotel. vir iudicio, atque ingenio diuinus, morti iam

Theodor.

D. Hier.

Vide Euſebium, & Baſil.

Ariſtot.

Digitized by Google

proximus immortalitatem animæ philoſophatus eſt. Videmus quòd in præſenti ſæculo aliquando, immo ſæpius, mali proſperantur, boni autem laboribus, & calamitatibus afficiuntur: ex quo intulit vnum ex duobus, vel quod iniuſtus eſt Deus, quod Philoſophia naturáque abhorret; vel quod futuram vitam expectamus, in qua iuſti remunerandi ſunt & peccatores ſupplicio cruciandi. *Hier.12.* Propheta Hieremias præcipuus Dei cultor, quodammodo aduerſus Deum inſurgens, conqueſtus eſt, dicens: *Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus qui prauaricantur & iniquè agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt, & faciunt fructum?* Statímque ipſemet ſibi reſpondet (quod Prophetarum conſuetudo eſſe ſolet) dicens: *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.* *D. Hier.* Vbi inquit D. Hieronymus: Non parua *Nota.* conſolatio eſt, quòd quaſi pecora ſaginantur ad victimam. Itaque ſicut ſolet aliquis bouem, aut arietem quem immolaturus eſt ſaginare, & ad virentia prata adducere: vt pinguior fiat: quem tamen gladius expectat: ſic Deus malum & peccatorem proſperari ſinit, & ad pinguiorem fortunam deuenire, quem tamen infernali gladio citò iugulabit: at è conuerſo iuſtum & pium paterna virga corripit, vt in futurum parcat, & à ſem- *Gregor.* piternis pœnis eum reddat immunem. Vnde D. Gregorius ait: *Sancti præſentem pœnam lucrum putant: quia per hanc æter- August.* *nam euadere non ignorant.* Cui Latinorum pater, Auguſtinus ſubſcribit: *Magna miſericordia eſt*, inquit, *miſericordiam in præſenti non conſequi.* Quando Deus in præſenti vita aliquem corripit, & flagellat laboribus, calamitatibus, ſiti, & fame, rerúmque omnium inopia eum affligendo, magnam erga eum miſericordiam exercet. Quando verò his omnibus parcit, peccatorémque ſine correctione abire permittit, potius iuſtitiæ, quàm miſericordiæ eſt adſcribendum, ſicut ex capite decimo *Ezec.19.* nono Ezechielis euidenter colligitur. Poſtquam enim imprudentiam populi ſui carpſit, qui toties cum diis alienis fornicatus fuerat, eis thura & ſacrificia offerendo, & poſtquam magna ſupplicia illi minatus eſt, ſtatim addidit: *Et requieſcet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius, eò quòd non fueris recordata, &c.* Vbi apertè vides, quòd ab illis indignationem, ſiue potius increpationem ſuam Deus auertit, à quibus zelum ſiue amorem ſuum abſtu- *Hieron.* lit. Ne iraſcat amplius quaſi alienæ, inquit Hieronymus, & quę à me receſſerit, & quam æternæ tradiderim nuditati. In quo *Simile.* tãgit metaphoram eius qui mulierem aliquam ardenter amat: quam

quam ſummo ſtudio zelat,& diligenter obſeruat: ne in alium oculos ſuos conuertat, vel cum eo ineat amicitiam, vel verba ſuſpecta habeat,at ſi illam odio proſequitur, vel obliuioni tradere incipiat, neque illam zelat, neque illius aliquam curam habet:ſic Deus eos quos ſummè diligit,zelat,corripit,& caſtigat, impios verò, quos valdè deteſtatur & odit, impunitos relinquit, & illæſos abire permittit. Quia ſicut *qui parcit virgæ odit filium* (vt dicitur Prouerb.13.) ſic è conuerſo quádo Deus odit impium & peccatorem propter duritiem & obſtinationem eius,ſolet parcere virgæ,& illum non punire.Sed quidem hoc ſumma punitio ſummúmque ſupplicij genus eſt: quod ex ipſo Ezechielis loco manifeſtè conſtat. Nam vbi dicitur, *Requieſcet indignatio mea in te,* &c. Septuaginta habent: *Et immittam furorem meum ſuper te, & non ero vltrà ſolicitus.* Quomodo autem iſtæ duæ verſiones ſtare poſſunt, & cohærere,niſi dicamus idem prorſus ſignificare?Nam quando Deus requieſcit ab indignatione ſua peccatori parcens, & omnia pro votis ſibi euenire concedens: tunc vtique de illo magnam ſumit vindictam: quia ſuppliciis æternis deputatur. Tremenda quidem eſt illa Dauidis ſententia Pſalm.73. *Non erit reſpectus morti eorum, & non eſt firmamentum in plaga ipſorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Vbi alia litera, ſicut ab Hugone refertur, ſic habet: *Quia non eſt declinatio morti eorum*, id eſt, non poſſunt declinare mortem æternam, cùm ſint præſciti & obſtinati in ſua malitia. In labore hominum non ſunt,& cum hominibus non flagellabuntur,ſed erunt in labore Dæmonum,& cum eis flagellabuntur in perpetuum. Tunc enim diuinum flagellum ſentient, quando ab ore iudicis audient tremendam illam vocem: *Ite maledicti in ignem æternum: qui præparatus eſt Diabolo & Angelis eius.* At illos quos Deus diligit,& quos ad vitam præordinatos habet, in labore hominum exercet,& cum hominibus flagellat: vt emendentur,& corrigantur: quod afflictis, in medio tribulationum ſuarum magnæ conſolationi eſſet debet. *Virga tua & baculus tuus*,inquit Dauid, *ipſa me conſolata ſunt.* Quare illum conſolabantur? niſi quia certò ſciebat quòd illos virga ſua percutit, quos diligit & charos habet. Quapropter non eſt credendum Dauidem à Deo poſtulare in hoc verſu, vt omnino ab eo virgam ſuæ correctionis amoueat, ſed quòd correctio ſit lenis,non aſpera: dulcis,non amara: in miſericordia,non in furore,& in ira. *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me:neque in ira tua corripias me.*

Prou. 13.

70.Inter.
Nota.

Hugo.

Pſal. 22.

Digitized by Google

Paſſiones non ſunt in Deo. Sed iam videamus quid ſit in ira arguere,& in furore corripere,quod tantum à Dauide timetur. Et primo ſciendum quod paſſiones iſtæ, propriè non ſunt in Deo: quia ira (vt patet ex *Ira quid ſit.* Ariſt. 1. de anima,& lib. de motu animalium) eſt appetitus vindictæ ex aſcenſu ſanguinis circa cor,propter paruipenſionem. *Furor quid.* Furor verò, executio talis vindictæ ſine miſericordia propter iram. Ex quo conſtat,quòd tales paſſiones non ſint in Deo formaliter,ſed attribuuntur ei per quandam figuram quæ anthropopathos appellatur,quæ cōmittitur,quādo paſſiones hominis Deo attribuuntur. *Paſſiones per figuram attribuuntur Deo.* Hæc autē magis conuenient Deo in futuro iudicio,quādo tāto iuſtitiæ rigore de peccatoribus ſumet vindictam, quòd videbitur ſe habere ad modum hominis ira & furore incenſi,cui honorem abſtulerunt, *que le han tocado en la honra.* *Prou. 9.* Vnde in Prouerb. dicitur: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ,neque acquieſcet cuiuſquam precibus.* *Simile.* Comparat ſe Deus homini coniugato,cuius vxor adulterium commiſit,qui ſi adulterum inuenerit,ad manúſque habere poterit, minimè parcet illi,ſed ſtatim de illo vindictam ſumet,gladióque interficiet. *Dominus quādo in iudicio vindictā ſumet.* Non ſecus Deus in die iudicij de inimicis ſuis vindicabitur,qui illū inhonorauerunt, & variis affecerunt iniuriis & contumeliis,neque cuiuſquā Sanctorum precibus acquieſcet,vt illorum miſereatur:quia iam nō miſericordiæ,ſed iuſtitiæ tempus eſt. Quanta futura ſit tunc iudicis ira, quantúſque furor,nemo mortaliū, aut dicere, aut cogitare poterit: quoniam quidem captum noſtræ mentis excedit. *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ? & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* *Pſal. 89.* inquit Pſalmiſta. Pſal. 89. Poteſtatem iræ,inquit,cùm ſit ira nō impotens,aut debilis,ſicut ira hominis eſſe ſolet,quæ propter impotentiam multoties in actum exire non poteſt. Non enim ſemper Reges terræ poſſunt de inimicis ſuis vindicari: at ira *Ira Dei quàm valida ſit.* Dei potentiſſima eſt,ſibíque ſufficiens,& nullo negotio poteſt contra inimicos ſuos procedere:& ideo inquit: *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ?* quæ poteſtas abſoluta eſt & immenſa. *Poteſtas Dei abſoluta eſt, & immenſa.* Malachiæ tertio etiam dicitur: *Quis poterit cogitare diem aduentus eius, aut quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.* Quem locum D. Hieronymus de aduentu Domini ad iudicium interpretatur, quia ſeptuaginta ſic habent: Quis ſuſtinebit diem introitus eius? aut *Malac. 3.* quis ferre poterit, vt aſpiciat eum? quia ipſe ingredietur ſicut *D. Hier. 70. interpretes.* ignis conflatorij,& quaſi herba lauantium. Inquit ergo Hieronymus: Ignis dicitur Dominus, & ignis conſumens, vt ligna noſtra,& fœnum ſtipulámque comburat: & non ſolùm ignis,

ſed

ſed & herba fullonum; quia ipſe his qui peccant grauiter, ignis conflans eſt, atque conſumens: qui autem leuia peccata committunt herba fullonum, vt lotis munditiam reſtituat. Quod ſi hunc diem aduentus ſui, præ potentia maieſtatis eius, cogitare nemo poteſt, ferre quis poterit? Vnde, non mirum videri debet, quòd Iob à Deo poſtulaſſet *in inferno abſcondi, donec furor eius pertranſiret*. Vbi Gregorius inquit: quòd mallent mali eſſe in inferno, quàm videre Chriſtum iratum. *Nam dicent damnati montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum & ab ira agni, quoniam venit dies magnus.* Tantus enim erit malorum timor ſententiam iudicis expectantium, tanta eorum verecundia, & confuſio propter commiſſa peccata, vt in abditiſſimas petrarum cauernas ſeſe abſcondere optent, vt vel ſic ad momentum à conſpectu irati agni fugere poſſint. Depingitur aliqualiter hoc (licèt non propriis coloribus, quia color nullus eſt, qui tantam iram depingere poſſit) ab Iſaia Propheta, capite vigeſimo nono ſui vaticinij, vbi inquit: *Eritque repentè confeſtim à Domino Deo exercituum, in tonitruo & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempeſtatis, & flamma ignis deuorantis: & erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium.* Vbi vides, quàm apertè omnia ſigna Euangelica diem iudicij præcedentia ponantur, quæ repentè futura dicuntur, quia cùm homines in vtramque dormierint aurem, maiorémque ſibi ſecuritatem promiſerint, tunc veniet illis repentina calamitas. Poſt hæc ſigna (de quibus diuus Lucas diffuſè agit) erit terribile illud iudicium, tremenda illa valdéque formidanda ſententia, momentum illud à quo æternitas, vel pœnæ, vel gloriæ, vel ſupplicij, vel præmij. Et ſtatim erit multitudo omnium gentium, quaſi ſomnium viſionis nocturnæ. Diſparebit enim terra, & ab oculis omnium fugiet, quantum ad homines & animalia, terræque viuentia, ac ſi eſſet ſomnium quoddam, & non veram, ſed fictam perſiſtentiam haberet. O Deus immortalis, ô Chriſte ſancte, quis hæc conſiderans mentéque reuoluens, non ſpiritu deficit, totúſque contremiſcit? Iob capite vigeſimo ſexto, inquit: *Cùm vix paruam ſtillam ſermonum eius audierimus, quis poterit tonitrum magnitudinis illius intueri?* Quem locum exactiſſimè explicat diuus Gregorius libro decimo ſexto, moralium dicens: Ecce ad quanta propter nos venire probra conſenſit, & tamen priuſquam teneri permitteret, perſecutores ſuos requiſiuit, dicens: *Quem quæritis?* Cui illico reſponderũt, *Ieſum Nazarenum*: quibus cùm repentè

Iob 14. *D. Greg.* *Apoc. 6.* *Damnatorum dolor.* *Iſai. 29.* *Luc. 21.* *Iob 26.* *Gregor.*

Digitized by Google

diceret: *Ego ſum*, vocem ſolummodo mitiſſimæ reſponſionis edidit, & armatos perſecutores ſuos protinus in terrá ſtrauit. Quid ergo facturus eſt cùm iudicaturus venerit: qui vna voce hoſtes ſuos percutit, etiam cùm iudicandus venit? Quod eſt illud iudicium quod immortalis exeret, qui in vna voce non potuit ferri moriturus? Quis eius iram toleret, cuius & ipſa nõ potuit manſuetudo tolerari? Conſideret ergo vir ſanctus & dicat: *Cùm vix paruam ſtillam ſermonum eius audierimus, quis pòterit, &c.* Hoc ipſum Dauid noſter conſiderabat menteque ſua, non ſemel, aut bis, ſed ſæpe ſæpius reuoluebat: quapropter peccati ſui grauitatem ſentiens, itámque iudicis, ſententiæque illius rigorem non ignorans: ſupplicitet in hoc Pſalmo poſtulat, non quidem quòd de peccatis ſuis pœnas debitas non perſoluat, aut quòd laboribus in hac vita non corrigatur: ſed quòd hoc non ſit in ira & furore, qua Deus in die illa extrema de peccatoribus & inimicis vindictam ſumet. Ideo inquit: *Domine, ne in furore tuo arguas me, &c.*

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Peto Domine ne arguas me, aut corripias in ira & indignatione, in futuro iudicio: quoniam ſagittæ tuæ quibus percutis in præſenti, non ad interitum, ſed ad correctionem ſolùm, ita infixæ ſunt mihi: quòd carnem meam vndique penetrârunt. Quid enim de futuro ſupplicio concipere fas eſt, quando abſque vlla miſeratione de peccatoribus ſumes pœnas ſuis flagitiis debitas? Fuerunt autem iſtæ ſagittæ ſecundùm Lyranum, quæ per manum Natan Dauid miſſæ fuerunt: quando illi dictum eſt: *Rex datur tibi optio, aut ſeptem annis veniet fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, aut tribus diebus erit peſtilentia in terra:* quibus percuſſus dixit: *Coarctor nimis vndique, &c.* 2. Reg. 24. Vel ſagittas appellat labores ſibi propter peccatum inflictos. Iſtæ quidem ſagittæ ſunt potius miſericordiæ quam iuſtitiæ, quia quos laboribus & calamitatibus in præſenti vulnerat, ab æterna damnatione eripit, & ſempiternis vulneribus liberat. Quare non vt interimat, ſed potius vt liberet, non vt perdat, ſed vt excitet, ſagittas immittit. Quod intelligens patientiſſimus ille Iob, aiebat, cap. 30. *Pharetram ſuam aperuit, & afflixit me: verumtamen non ad conſummationem meam emittis manũ tuam, & ſi corruerint, ipſe ſaluabis.* Quaſi diceret. Video Domine quòd vndique ſagittis calamitatum ſim plenus. Cùm à planta pedis vſque ad verticem, nihil in me non ſauciatum videam: poſuiſti me quaſi ſignum tuæ iuſtitiæ, & omnem ſagittarum tuarum pharetram in me euacuaſti. *Has*

Sagitta quid.
Lyran.
2. Re. 24.
Secundũ Didimi, Euſebij, & Baſilij ſentẽtiã.
Iob 30.

Digitized by Google

vaciado en mi todas las ſaetas de tu aljaua. Verùm hæc mihi ſupereſt conſolatio, quòd non ad conſumptionẽ meam emittis manum tuam. Non enim intendis deſtructionem, quin potius correctionem, & reparationem meam. Habet ſe Deus reſpectu noſtri ſicut pædagogus qui Principem, aut magnatis cuiuſuis filium reprehendit & caſtigat, qui tamen non illũ odio proſequitur, quin potius tenerè amat & vnicè diligit. Et licèt puer paruulus cùm ſit, id non cognoſcat, intelliget tamen, cùm ad prouectam ætatẽ peruenerit. Tunc enim cognoſcet, quòd verba aſpera & flagella: non ex odio, ſed potius ex amore procedebant. O quàm plenus eſt mundus huiuſmodi paruulis, qui beneficia Dei & correctionẽ eius non agnoſcunt, nec recipiũt: ſed contra miſericordem ſuũ pædagogũ ſeipſos conuertunt, cauſantúrque quòd eos virga directionis ſuæ percuſſerit. Non mirum, quia paruuli ſumus fluctuantes ſub huius mundi elementis, & ideo manũ Dei miſericordiæ plenã, nõ agnoſcimus. Cognoſcemus verò aliquãdo, quòd diſciplina, correctio, labor, infirmitas, & aliæ huiuſmodi ſagittæ, quibus corda noſtra trãſfigere ſolet Deus, ex viſceribus clementiæ ſuæ proficiſcuntur, quibus nos aduertit, vt peccata relinquentes, ad eum toto corde conuertamur. Quamobrem, vt Incognitus inquit, *ſagittæ iſtæ aduerſitatũ non ſunt mortiferæ, ſed ſalutiferæ.* Si quidem æſtum vitiorũ refrigerant, & vmbrã nobis faciunt: qua à ſenſualitatis noſtræ ardoribus protegamur. Narrat Valerius, & refertur ab Eraſmo in ſuis apophthematis, quòd cùm quidã nobilis ad bellũ contra Perſas pergeret, & interrogaret Spartanũ, vt res ſeſe haberent, Spartanus reſpondit: *tantam eſſe ſagittarũ multitudinem, quòd ſolem obſcurare ſolerent.* Cui ille conſtanti animo magis ex hoc confortatus, *benè*, inquit, *narras: quia in vmbra præliabimur.* Sic nimirũ nobis contingit, qui quamuis magna tribulationũ multitudine aliquãdo præmimur, in tanta copia, quòd claritatem & gloriã mundanam nobis obſcurant: ſed bonum hoc nobis afferre, negare nõ poſſumus, quòd cùm ad pugnam cum hoſtibus noſtris mundo, diabolo, & carne deſcendimus, vmbram nobis faciunt, qua ab inordinato concupiſcẽtiæ deſiderio defendimur. De his ſagittis loquebatur Regius Propheta, Pſalm. 76. quando dicebat: *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Vbi conſtituit diſcrimen inter præſentes tribulationes & calamitates, & illam, quã nulla alia ſecutura eſt. Quòd illæ ſunt ſagittę volãtes, quæ tranſeunt, & non permanẽt, nec ſunt ſtabiles: at vltima illa tribulatio, vox tonitrui illius tremendi, valdéque formidandi: *Ite maledicti in*

Simile.

Doctor Incogn.

Valerius Eraſmus

Pſal. 76.

Tribulationes & calamitates præſentes & futuræ quid diſcrepent.

Digitized by Google

ignem æternum, à cuius ſonitu cardines cæli mouebuntur, terra contremiſcet, pauebunt Angeli, & homines præ timore areſcent. Illa quidem vox in rota erit, id eſt, erit perpetua, quaſi circularis motus. Non enim ſententia illa habitura eſt finem. At verò ſagitta præſentis calamitatis citò tranſit, quia non vltionem, & vindictam, ſed admonitionem intendit: *Son tiros de ſalua no mas*. Contingit aliquem in carcere teterrimo detentum eſſe, ad quem nullo modo acceſſus permittitur, & tunc amicus eius iacit ſagittam in carcerem cum monitoriis literis, *con vna carta de auiſo*, in quibus continetur, quomodo ex illo ſtrictiſſimo carcere poſſit exire, & mortem euadere. Cùm ſumus in peccato, in carcere dæmonis detinemur, ad mortémque æternam ſecundum præſentem iuſtitiam ſumus deſtinati, immittere nobis aliquem laborem, nihil aliud eſt, quàm ſagittam cum literis monitoriis iacere, quibus admonemur quomodo dæmonis carcerem irrumpere valeamus, peccata noſtra confitendo: & ſic à perpetua morte fieri immunes. Eſt ergo argumentum Pſalmiſtæ. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Id eſt, in futuro iudicio. Quare? *quia ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manũ tuam*: quaſi diceret, ſi ſagittæ iſtæ cùm ſalutiferæ ſint, non ad interitum, ſed ad bonum peccatoris ordinatæ, nihilominus ſic cor transfigunt, viſceráque mea penetrarunt, ſi ſic manũ tuam ſuper me variis ſuppliciis confirmaſti, *ſi aſſi me aueys aſſentado la mano*, quod non ſit ſanitas in carne mea, neque pax oſſibus meis: *que no me aueys dexado hueſſo ſano*, quãto magis extremæ illius diſtrictionis ſagittæ erunt formidandæ? De his enim dicitur Pſal. 7. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit*. Doctor Incognitus hunc verſum interpretans, ſic ait: Sacra ſcriptura duplices ſagittas continet, quas in iudicio emittet, mortis, ſcilicet, & amoris. Per ſagittas mortis iaculabit ſententiam contra malos, dicens: *Ite maledicti in ignem in æternum*, ſed per ſagittas amoris, bonos in ſuo confirmabit amore & gloria dicens: *Venite benedicti patris mei percipite, &c.* Primæ ſagittæ vocantur vaſa mortis, quia mortem perpetuã malis immittent. Secundæ vocantur ardẽtes, quia bonos ad Dei amorem totaliter accendent. De eiſdem ſagittis loquitur Deuter. 32. Dominus dicens: *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes de cruore occiſorum*. Modò ſagittæ Domini ſolum ſanguine tinguuntur, ſed nõ inebriãtur, quia diuina ſupplicia, quæ modò

Simile.

Argum. Pſal.

Pſal. 7.

Doctor Incogn.

Deut. 32.

Digitized by Google

modò de peccatoribus ſumit, cùm plena ſint miſericordia, non tantam ſanguinis copiam effundunt, quòd ſufficiens ſit ad ſagittas ſanguine perfundendum, ſiue inebriandum: at tunc magna peccatricis animæ ſanguinis effundetur abundantia, & in tanta copia, quòd ſagittas Domini immergere & inebriare poſſit. Tantus erit occiſorum numerus, quorum cruore ſagittæ Domini ex omni parte tingentur.

Sed dices: Quomodo ergo qui peccauimus, iram iudicis & ſeueriſſimum eius iudicium poterimus euadere? Audi efficaciſſimum remedium, quo finem optatum conſequeris, iudicémque inuenies propitium. Legitur de Pilato, quòd cùm propter mortem Chriſti, à Tiberio Cæſare Romam fuiſſet vocatus, ne vindictam ſubiret tanti furoris (nam contra ipſum Tiberius vehementer furebat) induit ſe tunicam Chriſti inconſutilem, in qua cum Cæſari præſentaretur, omni furore depoſito, aſſurrexit illi, magnóque honore eum eſt proſecutus, & nihil mali ei, aut fecit, aut dixit: Cùm autem eum honoratum remiſiſſet: iterum Imperator vehementer inflammatus, iudicauit ſe miſerum, eò quòd ſuum furorem non aperuiſſet in vltionem: reuocatúſque ad Cæſarem, eodem modo eum recepit, ſummo ſcilicet honore & beneuolentia. Tandem, cùm tertiò reuocaretur, cùm dicta tunica eſſet exutus, & ſic præſentatus, accepit ſententiam capitalem, quam non recepiſſet, ſi ipſa tunica indutus eſſet. O peccator, Chriſti fidelis, & ſeruus (nam te nunc alloquor) ſi peccaſti, & contra Chriſtum Saluatorem deliquiſti, tanquam alter Pilatus illum crucifigendo, ſi ad tumultum carnalium tuarum affectionum clamantium, crucifige, crucifige contra eum ſententiam protuliſti, ſi iudicium Dei times, iuſtiſſimámque eius vindictam: induere Chriſti tunica, & illa exui non patiaris, induere charitate quæ tunica nuptialis eſt gratiam & amorem concilians, iudicémque placabilem & beneuolum reddes. Solent enim amantes vt gratiam concilient eorum, quos beneuolos ſibi eſſe optant, ex eiſdem coloribus quibus ipſi, & ex ſimilibus ornamentis veſtiri: *Suelen veſtier ſe de ſu propria librea.* Quod & Alexander magnus feciſſe fertur poſt partam de Dario victoriam. Fecit enim pretioſam veſtem partim ad modum Perſicum, partim verò ad Macedonicum, vt ſic omnium gratiam & amicitiam conciliaret. Nulla quidem veſtis Deo patri gratior & iucundior extitit humanitate filij ſui vnigeniti. Cùm veſtem hanc purpuream ſanguine perfuſam, & à fera illa peſſima, ſynagoga inquam, dilaceratam in cruce vidit, ſtatim

Refert Incognitus ſuper hũc Pſal.

Veſtis Chriſti quanta virtus.

Digitized by Google

ſtatim placatus eſt & iram per tot ſæcula conſeruatam depoſuit, mundúmque ſibi reconciliauit. Induite ergo, ô chariſſimi fratres, hanc pretioſiſſimam veſtem, vt virtute eius Deum placare poſſitis. Induite etiam, non ſolum illius veſtem, ſed ipſum Dominum Ieſum Chriſtum: cuius veſtis illa eſt: ***Ex-***
Coloſſ. 3. ***poliantes vos veterem hominem***, inquit Paulus, ***induite nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia.*** Vetus homo, Adam dicitur, cum omnibus ſuis affectionibus. Expoliamini igitur Adamum cum vitiis & concupiſcentiis ſuis, excutite à vobis ſuperbiam, iram auaritiam, gulam, & omne peccati genus, & induite Chriſtum Redéptorem noſtrum cum virtutibus ſuis. Induite pietatem, iuſtitiam, charitatem, & miſericordiæ viſcera: vt cum ante tribunal iudicis in die vltionis præſentati fueritis, virtute huius indumenti, eum benignum, beneuolum, & placabilem inueniatis, & ſic furorem eius valeatis effugere, gratiam hic conſequentes, & in tremendo illo die, gloriam.

CONCIO SECVNDA.

Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

VT verum & naturalem horum Carminum ſenſum deprehendere poſſimus, operepretium
2.Re.24. erit, ad hiſtoriam recurrere, quæ 2.Reg. ca.24. habetur, vbi dicitur, quòd propter ſuperbiæ
Superbiæ peccatū quanta mala fecerit. peccatum quod commiſit Dauid in numeratione populi, immiſit Dominus grauem peſtilentiam in ſuum regnum: ita, vt occiderentur à Dan vſque ad Berſabee in die vna, ſeptuaginta millia virorum. Vidit autem Dauid (vt ibi dicitur) in area Iebuſei Angelum cædentem populum: ex cuius aſpectu ita perterritus fuit & ſtupefactus, quòd ex tunc grauem infirmitatem incurrerit. Quæ autem
3.Re.c.1. fuerit hæc infirmitas, 3.Reg.cap.1.oſtendit: vbi dicitur: ***quòd cùm Rex Dauid ſenuiſſet haberétque ætatis plurimos dies, tantam frigiditatem corporis incurrit, quòd etiam ſi veſtibus opperiretur, non caleſiebat.***
Lyranus. Quod explicans Lyranus, ex aliorum ſententia, inquit: Hanc frigiditatem ex pauore, quem ex viſu

Digitized by Google

Angeli cædentis populum conceperat,ſibi contigiſſe:quia oſſa eius perterrita ſunt, & membra illius nimia frigiditate tabuerunt. Vnde & adoleſcentulam virginem Abiſac quæſierunt, quæ illum calefaceret,vt ab illa infirmitate liberari poſſet.Videns ergo Dauid quòd propter peccatum ſuum, & propter aſpectum Angeli, vindictam Dei exercentis, in grauem illam ægritudinem incurrerat: vt facilius miſericordiam diuinam impetret,allega (vt inquit Caſſiodorus) iudicis poteſtatem,& carnis ſuæ infirmitate, dicens: *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ:non eſt pax oſſibus meis,à facie peccatorum meorum.* *Caſſiod.*

Hinc luce ipſa clarius patet, quòd aliquando Deus infirmitatibus,& langorum grauedine, in peccatorem animaduertit: vt peccatum deſerat, & ad Deum Saluatorem ſuum conuertatur. Fuit enim corporis ægritudo & infirmitas,flagellũ quoddam à diuina miſericordia adinuentum, ad flagellandum carnem noſtram, vindictámque de peccatis ſumendam. Quia propter peccatum primi parentis, infirmitas omnis introducta fuit. In illo enim fœliciſſimo iuſtitiæ originalis ſtatu, nulli ægritudini ſubiectus erat homo, quia erat impaſſibilis, vt determinat S. Thomas Catholicæ Eccleſiæ lumen. 1. part. q. 97. artic.2. Nihil enim erat quod à ſua diſpoſitione & valetudine naturali eum remouere poſſet. At homine peccante ſtatim eum inuaſit infirmitatum,& ægritudinum exercitus.Quod ad longum diſputat D.Gregorius, lib. 8. moral. cap. 26. circa illa verba Iob: *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis?* Ex multis & elegantibus verbis, quibus hanc materiam pertractat, perpauca hîc referre non dedignabor.Benè,inquit,dicitur *poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum*, &c. quia dum repulſus homo, & à carne moleſtias, & à mente quæſtiones tolerat,graue nimirum pondus ſemetipſum portat. Vndique lanugoribus premitur, vndique infirmitatibus vrgetur, vt qui relicto Deo, ſe, ſibi ad requiem ſufficere credidit, nihil in ſe, niſi tumultum perturbationis inueniret, inuentúmque ſe fugere quæreret: ſed auctore contempto,quo effugere non haberet,cuius infirmitatis pondera, bene quidem ſapiens contemplatus ait:*Graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus,de ventre matris eorum, vſque ad diem ſepulturæ in matrem omnium.*Sed obſerua, quòd ſicut tunc propter primi parentis peccatum, ipſe cum ſua poſteritate ægritudini & infirmitati damnatus fuit communi, id eſt,quòd ægritudinibus & infirmitatibus ſubiecti eſſent: qui ſi innocentiam in *S. Thom.* *D. Greg.* *Eccl. 40.*

qua

qua fuerunt creati ſeruarent, ab his omnibus inconuenientibus fuiſſent alieni: ſic etiam modò Deus eundem ſtilum retinens, ſolet etiam peccatores ægritudinibus corporis afficere: vt à peccatorum infirmitatibus eos liberet. Quod aduertit Seraphicus Doctor Diuus Bonauentura, libr. meditationum vitæ Chriſti, capite vigeſimo tertio dicens: quòd ſicut propter peccata veniunt infirmitates, ſic ex abſolutione à peccatis, aliquandò contingit liberari ab infirmitatibus. Sicut patet in paralytico illo à Chriſto Domino noſtro curato, qui iacebat in piſcina, cui dictum fuit: *Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex quibus verbis colligitur infirmitatem illam propter peccata fuiſſe immiſſam, quibus abſolutus ſtatim corporis valetudinem recepit. Hoc idem in Rege Ezechia videmus, qui vſque ad mortem, propter culpam quam in Deum commiſerat, ægrotauit. Fuit autem culpa, quod cùm de Aſſyriis miraculoſam victoriam aſſecutus fuiſſet, canticum triumphale in gratiarum actionem (ſicut moris erat) Deo ſolenniter non cecinit. Cùm autem conuerſus ad parietem amarè fleret, lachrymíſque oculorum ſuorum culpam deleret, ſtatim ſalutem, & quindecim longioris vitæ annos recepit. Sed eſt expreſſus locus ſacræ Scripturæ ad probandum, quòd propter peccata infirmitates immittantur, qui habetur Iſaiæ, cap. primo. *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationes? Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*: quod explicans gloſſa, inquit: Non inuenio medicinam quam adhibeam vobis, omnia membra vulneribus plena ſunt, adhibui ſæpius curationem: modo nullam partem corporis reperio, quæ non ſit iam percuſſa & plagis plena, vel nullas inuenio plagas, quibus confringam duritiam veſtram: eò enim creſcit duritia, quò maiora adhibeo flagella. Huc ſpectat lucta illa inter Angelum & Iacob inita, Geneſ. 32. Dicitur ibi, *quòd Angelus luctabatur cum Iacob tota nocte, & videns eum defendentem ſe, & quòd illum ſuperare non poſſet, percuſſit femur eius, & ſtatim cœpit claudicare.* Ecce vides peccatoris imaginem in hoc facto ante oculos poſitam, quem Deus ſæpenumero, videns eius obſtinationem & duritiem percutit, vt illi ſubdatur. Conſidera igitur iuuenem ætate florentem, corporis robore & pulchritudine pollentem, diuitiis & voluptatibus affluentem, Dei oblitum, & omni vitiorum genere corruptum: Hic enim ſuis peccatis & peruerſis moribus quid aliud agit, quàm per totam vitæ huius noctem cum

Infirmitates flagella Dei. *D. Bonauent.* *Ioan. 5.* *4. Re. 20.* *Iſa. 38.* *Iſa. 1.* *Glоſſa.* *Gen. 32.* *Figura.*

Deo

Digitized by Google

Deo luctam & certamen inire? quem tamen Deus internis inſpirationibus, dulciſſimíſque verbis ſuperare & vincere nititur:ipſe verò in peccatis obſtinatus lapidibus ipſis durior perſeuerans contra Deum magis roboratur, tantùm abeſt quòd ſubdatur illi. Videns ergo obſtinatum eius animum & mentis elationem, percutit eum in carne: immittit illi infirmitatem quandam, vt eius grauedine preſſus incipiat claudicare, & à propoſito ſuo deſiſtere. Nihil enim eſt quòd magis hominem humiliet,& ad obedientiæ iugum faciat peruenire quàm ægritudo: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum,poſtea accelerauerunt.* Et alibi: *Cùm occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Hoc enim eſt quod intendit Deus vulneribus & infirmitatibus, nobis inflictis,vt acceleremur iter: quia nimis pigri, & deſides per cœli viam ambulamus: quòd diluculo & abſque mora vlla confugiamus ad eum, nos ipſos à peccatis noſtris conuertendo; non differentes vſque ad diem mortis pœnitentiam. Diuus Gregor. ſuper illa verba Iob quinto: *increpationem Domini ne reprobes*, dicit: Omnipotens aliquando vulnerat, quos reducere ad ſanitatem curat:aliquando enim carnem percutit,& mentis duritiam ſuo pauore tabefacit. Vulnerando ergo ad ſalutem reuocat,cùm electos ſuos affligit exterius,vt interius viuāt. Vnde per Moyſen loquitur,dicens: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam & ego ſanabo.* Occidit enim,vt viuificet,percutit, vt ſanet, quia idcirco foris verbera adhibet, vt interius vulnera peccatorum ſanet. Inquit Ariſtotel. ſecundo libr. de generat. quòd motus ſolis in obliquo circulo cauſa eſt generationis, quia ſi ſemper directè luceret, ſuper hemiſpherium noſtrum, ita terram aridam faceret, vt redderetur ſterilis. Ad idem ſpectat quod Plinius dicit, libro 17. ſcilicet, quòd frigora tempeſtiua multum conferunt arborum firmitati & generationi: quia ſi blandiantur tempeſtiui auſtri, deficiunt. Sic quippe in nobis ſpiritualiter contingit: quibus nimia proſperitas longáque valetudo damnoſa eſt, cauſáque ſterilitatis in bonis operibus: at verò aduerſitas & infirmitas nimis eſt proficua, multúmque conducit ad firmitatem in bono, & ad noua opera meritoria germinandum. Habet etiam hoc peculiare infirmitas & aduerſitas, *que es el palenque y el campo dela honra de Dios.* Eſt locus certamini deputatus, vbi inimicos ſuos deuincit & ſuperat, de illiſque victoriam reportat. Quia dū infirmitatibus eos premit,præteritæ culpæ eos pœnitet: & omnium quæ geſſerunt palinodiam decantant. Vnde Dauid

Pſal.15. *Pſal.77.* *D.Greg. Iob 5.* *Deut.32.* *Ariſt.* *Simile.* *Plinius.* *Simile.* *Infirmitas cāpus certaminis.*

Digitized by Google

Pſal.65. Dauid Pſal.65. inquit: *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Quod explicat Lyra de Pharaone & eius ſatellitibus, qui cùm plagas ſuper ſe viderent ſtatim Deo ſubdebantur, promittebántque dimittere populum, cùm autem plagæ auferebantur ab eis, nolebāt ſtare promiſſis, & mentiebantur. Sæpenumero hoc idem nobis contingit. Dum enim infirmamur & ægritudine affligimur, dum ſumus quaſi in equuleo poſiti: *Mientras nos tiene Dios pueſtos en el potro del tormento,* dum plaga durat: ad Deum conuertimur, iugóque obedientiæ ſuæ colla ſubmittimus, promittentes peccatorum pœnitentiam, & emendationem vitæ, ſi incolumes ab infirmitate euaſerimus: at ablata plaga ad peccata redimus: & tanquam canes impudentiſſimi ad vomitum reuertimur: oſtendentes non verum, ſed mendacium protuliſſe. Sicut contingit alicui, qui dum in certamine inimicum ſuum ſuperauit; qui illum multoties iniuriis affecerat, & de illius honore malè fuerat locutus, dum enim illum ad pedes ſuos proſtratum habet, gladium ſuper ipſum minitans, ſigna doloris oſtendit, honorem illi reſtituit, & omnia quæ in illum dixerat reuocat: ſatisfactionémque promittit: mentitur tamen, quia omnia illa ex timore mortis procedunt. Vnde extra periculum poſitus, multo aliter loquitur, & ad iniurias reuertitur. O bone Deus, quàm ſimillimi ſumus omnes. Vtinam non tam exactè de nobis, ſimilitudo hæc verificaretur. Cùm enim videmus ſuper nos gladium diuinæ vltionis diſtrictum, mortémque ianuam noſtram pulſantem: humilitatem & ſubiectionem fingimus, ſignáque contritionis oſtendimus, multa quidem promittentes, ex quibus ſeruamus perpauca. Promittimus ſeruare Dei præcepta, vitam corrigere, carnem caſtigare, aliena reſtituere, & famam ablatam proximo pro virili reddere: ſed mentimur & ipſi nos ſeducimus, quia cùm ab infirmitate inualeſcere incipimus: ſtatim omnia hæc pereunt & infirmantur, & promiſſis non ſtamus. Quàm aliter Dauidem noſtrum feciſſe cernimus: qui cùm videret Angelum Dei miniſtrum euaginatum gladium tenentem, ac populi cædem exercentem, ſtatim tremefactus & humilis ad pedes Dei cecidit, dicens: *Ego ſum qui peccaui, ego qui iniquè egi: iſti qui oues ſunt quid fecerunt? Vertatur, obſecro manus tua contra me.* Quæ verba non mendacia & ficta: ſed veriſſima fuerunt, ſicut exitus ſuæ pœnitentiæ oſtendit. Ex qua viſione tantum timorem concepit: quod membra eius frigiditate tabuerunt, oſſáque diſſoluta ſunt. Quare inquit: *Non eſt ſanitas in carne mea, &c.*

Simile. [margin]

2. Reg. 24. [margin]

Sed

Sed quod verba illa à Dauide prolata, dum Angelum eſt intuitus, non ficta ſed veriſſima fuerint, Diui Hieronymi expoſitio manifeſtè indicat: ſic enim exponit hunc locum. Nullam requiem indulſi, vel oſſibus, vel membris meis, donec ea pœnitendo purgarem. Exuit ſe Rex ſanctus precioſa purpura: ornamenta regalia depoſuit: à cibis & potibus delicatis abſtinuit: lectum eburneum contempſit: & fortè ſupra nudam humum iacebat, & cilicio carnem ſuam domabat. Ad hæc, & ipſe Pſalm. 108. dicebat: *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* Vbi verſio Beati Hieronymi inquit: *Genua mea vacillauerunt à ieiunio.* Tanta enim fuit eius abſtinentia & ieiuniorum frequentia: quòd genua eius vacillarent, & vix eum ſuſtentare poſſent, præ nimia debilitate. Caro etiam eius & facies immutata eſt, quia facta eſt macilenta, propter oleum. Alij vertunt, *abſque oleo.* Credo equidem tantam fuiſſe eius abſtinentiam, quòd oleum cibis, & condimentis non adhibebat: vt omnino inſipida redderentur. O quàm magna confuſio hæc eſt omnium noſtrum! qui cùm quotidie & inceſſanter peccatis noſtris Deum offendamus, agere tamen pœnitentiam, & peccatorum ſatisfactionem renuimus. In deliciis & voluptatibus vitam degimus: luxui & ebrietati operam damus, carnémque noſtram pœnitentia affligere & caſtigare contemnimus. Quod quidem vitium, licèt omnibus commune ſit, diuitibus verò, ſeculíque potentibus, qui Epicureorum more in voluptate & ocio ſummam fœlicitatem ſitam eſſe arbitrantur, magis familiare eſt. Quibus perſuadere, vt vel leuiſſimam pœnitentiam pro ſceleribus ſuis faciant, difficillimum eſt. Cùm Nabuchodonoſor Hieruſalem obſediſſet, miſit Dominus Hieremiam Prophetam ad Sedechiam Regem & ad Principes eius, vt pœniterent: & quòd ipſe miſereretur eorum: ipſi verò vilipendentes nuncium, pœnitentiam recipere noluerunt, neque prædicationi Hieremiæ acquieſcere: quare ciuitas deſtructa fuit: & ipſi omnes in captiuitatem ducti. Tetigit hiſtoriam hanc Iſaias capite vigeſimo ſecundo dicens: *Et vocabit Dominus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum.* Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Verba ſunt commininationem contemnentium, quaſi dicerent. *Si hemos de morir muramos hartos.* Si enim cras (vt dicitur) morituri ſumus, comedamus hodie & bibamus, & nulli parcamus voluptati, ne

D. Hier.

Pſal. 108.

Nota.

Hier. 36.

Iſaia 22.

Contemptus num terum Dei.

Digitized by Google

omnia amittamus. Idem ferè contigit Balthaſar Regi: quia cùm Deus per Hieremiam illi mortem fuiſſet minatus,& trãſlationem regni eius, credens terminum poſitum à Hieremia eſſe iam tranſactum, in cõtemptum comminationis fecit conuiuium, cùm potius pœnitentiam ſuorum peccatorum agere debuiſſet:& omnes ſui regni Principes inuitauit. Quaſi diceret, quod vulgo dici ſolet: *Los amenaçados pan comen.* Vnde illa nocte à Cyro Perſarum Rege,& Dario fuit interfectus. Refertur hæc hiſtoria ſiue tangitur Iſaiæ 21. *Pone menſam, contemplare in ſpecula, comedentes, & bibentes ſurgite. Principes arripite clipeos.* Pone, inquit, menſam. Ironicè dicitur ei, quaſi diceret: O Balthaſar Rex inſane, cuius mors eſt in ianuis valdéque vicina, nunc tempus eſt ponendi menſam, conuiuiúmque faciendi? nunc tempus erat ebrietati & deliciis vacandi? Abiice menſam,& cõtemplare in ſpecula, id eſt, in manu ipſius Dei vltrice contra candelabrum ſcribente. Contemplare, inquam, ibi, quaſi in quadam altiſſima ſpecula periculum quod imminet, vitæ tuæ, crudeliſſimũ ſupplicium, & regni tui tranſlationem. O Principes Cyre & Dari, qui ad menſam cum ipſo Rege ſedetis, ſurgite quaſi Dei miniſtri, arripite arma ad vindictam exercendam: & ipſum Balthaſar vulneribus cõfodiendum. O Chriſte ſancte, quot ſunt modò in mundo, de his qui fidem, Chriſtíque doctrinam profitentur, Sedechiam & Balthaſar Reges imitantes, quibus cùm à Domino dictum ſit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*: tamen comminationem Dei vilipendunt, verbáque eius quaſi non eſſent veritatis infallibilis, contemnunt. Vnde, comedunt & bibunt, & epulantur quotidie ſpendidè, voluptati indulgentes, & in vtramque dormientes aurem. Conſiderant enim quòd miſericordia Dei patienter eos expectat,& inde occaſionem ſumunt perſeuerandi in ſuis peccatis obſtinati. Quod deplorat Salomon in ſuo Eccleſiaſt. cap. 8. *Quia non cito contra peccatores ſententia profertur, abſque vllo timore perpetrant mala.* Abutuntur diuina miſericordia, & quia non ſtatim contra eos ad vltionem procedit, ſed patienter eos expectat, ideo comminationes Dei ſpernunt: at diuina ira lento gradu ad vindictam procedit, ſed tarditatem ſupplicij grauitate cõpenſabit. Quanto enim altius ſecuris extollitur: tanto fortiùs ceruici ſuppoſitæ impingitur. Refert Nabuchodonoſor in ſcriptura Sacra imaginem peccatoris: qui in ſomnis vidit arborem proceriſſimam vſque ad cœlum pertingentem, in cuius ramis aues cœli conuerſabantur,& ſubter eam animalia & beſtiæ terræ,& folia eius

Iſaia 21. *Luca 13.* *Eccleſ. 8.* *Simile.* *Dan. 4.* *Imago peccatoris.*

eius erant pulcherrima. Et ſtatim audiuit vocem cuiuſdam vigilis, quaſi ſecurim exaltatam habentis, & clamantis: *Succidite arborem & proſternite ramos.* Et licèt Daniel de ipſo Nabuchodonoſore viſionem interpretatus fuerit: tamen cùm ipſe (vt diximus) figurã cuiuſcumque peccatoris teneat, ad quemcumque peccatorem ſpectat. Quid enim aliud vocem peccatorem, quàm pulcherrimam arborem? De quo in Pſalmo dicitur: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſuper cedros Dei.* & Hierem. 12. *Plantaſti eos & miſerunt radices, proficiunt, & faciunt fructum.* Quare arbor pulcherrima & fructifera Nabuchodonoſori apparuit: quod ſecundùm mundi huius iudicium, non Dei intelligendum eſt. Subter eam erant animalia & beſtiæ, id eſt, appetitus beſtiales, qui in peccatore reperiuntur omniúmque vitiorum genera; in ramis eius, volucres cœli, id eſt, noxiæ peſſimæ cogitationes, quæ ibi commorantur. Huic arbori, peccatori ſcilicet, vigil de cœlo minatur. Tota enim ſacra ſcriptura comminationibus plena eſt contra peccatorem prolatis. *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis enim arbor non faciens fructum excindetur & in ignem mittetur.* At quòd non ſtatim ſecuris ictu ſuo arborem percutit, id magis timendum eſt: quia quantò magis ſecuris ſubleuatur, tantò magis arbori infigitur, & fortiùs illam ſcindit: ſic quo magis brachium ſuæ potentiæ detinet Deus, ne de peccatoribus ſtatim vltionem ſumat, eò erit vltio grauior. Quare diuus Paulus inquit: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis:* quia nimirum manus potentiſſimæ ſunt ad vindicandam iniuriam. Peccator, qui modò, dum tempus eſt pœnitentiæ, ad Deum conuertitur, incidit in manus Dei, verùm in manus Dei mortui, in manus miſericordiæ plenas, in manus clauis confixas, quæ non poſſunt peccatorem percutere, abſque hoc quòd & ipſæ percutiantur: at, qui impœnitens ex hac vita migrat, incidit in manus Dei viuentis, manus vltrices, & ad vindicandum potentiſſimas. Quas manus vt effugeret Beatus Iob, aiebat: *Dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.* Et ſubdit, vadam, & non reuertar, quia in inferno ſemel ingreſſus regreditur nunquam. Eſt enim quaſi labyrinthus Creticus à Dædalo fabricatus, tot ambagibus conſtans, quòd nulli regreſſus pateret: aut ſicut naſſa, in quam recipiuntur piſces, quæ facilem ingreſſum habet, ſed exitum difficilem. *Plangam paululum*, ait:

Pſal. 36.
Hier. 12.
Mat. 23.
Luc. 3.
Hebr. 10.
Iob 10.
Inferni pœna perpetua.

antequam vadam. Quia lachrymæ quæ in inferno profunduntur, nullius ſunt momenti, etſi in magna copia, & abundantiſſimè fluant: at hic in præſenti vita, antequam quis vltimam eius lineam attingat, paululum plorare ſufficit, quia vna ſola lachryma totum inferni ignem extinguere, culpam delere, maculas abluere, peccata mundare & ſubmergere, & diuinum pectus placare ſufficit. Intelligens hoc Dauid die ac nocte plorare non ceſſabat, lauabátque (vt ipſe fatetur) per ſingulas noctes lectum ſuum, & lachrymis ſuis ſtratum rigabat. Lectum autem poſt peccatum commiſſum fuiſſe nudam humum non dubito. Reſpuebat enim omnem conſolationem humanam; cilicio, vigiliis, & orationibus intendebat. Flagellis carnem ſuam domabat, & in ſeruitutem ſpiritus redigebat, nullis parcebat aſperitatibus, & ab omni voluptatum genere abſtinebat. Vnde per omnia corporis ſui oſſa, membrorúmque, ex duriſſima & aſſidua pœnitentia, dolor, & contritio diffundebatur. Quapropter dicebat: *Non eſt ſanitas in carne mea, &c.*

Silentio prætereundum non eſt, quantum timorem conceperit ſtrenuus Dux Dauid ex viſione Angeli percutientis. Mirabile quidem dictu, quòd ex aſpectu vnius gladij ſic expauerit, ille qui neque à gladio Goliath, cùm adhuc puer eſſet, nec à gladiis filiorum Ammon, & vniuerſorum Philiſtim, iam in militia prouectus, timuerat. Erat enim vir fortis & animoſus, & per medios gladios inter inimicorum arma paſſim irruebat: & conſpecto vnico Dei gladio, tanto timore correptus eſt, quòd membra eius diſſoluta ſint, caro & oſſa nimia frigiditate tabuerint, ita, vt verè poſſit dicere: *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus, &c.* Sed quid mirum, cùm gladius Dei ſit, non hominis. *Matt.10.* *Nolite* (inquit Redemptor noſter Chriſtus) *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.* Illius ſolus gladius timendus eſt, qui animam ipſam immortalem poteſt iugulare & occidere: quia per gladium iſtum diſtrictio diuinæ vltionis ſignificatur. Vidit diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, qui & ſupra pectus eius in cœna recubuit gladium hunc *Apoc.1.* de ore filij hominis procedentem. Apocalypſis 1. Et licèt diuinis reuelationibus non inaſſuetus, quaſi mortuus continuò ad eius pedes cecidit. Magne Deus, ſi conſpecta huius gladij vmbra diſcipulus ille dilectus ſit terrefactus eſt: *Si de ſola ſombra aſſi quedo a ſombrado que cayo a ſus pies.* quid non veritas ipſa terrefaciet? Quomodo non pauebunt peccatores in tremendo

mendo illo iudicio, quando de ore filij hominis, formidanda illa ſententia & terribilis gladius procedet: *Ite maledicti in ignem æternum?* Etenim tam formidabilis erit gladius iſte diuinæ vindictæ, quòd iuxta vaticinium Ioan. Apocalyp. 6. Cùm agnus ille innocens, qui ab origine mundi occiſus eſt, ſextum ſigillum aperuerit, quod vtique in die iudicij continget, quando gladium ſuæ iuſtitiæ euaginabit: tunc quidem omnis mõs, & inſulæ de locis ſuis mouebuntur: & Reges terræ, Principes & tribuni, & diuites, & fortes abſcondent ſe in ſpeluncis & petris montium, & dicent montibus & petris: *cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.* O ira ſuper omnem iram! ô gladius ſuper omnem gladiũ formidandus! ô agnus ſuper omnes leones timendus! quis non timebit te Chriſte ſancte? quis à facie gladij tui non pauebit? cuius tanta erit ira, quanta manſuetudo præceſſerit, tantò maior vindicta, quantò maior fuerit expectatio & tarditas. Vltio enim peccatis reſpondebit in facie, & miſericordiæ iuſtitia par erit. Ideo Saluator noſter agnus & leo dicitur: quia ſicut in primo aduentu fuit manſuetus vt agnus, ſic in ſecũdo erit iratus vt leo. *Occurrã eis*, inquit, *quaſi vrſa captis catulis, & quaſi laena in via Aſſyriorum, & diſrumpam interiora iecoris eorum.* Ille qui per Prophetas ſuos toties ad pœnitentiam vocauit, verbiſque ſuauiſſimis hortatus eſt, dicens: *Conuertimini ad me: & quare moriemini domus Iſraël?* Et per Iſaiam: *Propterea expectat vos Deus vt miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis.* Id eſt: *Tendra por honrá y blaſon el perdonaros.* Idemmet cominatur, quod in tremendo illo die, quaſi leo & vrſa futurus ſit: & interiora iecoris peccatorum dilaniaturus. Depingitur hoc viuis coloribus (ſi tamen color aliquis eſſe poteſt, qui tantam iram poſſit depingere) ab Iſaias cap. 2. quem locum, licèt de primo Chriſti aduentu auctores non infimæ notæ interpretentur: tamen de ſecundo ad iudicium interpretatur Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 5. & vtitur validiſſimo argumento ad probandum verba hæc ad vltimum iudicium eſſe referãda: videlicet, quod D. Paulus Epiſt. 2. ad Theſſ. cap. 1. verba hæc Iſaiæ citans, ad verbum de vltimo iudicio interpretatur. Verba Iſaiæ ſic habent: *In illa die proiiciet homo Idola argenti ſui, & ſimulachra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret talpas & veſpertiliones: & ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorum, à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram.* Primò inquit, quòd proiiciet peccator Idola argenti

Matt. 25.
Apcal. 6.
Oſeas 13.
Ezec. 18.
Iſaia 30.
Iſaia 2.
Tertull.

ſui, pro quo Septuaginta *abominationes* tranſtulerunt: quia nunc peccator licèt videatur ad tempus idola voluptatum, & abominationes peccatorum proiicere & derelinquere: tamen non ex corde procedit: proiicit quidem peccata, ſed iterum reſumpturus, tunc ex corde & ex animo proiiciet: *alli ſera el arrojar los peccados de veras. O malditos deleytes, ô abominables peccados ſali fuera del alma.* Proiiciet ea quantum ad voluptatem, ſed non quantum ad culpam, & ſic remanebunt ad ſupplicium. Tantóque peccatores ex proximo iudicio timore concutientur, quòd ingredientur ſciſſuras petrarum & in cauernas ſaxorum, è facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, in qua iudicare venturus eſt, ſicut per Matthæum, capite vigeſimoquinto ipſe prædixit. Quod quidem tunc continget, inquit Propheta ſanctus, cùm ſurrexerit percutere terram: cùm diſtricto gladio ſuæ iuſtitiæ, ad feriendos peccatores rebelles iratus aduenerit. Et concludit Propheta dicens: *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe,* ac ſi dicat: Si tanta huius iudicis futura eſt indignatio, ſi talem de inimicis ſuis ſumet vindictam, nolite, ô peccatores, hominem hunc Chriſtum contemnere, veſtris peccatis & impœnitentia illum irritare: quia etſi homo fuerit mortalis, cuius vita tenui ſpiritu pendet, tamen excelſus reputatus eſt ipſe, & aliquando immortalis factus de veſtris ſceleribus ſumet vindictam. Septuaginta interpretes ſic verterunt, *cuius reſpiratio in naribus eſt,* id eſt, qui detinet reſpirationem in naribus, qui illam non citò profert. *Guarda os deſſe hombre tam ſufrido que no ſe le hinchan luego las narizes, ſi no que ſabe ſufrir y aguardar.* Quia etſi multa ab inimicis ſuis ſuſtineat, tamen exaltabitur aliquando, & de illis ſumet vindictam. Hominem videbitis multa patientem, & ad inimicorum iniurias aures obturantem, tardum ad iram & ad vindictam ſumendam, qui tamen ſi iraſcitur, iraſcitur verè & in magnum furorem exardeſcit. Et ad hoc propoſitum illud dictum Hieremias, capite vigeſimoquinto intelligẽdum exiſtimo: *Facta eſt terra eius in deſolationem à facie iræ colũbæ. La ira de la paloma ha deſtruydo la tierra.* Mirabile auditu. Si à facie iræ leonis rugientis, aut vrſæ lacerantis, vel fortè aquilæ rapientis terra deuaſtata eſſet, non mirarer, at à facie columbæ amaritudine fellis expertis, hoc valdè mirandũ eſt. Nicolaus Lyranus aſſerit per columbam hanc Semiramidem Sirorum Reginam intelligi, eo quòd crediderint in columbam fuiſſe conuerſam: quare in vexillis quibus Duces in bello vtebantur

Matt. 25. *Septuag. Inter.* *Hier. 25.* *Lyran.* *Semiramis dicta columba.*

vtebantur columbam habebant depictam cum gladio ſanguine tincto: quaſi ſignificarent, & dicerent: Cauete à facie huius columbæ, quia licèt mitiſſima ſit & prima facie columba videatur, tamen gladium habet, quo irata inimicos ſuos interficiet, & quantam ſubiectis oſtenderit manſuetudinem, tantam rebellibus indignationem & iram. Inquit ergo Propheta: *Terra poſita eſt in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini*: quaſi diceret: quod Aſſyrij de Regina ſua prædicabant, idem ego de Deo noſtro prædico. Cauete ab eius ira & indignatione, quia licèt columba ſit & mitiſſimus, ſi tamen ſemel iraſcitur, gladium habet diuinæ vltionis, quo peccatores æternaliter interficiet. Quis Dauide mitior in mundo vnquam extitit? cuius tanta fuit manſuetudo, quod cùm inimicum ſuum Saulem, qui mortem ſuam quærebat lancea poſſet configere, noluit tamen, ſed pepercit ei: qui voce præconis inimicis miſericordiam promittebat. *Eſt ne aliquis*, aiebat, *de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordias Domini?* Tanta fuit eius manſuetudo, quòd cùm Domino agens auſus ſit dicere: *Memento Domine Dauid & omnis manſuetudinis eius*: qui tamen ira excandeſcens, & ad vindictam prouocatus, fecit aliquando, quod de Nerone, Domitiano, aut Dionyſio Siciliæ tyranno nunquam legitur. 2. namque Regum cap. 12. habetur, quòd mortuo Rege filiorum Ammon & regnante Hanon filio eius, cùm miſiſſet Dauid nuntios ſuos, vt conſolarentur eum de morte patris ſui, *que le dieſſe el peſame de la muerte de ſu patre*. Ammonitæ exiſtimantes exploratores eſſe, raſerunt eis dimidiam partem barbæ, & præciderunt veſtes eorum vſque ad nates & dimiſerunt illos cum magna ignominia, & dedecore. Dauid autem tanta ira accenſus eſt, quòd in vindictam facti magnam militum parauit copiam, & contra eos ad bellum proceſſit. Et cùm ciuitatem Rabbath cepiſſet, inauditum in eos ſupplicium exercuit, quod ſub hoc verborum tenore continetur. *Sed & prædam ciuitatis aſportauit multam valde: populum quoque eius adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta: diuiſitq; cultris, & traduxit in typo laterum. Et ſic fecit vniuerſis ciuitatibus filiorũ Ammon.* Quanta fuerat eius clemẽtia, & manſuetudo, tanta, ira laceſſitus, fuit indignatio & crudelitas. Expectat nos Deus vt miſereatur noſtri, verũ eſt, & non vult mortem peccatoris, ſed quòd cõuertatur & viuat, ita ſanè miſericordia eius ſuperexaltat iudiciũ, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, nemo it inficias: verùm aduertite, quod altiſſimus eſt patiẽs redditor. *Es enemigo flematico*

Pſal. 131.

2. Reg. 12

1. Reg. 10.

Factum notabile.

2. Reg. 12

quare timendus eſt, & à facie iræ eius formidandum. Timeat ergo Deum peccator, qui Deum offendit, & peccata ſua plangens cum Dauide veniam poſcens, dicat: *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, &c.*

A facie peccatorum meorum, inquit, *non eſt pax nec requies oſſibus meis.* Quia qui peccatorum ſuorum grauitatem conſiderat, qui culpas ſuas præſentes habet, nec obliuioni tradit eas, ſtatim ad pœnitentiam inclinatur, non quieſcit, nec voluptatibus indulget. Multum namque confert peccatorum memoria, ad debitam illorum ſatisfactionem faciendam. Antequam Dauid peccati ſui cognitionem haberet, de pœnitentia nihil cogitauerat: at poſtquam Natham Propheta peccatum ſuum ad memoriam illi reduxit, parabolam illam proponendo, in qua tanquam in lucidiſſimo ſpeculo peccatum ſuum repræſentatum vidit, & ſtatim ſceleris ſui pœnituit, dicens: *Peccaui Domine*, & opera ſatisfactoria cœpit. Quare, ei dicebat: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Vbi alia litera habet: *Coram me eſt ſemper.* Quaſi diceret: Si adhuc Domine non pœnitebam, erat in cauſa quia peccatum meum non cognoſcebam, neque iniquitas mea coram me erat, ſed potius eam habebam à tergo, obliuioníque mandaueram. At nunc peccatum meum coram me eſt ſemper, & ideo illud deteſtor & confiteor, & ad pœnitentiam animum meum induco. Sicut enim obliuio beneficiorum Dei hominem facit ingratum, ſic obliuio peccatorum impœnitentem. Quando Adam & Eua primi generis humani parentes peccauerunt, ſtatim ac ſuam agnouerunt nuditatem, foliis arborum cooperuerunt ſe. Cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, inquit ſacra Scriptura, *conſuerunt ſibi folia ficus & fecerunt perizomata.* At Deus cùm eieciſſet illos è Paradiſo abiecta illa veſte & ablata ab eis, veſtiuit eos tunicis quibuſdam pelliceis. Et vtrum illæ pelles fuerint de nouo à Deo creatæ, vel animalium occiſorum, non eſt præſentis inſtituti diſputare. De hoc videatur Theodoretus in ſuis ſuper Geneſin quæſtionibus. Paraphraſis Chaldaica loco illius, quod dicitur: *Fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos*, ſic habet: *Et fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius veſtimenta honoris, ſuper cutem carnis ſuæ, & induit eos.* O ſumma Dei clementia! licèt enim valdè illis eſſet iratus propter peccatum commiſſum, & licèt ſententiam mortis contra eos fulminaſſet, tamen cum honore

Peccatorum memoria vtilis. *2. Re. 12.* *Pſal. 50.* *Geneſ. 3.* *Theod.*

Digitized by Google

honore eos voluit dimittere. Sicut cùm aliquis nobilis ſeruum ſuum è domo propter aliquod facinus commiſſum eiicit, ſolet ei veſtem aliquam porrigere, ne nudus aut indecenter de domo ſua diſcedat: ſic Deus cùm hominem è Paradiſo eiicit abſque veſte & honore abire non permittit. Sed bone Deus, quid ſibi vult, aut quid in hoc opere myſterij latet? quòd cùm primus homo foliis ficulneæ induerit ſemetipſum, Deus illa veſte ſublata, tunicis pelliceis ex animalibus mortuis eum induerit? Difficultatem hanc Strabo ſoluit gloſſa referente, inquiens: Ipſi fecerunt ſibi perizomata, vt peccatum ſuum abſconderent, Deus verò tunicas pelliceas, quibus totum corpus eorum induit: quia & in corpore & in anima eos iuſtè damnauit. Itaque, non patitur Deus, quòd ſit aliquid in nobis, quo peccatum noſtrum abſcondatur: ſed potius quo detegatur nobis. Folia ficus peccatum abſcondebant, & carnem non tegebant, at tunicæ pelliceæ carnem omnino tegebant, ſed detegebant peccatum, quia tunicæ illæ ex animalibus mortuis factæ, mortem ac per conſequens peccatum, per quod mors intrauerat, ad memoriam quotidie reducebant: quod non leuem occaſionem ad deflenda ſua peccata illis conferebat. Hinc eſt quòd diuus Ambroſius in apologia Dauid, capite nono explicans illa verba: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco*, inquit: Non mediocre eſt, vt agnoſcat vnuſquiſque peccatum ſuum, & ideo ſuprà ait: *lapſus quis intelliget?* id eſt, quis eſt tantus vt intelligat? Qui enim poteſt agnoſcere, poteſt declinare, poteſt quid ſequatur eligere. Plerique in ſuis lapſibus gloriantur, & putant ea laudi eſſe, quæ crimini ſunt. Si alienum coinquinauit thorum, & pudicæ fœminæ expugnauit affectum, ſi viduæ propoſitum aliqua fraude mutauit. Alius necem hominis, latrocinij inſidias, & rapto viuere, putat eſſe virtutis. Nonnulli circumuenire, ac fallere arbitrantur eſſe ſapientiæ. Ex his nullus poteſt dicere: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco*: ſed ille, qui poteſt dolere quòd fecerit, condemnare quod deliquerit, quem ſua vitia compungunt. Hactenus diuus Ambroſius. Et rectè quidem, inquit, *quem vitia ſua compungunt*: quia ad hoc ob oculos ponenda ſunt peccata, vt conſcientiam pungant, memoriámque vulnerent. Solent ſtudioſi vinearum, vel hortorum cultores, tribulos & ſentes ne vitibus aut arboribus noceant, radicitus euellere, ex illíſque vallum, & ſeptum vineæ conficere, quod furibus aditum in vineam vel hortum præcludat: ſic fit vt illud ipſum quod nocumento erat, cuſtodiæ deinde inſeruiat. Hos igitur

Simile. *Dubiũ.* *Solutio.* *Strabo.* *Gloſſa.* *Nota.* *D. Amb.* *Peccata corã habenda.* *Simile.*

Digitized by Google

imitetur vnuſquiſque,qui ab anima ſua peccatorum ſentes,& ſpinas per veram pœnitentiam euulſit: ex his ſpinis vallum conficiat præteritas culpas ſemper in memoria habendo, vt ab illis deinceps caueat, & dæmoni,aut cogitationibus prauis aditus recludatur. Doctor Incognitus ſuper Pſalmum quinquageſimum adducit ad hoc propoſitum illud Leuitici quarto: *Cùm cognouerit homo peccatum ſuum offerat capram immaculatam.* Quod ſic explicat, id eſt, *offerat ſeipſum ad modum capræ.* Capra ſecundum phyſicos, carnes habet ſiccas & difficillimæ digeſtionis, pilos aſperos,& cibo vtitur groſſiori, quia virgultis arborum, veſcitur:ſic verè tales peccatum ſuum cognoſcentes; vt Deo ſatisfaciant, carnem ſiccam habere debent per abſtinentiam & ieiunium: quæ debet eſſe difficilis digeſtionis, ne de facili affectiones carnales in ipſum per approbationem conuertantur:pilos aſperos habere debet,quia non mollibus & delicatis veſtibus debet veſtiri,ſed aſperis, cibo ſolido debet vti,ſcilicet verbo Dei, quod eſt animæ cibus: & ſicut capra per vias aſperas aſcendit ad alta, ſic per aſperam pœnitentiæ viam, ad cæleſtium contemplationem perueniet. Sed huic explicationi poſſumus nos aliam capræ proprietatem ſuperaddere,quæ magis ad propoſitum pertinere videtur. Habet enim peculiare hoc capra, quòd dum currit aut fugit caput aliquoties retro conuertit. Sic nimirum peccator qui profugus à Deo, per viam inferni ſumma celeritate currit, quando Deo in ſacrificium per pœnitentiam offertur, inſtar capræ debet caput ad tranſactam vitam, præteritáque peccata conuertere,vt ea deteſtetur & in futurum caueat. *Recogitabo tibi omnes annos meos*, dicebat Ezechias, *in amaritudine animæ meæ.* Quid eſt in amaritudine animæ annos tranſactos recogitare,niſi ad præterita peccata oculos mentis conuertere,ad illa deteſtanda & plangenda.Sic quippe faciebat Propheta Regius, conuertebat quidem oculos ſuos ad tempus in quo à Deo fuit per peccatum ſeparatus, conſiderabat peccatum quod cum Berſabee per annum integrum commiſerat: Vriæ homicidium,& ſcandalum quod populo dederat, ad nomen Dei blaſphemandum, & ex conſideratione horum adeo perturbabatur eius animus,tantóque afficiebatur dolore, vt veraciter,& ſine fictione diceret: *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.*

D. Incog. *Figura.* *Exemplũ naturale.* *Iſai. 28.*

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, &c. Modus eſt loquendi ſcripturæ familiaris ad exaggeranda peccata, dicere, quòd caput ſunt ſupergreſſa primo Eſdræ nono dicitur:

Eſdræ 1 cap. 9. *Hyperbole.*

Digitized by Google

dicitur: *Quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſque in cœlum.* Quo loquendi modo, dominium peccati, quo peccatoribus dominatur, ſignificatur. Peccatum enim captiuitas eſt & dominatio quædam, qua præmitur peccator, *es vna tyrania del alma. Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Non enim peccator eſt ſui iuris, ſed peccato ſuo ſubditur, Dæmoniſque fit vile mancipium: cui propter voluptatis pretium vltroneus ſeipſum vendit. In libro 3. Reg. cap. 21. cùm de Achab Rege iniquo Scriptura ſacra mentionem faceret, qui innocentem Naboth interfecit, inquit: *Igitur non fuit alter talis ſicut Achab qui venundatus eſt, vt faceret malum in conſpectu Domini.* 1. etiam Machab. cap. 1. de quibuſdam Iſraëlitis, qui à teſtamento Domini & lege eius receſſerunt, coluerúntque Deos gentium iuxta eorum ritum, dicitur: *quòd venundati ſunt vt facerent malum.* Diuus etiam, Paulus Rom. 7. hac vſus eſt forma loquendi: *Ego autem*, inquit, *carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* Sed quòd huiuſmodi venditio & alienatio non fiat ab alio quàm ab ipſo peccatore, ſeipſum pro viliſſimo pretio Dæmoni tradente, verba illa quæ apud Iſaiam cap. 50. habentur, manifeſtè indicant: *Quis eſt liber repudij quo dimiſi matrem veſtram, aut quis creditor meus cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venundati eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.* Circa quæ verba inquit D. Hieron. Peccatis ſuis vnuſquiſque venundatur, dum proprio arbitrio derelicti noſtra voluntate, vel ad bonum, vel ad malum ducimur. Appellatur peccatum venditio, quia ſicut in venditione fit rei quæ venditur alienatio, & in alterius tranſit dominium: ſic etiam in peccato contingit. Alienatur peccator à Deo, fitque in eo quædam dominij tranſmutatio nam cùm prius per gratiam ſub Dei dominio eſſet conſtitutus, per culpam Diaboli ſeruus efficitur. Sciat igitur quicunque peccatum mortale committit, ſiue Rex ſit, ſiue Dux, ſiue Imperator, aut quacunque alia dignitate præfulgeat, quòd peccati ſui ſeruus eſt, Dæmoníque crudeliſſimo tyranno ſubditus. Hoc adeò verum eſt, quòd etiam antiqui Philoſophi cognouerint, ſola ratione naturali ducti. Vnde de Diogene Philoſopho legitur, quòd cum Alexander ille magnus, ſe totius orbis dominum diceret, ſic eum eſt affatus: *nequaquam es Dominus, ſed ſeruorum meorũ ſeruus. Nam vitijs quibus ego impero, tu inſeruis.* Quædam etiam Barbaræ gentes eidem Alexandro vrbes expugnanti, & nationes in ſuam poteſta

Peccatũ tyrannis quædam.
Ioan. 8.
3. Reg. 21
1. Mac. 1.
Rom. 7.
Iſa. 50.
D. Hier.
Diogenes cinicus.

Digitized by Google

poteſtatem redigenti, in hunc modum ſcripſerunt: *Inimicos externos euertere conaris, vt internos ſuſtentes, Quid tibi prodeſt totius vniuerſi dominum fieri, ſi tam infima & abiecta rei qualia ſunt peccata ſeruus es?* Sententia quidem, etſi ab hominibus Barbaris, & Ethnicis prolata digna tamen, vt aureis literis conſcribatur, memoriæq; mandetur, Significarunt enim hac ſententia Alexandro, quòd propter victorias ab eo partas, ſuperbia, ambitio, & vanitas, in eo augebantur: quæ quidem vitia inſtar dominorum crudeliſſimorum animo ſuo dominabantur. Vera namque eſt Ierem. ſentent. c. 16. *Seruietis Dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Cui D. Auguſt. ſubſcribit, dicens: Peccator ſeruus eſt tot dominorum, quot vitiorum. Qui quidem domini crudeles appellantur, quia contraria imperant multòties. Superbia vult quod homo maximos faciat ſumptus, perpetuam ſui memoriam relinquat, & magnificat pompa atque factu incedat: at auaritia è conuerſo, vt in ſumptibus nimis parcus ſit, & nec vnum obolum conſumat, Gula hominem ad oppiparos cibos inuitat, qui ſine magno labore comparari non poſſunt: at pigritia & deſidia ad otium, quod paupertatem & indigentiam parit. O infelix peccator in quo verſaris diſcrimine, quàm contraria tibi imponuntur mandata, & obſeruatu difficilia, eò quòd à lege Dei tui, cuius iugum ſuaue eſt & onus leuiſſimum, humerum auertis. Magiſter ſuper illa verba ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*: vbi loquitur Apoſtolus de fomite peccati, qui in membris noſtris regnat, vt putà, in oculo ad concupiſcendum, in lingua ad loquendum, in aure ad audiendum, quæ non licet. Qui fomes dicitur lex rationi repugnans. Circa hæc, inquam, verba ait. Legitime factum eſt, vt qui non obediunt ſuo ſuperiori, ei non obediat ſuus inferior, ſcilicet, caro. Supra te eſt Dominus Deus tuus, infra te eſt caro tua. Serui ergo ſuperiori, vt tibi ſeruiat inferior. Et ideo, quia tu contempſiſti ſuperiorem, ſcilicet, in primo parente, nunc torqueris ab inferiori, ſcilicet à carne, quæ fomitem habet peccati te captiuum ducentem, id eſt, inclinantem in legem peccati: hactenus magiſter. Itaque, propter originale peccatum homo libertatem ſuam perdidit, *per dio ſu eſſention y hidalgia, aquel priuilegio en que auia ſido criado.* Factúſque eſt carni ſuæ tributarius. Hæc eſt prima captiuitas quam homo expertus eſt. Sed ex hac alia ſecunda & deterior eſt exorta, ſcilicet, quâ homo propter actuale peccatum in manus ipſius

Peccatũ ſeruitus eſt. Io. 8.

Iere. 16.

D. Aug.

Magiſt. ſuper Epiſtolã ad Roma.

Fomes peccati.

Digitized by Google

ipſius peccati, vel Dæmonis traditur: *Tradam Ægyptum*, inquit Deus, *in manus dominorum crudelium.* Ægyptus ſecundum aliquorum interpretationem, idem ſignificat quod afflictio: quod peccatori valde conuenit, qui in magna afflictione verſatur: quem Deus in manus dominorum crudelium tradit, ſcilicet, in manus affectionum ſuarum, quæ illius tyrannicè crudelitérque dominantur, neque reſpirare eum ſinunt, vel aliquod opus bonum aut meritorium exercere. Vis crudelitatem Domini huius, peccati, inquam, intelligere? Audi quid de Africanorum Duce Romani populi acerrimo hoſte Annibale ſcilicet, Valerius referat: quòd ſummæ crudelitati illi aſcribitur. Inquit enim quòd Annibal omnium captiuorum pedeſtrium Romanorum, primam partem pedum crudeliter abſcindebat, ne euadere poſſent à miſera ſeruitute, & ad propriam patriam remeare. O æterne incõmutabilis Deus, quanto maior eſt peccati crudelitas: quod incomparabiliter maiorem in ſeruos tyrannidem exercet: quia non ſolum pedes amputat, ne à tenebris ad lucem, à captiuitate ad patriam, à culpa ad gratiam propriis viribus poſſint reuerti: ſed etiam manus, ne opera meritoria gloriæ exercere poſſint, ſed etiam oculos eruit, ne captiuitatem miſeram, in qua vitam degunt, poſſint videre. Inquit enim Iſa. capit. 32. *Quis ſurdus, niſi ad quem nuncios miſi? & quis cæcus, niſi qui venundatus eſt?* Venundatum appellat peccatorem ſecundum modum iam à nobis explicatum, qui cæcus appellatur, propterea quòd captiuitatem ſuam non videt, aut conſiderat: cæcus etiam in electione, quia magna cæcitas eſt, pro voluptate tranſitoria, gaudia æterna amittere. Ex hac peccati captiuitate & ſeruitute tertia adhuc peior magíſque pertimeſcenda naſcitur: vbi nulla libertatis ſpes captiuis conceditur, ſcilicet captiuitas inferni ſine redemptione vlla. De hac agitur Apocal. 13. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadit.* Tranſit enim peccator de vna captiuitate ad aliam. Qui enim in captiuitate peccati vitam degit, ad æternam inferni captiuitatem deducitur. Captiuitas hæc maximopere timenda eſt, cùm nulla libertas ibi expectari poſſit. Continget namque peccatori quod fugitiuo ſeruo, qui domum Domini ſui multoties fugiens, & ad eandem domum reductus, benignéque ſuſceptus, tandem Dominus eius tædio affectus, iráque & furore accenſus, manibus & pedibus ligatum ferróque onuſtum, in fætidum locum teterrimúmque carcerem illum detrudit, vnde exire per momentum nullatenus liceat. Sic quippe homini

Iſa. 9.
Valer. lib. 9. c. 2.
Peccati crudelitas.
Iſa. 42.
Captiuitas inferni.
Apoc. 13.
Simile.

mini peccatori continget, qui toties à Deo fugit, & recedit, quoties peccatum aliquod committit, quem tamen benignè & miſericorditer per pœnitentiam ſuſcipit: quandocumque ad Deum conuertitur: at ſi obſtinatus & finaliter impœnitens obierit, cùm iam pœnitentiæ non ſit locus, in infernalem carcerem perpetuáſque tenebras ſub Dæmonis ſeruitute & tyrannide, *qui vinctis ſuis* (vt inquit Iſa.) *nunquam aperuit carcerem*, peccatorum ſuorum vinculis alligatum, eum collocabit. Vide igitur ô homo, an peccati iugum, quod tibi dulce & ſuaue videtur, rectè ſeruitus & tyrannis appelletur, quòd tam infamis & miſeræ ſeruitutis cauſa futurum eſt. Huius tyrannidis & ſeruitutis iugum ferreum iam ſentire incipiebat Dauid noſter, qui ad Deum ſuum conuerſus, & peccatorum ſuorum grauedine preſſus, aiebat: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, id eſt, mihi dominatæ ſunt.*

Iſa. 14.

Peccati grauitas. Vide de hoc D. Cyrillũ.

Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Rectè quidem inquit, quod ſicut pondus graue iniquitates ſuper illum ſunt aggrauatæ, quia peccatum ſarcina grauis & ponderoſa eſt, quam nec cœlum nec terra, nec mare, ſed ſolus infernus ſuper ſe ferre poteſt. Non cœlum, quia ex quo primus Angelus peccauit, ſtatim cœlum à ſe excutit & deiecit illum, tantum pondus ferre non valens. Non terra, quæ Dathan & Abiron peccatores & rebelles, viuos adhuc deglutiuit: & licèt modò quàm plurima ſcelera diſſimulare videatur, tamen grauitate eorum preſſa, corruet & deficiet. Sicut apud Iſaiam cap. 24. habetur: *Confractione confringetur terra*, &c. *& grauabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adyciet vt reſurgat.* At, quòd neque mare peccatum ferre poſſit iam à Iona fuit expertum, ſicut in eius habetur hiſtoria cap. 1. de quo eleganter diſputat aureum illud eloquentiæ flumen D. Ioannes Chryſoſt. homil. 1. de pœnitentia. Quàm primum enim nauim eſt ingreſſus, mare conturbari cœpit, fluctus ſuos vſque ad cœlum excitans. Nautæ procellam intuentes ſcapham alleuiare conantur, iactum vaſorum & mercium in mare fecerunt, nauis verò nequaquam alleuiabatur, ſed mergebatur magis, onere peccati depreſſa. Quia nihil tam oneroſum & graue quàm peccatum. Vnde à Zacharia depingitur cap. 5. & inter alia dicitur: *quòd iniquitas ſedebat ſuper talentũ plumbi.* Et Iob capit. 7. inquit: *Quare poſuiſti me contrarium tibi & factus ſum mihimetipſi grauis?* Et vt oſtendat huius grauedinis cauſam, ſtatim ſubdit: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* A peccato enim onus, & gra

Iſa. 24.

Iona 1.

Chryſoſt.

Zach. 5.

Iob. 7.

& grauedo omnis ortum habet. Vnde Chriſtus Redemptor noſter, qui ad exonerandum nos onere peccati deſcendit, per Matthæum inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: quod de peccati onere D. Auguſt. intelligit. Itaque, dum peccator peccatum mortale committit, ſupra ſeipſum, pondus Ætna maius imponit. Quòd ſi vnicum tantam in ſe grauedinem continet: quid multitudo peccatorum, quæ à te quotidie, ô homo, perpetrantur? Sed dices: qui fit quòd ego cùm peccatis ſim plenus, illorum pondus non ſentio? Reſpondeo, quod ſicut elementa in ſua ſphæra non ſunt ponderoſa, ſi autem extra ſphæram ſuam educantur, ſtatim pondus eorum ſenties: amphora enim aquæ, quouſque ad ſuperficiem putei perueniat nullo negotio educitur: at quando per aëra ſubleuatur, iam maiores exigit vires. Idem de peccato tibi dicimus. Peccatum enim in peccatore obſtinato, quaſi in proprio & naturali centro exiſtit, quia conſuetudo peccandi ferè in alteram naturam verſa eſt: & hinc ortum habet, quòd peccata tua non ſint tibi ponderoſa. Sentiebat autem eorum pondus Redemptor noſter Chriſtus, qui licet innocens fuerit, tamen poſuit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrum: vnde, cùm in eo quaſi violenter & extra ſuam ſphæram quieſcerent, maximopere illi fuerunt oneroſa, Quare dicebat: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Fabricauerunt, inquit, quaſi ingens ædificium, ſuperbámque machinam ſupra ſcapulas ipſius peccatores, ædificaſſent. Eia igitur peccator *diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes.* Diſſolue, inquam, colligationes culparum & peccatorum vincula rumpe, quibus captiuus ſub Diaboli tyrannide detineris. Solue etiam faſciculos ſcelerum tuorum: quibus deprimeris, & ad infernũ vſque detraheris, pondus eorum non valens ſuſtinere.

Matt.11. *D. Aug.* *Non omnes peccati pondus ſentiunt.* *VideOri.* *Simile.* *Iſa.53.* *Pſal.118.* *Iſa. 58.*

Excute grauiſſimam hanc ſarcinam ab humeris animæ tuæ, per veram peccatorum tuorum confeſſionem, vt gratuitam illorum remiſſionem accipias, hîc per gratiam, & in poſterum per gloriam.

* * *

CONCIO

CONCIO TERTIA.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Peccatũ vulnus animæ.

PECCATVM vulnus eſſe animæ mortem inducens, non vnus, aut alter, ſed quamplurimi Scripturæ ſacræ loci manifeſtè oſtendunt. Quia ſicut vulnus diſpoſitio quædam eſt diſconueniens naturæ, ad mortem corporalem tendens: ſic peccatum ad mortem ſpiritualem animæ. Nam, vt à primo noſtro parente exordium ſumere liceat, quid aliud in illo peccatũ originale fuit, niſi vulnus quoddam naturæ, quo totam ſuam poſteritatem læſit & iugulauit? Huc ſpectat parabola illa Lucæ, à Chriſto Redemptore noſtro prædicata, de homine illo, *qui deſcendens ab Hieruſalem in Hierico, incidit in manus latronum, quem quidam expoliatum vulneribus confoderunt, & ſemiuiuum relinquentes abierunt.* Lucæ 10. Quid per hominem hunc (vt gloſæ ſuper hunc locum verbis vtar) niſi Adam intelligitur in genere humano, qui à beatitudine cæleſtis Hieruſalem præuaricationis prolapſione, ad miſerias & defectus huius vitæ mutabilis & erroneæ & deſcendit, cũ intumeſcere cœpit? Et per hoc etiam incidit in latrones, id eſt, in poteſtatem Angelorum noctis, qui ſe transfigurant in Angelos lucis. Qui etiam indumenta gratiæ ſpiritualis, immortalitatis, ſcilicet, & innocentiæ auferunt: & ſic vulnera inferunt, id eſt peccata: quibus humanæ naturæ integritas violatur, & mors quaſi foſſis viſceribus inducitur. Geneſ. cap. 4. quædam verba habentur à primo bigamo Lamech prolata, ex quibus manifeſtè colligitur intentum noſtrum, ſcilicet, quòd peccatum ſit animæ liuor & vulnus: *Audite me vxores Lamech, quoniam occidi virum in liuorem meum, & adoleſcentulum in vulnus meum.* Verba quidem quæ non parum difficultatis in ſe continent: quare non abſonum erit, aliquantulum in eis immorari. Aliqui exiſtimant verba iſta ad excuſationem pertinere, id eſt, non exiſtimetis ô Ada & Sella vxores meæ, quòd propterea quòd Cain occiderim, aliquis me occiſurus eſt, quia ſi de Cain ſepties vltio dabitur, id eſt, ſepties qui eum occiderit punietur,

Luc. 10.

Gloſſa.

Gen. 4.

Lamech primus duas habuit vxores.

Digitized by Google

punietur, iuxta Domini promiſſum, qui malitioſè fratrẽ ſuum occidit: de Lamech ſeptuagies ſepties, id eſt, multò magis, quia non malitia, ſed ignorantia eum occidi: quare nullus auſus erit mihi manus inferre. Huic expoſitioni fauere videtur paraphraſis Chaldaica quæ ſic habet. *Audite vocem meã vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum, quoniam non occidi virum, vt propter eum ego portem peccatum, neque adoleſcentulum diſperdidi, vt propter eum conſumatur ſemen meũ.* Quaſi dicat: Licèt illum occiderim, tamen non ex intentione, vt mihi ad peccatum imputetur. Alia eſt expoſitio quam Lyranus ſequitur: pro qua ſciendum, quòd ſecundùm Doctores Hebræos, Lamech diu viuendo caliginem oculorum incurrerat, & habebat adoleſcentulum ductorem ſuum: quare exercens venationem, non pro carnibus, quia eis non veſcebantur, ſed pro pellibus animalium, quibus tunc induebantur, ſagittam iecit, quo ductor eius eum direxit, caſúque Cain inter fruteta latentem interfecit. (ductor enim exiſtimauit illum eſſe feram) Quo facto cùm percepiſſet ſe interfeciſſe Cain, cuius occiſionem Dominus ſub graui pœna interdixerat, tantùm verberauit puerum, quòd etiam occidit eum: mulieres autem eius de hoc maximè affligebantur ſuſpicantes, quòd aliquis ex filiis Cain Lamech eſſet interfecturus. Quibus reſpõdet dicens: Etiamſi occiderim virum, ſcilicet Cain, & adoleſcentem ductorem meum, tamen nihil mali ſuſpicemini contra me patratum iri, quia ſi de Cain qui fuit fratricida, primúſque, qui ſanguinem humanum fudit, ſepties vltio dabitur; de me, cuius peccatum multo minùs fuit graue, minor vltio dabitur. Sed quod ad noſtrum attinet propoſitum, inquit: *Occidi in vulnus meum & liuorem meum.* Hoc multas interpretationes admittit, ſed pro nunc ſic explicetur. Occidi vulnerando animam meam, quia illorum occiſio peccatũ fuit (vt ego fateor) quod grauiter cor meum & animam vulnerauit. Cui fauet verſio ſeptuaginta quæ ſic habet. *Quoniam occidi virum in vulnus mihi & adoleſcentulum in liuorem mihi*, ſupple inflictum. Quaſi dicat: *Ellos fueron muertos, y yo que de herido.* Sed quid immoror in hoc probando, cùm apud Iſaiam cap. 1. luce clarius contineatur? *Vulnus*, inquit, *& liuor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Vbi ſecundùm D. Hieronymi & Lyrani explicationem, per vulnus, liuorem, & plagam tumentem, peccata intelligit illius populi. Sed in hoc vulnera ſpiritualia à corporalibus diſtinguuntur, quòd horum medela difficilis eſt: quia non eſt in manu ipſius

Paraphr. Chald.

Expoſitio Lyra.

Doct. Hebræi.

Idem Pſal. 31. concio. 2.

Verſio Septuag

Iſaia 1.

D. Hier. Lyran.

Digitized by Google

vulnerati: at ſpiritualia, cùm voluntaria ſint, facillimè curari poſſunt, quia in manu vulnus habet, & in eius facultate eſt, illi mederi. Solùm enim ad ſanitatem conſequendum requiritur, quòd ipſe peccator obicem ſiue impedimentum medicinæ nō apponat. Quapropter talium vulnerum corruptio, ipſi peccatori, non Deo adſcribi debet. Hieremias cap. 8. dicitur, *Nunquid non eſt reſina in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Hîc ſecundùm D. Hieronym. per *reſinam Galaad* pœnitentia intelligitur, qua vulnera peccatorum curantur. Et aduertit Paulus Burgenſis in ſuis additionibus, quòd loco reſinæ in Hebræo ponitur Tori, quæ dictio teriacam ſignificat, quæ eſt contra venena & intoxicationes: vt intelligamus, peccatum non ſolùm eſſe vulnus animæ, ſed etiam toxicum & venenum. Inquit ergo: *Nunquid non eſt reſina in Galaad*, id eſt, non eſt balſamum, aut teriaca? non ſunt medicamina in Eccleſia contra peccati vulnera? Quare ergo non eſt curata cicatrix filiæ populi mei? Quaſi dicat, ſummæ dementiæ aſcribi debet, quòd habens peccator tam ad manum medelam pœnitentiæ, curari renuat, & vulnus ſuum obducere. Nónne furioſus & amens ille exiſtimandus eſſet, qui cùm mortaliter vulneratus eſſet, nollet vulneribus medicinam applicare, ſed eam contemneret, & proiiceret? Non igitur minor inſipientia & furor peccatoris eſt, qui oblatam medicinam pœnitentiæ, qua animæ ſuæ vulneribus & peccatis mederi poſſit, ſpernit. Vnde multoties contigit cicatrices corrumpi, plagámque eius, fieri deſperabilem. Huius rei Dauid non ignarus, ad ſeipſum per pœnitentiam rediens, & videns quòd per annum integrum in peccatis fuerit, nec medicinam neceſſariam pœnitentiæ, aut confeſſionis applicuerit, inquit: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.*

Hiere. 8. *D. Hier.* *Paulus Burgenſ.* *Peccatū animæ venenū.* *Simile.*

Diuus Ambroſius locum hunc explicans, ſic ait: Eſt ergo ſancto Dauid ſpes & remedium ſanitatis, quia nō vnguentum redolent, ſed fœtorem ſuorum vulnera peccatorum, & quia affligitur his atque curuatur, & non delectatur. Specta nunc Ephœborum aliquem laſciuum, & egregiè libidinoſum, qui in ſtupris vitam ſuam exigat, more illius diuitis in byſſo & oſtro iacentem, atque epulantem quotidie ſplendidè, cui natent pauimenta vino, tegatur humus floribus, & ſpinis cooperta piſcium, incenſis diuerſorum thimiamatum odoribus triclinia compleatur, quemadmodum ſe beatum putet, & bene ſe olere iudicet, cúmque grauia atque diuturna animæ ſuæ

D. Amb. *Cognitio infirmitatis medicinæ principium.*

vul

vulnera gerat, & corruptum ſanguinem fluat, nullum tamen fœtorem ſuæ cicatricis accipiet: obſtructas enim cæno nares habet. Adhuc Ambroſius. Ex quibus colligimus quòd tunc aliquis veniæ ſpem, & non antea poteſt concipere, quando corruptionem ſuorum vulnerum, & peccatorum fœtorem ſentire incipit, & opera ſua tanquam corruptione & ſanie plena, vſque ad nauſeam abominatur. Eſt enim magnus peccati fœtor, quia peccatum nihil aliud eſt, quàm corruptio mentis. Si enim peccatoris animam videre poſſes, vermibus & ſanie ſcatentem eam cerneres, quia peccatis & abominationibus plenam. Vnde Dauid de Idololatris populi Iſraëlitici, ait: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* In his eiſdem rebus quæ peccatores ſummo ſtudio inquirunt & procurant, corrumpuntur, & fiunt deteſtabiles & execrabiles ante Deum. Hinc eſt quòd veteri lege præcipiebat Deus, quòd ſemper in domo ſua eſſent thymiama, & boni odores, non tantùm propter carnes animalium, quæ ibi ſacrificabantur, & ſanguinem ipſorum, ne nares eius offenderent, quantum propter peccatorum fœtorem, pro quibus ſacrificia illa fiebant. Nihil enim tam fœtidum apud Deum & abominabile eſſe poteſt, quàm peccatum, quod ipſe valdè abominatur & odit. Statim ac Noë egreſſus eſt de arca, inquit Scriptura Geneſis 8. quod ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare: & ſubdit, quòd odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Vbi alia litera habet odorem quietis. Quaſi haberet pectus ad vomitum prouocatum, propter corruptionem carnium, quod tamen odor ſuauis illius ſacrificij quietaret. Sed dices, ſi nauſea illa in diuino pectore propter odorem carnium, & corruptionem earum contigerat, quomodo ex earundem carnium odore, quæ in holocauſto cremabantur, fuit ablata, & pectus diuinum quietatum? Ex hoc enim planè colligitur, quòd non tam ab odore, carnium, quàm peccatorum procedebat. Fœtor enim peccatorum, quæ in mundo ante diluuium graſſabantur, nares Dei (vt ita more noſtro loquamur) offenderat, ad nauſeámque illũ prouocauerat, ita vt ſuffimẽto illo indigeret, & odore illius ſacrificij ad nauſeam deponẽdam, & pectus ſuũ placandum. O quantus eſt peccati fœtor qui Deum ſic ad nauſeam prouocat? Fœtorẽ hunc peccator nõ ſentit multoties, & hinc prouenit, quòd in corruptione ſuorũ peccatorũ obſtinatus perſeuerat. Dicitur in Pſal. de peccatoribus inter alia: *Nares habent & non odorabunt:* quòd ad propoſitum iſtud explicat Doctor Incognitus,

Peccatũ mentis corruptio.

Pſal.13.

Exod.30.

Geneſ.8.

Pſal.115.

Doctor Incognit.

dicens: Tales nares habent & non odorabunt. Nam omnis virtus magnum de ſe odorem reddit animæ purgatæ & iuſtæ: ſimiliter omne vitium magnum fœtorem, ſed mali iſtum odorem virtutum nō recipiunt, ſed magis æſtimant eſſe fœtorem, & fœtorem vitiorum æſtimant eſſe odorem. Eccleſ. 12. dicitur: *Sicut eructant præcordia fœtentium, ſic & cor ſuperborum.* Ille enim qui anhelitum ex interiori corruptione, vel dentium putredine fœtidum emittit, ferè nunquam præſentit, licèt alios inficiat & offendat: ſic eſt, inquit, ſuperborum, aut peccatorum omnium cor. Licèt enim ſit magis at magis fœtidum, peccatíſque & flagitiis corruptum, ita vt neque homines, neque Angeli, illud ferre poſſint: ipſe tamen peccator id non aduertit, ſed ſibi bene olet. Quam benè ſibimet olebat ſtultus ille qui dicebat: *Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, auari, &c. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do de omnibus quæ poſſideo*, &c. At Publicanus è contra, malè ſibi olebat, peccatorum ſuorum fœtorem olfaciebat, & ideo à longè ſtabat, nec audebat ad Deum accedere, neque oculos in cœlum leuare, & dicebat: *Domine propitius eſto mihi peccatori.* Sentiebat etiam Magdalena peccatorum ſuorum fœtorem, quando ad pedes Chriſti cucurrit, vt criminum ſuorum veniam acciperet: & ideo non auſa eſt ſine vnguentis pretioſiſſimis, odorúmque fragrantia accedere: timens, ne peccatorum ſuorum corruptio oculos diuinæ Maieſtatis offenderet. Salutem enim conſecuti ſunt ambo, quia fœtorem ſcelerum ſuorum cognouerunt. Hoc remedio plerumque vtitur Deus, ad hoc quòd peccatores ad eum conuertantur. Aperit peccatoris olfaciendi potentiam, vt peccatorum fœtorem percipere valeat, & horrore concepto ad deteſtationem illorum inducatur. Amos 4. *Miſi in vos mortem in via Ægypti, percuſſi in gladio iuuenes veſtros, vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum, & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum ad nares veſtras.* Explicat ad literam hoc Lyranus, dicens: quod filij Iſraël miſerunt iuuenes electos in Ægyptum, ad adducendum inde auxilium contra Syriam: qui præoccupati ab Aſſyriis, fuerunt cæſi ab eis, & equi eorum capti ab aduerſariis, & cadauera eorum manſerunt inſepulta, & ideo inquit: *quòd fœtor eorum aſcendit ad nares ſuas.* Hoc quantum ad literalem ſenſum: ſed D. Hieronymus ad noſtrum propoſitum ſic explicat locum. Ambulantibus in via Ægypti, id eſt, per mala mundi, quotidie immittit Dominus mortem, vt mortificatis mēbris, quæ ſunt ſuper terram, viuat in eis Chriſtus. Percutit etiam Deus in malis

[Margin notes: *Eccl. 12.* — *Peccator fœtorem ſuorum peccatorum non ſentit.* — *Simile.* — *Luca 18.* — *Luca 7.* — *Amos 4.* — *Lyranus.* — *D. Hier.*]

Digitized by Google

malis quidquid ſuperbum & peruerſum eſt, in iuuentute, ne vſque ad ſenectutem perueniant,& tradit equos captiuitati,ne per præcipitia labantur in infernum, & facit fœtorem aſcendere,vt cognoſcant peccata ſua. Sed valdè mirandum eſt quod ſequitur in Propheta, *& non rediiſtis ad me, dicit Dominus.* Quis non miretur, peccatorem per annum integrum in cæno & corruptione peccatorum ſuorum iacentem,& cùm ſit in loco tam horrido & fœtido,nihilominus alacer & contentus vitam ſuam tranſigat, neque inde exire velit, ac ſi in lecto eburneo & florido iaceret? *Et ſic tanquam iumentum in ſtercore ſuo,*ſecundùm Ioëlis verba,*computreſcit:*quia vt explicat Gregorius & apponitur in gloſſa: Iumenta in ſtercore ſuo computreſcere,eſt carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire.Ne ergo ad tantum malum deueniat homo, piiſſimus Deus ſolet aperire ei ſenſum, vt peccatorum ſuorum corruptionem & fœtorem percipiat, & ad eum conuertatur. Hoc magis explicatur illo loco Ezechielis 32. vbi Regi Ægypti Pharaoni per Prophetam ſuum Deus minatur,dicens: *Dabo carnes tuas ſuper montes, & implebo colles tuos ſanie tua, & irrigabo terram fœtore ſanguinis tui.* Quem locum interpretans Hugo, ait: Hoc fit in bono,quando homini incipit fœtore peccatum ſuum,& cum lachrymis recolit fœtorem ſui peccati, quod fecit ſuaſione Diaboli, & pro tali irrigatione, quando, ſcilicet, peccatum fœtet in memoria, ſæpe fructificat terra liberi arbitrij. *Iſta enim ſunt ſtercora quæ debent mitti circa vineam*, vt habetur Lucæ 13. Fuit ergo (vt ad Ambroſium reuertamur, vnde noſtra progreſſa eſt oratio) in Dauide principium ſuæ ſalutis quòd peccata ſua ei fœtebant, & corruptionem vlcerum ſuorum non ignorabat, quin potius apertè fatebatur, & dicebat: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.*Sed vnde quæſo,quòd putruiſſent agnoſcebat? niſi quia eorum ſanies,& fœtor ad nares eius perueniebat, nec ferre ſeipſum iam valebat.

Ioël. 2. *D. Greg.* *Gloſſa.* *Ezec. 32.* *Hugo.* *Luca 13.* *D. Amb.*

Putruerũt & corruptæ ſunt,inquit,*cicatrices meæ.* Vbi gloſſula interlinearis,quæ ibi Auguſt.aſcribitur,licèt in eo non repererim,inquit, aliis per exemplum, ita quòd corruptio ſuorũ vulnerũ alios per malum exemplũ infecit, & eorundem fœtor per totã vrbem diffuſus eſt, quia inde occaſionem ſumpſerunt peccandi contra Dominum, & blaſphemandi nomen eius, dicentes: Deum iniuſtè egiſſe reprobando Saulem, & eligendo Dauidẽ,qui ſatis peiora fecerat, quàm ille. Et hoc eſt quod dictum fuit illi à Natam Propheta.Veruntamen quoniã blaſphe-

Gloſſ. interlin.

Digitized by Google

mare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Aliqui Hebræi blaſphemiam hanc non ad populares,ſed ad alienigenas Ammonitas referunt,qui Vriam Etheum occiderunt, Deo ſuo victoriam illam tribuentes. Dicitur enim de illis quòd in gladiis ſuis Deum quem colebant habebant exaratum & inſculptum, & quandocunque aliquis Ammonitarum Iſraëlitam in bello occidebat, gladium & Deum in eo ſculptum exoſculabatur in gratiarum actionem, cui victoriam illius facti aſcribebat, dicens: *Viuat Deus Ammonitarum,* quod in iniuriam & blaſphemiam Dei Iſraël cedebat. Hoc tenent contigiſſe in occiſione Vriæ, & ideo dictum fuiſſe Dauid à Natan: *Vriam Etheum percuſſiſti gladio, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.* Bis dicit illum interfectum, vt culpā aggrauet, quam blaſphemia ſubſecuta eſt. Itaque, ex his facilè quiuis poteſt colligere,quantum fœtorem vulnera Principis ex ſe emittant, quantum eorum corruptio reliquum vulgus inficiat: eorum enim exemplum, ſiue bonum, ſiue malum, omnes imitantur. Hieremias decimo dicitur: *Quia ſtultè egerunt paſtores, & Dominum non exquiſierunt, propterea omnis grex eorum diſſipatus eſt.* Populus enim vt in plurimum maiores ſuos ſequitur. Vnde per illa Ezechielis animalia aliqui Doctores, Prælatos intellexerunt; per currus rotas, populares. Quia ſicut rotæ non habebant proprium motum, ſed ad motum animalium mouebantur, (vt ibi dicitur: *Cùm ambularent animalia,ambulant pariter & rota, iuxta ea, & cùm eleuarentur de terra,eleuabantur ſimul & rota.*) Sic etiam populus & ſubditi pro maiori parte proprium motum non habent,ſed ad motum Prælatorum & Principum mouentur. Eſt enim Princeps quaſi totius populi cor, ad cuius motum cætera membra mouentur. Quare Ezechias quadrageſimo ſexto dicitur: *Princeps erit in medio aliorum, cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur.* Loquitur enim de ingreſſu ad ſacrificia offerenda, & audiendam legem. Erit in medio tanquam cor omnis populi, vt ad motum eius omnes ad virtutem moueantur,& exemplo ſuo aliis virtutem tribuat,ad iuſtitiam ſectandam. Quantæ efficaciæ ſit Prælati aut Principis exemplum, ex diuo Paulo ad Rom. 11. intelligi poteſt, vbi inquit: *Quandiu ego ſum gentium Apoſtolus miniſterium meum honorificabo, ſi quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam:* id eſt, Iudæos, *& ſaluos faciam aliquos ex illis.* Sed aduerte quòd inquit, honorificabo miniſterium meum, quia ille officium & munus

Hebrai. Nota. *2.Reg.12* *Prælatorũ exemplũ, quid valeat.* *Hier.10.* *Ezec.10.* *Simile.* *Ezec.46* *Rom.11.*

munus prælationis inhonorat, qui aliis bonum exemplum non tribuit. *Afrenta la dignidad, y tracla como a la verguença y vendida.* Hinc eſt quòd propter ſubditorum peccata, multoties Prælati reprehenduntur & puniuntur. Numerorum 25. iuſſi ſunt Principes ſuſpendi propter peccatum populi. Populus enim peccauerat cum Madianitis fœminis iuxta Balaam conſilium, & initiatus fuerat Belphegor, id eſt, adorauerant Principum Madianitarum idolum, & ait Dominus ad Moyſen: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* Sed dices: ſi populus peccauit, quare Principes puniuntur? Dicunt aliqui expoſitores, quòd punitio primo facta eſt in Principibus, quia aliqui erant culpabiles idololatrando, & alij ſubditos reprimere negligendo, & fortè propter Principum exemplum alij peccauerāt. Et Origenes ait: Populus peccat, & Principes oſtentantur contra ſolem ad examinandum, vt arguantur à luce. Non enim tantùm pro ſuis arguuntur delictis. Pro populo enim coguntur Principes reddere rationē, ne fortè non docuerint, non monuerint, non ſolicitè arguerint eos, qui primo peccauerunt, ne contagio diſpergeretur in populos. *Non monuerint*, inquit, quod per bonum exemplum intellige, ad quod Prælati & Principes ſpecialiter tenentur. Et aduerte, quòd cōtra ſolem, id eſt, palàm & publicè, eos ſuſpendere iubet: vt interpretatur Auguſtinus. Quia in Græco habetur, Paradigmatizon, id eſt, ad exemplar, vt qui viuentes exempla virtutis eſſe noluerunt, ſaltem mortui ſint exempla iuſtitiæ & ſupplicij. Sed quantum damnum ex Principum & Prælatorum prauis moribus Reipublicæ adueniat, oſtendunt verba illa Hieremias, cap. 23. *Propheta namque & Sacerdos polluti ſunt, & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus: idcirco via illorum erit quaſi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea.* Quando Propheta, Sacerdos, & Princeps Reipublicæ polluti ſunt moribus: tunc via illorum nihil aliud eſt quàm lubricum in tenebris, *un reſualadero y tropeçadero eſcondido para los demas.* Vbi multi corruunt & impelluntur. Quando enim ſecularis aliquis ac popularis homo peccator eſt, ac malè viuit, vita eius lubricum eſt: verùm non in tenebris, ſed omnino patens, omnibúſque manifeſtum. Quare omnes tale lubricum vitare & fugere procurant: at ſi Sacerdos religioſus, aut Prælatus, malum vitæ ſuæ exemplum tribuat, exemplum illius lubricum in tenebris eſt, quod difficulter vitari poteſt, quin potius omnes illud imitantur. Quare (vt inquit diuus Bonauentura in libro quem de ſexto alis Seraphin

Prælati propter peccata ſubditorum puniuntur. *Num. 25.*

Et refertur à Lyrano. *Origen.*

D. Aug. *Nota.*

Hier. 23.

D. Bona.

intitulauit) vna ala iſtius Seraphin, in quo Prælatus figuratur, eſt vita exemplaris, quòd ſcilicet opere compleat, quod verbo docet. Sicut docentes, inquit, Geometriam, vt diſcipuli lectionem melius percipere valeant, in ſabulo figuris depingunt, quod prius verbo docuerunt: ſic Prælatus operibus confirmare debet doctrinam, quam verbis docere ſtudet: quòd ſi opera eius praua ſint, in magnam cedit Reipublicæ perniciem morúmque corruptionem. Quando canis in corpore percuſſus eſt, cum lingua vulnera poteſt lambere, nullo negotio ſalutem aſſequitur: at quando in capite eſt percuſſus, vbi lingua ſua attingere non poteſt, in magno vita eius verſatur diſcrimine: quia vulnera eius corrumpuntur, caput vermibus impletur, & tandem moritur, & multoties ex fœtore eius peſtis generari ſolet: ſic cùm popularis aliquis & homo communis vulnere peccati afficitur, faciliter ei à Prædicatoribus & Prælatis medicina poteſt applicari: at ſi vulnus ſit in capite, in Prælato Eccleſiaſtico, vel ſeculari Principe quid ſperari poteſt? niſi quod in peccatis ſuis corrumpatur & putreſcat, totámque Rempublicam per odorem mali exempli inficiat, ſicut Dauid noſter fecit, qui peccatis ſuis occaſionem dedit blaſphemandi nomen Domini, ex eo quòd odorem ſui mali exempli populares viderunt, quod ipſe deplorabat, dicens: ***Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.*** Putruerunt, inquã, fœtorem mali exempli aliis conferendo.

Simile. *Simile.*

Diuus Gregorius verſum hunc de recidiuatione culparum explicat, quem ſequuntur quamplurimi ſacri expoſitores. Magiſter, Nicolaus Lyranus, Iacobus de Valentia, & Doctor Incognitus. Gregorij expoſitio ſic habet. Cicatrices putreſcere eſt, ſanata iam peccatorum vulnera rurſum in tentationem ſerpere, atque de eorum iteratione delectationem ſentire. Itaque cicatrices putreſcere & corrumpi, erit, peccata quæ per pœnitentiam iam fuerant dimiſſa, per frequentem recidiuationem iterum committere: quod Deus ſummè abominatur, quia fidem ei promiſſam non obſeruamus. Ezechias decimoſeptimo dicitur: *Nunquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem qui fecit hæc? Et qui diſſoluit pactum, nunquid effugiet?* Quod ſi diſſoluere pactum humanum fidémque infringere tanto ſupplicio dignum eſt: quid de illo erit cenſendum, qui quotidie pactum diuinum reſcindit, & fidem Deo in baptiſmo, vel pœnitentia promiſſam non obſeruat? Iſaiæ vigeſimoquarto etiam dicitur: *Præuaricãtes præuaricati ſunt, & præuaricatione trãſgreſſorũ, præuaricati ſunt: & ſtatim ſequitur formido & fouea,*

D. Greg. Magiſter Lyranus, Iacobus de Valẽtia. Doct. Incognit. Recidiuatio peccatorum. Ezec. 17. Iſai. 24.

&

& laqueus ſuper te qui habitator es terra. Sed quid ſibi vult illa terminorum repetitio? niſi oſtendere, quòd multoties in præuaricando reinciderant: quod illis conuenit qui peccata quæ modò ad pedes confeſſoris deteſtantur, ſtatim abſque vlla perſeuerantia committere non verentur, quibus fouea, formido, & æternalis laqueus promittitur. Inuehitur in hos, qui in omnem auram mouentur, neque vlla in virtute conſtátiam habent, aut firmitatem Eccleſ.cap.34.dicens: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodeſt lauatio eius?* Sic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? Quid enim aliud agis, ô peccator cùm peccata tua defles? niſi lauare te à mortuo, id eſt, à maculis quas propter mortifera peccata contraxeras, non aqua ex fonte, vel ex flumine extracta: ſed pretioſo ſanguine Chriſti ex latere eius manante? Quare ergo vis tanti pretij iacturam facere, iterum mortifera per affectum tangendo, & ad eadem peccata redeundo? Perſimiles mihi eſſe videntur huiuſmodi homines viperæ, quæ nequiſſimum & aſtutiſſimum ſerpentis genus eſt: de qua referunt Ælianus lib.12.cap.5.& cap.23.Plin. lib.9.cap.23.& Cœlius antiquarum lectionum, lib.16. cap.13. quod cum libidine coëundi æſtuat, ad littus progreditur, ibíque ſibilando præſentiam ſuam teſtatur, & ſponſum ſuum murenam allicit, ac omne venenum euomitione eiicit. Murena è mari egreditur, & ſic ambo mutuam libidinem explent. Sed mox murena ad mare regreditur, vipera verò reſorpto iterum veneno, ad latibulum ſuum etiam reuertitur. Sic nimirum peccatori contingit, qui ad Deum ſponſum ſuum naturaliter inclinatur, illúmque diligere tenetur, attrahit eum ſingultibus, ſuſpiriis & lachrymis, quem ſumma beneuolentia & charitate amplectitur; at ſtatim tædio affectus, Deum ſuum per recidiuationem relinquit, virus peccati reſumit, & ad cauernam ſcelerum ſuorum reuertitur. Ex quo ſequitur illud Matth.12. & Luc.11. quòd fiunt nouiſſima eius peiora prioribus: quia præterita peccata, quæ iam per pœnitentiam fuerant dimiſſa, per ingratitudinem aliqualiter redeunt, vnde peccatum de nouo commiſſum grauius eſt. Hinc fit illud, quod à beato Petro 2. ſua epiſtola, cap.2. habetur, vbi de quibuſdam qui poſt ſuſceptum baptiſma retrò abierunt agens, inquit: *Melius eſt viam veritatis non agnoſcere, quàm poſt agnitam retrorſum conuerti. Contigit enim eis illud veri prouerbij: canis reuerſus ad vomitum.* Allegat diuus Petrus librum Prouerb.cap.26. & eſt locus appoſitiſſimus, qui ſic habet: *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum*

Exemplũ naturale.
Ælianus
Plinius,
Cœlius.
Matt.12.
Luca 11.
2.Petr.2.
Prou.26.

mitum ſuum: ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Appellat enim peccatorem ſtultum & imprudentem: qui cùm modò peccatorum ſuorum pœniteat, ſtatim iterum pœnitenda committit. Sed in Septuaginta clariùs habetur: *Sicut canis cùm reuertitur ad ſuum vomitum, & abominabilis fit: ſic ſtultus malitia ſua reuertens ad ſuum peccatum.* Quis videt canem proprium vomitum iterum deglutientem, qui non illũ abominetur ferre non valens? O Deus infinitæ clementiæ, quantũ abominaris peccatorem, qui poſt euomitam malitiam eum comprimentem, & per pœnitentiã expulſam, ad eam per recidiuum reuertitur. Hic apud te abominabilis, horrendus ſanie, & putredine corruptus videtur. Angeli eum deteſtantur, & omnes cæli accolæ abominantur eum, oculóſque ſuos ab illo auertũt, ne prouocentur ad nauſeam. Igitur filij Adam lauamini & mundi eſtote, ne ſitis ſicut ſus lota in volutabro luti, aut ſicut canis ad vomitum reuerſus, ne regrediamini ad maculas per pœnitentiam iam deletas, ſponſam vel in hoc imitamini, quæ dicebat in Cant. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Quando Sathanas, mundus, vel caro tentationibus ſuis vos inuaſerit, quando fores voluntatis veſtræ propulſauerint, vt ad priſtinam vitã redeatis, & voluptates præteritas, reſponſum ad manum habetis. Laui pedes animæ meæ, lachrymis oculorum meorum, quomodo iterum inquinabo illos? Expoliaui iam me veſte ſordida, inueteratæ conſuetudinis quomodo iterum reſumã illam? Vulnera mea iam ſanata ſunt, & medicamine ſanguinis Ieſu Chriſti Redemptoris mei curata, cicatrices iam obductæ, quomodo iterum peccatis me vulnerabo, plagas ſuper plagas imponam? vt cicatrices meæ putreſcant, & à facie inſipiẽtiæ meæ corrumpantur? O Dauid ſancte, tu teſtis nobis ſis in præſentia, quid tibi accidit in recidiuatione, quando adulterium Berſabe, quaſi rediit in numeratione populi? *Putruerunt*, inquit, *& corrupta ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.*

Septuaginta Interpr.

Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar. Quid mirum quod vſque in finem curuetur ille, cuius iniquitates caput ipſius fuerãt ſupergreſſæ, & ſicut onus graue ſuper illũ grauatæ? Hinc enim prouenit illi curuatio, quia peccatũ priuatio eſt rectitudinis debitæ ineſſe. Nã ſicut beſtia vel homo exceſſiuè oneratus põdere corporali, curuatur, nec liberè valet incedere: ita peccator peccatis oneratus, curuus eſt & obliquus in anima, & ratione, & in cõſcientia, non valẽs reſiſtere futuris peccatis & tentationibus, nec reſurgere,

Simile.
Peccatũ curuitas animæ.

Digitized by Google

gere,niſi per gratiam Chriſti releuetur, & erigatur. Et ſic inquit Auguſt quod curuitas hæc ex pondere peccatorum proueniebat. Nam ſicut homo oneribus portandis aſſuetus, ex nimia conſuetudine ſolet fieri curuus,& caput verſus terram inclinare:ſic peccator ex aſſidua peccandi conſuetudine, portandique onera peccatorum,incuruatur mens eius verſus terrena, ita vt non aliud ſapiat,non aliud quærat, aut exoptet. De hoc conquerebatur Dauid Pſalm 56. *Laqueum parauerunt pedibus meis,& incuruauerunt animam meam*,id eſt,Dæmones inimici mei parauerunt mihi laqueum, quando de ſolario domus meæ vidi Berſabe ſeipſam lauantem, & oculis meis illam pulcherrimam obtulerunt:& incuruauerũt animam meam, quando per voluntatis ſtudium,vſque ad effectum praui operis terrenis inhians,& ſenſualitati obtemperans, cum illa adulterando perueni. Quid aliud facis, ô peccator (vt ad te ſermonem noſtrum conuertamus) quando libidinem tuam exples, adulterium committis, vindictam de inimicis ſumis; vel quoduis aliud peccatum perpetras? niſi animam tuam quam Deus ad imaginem ſuam in ſumma rectitudine creauit,miſeram& curuam reddere?Redditur miſera,quia ſi beatus ille eſt,cui omnia optata ſuccedunt,qui habet quidquid vult, vt inquit Aug miſer ille dicetur abſque cunctatione vlla,qui peccatum aliquod committit,cùm Deum non habeat,in quo omnibus deſideriis ſuis fruſtratur anima, beatitudine ſua priuata. Dicitur curua, quia cùm mens naturaliter ad Deum eleuetur,pondere peccatorum depreſſa,ad terrena deſideria, oculos & caput demittit. Vnde quibuſdam imprecatur Dauid,dicens:*Obſcurentur oculi eorum ne videant,& dorſum eorum ſemper incurua*, Pſalm.58. Habent namque peccatores oculos obcæcatos, ne bona cœleſtia intueri poſsint,& dorſum recuruum,quia ſemper ad terrena ſe conuertunt,& ſuperna bona obliuioni tradunt.

Auguſt. *Simile.* *Pſal. 56.* *D. Aug.* *Pſal. 58.*

Tota die contriſtatus ingrediebar. Quaſi diceret: quia miſer factus ſum per culpam,& curuatus vſque in finem,totaliter terrenis voluptatibus meipſum tradendo, ideo tota die contriſtatus ingrediebar. Tanta afficiebar triſtitia & dolore:quòd nullam conſolationem admittebam: Vnde de illo dicitur 2. Reg. 12. *quòd poſtquam reprehenſus fuit à Nathan Propheta, ieiunauit ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram.* Et quidem quàm ex animo quantóque feruore ſpiritus peccata ſua defleuerit ſanctus iſte Rex, poſtquam viam pœnitentiæ eſt ingreſſus, oſtendunt manifeſtè verba illa, quæ habentur Pſalm. 54. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus*

2.Re.12. *Pſal.54.*

beatus ſum à voce inimici, cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me. Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Primo enim dicit; quòd in exercitatione ſua fuit contriſtatus, ſcilicet, in pœnitentia, quam inceſſanter exercebat. Solent enim, qui à mundo ad religionem cõuertuntur, in quibuſdam pœnalibus operibus occupari, ſcilicet, in ieiuniis, diſciplinis, & orationibus, quæ exercitia appellantur. Dicimus enim talis iuuenis facit exercitia, quod proximum ſignum eſt ſuæ conuerſionis: ſic Rex ſanctus, exercitia faciebat, & in eis valdè contriſtabatur, carnémque ſuam ſupra modum affligebat: quia mundo & voluptati renunciauerat, & viam iuſtitiæ profiteri decreuerat. Conturbatur etiam à voce inimici, id eſt, à propria conſcientia accuſante, & peccata ſua redarguente. Non enim habet homo inimicum crudeliorem quàm propriam conſcientiam, quæ eſt inimicus domeſticus ſemper oblatrans & murmurans quia conſcientia mille teſtes: *Cor meum conturbatum eſt in me, ita vt formido ipſa mortis, ſuper me ceciderit.* In me, inquit, conturbatum eſt, non extra me. Turbatur cor extra aliquem, quando circa diuerſa negotia vitæ humanæ occupatur, diuerſiſque & inutilibus curis, diuitiarum, honoris, & dignitatis agitatur. Conturbatur quidem cor in his rebus, ſed extra ſeipſum, quia ſui oblitum, circa exteriora negotia eſt occupatum. Vnde Iſaias ait: *Redite præuaricatores ad cor.* At tunc cor in ſemetipſo conturbatur, quando ex cognitione ſui ipſius, & ex conſideratione peccatorum ſuorum, intra ſemetipſum conturbatur & affligitur, & formidine mortis repletur. Et ad idem eſt quod alibi dixit: *Timor & tremor venerunt ſuper me, contexerunt me tenebræ.* Timor mortis, & tremor inferni, & tenebræ peccatorum, quibus, contegitur mens, quando grauitatem eorum conſiderans, ſuppliciis æternis ream ſe eſſe iudicat: *Et dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?* Theodoretus ait. Porrò admiratione dignum eſt, Dauidem columbæ, & non alterius auis alas accipere voluiſſe: Manifeſtum eſt enim eum Spiritus ſancti gratiam deſiderare, qui columbæ ſpecie volauit. Auguſt. Sicut columbæ, non ſicut corui. Coruus enim egreſſus ab arca, ad illam non eſt regreſſus: ſed de carnibus animalium, quæ ſuper diluuij vndas reperit, ſeipſum ſaturauit: at columba cùm non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, ſtatim ad manum Noë eſt reuerſa. Petit ergo, ne ſit coruo ſimilis, & in mortiferis voluptatibus

Simile.

Cõſcientia hoſtis domeſticus.

Iſa. 46.

Penna columbæ quid? Theod. Auguſt.

Digitized by Google

tibus carnis demoretur,ſed inſtar columbæ,non inueniens requiem in his rebus caducis, ſtatim ad Deum ſuum regrediatur.Non mirum eſt fratres,quòd à Deo aliquando per culpam diſcedamus, & per mare mundi huius, mens noſtra volatu celerrimo percurrat:ſed in corruptione peccatorum, & in carnis fœtore minimè commoremur, ſed ſtatim ad eum per veram pœnitentiam conuertamur. Hugo ſic interpretatur hunc locum:Columbæ dicit,non veſpertilionis, aut bubonis, qui de nocte volant.Debemus enim alas columbæ à Deo petere,quæ in die & non in nocte volat.In die enim dum lucem habemus, & tempus nobis ſuppetit, ad Deum per pœnitentiã confugere debemus,non in nocte mortis,quãdo volatus non eſt ſecurus. Voluit ad Deum volare & confugere Rex Antiochus,ſed ſerò & in nocte,& ideo à tenebris peccatorum ſuorum fuit præpeditus. De illo enim dicitur: *Orabat ſceleſtus Dominum à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*, 2. Machab.9. Voluerunt etiam ad Deum conuolare Ægyptij,quando inter maris rubri vortices ſubmergebantur: cùm dicerent Exod.14. *Fugiamus Iſraëlem,Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Voluerunt enim retrocedere & deſiſtere ab eorum perſecutione pœnitentia ducti,ſed ſerò ſapiunt Phryges. Volabant enim, ſed non in die,ſed in nocte:non columbæ alas, ſed veſpertilionis habuerunt, ideo à tempeſtate maris fuerunt præpediti & abſorpti. Quàm recte dictum eſt ab Oſea cap. 8. *Quia ventum ſeminabunt,& turbinem metent.* Nam fructus ſemini aſſimilatur:inſanum namque eſſet,ſeminare ſpinas, & inde triticum ſperare. Peccator qui in vita ſua ſpinas culparum ſeminauit,quid aliud expectaturus eſt,niſi mortem ſempiternam,inferníque ſupplicium? Seminas ventum vanitatis, & inde ſerenitatem gloriæ expectas,potius turbo,procella,& tempeſtas inferni erit expectanda: quia mors ſequitur ferè ſemper vitam,& illam imitatur. Sed & paraphraſis Chaldaica hoc magis nobis explicat, quæ ſic habet: *Quis mihi dabit alam ſicut columba, volarem & hoſpitio me reciperem. Ecce prorumperem in fugam, habitarem in deſerto ſemper.* Tangit hîc elegantiſſimam columbæ metaphoram.Columba enim cùm naturaliter ſit timida,quando tempeſtatem aliquam præſentit,cœlum tonans, & fulguribus grandine & fulminibus terram minans intuetur: ſtatim abſque vlla mora celeri volatu ad familiare ſibi hoſpitium & receptaculum ſe confert,vt à grandine, pluuiis,& tempeſtatibus tuta eſſe poſſit: Sic Dauid conſiderans mundi huius tempeſtatem, & timens eius diuerſa pericula, alas ſicut columbæ à Deo

Hugo.

Cõuerſio nõ differenda.

2. Mach. 9.

Exo.14.

Oſea 8.

Paraphr. Chald.

Simile.

Digitized by Google

à Deo poſtulabat, vt diſcrimina eius fugiens, ad locum aliquem tutiſſimum ſecuritatem promittentem, ſe conferre poſſet. Poſtulemus & nos à Deo alas columbæ, quibus à mundi huius fallacis periculis elongati & in pœnitentiæ ſolitudinem recepti, peccata noſtra gemere & deplorare poſſimus: iuxta illud Iſa. 59. *Quaſi columba meditantes gememus.* Columba enim gemitibus & cantu lugubri ſponſum in ſuam amicitiam reconciliat: ſic nos ſponſum noſtrum quem offendimus, lachrymis orationibus & gemitibus reconciliemus. Verſio Septuaginta ſic habet. *Quaſi morientes gement: quaſi vrſus, & quaſi columba pariter ambulabunt.* Quod quidem Theodoretus, & Cyrillus ſpectare putant ad vaſtitatem à Romanis Iudæis inuectam, poſt Chriſti necem. Qui vt haberi poteſt ex Ioſepho libro quinto: de bello Iudaico, cap 32. imminentē ſummo diſcrimine, viui cryptas & ſepulchra mortuorum ingrediebantur quaſi feræ & vrſi, & ibi calamitatem ſuam deflebant, & quaſi gemebundæ columbæ voce lachrymabili perſonabant. Fleamus & nos pariter quaſi morientes vrſi ſolent flere, & quaſi columbæ meditantes pro ſceleribus noſtris perfundamur lachrymis, vt reconciliati Deo, veniam conſequamur & gratiam.

Iſa. 59.

CONCIO QVARTA.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Caro poſt peccatū animæ facta eſt inimica.

LICET caro noſtra animæ data fuerit in ſociam gratiſſimam, quæ eſſet quaſi illius miniſtra, in omnibus ei ſpontè, & abſque vlla rebellione obtemperant: tamen propter peccatum primi parentis, eam rebellem experiri cœpit, & iura amicitiæ & naturæ violans mutata eſt, & in crudelem & duram inimicam conuerſa. Quod factum eſt ei in pœnam ſui peccati. Dignum namque fuit, vt anima quæ Deo per obedientiam ſubiici noluit, ipſa quoque inferiorem ſibi carnem repugnantem haberet. Vnde eſt, quod in carnali conceptione, propter primorum parentum peccatum, carnalis

nalis oritur peccati fomes, & concupiſcentia mali, quæ ſimul cum ipſa carne contra ſpiritum inſurgit. Conſtat hoc ex Gen. cap. 3. vbi dicitur: Quòd cum primi parentes poſt nuditatem ſuam, quæ iam incipiebat eis eſſe confuſibilis, audiſſent vocem Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, abſconderunt ſe à facie Domini. Verecundia illa qua perfuſi ſunt, rebellionem ſuæ carnis teſtabatur, quæ iam motus inordinatos, & obſcænos habere incipiebat. Cui gloſſa interlinearis illius loci conſonat. Non abſconditur homo, vt eius ſcelera Dominus non videret, ſed vt ſe indignum eius aſpectu oſtendat. Arctabatur enim duplici verecundia, quia tunc primum obſcænum motum in membris ſentiebat, & quia propter tranſgreſſionem hoc contigiſſe ſentiebat. Hinc bellum illud pluſquam ciuile in regno hominis ortum eſt, quod in nobiſmetipſis inceſſanter experimur: *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Quod quidem bellum ſicut & continuum eſt, ita & moleſtiſſimum, iis præſertim qui luxui & ſenſualitati fræna non laxant, ſed corpus ſuum caſtigare, & in ſeruitutem redigere, omni ſtudio conantur. Sentiebat belli huius difficultatem, qui dicebat: *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis?* Alia litera habet, *factus ſum mihimetipſi in pondus?* Quaſi diceret: Non ſatis eſſet Domine, quòd propter peccatum factus ſum inimicus tuus, tibíque aduerſus, ſed etiam meipſum mihimet grauem fieri permiſiſti, ita vt caro mea quaſi graue pondus, & intolerabilis ſarcina, mihi eſſe videatur? De quodam tyranno fertur, inaudito martyrij genere homines cruciare conſueuiſſe, nimirum hominem viuum mortuo alligando; vt ex eius corruptione & fœtore, animam exhalaret. Hoc idem Domine mecum feciſſe videris, qui carnem hanc corruptibilem, mortalem, & miſeriis obnoxiam, animæ incorruptibili, & immortali indiſſolubili (niſi per mortem) nexu, alligaſti: vt ex ſocietate eius moleſtiis & anguſtiis afficiatur. Sentiebat idem eius grauedinem cap. 7. cùm dicebat: *Nunquid mare ego ſum, aut cetus, quia circundediſti me carcere?* Mare enim quaſi in carcere eſſe dicitur, quia ſub terræ limitibus coarctatur & continetur, ne effluat & vniuerſam terram inundet. Incarcerauit enim Deus mare, & quaſi firmiſſima catena conſtrinxit illud verbo, quando dixit: *Congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida.* Cetus etiam qui eſt immanis piſcis, intra Oceanum detinetur, ne deueniat ad maria mediterranea, in quibus homines communius nauigare ſolent, ne illis nocumento eſſet.

Inquit

Gen. 3. *Gloſſ. interlin.* *Iob 7.* *Mezencius.* *Virgil. 1. Æneid.* *Iob 7.* *Gen. 1.*

Digitized by Google

Inquit ergo Iob: Nunquid Domine, ſum ego quaſi mare furibundus & amens, aut quaſi cetus, gentiũ oppreſſor, aut tyrannus, quòd concluſiſti me carcere, & carnis catena deuinxiſti? Quare animam meam à corporis vinculis diſſolui non pateris? Vbi manifeſtè vides; quòd carnem ſuam carcerem appellat, ſub cuius nomine varias moleſtias, quas anima ex ſocietate carnis contrahit, ſignificat. Nónne carcerem corpus ſuum iudicabat, qui dicebat: *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo?* Nónne vincula, ferreámque catenam eſſe, ſibi perſuaſum habebat D. Paulus, quando nimio deſiderio diſſolutionis accenſus, dicebat: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto?* Et alibi: *Infœlix homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Ex hac animæ captiuitate, & vinculis quibus detinetur, naſcitur pronitas ad malum & difficultas ad bonum perficiendum, quia cùm anima noſtra corpore corruptibili grauetur, non expeditè & liberaliter, licèt liberè, ſed difficulter & pedetentim, ad bonum tendit. Quod oſtendit Doctor Incognitus ſuper illud Pſalm. 106. *Sedentes in tenebris & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro*, dicens: Quandiu ſumus in præſenti vita, aſtringimur mendicitate & ferro, id eſt, difficultate ad bonum agendũ, & ad malum fugiendum. Vnde & Apoſtolus Paulus ſe ſic vinctum ſentiebat, cùm diceret: *velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio: non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum hoc facio*, Roma 7. Velle adiacet, inquit, id eſt, iuxta me iacet, quaſi infirmus, qui vult ſurgere ad bonum faciendum, ſed non poteſt, propter fomitem peccati hoc impedientem. Vnde Hieronym. Quocumque pergo hoſtem meum porto, praui enim motus & deſideria in me habitant, inquit, vltra perficere autem non inuenio: non dicit facere, quia concupiſcentia non tollit, libertatem arbitrij, ſed perficere, quia etſi aliquid boni faciat, ſed non perficit, quia rebellat concupiſcentia & non conſentit, vt perfectum & omnibus numeris abſolutum ſit opus. Exemplum eſto, delectat aliquem vxor aliena, ſed non amat, mentem euertit, in ſecretarium mentis intrat, videt foris ſtrepentem concupiſcentiam. Agit ergo bonum, quia concupiſcentiæ non conſentit, ſed non perficit bonum, vt ſcilicet, non concupiſcat. Sic & hoſtis eius, ſcilicet concupiſcentia agit malum, quia mouet malum deſiderium, ſed non perficit malum, quia non parturit malum repugnante voluntate: & in hoc bello & repugnantia eſt iuſtus per totius vitæ tempus conſtitutus. Multa enim nolens & repugnans à ſenſualitate patitur. Explicat ad hoc

Caro anima carcer.

Pſal. 141.

Philip. 1.

Rom. 7.

Pronitas ad malũ, & difficultas ad bonum.

Doctor Incognit.

Rom. 7.

Hieron.

Exẽplũ.

hoc propoſitum D.Gregor.verba illa Iob cap.10.quæ difficultatem aliquam præ ſe ferre videntur: *Si peccaui, & ad horum pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea, mundum me eſſe non pateris?* Sunt verba Gregorij. Peccatori ad horam Dominus parcit, cùm reatum culpæ conceſſis protinus fletibus diluit, ſed ab iniquitate noſtra mundos nos eſſe non patitur, quia volentes quidem culpam fecimus, ſed nonnunquam nolentes eius memoriam cum delectatione toleramus. Sæpe namque hoc quod à conſpectu iam iudicis fletu interueniente deletum eſt, ad animum redit, & deuicta culpa rurſus ad delectationem inſerpere nititur, atque in antiquo certamine rediuiua pulſatione reparatur, ita, vt quod prius egit in corpore hoc importuna cogitatione, poſtmodum verſet in mente. Hoc in pœnitente noſtro, Dauide inquam, intueri licet, qui quamuis peccatũ quod adulterando commiſit, iam per illud efficaciſſimum, peccaui, ex viſceribus cordis prolatum diluerit: tamen adhuc nolens, mens eius ex delectationis recordatione, moleſtias non modicas perferebat, quas illuſiones animæ appellat: quia Dæmon naturæ humanæ hoſtis, frequenter his cogitationibus iuſtorum animas diuexare & illudere ſolet. Vnde cauſam ſuæ triſtitiæ & curuitatis exprimens, inquit. *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.* Alia litera habet. *Quoniam anima mea completa eſt illuſionibus*, & ſic legit B.Auguſtinus. *D. Greg.* *Lectio Auguſt.*

Vbi ſilenter prætereundum non erit, quòd delectationum carnalium memoriam, *illuſiones* appellat. *Lumbi mei*, inquit, *vel anima mea, completa eſt illuſionibus.* Non enim carnalis voluptas eſt delectatio vera, ſed delectionis illuſio & deceptio quædam. Decipiuntur enim mundi amatores, exiſtimantes vitia carnis veram in ſe delectationem cõtinere, cùm potius triſtitiam & amaritudinem pariant. Quare Boëtius inquit, libro de conſolatione, & refertur à D.Bonauent.tomo 1. cap.16. De voluptate. *Triſtes eſſe voluptatum exitus, quiſquis reminiſci libidinum ſuarum volet, intelliget: quæ ſi beatos explicare poſſent, nihil cauſæ eſt, quin pecudes quoque, beatæ eſſe dicatur, quarum omnis ad explendam corporalem laſciuiam, feſtinat intentio.* Seneca etiam in quadam epiſtola miſerrimum voluptatum finem his verbis explicat. *Voluptates præcipuè exturba, & inuiſiſſimas habe: latronum more in hoc nos amplectuntur, vt ſtrangulent.* O verbum omni celebratione & memoria dignum ab homine infideli & pagano prolatum. Quid amplius homo fidelis doctrina Chriſti Ieſu imbutus, proferre poſſet? Complexantur, inquit, nos voluptates ſicut latrones vt ſtrangulent & in- *Voluptas carnalis quare illuſio dicatur.* *Boëtius.* *D. Bona.* *Seneca.*

Digitized by Google

Iudic. 4. *Figura.* terficiant. De Iahele dicitur lib. Iudicum, ca. 4. quòd cùm Dux Siſara fractus bello, ad tentorium eius perueniſſet, egreſſa eſt in occurſum illius, blandis pacificíſque ſermonibus eum alliciendo. Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas: qui cùm tabernacula eius ſecurus ingrederetur, & potum aquæ ab ea poſtulaſſet, aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere & operuit illum pallio, vel pellibus, vt habent Septuaginta. *Con algun cobertor de martas precioſiſſimas.* Quem ſomno ſopitum clauo ſuper tempus eius infixo interfecit. Qui ſoporem, inquit Scriptura ſacra, morti ſocians defecit, & mortuus eſt. Diſputat Lyranus vtrum ipſa in hoc facto peccauerit, quod noſtra non intereſt pro nunc. Sed hoc vnum mihi ſolùm liceat dicere, quod iſto in facto non peccauerit: tamen ipſam à perfidia & fallacia excuſare non poſſumus, cùm ſub amicitiæ & beneuolentiæ ſpecie, fucatis verbis, & coloratis verſutiis, fefellerit. Sed quid (vt ad rem redeamus) per fallacem Iahelem Siſaram ſtrenuum ducem interficientem intelligere debemus, niſi carnē noſtram procacem, petulantem, & fallaciis plenam? quæ animæ ſitienti potum lactis offert: per quem potum vitia ipſa & delectationes carnales intellige, quæ potio licèt amariſſima ſit, plena veneno mortifero: tamen animæ eſurienti etiam amara dulcia eſſe videntur. Cooperit pellibus, quia ſemper mollia & delectabilia offert, aſpera verò & laborioſa fugit. His vitiis & voluptatibus ratio peruertitur, & mens conſopitur, ita vt mortem æternam ſibi imminentem non videat, & ſic æternaliter & miſerabiliter perit.

Prou. 23. *Nota.* Singulari ſpiritu Salomon in Prouerb. hoc depinxit, dicens: *Ne intuearis vinum quando flaueſcit: cùm ſplenduerit color eius in vitro, ingreditur enim blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* Licèt prima facie, & cortice literæ, de vino materiali videatur loqui, quod inebriat hominem, & rationem eius peruertit: tamen exiſtimo quòd multò magis de vino voluptatis intelligēdum eſt, quod multò fortiùs inebriat, & iudicium peruertit rationis. Inquit ergo quandocunque, ô homo, caro tibi blandiatur, quandocunque voluptatis vinum tibi obtulerit, *quando te eſt a brindando con el deleyte:* ne attentis oculis tale vinum aſpicias, quin potius oculos conſiderationis & deſiderij ab eo auerte. Quia licèt blandè & dulciter ingrediatur: tamen exitum habet amarum & triſtem, *tiene el dexo muy amargo.*

Ariſtot. Et ſic dicebat Ariſtoteles; quòd *voluptates non venientes, ſed abeuntes intueri debemus.* Quare ſequitur: *In nouiſſimo mordebit vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* Mordet enim

enim in nouiſſimo voluptas,ſcilicet,in die extremo, vel mortis,vel iudicij:tunc enim maximum ſentit peccator remorſum conſcientiæ ipſum accuſantis. *Diffunditque venenum ſuum tanquam regulus.* Dicitur de regulo quòd adeò venenoſus eſt, quòd ſolo aſpectu ſuo aues volantes interficit: ſic voluptas ſolo aſpectu & repræſentatione ſua, plerúmque interficit animam,per ſolum conſenſum,abſque opere exteriori : & in hora mortis ex repræſentatione voluptatis præ dolore interibit, quia maximũ dolorem ſentiet. Eſt locus non inelegans apud Iobum ca.24. ad hoc propoſitum,vbi de homine carnali & luxui dedito agens, inter alia ſic inquit : *Dulcedo illius vermes, non ſit in recordatione, ſed conteratur quaſi lignum infructuoſum. Pauit enim ſterilem & quæ non parit, & viduæ benè non fecit.* Doctores Hebræi,vt refert Lyranus,hoc de tempore diluuij interpretantur. Dicunt enim, quòd homines illius temporis tanta libidine & luxuria æſtuabant, quod accipiebant duas vxores, vnam ad delectationem concubitus carnalis tantùm,& illi dabant ſterilitatis potum, ne per conceptum & partum puerorum debilitaretur, & deturparetur. Quam ſumma cura & ſtudio ſuſtentabant, veſtibus pretioſis ornabant, & cibis exquiſitis alebant, vt ad concubitum eſſet delectabilior: aliam autem vxorem accipiebant ad generationem prolis, & ad illam non accedebant, niſi conceptionis cauſa: cuius nullam habebant curam, quin potius eam malè tractabant. Vnde his lubricis & luxurioſis hominibus hæc maledicta, inquiunt, imprecatur, ſcilicet, quod dulcedo illorum vermes, &c. Sed D.Gregorius lib.16.moralium, cap.29. aliter hunc locum magíſque ad ædificationem noſtram explicat,dicens:Poteſt quoque apertius vermis nomine caro deſignari. Vnde & ſuperius dicitur, homo putredo, & filius hominis vermis. Luxurioſi igitur cuiuſlibet atque carnis voluptatibus dediti, quanta ſit cæcitas demonſtratur, cùm dicitur: *Dulcedo illius vermes.* Quid namque caro, niſi putredo ac vermis? Et quiſquis carnalibus deſideriis anhelat, quid aliud quàm vermem amat? Quid enim ſit carnis ſubſtantia, teſtantur ſepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti ſui, tangere carnem ſcaturientem vermibus poteſt? Caro igitur cùm concupiſcitur compenſetur, quæ ſit exanimis, & intelligetur quid amatur. Nil quippe ſic ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnuſquiſque hoc quod viuum diligit, quale ſit mortuum penſet. Vſus fuit hoc efficaciſſimo remedio quidam heremita,vt refert Hugo in ſua

Sic turpius ducitur quã admittitur hoſpes.

Exẽplũ naturale

Iob 24.

Lyranus.

Nota.

D. Greg.

Voluptatis exitus.

Hugo Card.

gloſſa ſuper hunc locum. Qui cùm memoriam cuiuſdam mulieris, quam dilexerat, non poſſet auellere à corde ſuo: ea mortua & fœtente, effoſſo tumulo, fruſtum eius abſcidit: & quando occurrebat illi eius memoria, ponebat illud fruſtum fœtidiſſimum ad os, & ad nares, quod natura vix poterat ſuſtinere, & ſic liberabatur. Sed iam ad expoſitionem auctoritatis Iob redeamus. Dulcedo, inquit, luxurioſi vermes, quia caro eſt, in vermes cito reſoluenda per mortem: & quia talem diligit dulcedinem & in ea beatitudinem & fœlicitatem ſuam collocat, non erit in recordationem, ſupple Dei, vt ab eo præmium beatitudinis accipiat, ſed conteretur quaſi lignum infructuoſum per mortem, & in infernum mittetur, ſecundùm illam ſententiam Saluatoris Matthæi tertio. *Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur, & in ignem mittetur*, & ſecundùm illud Ezechiel. 15. *Fili hominis quid fiet de ligno vitis*, &c. Et reſpondebit: *ecce igni datum eſt in eſcam*. O terribilis, valdéque tremenda ſententia, ô Deus vitæ & ſalutis meæ, quænam tam vrgens cauſa eſſe poteſt, qua hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam creatum, tam dura & acri animaduerſione percutis? audi cauſam & rationem. *Pauit enim*, inquit, *ſterilem, & quæ non parit, & viduæ benè nõ fecit*. Quid enim per ſterilem, niſi carnem noſtram, & quid per viduam, niſi animam intelligemus? Caro noſtra ſterilis eſt, quia dum ſolùm præſentia appetit, bonas cogitationes gignere neſcit. Sterilis etiam dicitur, quia de ſe nullum fructum Deo dignum ferre poteſt. Anima verò dicitur vidua, quia ſponſo ſuo Deo pro nunc eſt orbata. Ille ergo ſterilem paſcit, & viduæ bene non facit, qui cõtempta anima ſua totum ſtudium ad indulgendum carni & luxui, deſideriíſque carnalibus inſeruiendum conuertit. Quæ quidem, quoniam tam infœlicem exitum & finem habent, nõ voluptates, ſed illuſiones & deceptiones voluptatum à Dauide appellantur. Quapropter, inquit: *Anima mea impleta eſt illuſionibus*, id eſt, cogitationibus carnalibus, *& non eſt ſanitas in carne mea*.

Matth. 3. *Ezec. 15.*

Dicuntur etiam illuſiones carnales voluptates, quia cùm ſatietatem promittant, non ſatiant, ſed maiorem ſui famem excitant. De pomo illo arboris Paradiſi quod vidit mulier, dicitur: quod erat bonum ad veſcendum, pulchrum oculis, aſpectúque delectabile: & tamen, licèt ex eo comederit famem non extinxit, ſed excitauit. Sic, inquit quædam gloſſa, ſunt ſæculi voluptates, quæ non ſatiant, ſed eſuriem prouocant. Habent enim apparentiam & exteriorem pulchritudinem, promittunt

Voluptas carnalis appetitũ nõ ſatiat. *Geneſ. 3.* *Gloſſa.*

Digitized by Google

mittúntque ſatietatem, quam tamen non conferunt, imò maiorem appetitum excitant. Iſaiæ cap. 29. rectè hoc depingitur: *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, poſtquam verò fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, poſtea verò laſſus adhuc ſitit: ſic omnes qui dimicauerunt contra montem Sion.* Hoc quod olim Propheta de Chaldæis, vel Romanis vaticinatus eſt, poſſumus nos nunc de hominibus voluptati deditis abſque mendacio aſſerere. Nam iſti dimicant contra montem Sion ſcilicet, contra montem gloriç, cùm propter ſcelera ſua bellum continuum Deo inferant. Erit ergo multitudo omnium iſtorum ſicut ſomnium viſionis nocturnæ, quia omnes æternaliter interibunt, & eorum memoria omnino peribit. Quibus continget idem, quod ſomniantibus *Simile.* cōtingere ſolet. Accidit aliquem ſomniare quòd prope ripam alicuius fluminis placido murmure decurrentis, ſedeat, inter amœniſſimas & vmbroſas arbores, vbi Philomelæ & aliarum auicularum harmonia dulciſſimo modulamine reſonat: ibi opulentiſſimam menſam floribus ornatam, & abundantia ciborum refertam, ad famem ſuam ſatiandam videt, comedit & ſaturatur, valdéque ex ciborum pretioſitate & abundantia recreatur anima eius: at poſtquam expergefactus à ſomno excitatur, cognoſcit omnia illa illuſiones quaſdam, & phantaſticas, non veras rerum imagines fuiſſe: quare eandem famem & ſitim quam prius patitur, nullámque ſatietatem ex efficta illa menſa anima eius habuit. Sic inquit Propheta, erūt omnes peccatores qui dimicant cōtra montem Sion. Videntur enim ſaturari in præſenti vita ex turpitudinibus & voluptatibus, quas ſummopere cupiunt, & diligunt, & ſummo ſtudio atque diligentia, & non ſine magnis ſumptibus & laboribus quærunt: tamen fallūtur quaſi ſomniantes, quia omnia hæc animæ noſtræ appetitum non ſatiant. Sunt enim quaſi remedia impertinentia: vt ſi aliquis vexaretur dolore capitis, & medicus linteum, aut vitā pedibus applicaret, *le puſieſſe la venda en los pies.* Aut *Simile.* fortè ſi alicui magnam ſitim patienti, aquam manibus eius infunderes, quod ſitim eius nō extingueret, ſed potius excitaret. Sitis enim eſt intus, & tu remedium exterius applicas. Hæc ſi- *Simile.* tis homo, quam in te ipſo experiris, eſt in anima non in corpore, & tu remedia corpori, non animæ adhibes. Voluptates enim carnales, diuitiæ, argentū, & aurū, & omnis mundi gloria corpus corruptibile, non incorruptibilem animā attingunt, & ideo famem tuam nō exples, ſed potius excitas. Vnde eſt quod mundani rebus his non ſatiantur, ſed potius excitatur eorum

Digitized by Google

appetitus: fames & ſitis noſtra eſt quidem voluptatum, ſed non corruptibilium, non carnalium, ſed incorruptibilium, & ſpiritualium, voluptatum cæleſtium, quæ finem non ſunt habituræ. Et hinc prouenit, quòd his rebus ſatiari non poteſt anima noſtra. De filio prodigo dicitur. Lucæ decimo quinto quòd magnam patiebatur famem in tantum, quòd cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat, vbi inquit gloſſa illius loci: Cibus dæmonum eſt ebrietas, fornicatio & huiuſmodi, quæ blanda ſunt, & ad ſui vſum prouocant, neque alia cura eſt luxurioſis, niſi vt ventrem ſuum impleant, quorum Deus venter eſt, ſed eis non poteſt ſaturari, quia voluptas ſemper habet famem ſui. Non abhorret ab hac materia, neque erit iniucundum auditu, quod de vxore Loth refertur, Geneſ. 19. Dicitur enim, ibi, quòd *in ſtatuam ſalis transſmutata ſit*, vel *in cumulum ſalis*, vt in Hebræo habetur. Sed diuus Hieronymus in ſtatuā vertit, quia ipſe propriis oculis illam vidit, vt de ſe teſtatur. Ambulauit enim propriis pedibus totam terrā promiſſionis, & montes Arabiæ & Ægypti, vt videret loca quæ in Bibliis continebantur, cum aliquibus peritiſſimis Hebræis, ne faciliter circa ea in ſuis ſcriptis deciperetur, ſicut ipſe habet in quodam prologo ſuper Paralip. qui incipit, Euſebius. Sed percontari libet, vt ad propoſitum noſtrum deueniamus, quare hæc mulier in ſtatuam ſalis, magis quàm æris, aut marmoris verſa ſit? Multa ſunt quæ circa hanc transformationem à Doctoribus, tam Hebræis, quàm Catholicis, dicuntur, quibus dimiſſis, ſolùm cum Caietano aduertamus: quòd hæc mulier, non tam corpore quam corde retro aſpexit: forſitan peccatis Sodomitarum conſentiebat: & ideò, vt inquit hic expoſitor, retardabat greſſum, quaſi quæ nollet illos dimittere, & coniugem ſuum ſequi. Vnde ſecundum Ioſephum, non ſemel, ſed ſæpe tardabat, vertendo ſe ad reſpiciendam ciuitatem: *aunque ſalio con el cuerpo, pero alla ſe dejo el coraçon.* Ex quo coniectari poſſumus, quod à voluptate carnali omnino non fuit aliena. Vertitur igitur in ſalem, quæ carnalis fuerat, & carnalem voluptatem adhuc appetebat: quia carnalis voluptas, & carnis deſideria, naturam ſalis imitantur, quę ſitim potius excitant, quàm ſatiant. Explicat ad hoc propoſitum venerabilis Beda illud Prouerbior. cap. 6. *Pretium ſcorti, vix eſt vnius panis.* Sic enim inquit in cōmentariis, quæ falſo diuo Hieronymo aſcribuntur: Sicut enim vnus panis, diurnam ſolùm effugat eſuriem, & nihilominus poſtmodum eſurit, qui comeſto pane, ſatur abſceſſerat: ſic qui intrat ad ſcortum, ad horam

Luca 15.

Gene. 19. D. Hier. Vxor Loth in ſtatuam cōuerſa.

Caiet.

Beda. Prou. 6.

Digitized by Google

horam quidem euaporat libidinem,ſed poſt paululum ardentior redit. O Deus animæ meæ optarem quidem, vt ſpiritum propheticum, vel potius feruorem ſpiritus mihi in præſentia concederes, vt illecebrarum, & voluptatum amatores debita efficacia ſermonis, alloquerer, & ſimul cum Propheta Iſaias exclamarem & dicerem: *Homines inſipientes & ſtulti: Quare appenditis argentum & non in panibus, & laborem veſtrum, & non in ſaturitate?* Quare ponitis laborem & ſtudium veſtrum circa bona temporalia & tranſitoria, circa infames turpitudines & voluptates, quæ non reficiunt animã, ſed magis famem, & ſitim excitant? Voluptates illas inquirite, quæ permanere diu nobiſcum poſſunt, & æternaliter animæ ſitim extinguere. Illæ namque, quas mundus vel caro offert, voluptates nõ ſunt, ſed potius illuſiones & apparentes voluptatum imagines, quæ licèt prima facie ſatietatem promittant, tamen maiorem excitant famem: quapropter Dauid fallaces, & illudentes eas vocat, dicens: *Anima mea completa eſt illuſionibus.* *Iſai. 55.*

Dicuntur etiam illuſiones, quia breuiſſimæ ſunt, & diu nobiſcum permanere non poſſunt. Et cùm tam breues & tam parui momenti ſint, nos eas tanti facimus, quòd à diabolo decepti, propter illarum vilitatem, regnum cælorum commutamus, & æternam vitam contemnimus. Narrat Magiſter in hiſtoriis, quòd Cyrus Rex Perſarum non valens bellis ſibi ſubiugare gentem Lidorum ſtrenuam in armis, & bellicoſam, finxit cum eis amicitiam, & vt eos redigeret in væcordiam, ſub ſpecie amicitiæ, tradidit eis ſolennitates & ludos, vt ludis, & voluptatibus vacarent: quibus vacantes virtutem & artem bellicam perdiderunt, & ſic per voluptates temporales ſuperauit; quos armis ſuperare non poterat. Non ſecus mundus & diabolus, voluptates nobis & carnales delectationes offerunt, vt nos peccatis ſubiiciant, & ſuccumbere faciant. Sed quod inter alia mentem noſtram ab eis reuocare deberet, eſt, breuitatis earundem voluptatum conſideratio. Quia breue eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Hoc argumento vſus eſt diuus Ioannes epiſtola ſua prima canonica, capite ſecundo dicens: *Fratres nolite diligere mundum, neque ea quæ in eo ſunt. Omne enim quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Et rationem reddens, quare iſta non ſunt diligenda, ſubdit: *quia mundus tranſit & concupiſcentia eius:* Quæ verba dum expenderet beatus Auguſtinus fulgidiſſimum Eccleſiæ ſanctæ lumen, ſermo. 56. de tempore in princ. in capite ieiunij, inquit: *Magiſter Hiſtor.* *Voluptas omnis breuis.* *Ioan. 1. cap. 2.* *D. Aug. tom. 10.*

Digitized by Google

Quid autem permanet in homine, niſi quod quiſque, aut legendo, aut orando, aut bona opera faciendo, pro animæ ſalute in theſauro conſcientiæ ſuæ recondiderit? Infelix enim voluptas, infœlicior cupiditas, atque luxuria, per tranſitoriam dulcedinem, præparant ſempiternam amaritudinem. Abſtinentia verò, vigiliæ, & orationes, atque ieiunia, per breuiſſimas anguſtias, perducũt ad Paradiſi delicias. Quia nõ mentitur veritas, quæ in Euangelio dicit: *Arcta eſt & anguſta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniũt eam.* Nec per latam viam diu gaudetur, nec per anguſtam & aſperam longo tempore laboratur, quia & iſti per breuem triſtitiam accipiunt vitam æternam, & illi poſt paruum gaudium, patiuntur ſine fine ſupplicium. Adhuc Auguſtinus. Et rectè, inquit, poſt paruum gaudium, quia paruum eſt omne illud quod vacuum animæ noſtræ replere non poteſt, & breue iuſtè appellatur quidquid fine clauditur. Depinxit breuitatem voluptatum carnis noſtræ viuis coloribus, patientiſſimus Iob capite vigeſimo, ſui vaticinij, dicens: *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quòd laus impiorum breuis ſit, & gaudium impiorum, ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent vbi eſt?* Hoc reperi, inquit, à principio, cùm per omnes mundi ætates, hominum nationes, & diuerſa terræ climata, pennis mentis meę, quaſi volando percurrerem, quòd laus impiorũ breuis. Alia litera habet: *Quòd gaudium impiorum ruina indecens.* Non enim quod violentum eſt perpetuum eſſe poteſt, aut diu perſeuerare: quid autem violentius, quàm impiorum gaudium, cùm potius illis, ſuppliciũ, triſtitia, & gemitus debeatur? Tam breuis eſt impiorum lætitia, quòd cap. 21. ipſemet Propheta dicat: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Itaque per vnicum punctum durauit illorum lætitia, ſcilicèt, tympanũ & chorum tenere, per quod voluptates intellige, & per aliud punctum immediatum (quod neque Ariſtotel. neque tota Philoſophia concederet) ſimul cum ſuis vitiis & voluptatibus, ad infernũ deſcenderunt: quia non datur medium aliquid tempus, in quo, inſtrumenta ſui gaudij, voluptates, ſcilicet, per pœnitentiam abieciſſent. Vnde rectè ſequitur, *gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Alia litera habet, *lætitia delatoris*: quia hypocritæ ferè ſemper ſunt delatores, vitam aliorum accuſantes & reprehendentes. Sed hæc lætitia ad inſtar puncti eſt, quod ſic explicat diuus

Matth. 7. *Iob 20.* *Iob 21.* *Hypocritæ vitæ accuſatores.*

Digitized by Google

diuus Gregorius in ſuis moralibus: In puncto ſtylus mox vt ponitur, leuatur, nec mora vlla agitur, vt per exprimendam lineam trahatur. Gaudium itaque hypocritæ ad ſimilitudinem puncti eſt, quia apparet ad momentum, ſed diſparet in perpetuum. Et ſicut ſtylus in puncto dum ponitur leuatur, ſic hypocrita præſentis vitæ gaudia dum tangit, amittit. Hoc idem beatus Ioannes Euangeliſta eleganti metaphora nobis explicuit in Apocal.cap.18. Affirmat enim ſe vidiſſe Angelum quẽdam, qui magnis clamoribus contra Babyloniam hæc verba proferebat: *Poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te, & amplius illa non inuenies.* Poma hæc voluptates ſunt, quas miſer homo ingenti labore & ſolicitudine, ex arboribus huius ſæculi decerpit, quæ poma perquam ſimilia ſunt quibuſdam quæ in mari mortuo gignuntur, vt refert Petrus Paludanus Hieroſolymitanus Patriarcha, quæ licèt ſummam ſuperficiem pulcherrimam habeant, oculíſque delectabilem, intus tamen putrida ſunt, & plena vermibus. Sic voluptates huius ſæculi licèt exterius deſiderabiles videantur, tamen intus corruptione & morte plenæ ſunt. Iſta ergo poma, quæ mundanus homo tanto labore comparat, quando illis frui incipit, tunc violenta mors de manibus eius arripit. Puerum conſiderate, cum quanto labore & periculo hortum ingreditur, per ſpinas & ſentes quibus pungitur & cruentatur arborem aſcendit, ſanguine & vulneribus plenus poma colligit, quibus ſinus manicas, & caputium ſufarcinat: at verò olitor ad ianuam eum expectat: cui inſperato obuiam exit, poma eripit, ſimul & pallium, illíſque veſci nõ conceditur, ſed gaudium eius conuertitur in luctum. Non aliter infœlici peccatori eueniet, qui tanto labore, & cura poma deſiderij ſui, voluptates, ſcilicet, & carnis delectationes, ex horto huius mundi, contra diuinam legem furari conatur. Iſta enim licèt non ſine magna animi anxietate, non ſine ſanguinis effuſione acquirat: tamen vſus eorum per breuiſſimum ſpatium ei conceditur: mors namque eſt in ianua huius vitæ, vt omnia de manibus illius violenter eripiat: quia cùm interierit homo non ſumet omnia neque deſcendet cum eo gloria voluptatum ſuarum. Quare iure optimo, egregius ac ſapientiſſimus pſaltes, non eas voluptates, ſed voluptatum ſomnia & illuſiones appellat, dicens: *Anima mea completa eſt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.*

D. Greg.

Apoc. 18.

Petrus Paludanus.

Simile.

Simile.

Pſal. 48.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, &c. Poſtquam confeſſus eſt illuſiones, quas in carne & ſpiritu patiebatur, ex concupiſcentia, & voluptatum præteritarũ memoria prouenientes:

Digitized by Google

nunc dicit his valde humiliatum fuiſſe: quia bonis, omnia in *Simile.* bonum conuertuntur. Iuſtus enim iure optimo api comparari *Iuſtis etiã peccata in melius commutantur.* poteſt:quæ omnes flores etiam amaros & inſipidos in dulcedinem conuertit, ſic quippe iuſtus amaritudinem peccatorum ſuorum in dulcedinem humilitatis commutat: & videns ſe ab illis deiectum,diſcit humiliare ſeipſum, & de viribus ſuis non præſumere. Vnde D.Paulo,qui vſque ad tertium cælum raptus fuit, ſtimulus carnis ſuæ datus eſt, qui colaphizaret eum,ne *Exẽplũ.* magnitudo reuelationũ illum ſuſtolleret. Iob cap.30.conque- *Iob 30.* rebatur,dicens: *Eleuaſti me quaſi ſuper ventum ponens, & eliſiſti me validè.* Quæ eliſio in maiorem illius timorem & humiliationem ceſſit. Quos Deus eleuat ſuper altitudinem nubium,& vſque ad ſupremum ſanctitatis apicem perueniſſe videt, aliquando collabi permittit, vt ab altitudine diei timere diſcant,& de propria virtute diffidentes, ſoli Deo fidant,& in *D.Hier.* ſeipſis humilientur.Et ad hoc propoſitum exponit D.Hieron. illud Pſal.101.*Cinerem tanquam panem manducabam, & potũ meum cum fletu miſcebam, à facie iræ indignationis tuæ,quia eleuans alliſiſti me.* Alia litera,quoniam eleuaſti me,& alliſiſti me.Hoc enim D.Hieron.ad iuſtos referendum eſſe cenſet,qui aliquando fuerunt ſancti,& ceciderunt: quod permittit Deus aliquando propter maius eorum bonum, quia inde humiliantur propriam imbecillitatem agnoſcentes. Hoc idem aduertit *D.Chryſ.* D.Chryſoſt.in Petro,nocte illa amariſſimæ paſſionis.Ille enim *Nota.* qui tantum prius de ſeipſo præſumebat:quòd dicẽte Domino: *Matt.26.* *Omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte*,audacter reſponderet:*Et ſi omnes ſcandalizati fuerint ego non ſcandalizabor: & ſi oportuerit me mori tecum,non te negabo*,& alia huiuſmodi confidentiæ verba protuliſſet: poſt caſum ſuum & negationẽ, tantum in timore & humilitate profecit, quòd interrogatus à Domino,an eum diligeret,humiliatur in ſemetipſo,& non auſus eſt affirmatiuè reſpondere: ſed ſumma & profundiſſima humilitate inquit:*Tu ſcis Domine,quia amo te*,id eſt,ſi amo te. Idem Dauidi contigit, qui videns in principio regni ſui,quod abundaret bonis temporalibus & ſpiritualibus,& quod in perſecutione Saulis , innocentiam & iuſtitiam diu ſeruauerat: ex *Pſal.29.* hoc aliquantulum in præſumptionem elatus,illa protulit confidentiæ verba:*Non mouebor in æternum*, id eſt,iam non recedam à via veritatis & iuſtitiæ:& quia nimis de ſe confidebat, ad horam derelictus eſt ſuę fragilitati,vt ſeipſum cognoſceret, & tunc fuit deiectus. *Auertiſti faciem tuam à me*,inquit,*& factus ſum conturbatus.* *Simile.* Sicut enim imago quæ in ſpeculo aliquo repræſen

Digitized by Google

præſentatur, totaliter dependet à facie illius cuius eſt imago, quòd ſi faciem ſuam ab ſpeculo auertat, ſtatim diſparet & omnino deletur: ſic homo qui imago Dei eſt totaliter dependet ab eo, non ſolùm in naturalibus, ſed multo fortius in ſpiritualibus, quòd ſi Deus ab illo faciem ſuam auertat, ſtatim conturbatur, & quidquid boni habet amittit. Sic Dauid, cùm Deus ad tempus ab eo faciem auerteret, conturbatus fuit, & iuſtitiam de qua præſumebat, amiſit, & ſic valde humiliatus fuit, quod fatetur dicens: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, vel ignominia* (vt aliqui codices Hebræi habent) quia tales motus beſtiales ſunt, & *non eſt aliqua ſanitas in carne mea*, quia eam valde rebellem ſentio. *Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, & ideo à gemitu cordis rugiebam.*

D. Hieronym. ex Hebræo vertit: *Euigilaui & afflictus ſum nimis.* Quaſi diceret. Si ad huc non affligebar, erat in cauſa, quia dormiebam in peccatis meis: at poſtquam ad voces Natham excitatus ſum, & periculum animæ meæ cognoui, affligebar nimis, & rugiebam quaſi leo catulos ſuos rugitibus à ſomno excitans. Ex quibus verbis colligitur, quod peccator dum in pèccato eſt dormienti comparatur: *Eris quaſi dormiens in medio mari*, inquit Salomon in Prouerbiis, de peccatore agens, *& quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo.* Eſt enim peccatum ſomnus ab ebrietate procedens, vnde & profundior. Quia ſicut dormientis ſenſus ligatur, ne aliquid ſentire poſſit: ſic & peccatoris intellectus profunda peccandi conſuetudine ligatur, ne periculum & damnum ſibi imminens intueri poſſit. Si videritis hominem iacentem in terra quam plurimis venenoſis animalibus, ſerpentibus, regulis, & viperis circundatum, minime tamen fugientem, aut defendentem ſeipſum: nónne iudicaretis illum dormire? Videmus peccatorem peccatis ſuis & ſceleribus circundatum, non tamen ab eis per pœnitentiam fugientem, quare ergo non iudicabimus illum dormire, & conſopitum eſſe? *Expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate*, inquit Ioël: *omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore veſtro.* Expergiſcimini, inquam, à ſomno vitiorum veſtrorum. Septuaginta habent: *Ebrij non à vino*, quaſi dicat: Non ebrios à vino alloquor, quia forſitan ebrietas hæc, nec tanta eſt, nec tanti momenti, ſed ebrios à vino voluptatum ſuarum, à vino luxuriæ, auaritiæ, & ambitionis, quod homines rationis compotes inebriare ſolet, & à ſeipſis alienare. Hos alloquor, his prædico, ad hos ſermo meus atque clamor dirigitur: qui peccatis ſuis, quaſi ſcorpionibus

Prou. 23. *Peccator dormienti, & ebrio ſimilis.* *Simile.* *Ioël 1.* *Septuag.*

pionibus

pionibus veneno mortifero plenis circundati, in magno vitæ diſcrimine verſantur. Expergiſcimini ergo, & euigilate vlulantes & clamantes, quia vinum dulcedinis, voluptatum veſtrarum, quo inebriati eſtis, peribit ab ore veſtro. Voluptas enim præſens breuiſſima eſt, & in morte veſtra finietur. Sic enim vlulabat & clamabat præ dolore Dauid ſanctus, quando à ſomno euigilans, peccatum ſuum cognouit. Quapropter, inquit: *Euigilaui & afflictus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.*

D. Aug. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* D.Auguſt. ponit duplicem gemitum, alterum carnis, alterum cordis: carnis auditur ab homine, cordis à Deo. Gemitus carnis propter temporalia lucre emittitur, cordis verò, propter æterna. Rugiebat Dauid gemitu cordis, quia non propter bonorum temporalium iacturam,

Pſal.118. ſed propter Deum amiſſum dolebat: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, aiebat, *quia non cuſtodierunt legem tuam.* Flebant quidem non propter filij mortem, non propter Abſalonis coniurationem, non propter perſecutionem Saulis, aut alicuius temporalis rei euentum, ſed quia non cuſtodierunt legem tuam: ex quo æternorum bonorum iacturam incurri. Sed proh dolor (non enim abſque gemitu cordis, & oris verecundia proferre queo) quot lachrymæ perfunduntur, quot emittuntur ſuſpiria, quot gemitus pro amiſſione temporalium, hodie paſſim emittuntur: & quàm pauci ſunt qui pro æternorum iactura lachrymentur, aut ſaltem leuiſſimum ſentiant dolorem: cùm æterna temporalibus præſtent, incompara-

Matt.16. biliter eorum pretium excedant: *Quid prodeſt homini* (inquit Redemptor noſter Chriſtus) *ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* Quid namque diuitibus, & ſuperbis proficiet eorum ſuperbia & diuitiarum iactantia? quid numorum, ſatellitum, & omnium bonorum temporalium affluentia? cùm omnia tanquam vmbra tranſitura ſint, & tanquam nuncius percurrens, & quaſi memoria hoſpitis vnius diei? O quam iuſtè Dauid ſuper nos omnes ſi-

Pſal. 61. bilat, & improperat ſtultitiæ noſtræ, dicens: *Mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant de vanitate in idipſum.* Et quid eſt Rex ſancte quod nos mendaces & falſarios in ſtateris appellas? Nunquid omnes mercatores ſumus, aut lucro & quæſtui operam damus? Maximè quidem, inquit Baſilius, omnes negotiatores & mercatores ſumus regni cœleſtis, quia illud operibus noſtris emere tenemur. Non enim abſque pretio confertur. Negotiatores enim ſumus, quibus credita ſunt

Tēporalia quàm æterna magis æſtimātur.

D. Baſil.

talenta,

Digitized by Google

talenta, vt in eis negotiantes, bona cœleſtia lucrari poſsimus: tamen mendaces ſumus,& perfidi in ſtateris. Non enim bene appendimus,quia temporalia lucra magis quàm æterna æſtimamus.Amittimus vineam, vel domus comburitur,& lachrymas continere non poſſumus: at cùm Deum propter peccatum amittamus nullum in nobis doloris ſignum apparet. Dolemus propter auri, & non propter creatoris illius iacturam, triſtamur propter dolorem corporis, & ad vulnera animæ ſentienda,ſuper lapides ſumus inſenſibiles. In libro Iudic.cap.18. legitur de Micha gentili,quòd cùm milites quidam idolum è domo ſua abſtuliſſent, eos dolens & plorans inſequebatur, idolum ſuum ab illis exigens: & cùm quidam illorum cauſum ſuarum lachrymarum ab eo inquireret, hoc illi reſponſum reddidit: *Deos meos tuliſtis quos ego feci, & quæritis mihi, quid ploras*? O anima Chriſtiana immaculati agni ſanguine redempta, quam Sathanas aſtutia ſua expoliauit, & à qua Deum ſurripuit, non quem tu feciſti, ſed qui te fecit & creauit,qui te pretio ſanguinis ſui redemit, quare tãtam iacturam non ſentis, quare lachrymis non perfunderis,& gemitu,è præcordiis prolato inſtar leonum, non rugis? *Et tanquam innundantes aqua*, dicebat Iob, *ſic rugitus meus*. Audi ſenem Adamantium quid tibi ſuper hunc locum dicat. Afflictum ſe eſſe dicit,& præ anguſtia, & gemitu cordis ſui rugitum edere:nam qui omnino criminibus detentus, & ad delinquendum procliuis lapſus eſt, à conſcientia accuſatus, ſciens ſe Deum offendiſſe, non ſegnem, atque ad inertiam reſupinum habere animum debet, ſed potius mœrore plenam mentem, & tantum non ebriam, & cor præ doloris amaritudine afflictum gerere oportet,& profundos gemitus trahere,atque ex intimis cordis penetralibus, graues & inexplicabiles ſonos emittere. Sit igitur rugitus & gemitus cordis tui tanquam inundantes aquæ, vt inter oculorum lachrymarum fluctus, peccata tua ſubmergantur: & ſic perfectam eorum remiſſionem & gratiam, & de cætero gloriam conſequaris.

Iud.18. *Diſſimile.* *Iob 3.*

CONCIO QVINTA.

Domine,ante te omne deſiderium meum:Et gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt,dereliquit me virtus mea: Et lumen oculorum meorum,& ipſum non eſt meum.

TAMET

Digitized by Google

Hominis impotentia poſt lapſum.

TAMETSI homo ad malum perpetrandum potentiſſimus & ſufficiens ſit, ad bonum tamen eſt impos, & ad damna ipſa, quæ per eum fuerunt commiſſa, reſarcienda & reparanda, eo nihil ineptius. Poteſt quidem ſeipſum in peccati abyſſum præcipitare, ſed inde reuocare gradum, & ad priſtinam Dei redire amicitiam, ſine eius ſpeciali auxilio non poteſt, Quod & ipſe Dominus per

Oſe. 13.

Oſeam proteſtatur, dicens: *Perditio tua Iſraël ex te, tantummodo ex me auxilium tuum.* Ex ſe ipſo habet homo quod cauſa ſit ſuæ perditionis: at non ex ſe habet auxilium, ſed illud aliunde expectare, & deſiderare debet, nempe à patre luminum, à quo omne bonum & omne donum optimum deſcendit. Quanta ſit hominis imbecillitas & infirmitas poſt lapſum,

D. Aug. Iſa. 46.

egregiè tractat Auguſtinus, lib. 4. confeſſionum in fine. Et ad hoc propoſitum adducit Iſaiam, cap. 46. dicentem: *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua: vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo; ego feci, & ego feram, ego portabo & ſaluabo.* Super quibus verbis inquit: Tu portabis paruulos, & vſque ad canos tu portabis, quoniam firmitas noſtra quando tua eſt tunc eſt firmitas, cùm autem noſtra eſt, infirmitas eſt. Sed Auguſtino dimiſſo, quis non videt, quàm eleganti metaphora Propheta vſus ſit, ad explicandum nobis quantum à Deo dependeamus, & quod eius auxilio ſublato,

Simile.

omnino de nobis actum ſit. Dependet enim infantulus adhuc in vtero matris incluſus, ab eius prouidentia & cura, vt ſatis de ſe conſtat, quia aliunde non habet vnde ali aut nutriri poſſit: quare ipſa nutrimentum denegante, ſtatim infirmaretur, ac periret: ſic nos omnino à Deo dependemus, quòd ſi à nobis ma-

Quare Deus alatus in Scriptura depingitur.

num ſuam auerteret, & auxilium ſubtraheret, nullum robur, nulla virtus, aut contra mundi pericula firmitas remaneret. Hoc, vt arbitror, Scriptura ſacra ſignificare nobis intendit, quæ paſſim Deo, ad ſignificandum eius auxilium, alas tribuit: *Sub vmbra alarum tuarum*, inquit Pſalmiſta, *protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Et alibi: *In velamento alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Sunt nāque alæ apud humanas & diuinas literas, protectionis ſignum, quia tota pullorum, cuiuſcunque auis ſit, protectio & ſecuritas, ex matris alis dependet. Sic firmitas & defenſio noſtra, non in alio quàm in Deo protectore noſtra collocanda eſt. Hinc fit quòd iuſti in omnib. ſuis neceſſitatibus, ſiue corporis, ſiue animæ, ad Deum

Pſal. 16. Pſal. 60. & 62. Per alas protectio diuina.

confu

confugiunt, & ad illum eorum oratio & gemitus diriguntur. Sanctus ille Rex Ioſaphat in quadam tribulatione conſtitutus, dicebat: *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Oculos ad Deum dirigere, nihil aliud eſt, quàm ad illum toto mentis & deuotionis affectu intendere, & non ab alio quàm ab ipſo auxilium & protectionem expectare, ſecundum illud quod habetur in Pſalm. 122. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis, ecce ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri.* Vbi ſecundum expoſitionem Lyrani loquitur in perſona populi Iſraëlitici ſub graui Antiochi perſecutione conſtituti, & inquit: *Sicut oculi ſeruorum,* &c. Circa quæ verba Caſſiodorus inquit: Seruus eleuat oculos in manus Domini, quando eget, vel quando vapulat, quia vtrumque in Domini poteſtate: ſic nos in omni tribulatione noſtra, non humanum, ſed diuinum auxilium expectare debemus. Sed iam ad propoſitum noſtrum accedamus. Licèt Rex ſanctus Dauid, peccatum cum Berſabe commiſſum, lachrymis oculorum ſuorum ſufficienter diluiſſet, tamen adhuc ex conſuetudine peccandi, quæ non ſtatim ad primum, neque ad ſecundum pœnitentiæ actum aboletur, quædam inclinatio & propenſio ad carnalia vitia in eo ſupererat, ſenſualitatis ſtimulos quotidie excitans, quibus non mediocriter affligebatur. Diabolus enim omni diligentia & ſtudio, per preteritarum delectationum memoriam, in eo concupiſcentiæ ignem accendebat. Hoc enim ſuum munus & officium eſt, ſecundum quod de illo ſcripſit Iſa. in perſona Dei loquens: *Ego creaui fabrum ſuper terram, ſufflantem in igne prunas.* Sufflat enim, & accendit in nobis ignem illum, de quo Iob cap. 31. dixit: *Ignis eſt vſque ad conſummationem deuorans, & omnia eradicans genimina.* In anima námque vbi accenditur hic ignis, omnia virtutum ornamenta conſumit, & meritorum omnium genimina eradicat & decerpit. Dato mihi hominem carnalem, & ego eum ab omni deuotione, virtute, & meritis alienum præſtabo. Et rectè carnalis delectatio igni comparatur, quia ſicut ex igne fumus egreditur oculos excæcans: ſic ex hoc vitio ſenſualitatis, fumus & tenebræ egrediũtur rationem excæcantes, quò fit vt animæ periculum non videat. Non enim fruſtra Poëta Latinus cecinit, de Regina Phœniſſa agens,

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Cæcum ignem Veneris appellat, quia cæcos alumnos ſuos facit. *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum,* dicitur Pſalm. 34.

2. Paral. 20. · *Pſal. 122.* · *Caſſiod.* · *Iſa. 54.* *Diabolus ignẽ concupiſcentiæ accẽdit.* · *Iob 31.* *Carnalis voluptas omnia diſſipat.* · *Virgil.* · *Pſal. 34.*

quia

quia ſemper lubricitatem luxuriæ, tenebræ ignorantiæ comitantur. Quod ſignificauit Philoſophus 7. Ethicorum, cùm dixit: *Quòd Venus furatur intellectum ſapientis.* Quis enim Salomone ſapientior? qui tamen per mulieres alienigenas infatuatus fuit. Fuit quippe intellectus eius, alias clariſſimus ex fumo ſenſualitatis obſcuratus, in tantùm, quod templa idolis concubinarum ſuarum conſtruxerit. Huius præteriti ignis, licèt per pœnitentiam extincti, Dauid noſter in ſe ſentiebat aliquod veſtigium à fomite peccati procedens, quod non modicum bellum illi inferebat, præteritas voluptates, de quibus iam pœnituerat, paſſim ad memoriam reducens, vt patet ex verſibus præcedentibus. *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Vbi Paraphraſis Chaldea inquit: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt combuſtione, & non eſt ſanitas in carne mea.* Quare ad Deum in præſenti verſiculo accurrit, ab eo auxilium poſcens. Quando enim comburitur domus, & aliquis intus latet, nec inde exire poteſt: nullum aliud remedium habet, quàm per feneſtras domus clamare, & vicinos conuocare vt ei opem ferant, ne ſimul cum domo ſua comburatur. Comburebatur quidem domus Dauidica concupiſcentiæ flammis diaboli ſuggeſtione ſuccenſis, quia mens eius illuſionibus complebatur, & lumbi illius combuſtione: vnde, ne ſimul cum corpore combureretur anima, per oris ſui feneſtrã gemitus emittebat ad Deum, & vſque ad cælum clamores ejus aſcendebant, dicens: *Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.*

Ariſtot. *Paraphr. Chald.* *Simile.*

Hinc diſcimus, quod quando in aliquo verſamur periculo, quando dæmonum tentationibus vexamur, non debemus de noſtris viribus præſumere, cùm ad tantam fortitudinem deuincendam ſint impares, ſed ad Deum adiutorem noſtrum recurrere, & ab eo auxilium poſtulare: quoniam ipſe ſolus inter humanæ vitæ fluctus, ſalutem, & incolumitatem nobis poteſt promittere. In Iſaia capite octauo dicitur: *Dominum Deum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter, & erit vobis in ſanctificationem.* Quaſi diceret: Sanctificate, & glorificate Dominum, ore & opere illum confitendo, & nullum alium præter ipſum timeatis, ſed ipſe ſolus ſit veſter pauor & timor: vt à tranſgreſſione mandatorum eius caueatis, & ſi ipſum ſanctificaueritis, ipſe etiam erit vobis in ſanctificationem. Vbi vertit Pagninus: *Erit vobis in palatium,* & verti poteſt: *Erit vobis in Aſylum,* vel *domum refugij,* quod in idem recidit. Palatia enim Regum reſeruata ſunt, & Deorum

Iſai. 8. *Ad Deũ cõfugiendum eſſe.* *Pagnin.*

Digitized by Google

rum domicilia, aut templa, vbi quenquam apprehendere, vel nocere non licet. Si ergo nos mala vndique premunt, ſi Dæmones infeſtant, ſi tentatio vrget, ſi caro aliquid contra nos machinatur, ad Deum noſtrum confugiamus, illum ſanctificantes & auxilium eius ſuppliciter poſtulantes, qui erit nobis in ſanctificationis domum, in palatium & Aſylum, vbi ab omni perturbatione quieti, & inimicorum impetu ſecuri eſſe poterimus. Fœlix iuſtus, qui in protectione Dei cœli commoratur, fœlix & millies fœlix, quem Deus ſub protectione alarum ſuarum abſcondit, quia tali protectione, nihil ei aduerſum aut infauſtum accidere poterit. Cantic. 2. vbi dicitur: *En lectulum Salomonis, Sexaginta fortes ambiunt illum*, litera Hebræa ſic habet. *Lectulum eius quem habet Salomon, ſexaginta fortes ambiunt eũ.* Lectus veri Salomonis, Chriſti videlicet Redemptoris noſtri, anima iuſti exiſtentis in gratia eſt: in qua deliciatur, dormit, & quieſcit: quia anima iuſti ſedes ſapientiæ. Hunc ergo lectum, eius quem habet Salomon, eius, inquam, quem ſpecialiter per amorem & charitatem poſſidet, & in quo ſedet & quieſcit, ſexaginta fortes ambiunt, multitudo Angelorum circundat, vt eum defendat & protegat ab omni malo. Quòd ſi nos mala vndique perturbant, ſi caro vincit, ſi vitiis paſſim miſerabiliter ſuccumbimus: hoc in cauſa eſſe exiſtimo, quòd non ad Deum accurrimus, non vt decet, protectionem eius poſtulamus. Quare de nobis, ſicut & de populo ſuo per Oſeam cap. 4. conqueri poteſt, dicens: *Populus meus in ligno ſuo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei, ſpiritus fornicationum decepit eos.* Populus hic inſipiens, inquit, cùm poſſet me interrogare, noluit, quin potiùs interrogauit ſimulacrum, quod ex ligno confectum eſt, & me Deum verum deſpexit. Baculum etiam ſuum interrogauit. Hoc dicit propter ſuperſtitionem quandam, & genus diuinandi, quod ex gentilitate mutuauerat, vt gloſſa exponit. Sumebant enim duas virgas, quibus ſortes mittebant circa idola, ita quòd vna illarum partem victam, altera verò vincentem referret, quas in altum proiiciebant, & quæ alteri ſubdebatur, aut ſuccumbebat in terra illa victa cenſebatur. Vnde Ezech. 21. dicitur, quod pergens Nabuchodonoſor contra Ammom, inter cæteras diuinationes miſcuerit ſagittas, & quòd exiit virga contra Hieruſalem. Itaque cùm animus Nabuchodonoſor indifferens eſſet & dubius, vtrum prius Ammonitas, vel Hieroſolymitanos inuaderet, voluit hoc auguriis & ſortibus explorare: & appoſuit duas ſagittas, quarum altera ſignificaret Hieruſalem, altera verò Ammõ, & ſors con-

Cant. 2.

Anima iuſti lectulus Dei.

Sap. 7.

Oſeas 4.

Nota.

Sic Lyranus interpretatur, Paraphraſtes, & Rupertus.

Sic Theophylact.

Ezec. 21.

Digitized by Google

tra Hieruſalem exiit. Conqueritur ergo Dominus de populo ſuo, quòd baculus eius annunciauit ei, id eſt, quòd per ſortes Dæmonum, & non per eius conſilium in factis ſuis dirigeretur. Quare inquit: *Spiritus fornicationũ decepit eos*, id eſt, Diabolus ad idololatriam inducens. Quænam ratio eſt fratres (vt ad noſipſos ſermo noſter dirigatur) quòd toties à Diabolo decipimur, arma libertatis noſtræ illi ſubiiciendo, & ſpiritui fornicationis conſentiendo? Nulla alia certè, niſi quia in neceſſitatibus & tentationibus noſtris non ad Deũ protectorem noſtrum, vt decet, ſed ad Idola & monſtra noſtræ ſenſualitatis, quæ colimus, & veneramur, confugimus. Hæc Idola conſulimus, & ab eis opem & fauorem petimus. Si auarus ſuam auaritiam, quæ eſt idolum, quod intra parietes templi ſui, cordis, ſcilicet, habet erectum conſulit, an cõtractus licitus ſit, nec ne? vtrum liceat ex mutuo aliquid accipere, an non? quid mirum, quòd ab Spiritu Sathanæ decipiatur, & ſemper lucris iniuſtis aſpiret? Si homo iracundus, ad idolum vindictæ confugit, vt ab eo conſilium accipiat: vtrum parcendum ſit inimico? vtrum iniuria dimittenda? Nónne ab eo decipietur, conſilium de vindicta ſumenda illi tribuendo? Tandẽ ſi carnalis & lubricus, qui deam Luxuriam Venerémque quã veneratur, conſulit, an liceat deturpare virginem, alienæ vxori vim inferre, vel cum cõſanguinea inceſtum cõmittere, nónne ſpiritus fornicationis eum decipiet, vt ea quæ non decet committat, & Deum ſuum offendat, & in corpus & animam ſuam peccet? Ideo non ad Idola ſenſualitatis noſtræ cõfugiendum eſt, in quibus eſt ſumma deceptio, ſed ad Deum verum, apud quem eſt ſumma veritas, qui nos à tentationibus & carnis illecebris liberabit, Dauidẽ imitantes, qui cùm carnis ſuæ tentationibus affligeretur, ad illum confugiebat, dicens: ***Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.***

Cõſulendus Deus nõ vitiũ.

Caſſiod.

Noſtra deſideria qualia debent

Caſſiodorus aliter hunc verſum explicat, dicens: *Tale eſt deſiderium meum, quòd meretur eſſe ante te*, quia pro peccatis petit. Et ad idem eſt gloſſa quædam interlinearis, quæ ibi Aug. aſcribitur, licèt in eius expoſitione non contineatur, quæ ſic habet: *Et ideo non eſt abſconditus, ſed auditus gemitus, quia prius eſt pro liberatione animæ.* Talia debent eſſe iuſti deſideria, & talia à Deo exaudiuntur: illa nempe quæ ad cœleſtia, non terrena, ad ſpiritualia, non temporalia ordinantur. Deſideria namque terrenorum non ſunt digna, vt ante diuinum conſpectum appareant, niſi quando ad cœleſtia diriguntur. Quale debeat eſſe deſiderium noſtrum, adumbratum eſt in ſummi

Eccl. 45.

Sacerdo

Sacerdotis ornamentis. Agens enim Eccleſ. cap.45. de illis inquit: *Coronam auream ſuper mitram eius, expreſſa in ſigno ſanctitatis, & gloria honoris, & opus virtutis deſiderio oculorum ornata.* Habebat, inquit, ſummus Sacerdos in capite ſuo ſuper mitram auream coronam miro artificio elaboratam, ex qua pendebat lamina aurea à parte anteriori, in qua nomen illud magnum Tetragrammaton, id eſt, quatuor literarum erat deſcriptum: quod erat deſiderium oculorum ipſius, quia in fonte ante oculos eius pendebat. Vt intelligeret inde ſummus ſacerdos, quòd nomen illud deberet eſſe obiectum deſideriorũ ipſius, & præter illud nihil aliud deſiderare. Ecce fratres, quale debet eſſe noſtrum deſiderium, Dei inquam: quia nomen illud nudam diuinitatem ſignificabat, & ideo erat ineffabile. Hoc eſt quod ante oculos mentis noſtræ ſemper moueri debet. Deſiderat hic diuitias, ille honorem, ille verò ſalutem, & alius forſitan voluptatem deſiderabit: ſed vnicum ſolum eſt deſiderium, quod mentis noſtræ oculos adimplere ſufficit, Dei videlicet, ad quem anima naturaliter inclinatur. Iſaiæ 26. inquit: *Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ.* Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis. Per nomen & memoriale Lyranus hic intelligit nomen ineffabile Ieſus, quod idem eſt cum nomine Tetragrammaton, quod deſiderabat ſanctus Propheta in nocte veteris teſtamenti conſtitutus: quia nomen illius erat, qui cunctis gentibus deſideratus appellabatur. De quo ſponſa cap.2. dixerat: *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Sederat enim ſub vmbra illius quem deſiderauerat ſponſa, quando nomen illud Tetragammaton, aut Iehouæ, vel alia nomina venerabatur, illíſque delectabatur valdè, quæ quidem vmbra quædam erant huius ineffabilis nominis Ieſus: cuius fructus ſupra modum animam noſtram delectat & ſatiat. Quia Ieſus idem eſt quod Saluator, & nihil gutturi noſtro ſuauius, aut dulcius, quàm conſiderare, quòd ille qui per omnipotentiam fuerat creator, per miſericordiam factus ſit Saluator. Sed aduertere oportet duo dicere ſponſam: & quod ſedit ſub vmbra, & quòd de illius fructu guſtauerit. In quo Deus, qui per hanc arborem ſignificatur, ab aliis mundi arboribus diſtinguitur, à creaturis ſcilicet. Creaturæ namque omnes ſolùm poſſunt homini aliqualem delectationis vmbrã facere, at ſunt arbores infructiferæ, ex quibus vera animæ ſatietas expectari non poteſt. *Quem fructum habuiſtis,* inquit D.Paulus, *ex his, in quibus nunc erubeſcitis?* Deus verò,

Nomen Ieſus.

Pro nomine Ieſu.

Iſaia 26.

Lyranus.

Rom.6.

Digitized by Google

Prou. 13. vmbram, & fructum,,protectionem,& ſaturitatem, nobis tribuit. Prouerb. 13. dicitur: *Iuſtus comedit & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſaturabilis.* Ratio eſt, quia iuſtus veſcitur Deo apud quem eſt vera ſaturitas: at peccator voluptatibus quæ non ſatiant, ſed potius appetitum excitant. Ouis nunquam ſatiatur in pratis, vt experientia docet, quia quanto magis paſcitur,tanto maiorem famem habere videtur, & auidius paſtum deſiderare: at in domo, vel in ouili vbi ruminat,& minus comedere videtur, ibi ſatiatur. Et ratio quam naturales huius rei reddunt ea eſt, quia ouis duos ventriculos habet, quorum alterum in pratis replet vbi non eſt fames: alterum verò domi ruminans, vbi famem patitur, & tunc verè ſatiatur: Sic homo qui oui paſſim comparatur,duos ventriculos habet,vnum burſæ,& alium conſcientiæ, vnum ſenſualitatis,& alium rationis, illum corporis,hunc verò animæ. Poteſt quidem homo in paſcuis vireutibus huius mundi replere primum, ſed non ſecundum.Non enim huius vitæ voluptates,diuitiæ, aut dignitates animæ deſiderium complere poſſunt, quin potius magis illud excitant, quia fames quam in te ipſo ſentis, (vt alias memini me dixiſſe) non in corpore ſed in anima conſiſtit. Vnde Ioannis 4. inquit Chriſtus Redemptor noſter,cum Samaritana verba agens: *Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum.* Et poſt pauca,cùm de aqua gratiæ loqueretur: *Qui biberit ex hac aqua,fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*,id eſt,fons aquæ, quæ deſiderium vitæ æternæ producat, quia licèt ſatiat aqua illa cœleſtis, ſed non faſtidium generat, ſed magis deſiderium accendit. Vera enim extat Eccleſiaſt. ſententia cap.24. *Qui bibunt me adhuc ſitient.* Sed quærit quidam doctor rationem quare non dixerit, *fiet in eo fluuius*, ſed *fiet in eo fons?* Et rationem reddens,ait: Quoniam fluuius ſemper ad ima, & inferiora labitur, ad mare turbulentum & amariſſimum pergit: ibi enim omnia flumina recipiuntur: at verò fons ſurſum ſcaturit & aſcendit,vt intelligamus, quod deſideria quæ à nobis requirit Deus, debent eſſe, non quidem inſtar fluuiorum,quæ ad ima & terrena tendant, non diuitiarum,dignitatum, magiſtratuum, aut voluptatum deſideria, ſed cœleſtia, quæ ab inſtar fontis,ſurſum ebulliant,& ferantur. Præcipiebat Deus in lege veteri, *ne comederent piſces pinnulas non habentes,quinimò quòd huiuſmodi eſſent immundi, & execrabiles. Quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet, eorum quæ in aquis mouentur & viuunt,abominabile vobis,execrandúmque erit.* Vbi inquit Gregorij gloſſa. Piſces qui pennas ha

Solus Deus ſatiat.
Simile.
Ioan.4.
Eccl.24.
Leuit.11.
Figura.

Digitized by Google

nas habent & ſquamas, dare ſaltus ſuper aquas ſolent. In pennatis ergo piſcibus electæ animæ figurantur, quæ pinnulis virtutum fultæ, per cœleſte deſiderium ſaliunt ad contemplationem, quamuis in ſe relabantur, per carnis fragilitatem. Itaque, habere pinnulas erit, dum aliquis in profundo pelago peccatorum ſuorum verſatur, per mentis deſiderium cor ſuum, ad Deum dirigere. Heu Domine, quantum anima mea à te eſt ſeparata, heu Creator meus, quando ex hoc profundiſſimo mari me educes? heu, quando ab hoc ſtatu peccati exire merear? Quando faciem tuam deſiderabilem ſum viſurus? Hoc enim eſt ſaltus ſuper aquas dare, hoc pinnulas & ſquamas habere. Qui autem pinnulas has in ſe non ſentit, illas à Deo poſtulet, ne execrandus & abominabilis ab eo habeatur. Interrogatus Abbas Arſenius quid nam filij eius facerent, vt beatitudinem conſequi mererentur: ſolùm hæc verba morti iam proximus reſpondiſſe fertur, ibi, vbi, quæ verba ſic interpretati ſunt. Ibi ſit cor noſtrum & deſiderium, vbi poſtea eſſe cupimus, videlicet, in cœlo. Si enim conuerſatio noſtra futura in cœlis eſt, ſi ibi gloria noſtra eſt repoſita, ſi ibi perpetuo habitaturi ſumus, & cum ſupremis illis cœlicolis regnaturi: quare ergo non totis votis ad illam cœleſtem patriam anhelamus, & corda noſtra ibi non figimus? Hoc in loco Beatus Dauid deſideria cordis ſui collocauerat, cùm dicebat: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* *Arſen.*

Cor meum conturbatum eſt, &c. Non mirum Domine videri debet, ſi ad te Deum meum tanquam ad ſacram anchoram confugiam, & ante te deſiderium meum, & gemitum meum repræſentem? Nam per peccatum commiſſum in graues miſerias incidi: quia cor meum in memetipſo conturbatum eſt & virtus mea, ſiue fortitudo, vt alij legunt, deſeruit me, & lumen oculorum rationis meæ non eſt mecum. Non eſt vna ſola miſeria, ſed quàm plurimæ, quæ ex peccato conſequuntur. Nam cùm peccatum mortale gratiam expellat ab anima, quæ quam plurima illi conferebat beneficia: neceſſe eſt, vt peccatum totidem damna conferat. Duo ſunt inter alia, beneficia, quæ à gratia & participatione Dei animæ noſtræ impenduntur: primum cordis conſtantia, fortitudo & ſtabilitas ad quæque aduerſa pro Deo perferenda: ſecundum eſt, quoddam rationis lumen ab inhabitante Spiritus ſancti gratia communicatum. Vnde prouenit, quòd iuſtus in lumine ambulare dicitur, & in meridie: quare nullo negotio pericula ſibi imminentia vitare poteſt & fugere. His duobus beneficiis priuat peccatum. *Duo beneficia confert gratia.*

Digitized by Google

Primò enim priuat ſtabilitate,& ſecuritate cordis:quia priuat
D. Amb. Deo,qui vera eſt eius fortitudo & virtus, vt inquit Ambroſius
Pſal.117. allegans illud Pſal.117. *Fortitudo mea,& laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Quare,ablato Deo per peccatum ab alicuius corde, non poteſt non conturbari, fluctuare, & timere.
D. Aug. Cui conſonat diui Auguſtini interpretatio,quæ ſic habet.Vnde conturbatum eſt cor? & deſeruit me fortitudo mea? Plerunque irruit neſcio quid repentinum,fit conturbatio cordis,contremiſcit terra,tonitrus datur de cælo,horribilis fit impetus,vel ſtrepitus:leo fortè videtur in via,fit conturbatio, latrones inſidiantur,fit turbatio cordis, pauetur vndique, ſolicitudo incutitur.Vnde hoc? quia deſeruit me fortitudo mea. Si enim maneret illa fortitudo quid timeretur? Quicquid nunciaretur,quicquid frenderet,quicquid ſonaret,quicquid caderet,quicquid horreret,non terreret. Sed vnde illa perturbatio?
Peccatũ timendũ. Deſeruit me fortitudo mea. Hoc ad Adamum primum parentem refert Auguſtinus,quem cùm deſeruiſſet fortitudo & vir-
Geneſ.3. tus eius,ſtatim cor eius conturbatum eſt,& fluctuare cœpit ac timere, non ſolum à voce ipſius Dei deambulantis ad auram per Paradiſum,vt ipſe fatetur: verùm etiam ab aliis creaturis, quæ propter peccatũ factæ ſunt ei inimicæ, ſicut fideles creatoris ſui miniſtræ. Hinc etiam conturbatio,& timor Cain primi reprobi proceſſit,qui ſemper in continuo tremore & pauore viuebat. *Ecce*,inquit,*proÿcis me Domine à facie tua, omnis qui inuenerit me occidet me.* Quem times,ô Cain? à cuius facie formidas? cuius arma metuis? *quien te pone el puñal a los pechos?* nondum natura humana propagata eſt, præter Adam & Euam parentes tuos, nullus adhuc homo eſt in toto terrarum orbe,qui tibi manus inferre poſſit.Quis ergo eſt hic tantus timor quo tua viſcera referta ſunt? *No ay coſa mas couarde ni mas medroſa en el mundo,que es el peccado. Lleuaua Cain el miedo en el cuerpo.* Peccatum enim quod commiſerat, cauſa erat ſui timoris.Expertus enim fuerat,quod propter peccatum ſuorum parentum creaturæ contra hominem conſurrexerant & conſpirauerant,debitam ei obedientiam denegando.Leo viſo homine rugiebat, tigris vngues parabat, vrſus ſupra pedes ſuos contra illum erectus incedebat, & reliqua animalia, non placido & amicabili vultu,vt aſſolebant, ſed irato & implacabili illum intuebantur: & ideo maximum timorem incurrit, exiſtimãs,quòd propter facinus à ſe commiſſum,creaturarum exercitus,aduerſus ſe dimicaturus erat. Timorem hunc magis explicant verba quæ ſequuntur. Dicitur enim: *Egreſſúſque*

Cain

Digitized by Google

Cain à facie Domini, habitauit profugus à facie Domini in terra ad Orientalem plagam Eden, vbi in Hebræo ſic habetur. *Habitauit in Nod.* Nod autem non eſt nomen proprium alicuius terræ, ſed appellatiuum, quod idem eſt quod tremor, aut commotio, quod ſignificat Cainum tantum timorem ex patrato facinore concepiſſe, quòd tota terra tremere & commoueri, quocunque pergeret ſibi videretur. Loquitur Salomon cap. 17. de timore quo Ægyptij præmebantur, tribus illis diebus, quibus, horribilibus tenebris fuerunt occupati, & inquit: *Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos, auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebant illos præ timore.* Tantum enim timorem incurrerant cùm in medio tenebrrarum, à quibus dimoueri non poterant, exiſterent, quòd aër ſibilans, & auium muſica, & currentium aquarum murmur, & alia huiuſmodi, quæ aliàs animum oblectare ſolebant, non modicam illis moleſtiam & triſtitiam inferebant. Cuius rei ratio, quæ ibi aſſignatur erat: quia vna catena tenebrarum omnes erant colligati. Hæc eſt ratio quare peccator in perpetuo viuit timore, quare impius fugit nemine perſequente, quare exultatio eius eſt, ſicut illius, qui deuorat pauperem in abſcondito, & cùm pax ſit & ſecuritas, ille ſemper inſidias ſuſpicatur: nimirũ, quia in tenebris peccatorum ſuorum ambulat, & dura culparum catena conſtringitur. Non abs re erit, neque ab hoc propoſito alienum, exemplum illud Damoclis in medium afferre, quia & ſcitu dignum, & auditu non ingratum. Cùm enim Damocles Dionyſium tyrannum fœlicem iudicaret propter diuitias & regni gloriam: vt intelligeret iudicium ſuum procul à veritatis ſcopo aberrare, hoc medio vſus eſt, vt adduxit Boëtius ſeptimo de conſolatione, proſa quinta, & refertur à Nicolao Lyrano ſuper illa verba Iob quinto: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius*, quæ de peccatore & impio protulit. Contigit ergo, quòd cum tyrãnus hic exiſtens in poteſtate ſua quæreret à Damocle Philoſopho quid ſibi videretur de ipſo: reſpondit, ipſum eſſe valde fœlicem: tunc Dionyſius vt intelligeret quãtum eum falleret opinio, fecit illũ ſedere in regali ſolio, veſtibus Regiis ornatũ, & apponi illi menſam omni ciborũ genere refertam, quã etiã muſica inſtrumenta oblectarẽt: verumtamen ſuper caput eius fecit appendi acutiſſimum gladiũ, ex tenuiſſimo filo pendentem. Quem videns Damocles, præ anxietate

Vide Oleaſtrũ.

Sap. 17

Quare peccator timeat.

Damocles.

Boëtius.

Lyranus

Iob 5.

Digitized by Google

non poterat comedere: ſed timebat & pallebat, præ timore gladij, ne quolibet momento caderet ſuper ipſum. Tunc Dionyſius illi dixit: Nunc ſcis quantum abſit à me fœlicitas: nam licèt ſim in poteſtate conſtitutus, tamen ſum continuè in tali anxietate, quali tu es modò, propter mala quæ aliis feci, timens quolibet momento inſidias mihi parari, & veneno, vel gladio fore interficiendum. Hæc ratio eſt (ni fallor) quare peccator ſemper timet, ſemper inſidias ſuſpicatur, & nunquam de ſua ſalute ſecurus eſt. *Anda ſiempre abiſpado el malo, y como aſombra de tejado.* Ratio, inquam eſt, quia licèt ſit in dignitate & proſperitate conſtitutus, licèt diuitiis & voluptatibus abundet, & in omnibus ei fortuna arrideat, tamen gladiū diuinæ vltionis ſuprà ſe diſtrictum & ſibi minitantem intuetur: & hinc eſt, quòd ſemper timet, ſemper cor eius fluctuat, & tranquillitatem animæ, qua potitur iuſtus, nullo modo gaudet. De illo enim per Iſaiam, capite quinquageſimo quinto dicitur: *Cor impij, quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in lutum, & conculcationem.* Rectè mari comparatur, non quieto & tranquillo, ſed feruenti & procelloſo: vbi non niſi timores & pericula, tempeſtas & inquietudo cernitur. Sic nimirū in corde impij timor & inquietudo reperitur, vbi paſſim fluctus peccatorum illum abſorbent, & inter culparum vndas naufragium patitur. Et quando aliud exemplum nobis deeſſet, ſaltem hoc Dauidicum, quod nobis præſens eſt, eſſet ſufficiens ad veritatem hanc comprobandam. Ipſe enim, qui cùm in amicitia Dei perſiſtebat, tanta firmitate & fortitudine cordis erat præditus, quòd non ſine magna animi confidentia diceret: *Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis: propterea non timebamus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Et alibi: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es:* nunc nimio timore perterritus, ex memoria ſui peccati, dicit: *Cor meum conturbatum eſt in me.* Et rationem reddens, inquit: *Quia deſeruit me fortitudo mea, aut virtus mea Deus.*

Iſai.57. *Pſal.45.* *Pſal.22.*

Et lumen oculorum meorum, ipſum non eſt mecum. Secundum beneficium quod confert gratia, vt diximus, eſt quoddam lumen internum à gratia Spiritus ſancti proueniens, quo nos priuat peccatum, & quantum ad hoc inquit: *Lumen oculorum meorum ipſum non eſt mecum.* Eſt enim peccatum nil aliud, quàm quædam animæ tenebræ, & cæcitas mentis qua intellectus obſcuratur. Vnde, inquit Magiſter libro quarto, diſtin

diſtinctione decima octaua, quod peccato totus homo interior obſcuratur, immò tanta eſt peccati obſcuritas, quòd, vt inquit ipſe Magiſter, Solem & Lunam obſcurârunt, quia ante peccatum magis lucebant (vt ipſe oſtendit.) Nec mirum quòd peccatum tenebris comparetur: quia ſicut tenebrę nihil aliud ſunt quàm priuatio luminis: ſic peccatum priuatio eſt illius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tenebræ & vmbra cauſantur ex interpoſitione alicuius corporis opaci & denſi, ſicut nubis, aut nebulæ inter ſolem & terram: ſic nimirum noſtrarum mentium tenebræ, ex interpoſitione peccatorum noſtrorum, inter nos & Deum verum iuſtitiæ ſolem. *Iniquitates veſtræ*, inquit Iſaias, *diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Tanta eſt peccatoris cæcitas, & tam denſiſſimis peccatorum ſuorum tenebris eſt irretitus, quòd tenebræ ipſe peccator in Scriptura ſacra appelletur. Quod adnotauit Doctor Incognitus ſuper illa verba Pſal.87. *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, aut iuſtitia tua in terra obliuionis?* Inquit enim circa verba hæc, quòd per ſepulchrum, perditionem, tenebras, & obliuionis terram, idem ſignificatur, videlicet peccator, qui omnibus his appellatur nominibus. Dicitur ſepulchrum, quia anima obſtinata, in peccato mortua habitat in corpore ſicut in ſepulchro. Quare Chriſtus Redemptor noſter Phariſeos in peccatis ſuis obſtinatos ſepulchris comparat, apud Matth.23. dicens: *Væ vobis Phariſæis, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ intus plenæ ſunt oſſibus.* Vbi diuus Chryſoſtomus ponit differentiam, inter corpora iuſtorum, & corpora peccatorum, dicens: Meritò quidem corpora iuſtorum templa dicuntur: quia anima in corpore iuſti dominatur, ſicut Deus in templo: corpora autem peccatorum ſepulchra dicuntur, quia anima mortua eſt in corpore illius. Dicitur etiam, in perditione eſſe, quia obſtinatus quandiu in ipſa obſtinatione perdurauerit, ſaluari non poteſt. Dicitur terra obliuionis, quaſi terra obliuioſa, vel terra quam Deus obliuiſcitur, quia cùm peccator obſtinatus Deum ſuum obliuioni tradat, iuſtè etiam Deus illius obliuiſcitur, & deſideria cordis eius ſequi permittit. Dicitur tandem tenebræ, vbi mirabilia Dei non cognoſcuntur, *quia tenebris obſcuratum habet intellectum*: vt inquit Paulus ad Epheſios quarto. Et ideo à via Dei alienatus. Vnum enim ex alio ſequitur. Si enim hominem aliquem videretis, qui relicta regia & directa via, per ſaxa & præcipitia immania abſque cun-

Magiſter ſentẽtia.
Peccatũ tenebra, & cæcitas.
Simile.
Iſai.59.
Doctor Incogn.
Pſal.87.
Matt.23.
D.Chryſ.
Epheſ.4.
Simile.

ctatione aliqua, alacer & ſubridens incederet; nónne hunc cæcum vel inſanum iudicaretis? quid ni? Via quæ tendit ad beatitudinem recta eſt, & omnibus patens, & abſque vllo offendiculo, vt Iſaias teſtatur: *Et erit ibi via recta & ſemita, & via ſancta vocabitur, ita vt ſtulti non errent per eam.* At videmus quòd peccator, contempta hac via recta mandatorum Dei; per abrupta & præcipitia ad inferos ducentia graditur, ſcilicet, per ſuperbiam & inanem gloriam, per auaritiam & diuitiarum cupidinem, per luxuriam & ſenſualitatem, quorum finis eſt interitus. Colligitur ergo manifeſtè peccatorem eſſe cæcum, ſolémque iuſtitiæ ei non illuxiſſe. Sic enim illi fatentur in tormento conſtituti, quando confeſſio eorum nullius momenti fuit, vt habetur Sapientiæ quinto: *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis: laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Primò enim fatentur cæcitatem ſuam: quia ſolem iuſtitiæ non ſunt intuiti, & deinde quaſi conſecutiuè difficultatem itinerum ſuorum, in quibus ſuprà modum laborauerunt & laſſati ſunt: confitentur. Exclamet igitur quæuis deuota anima cum Regio vate, ne ad tam miſerandum finem perueniat, & dicat: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum ipſum non eſt mecum.* Sed nunc, Domine, precor illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat hoſtis meus; præualui aduerſus eum.

Iſai. 35. *Sap. 5.*

Concede animæ meæ Domine claritatem cognitionis tuæ, vt hîc edocta & illuminata ſplendore fidei, cognoſcat te per gratiam, & in futuro per gloriam.

***

CON

Digitized by Google

CONCIO SEXTA.

Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt: Et qui iuxta me erant de longè ſteterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates: Et dolos tota die meditabantur.

INTER innumeras alias calamitates, quibus vita humana ſubiecta eſt, non poſtremum locum amicorum deſertio obtinet. Vulnus enim hoc ſæuum eſt & crudele, & vſque ad interiora pertingens, & quod cuiuſcunque hominis, quantumuis conſtantis & fortitudine præditi, viſcera transfigere ſolet. De Caio Iulio Cæſare fertur, quòd cùm in coniuratione contra eum facta in Senatu, ſenatores omnes illum occiderent, & vulneribus confoderent, inter ipſa vulnera morti iam propinquus, Bruto amico ſuo, non ſine ingenti dolore animi hæc verba locutus eſt: *Et tu quoque fili?* Quaſi maiori dolore, ex ingratitudine illa, quàm ex pugionibus ipſis afficeretur. Nihilò fortitudine minor, ſed virtute longè præſtantior Scipio Affricanus maior, cuius querela iuſtior fuit: quem poſt ingentia populo Romano collata beneficia, ciuitatis ignobilis ac deſertæ paludis (vt inquit Valerius) ciues & amici eius accolam fecerunt. Qui cùm in exilio naturæ iura ſolueret, hæc verba ſepulchro ſuo inſcribi iuſſit: *Ingrata patria nec oſſa quidem mea habes.* Et addit Valerius, non ſine magna dicendi elegantia. Quid iſta, aut neceſſitate indignius, aut querela iuſtius, aut vltione moderatius? Cineres ei ſuos negauit, quam in cineres collabi non fuerat paſſus. Sed humanis exemplis relictis, ad diuina gradum faciamus. B. Iob capite 19. inter alias calamitates, quas in graui ſua tentatione eſt perpeſſus, huius non fuit oblitus, quinimo eam recenſet, dicens: *Abominati ſunt me conſiliarij mei, & quem maximè diligebam aduerſatus eſt mihi.* Id eſt: Amici & propinqui, omnéſque illi, qui ſanguine & affinitate mihi erant coniuncti, qui tenebantur mihi auxiliari, videntes calamitatem & miſeriam meam, contempſerunt me, & mihi opem ferre neglexerunt. Quod quidem poſt alias calamitates refert: quaſi hoc maiorem

Amicorum deſertio amara.

Valerius maximus.

Iob 19.

Digitized by Google

maiorem ſibi dolorem inferret. Sed quid immoror in verbis hominis alicuius referendi? Cùm ipſe Deus de hac eadem regrauiter conqueſtus fuerit per Pſalmiſtam, Pſalm. 87. Alloquens enim patrem ſuum ſic ait: *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Moſtraſtes en mi todas las fuerças de vueſtro poder, y derramaſtes ſobre mi alma toda el agua de los dolores.* Sed in quo obſecro, omnes fluctus tribulationis induxit ſuper illum? Statim ſequitur: *Longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia.* Primum dicit: Longè feciſti notos meos à me, ſcilicet, Diſcipulos & Apoſtolos, qui familiariter cum eo conuerſabantur. Notos, id eſt, qui eum nouerant, & in magiſtrum acceperant, qui viderant miracula quæ fecerat, qui viderant ipſum mortuos ſuſcitantem, cæcos illuminantem, Dæmonia expellentem. Hoc enim dolorem Chriſti paſſi, non mediocriter aggrauauit, cùm videret in comprehenſione eius omnes fugiſſe. Quia ſicut ſolatium eſſe ſolet miſeris & afflictis ſocios habere pœnarum, qui pœnis ſuis aſsiſtant & illis compatiantur: ſic & aggrauatur pœna, quando quis in pœnis ipſis conſtitutus à ſuis familiaribus & notis derelinquitur. Quia eò dolor aggrauatur, quò derelinquentes cognoſcit non fuiſſe veros amicos. Inquit enim Eccleſ. 12. *Non agnoſcitur in bonis amicus, & non abſconditur in malis inimicus: nec proſperitas amicum indicat, nec aduerſitas inimicum celat. Es la aduerſidad la piedra del toque de la ver dadera amiſtad. No ay mejor conſtraſte donde peſar la.* Receſſerunt ergo noti Chriſti ab eo, quod paſsionis dolorem auxit: & abominati ſunt eum, quando primus illorum Petrus eum negauit, quaſi eſſet aliquis facinoroſus, aut malefactor. Sed dicit inſuper: *Traditus ſum & non egrediebar.* Fuit enim traditus à diſcipulo, iuxta illud quod dixerat in cœna: *Vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Et non eſt regreſſus, quia illum non dimiſerunt quouſque morte afficerent: *Sed & oculi mei languerunt præ inopia.* Per oculos hîc Doctor Haimo ſanctos Apoſtolos intelligit, & rectè quidem cum ab ipſo Domino dictum ſit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*: quaſi ipſi illius oculi eſſent, per quos quatuor mundi climata luſtrauit. Hi enim quaſi debiles & fortitudine inopes, in paſsione languerunt. & defecerunt fugientes & deſerentes magiſtrum. Ecce quantum dolorem, quàm magnam triſtitiam pariat amicorum derelictio, & familiarium deſertio. Videns igitur Dauid quòd in coniuratione quam filius ſuus Abſalon contra eum

Pſal. 87.

Eccl. 12.

Idem D. Hier. & Caſſiod. Apoſtoli oculi Chriſti.

Digitized by Google

eum machinatus fuerat (quam propter peccatum ſuum ſibi contigiſſe certò ſciebat) quamplurimi ex amicis eum deſeruerant & Abſaloni filio ſuo adhæſerant, videntes eum in calamitate conſtitutum, inter quos fuerunt Achitophel, qui non ſolum diſceſſit, verùm & pernicioſa conſilia atulit, Amaſa, & quamplurimi alij, qui partes Abſalonis agebãt, & pro illo bellum geſſerunt, ſicut Theodoretus & Lyranus aiunt. Conſiderans igitur hoc, & grauiter infidelitatem & fictam amicitiam ſentiens, coram Deo querelam ſuam repræſentat, dicens: *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt*, vel vt vertit Simmachus: *Amici mei & ſocij mei, aduerſum me in plaga mea contra ſteterunt*. In hoc ſignificans, quòd videntes plagam & calamitatem perſecutionis ſuæ, omnes aduerſus eum inſurrexerint. *Theod. Lyran.*

Offert ſe nobis hîc ampliſſimus campus ad diſputandum de falſa amicitia, qualis eſt quæ pro maiori parte inter amicos huius temporis reperitur: quam quidẽ nõ veram ſed fictam eſſe ex eo comprobatur, quod quantò, tempore proſperitatis viget, tantò, tempore aduerſitatis languet. Nam, quæ vera amicitia dicitur, ſemper vniformis eſſe debet: neque ad mutationem fortunæ mutari, ſed tempore aduerſitatis magis vigere. Vt enim cor in medio ſitum corporis, in ſiniſtram tamen partem magis inclinatur, & ibi magis pulſat, licèt vniformiter omnibus corporis partibus vitam ſpiret: ita plane, quamuis tam in proſperis, quàm in aduerſis, amicus & proximus debeat fauere ſuo amico, in aduerſis tamen, multò magis. Cùm duo ſpeciales amici, quorum alter erat diues, alter pauperrimus, ante Theophraſtum Philoſophum præſentarentur, & diſcipuli eius dicerent, illos maxima inter ſe amicitia eſſe coniunctos, reſpondit Theophraſtus. Quorſum ergo alter eorum diues eſt, alter verò pauper? Significare volens, veram amicitiam inter illos non reperiri, cùm alter alterius inopiæ non ſubueniret. Refert Bernardinus de Buſtis in ſuo Roſario, quòd olim Romani Amorem ſiue Amicitiam, ſic depingebant. Iuuenem pulcherrimum, caput detectum habentem, veſte abiecta & aſpera indutum, & in fimbria veſtimenti eius habebat ſcriptum, vita & mors, in fronte verò ipſius æſtas & hiems, habebat latus vſque ad cor apertum, & vulnus digito demonſtrabat, & in corde ipſo hæc verba exarata habebat, longè & propè. Primò enim depingebatur iuuenis Amor, quia vera amicitia tempori ſubiecta non eſt: nunquam enim ſeneſcit,

Vera & falſa amicitia.

Simile.

Bernard. de Buſtis.

Pictura amoris.

Digitized by Google

ſeneſcit, aut antiquatur. Veſte aſpera veſtitus erat, quia verus amicus, ad quæque aſpera & dura pro amico ſuo perferenda paratus eſſe debet. Caput diſcoopertum illud innuit: quod vera amicitia manifeſta & non ſimulata ſit; & quòd amicus non vereatur amicum ſuum publicè confiteri. Litera illa, vita & mors, quid velit manifeſtè conſtat ſcilicet, quòd in vita & in morte amicus eſt diligendus. Alia litera, æſtas & hyems, quòd tam in proſperitate, quàm in aduerſitate, dilectio hæc oſtendatur. Latus vſque ad cor apertum habere, ſignificat, quòd ex corde & ex viſceribus debet amor procedere. Quod vulnus digito oſtendit, hoc innuit, quòd amor qui in corde eſt, operibus, quaſi digito oſtendatur. Verba denique illa, longè & propè, inſinuant, quòd diſtantia loci & abſentia amici, non debet amicitiam impedire. Verùm enim verò, hic amor verè pictus, & metaphyſicus mihi videtur, non realis, qui modo in mundo reperitur, qui ſolum eſt realium. *Amor de reales y de in teres.* Quapropter non permanet, niſi proſperitatis tem-

Seneca. pore. Vnde de huiuſmodi amicis dixit Seneca: *Mel muſcæ ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam, non hominem, ſequitur turba iſta.* Videbis enim quòd quandiu Apia-

Simile. rius aluearium brachiis ſuis portat, Apes illum ſequuntur dulcedine mellis attractæ: at ſi aluearium derelinquat, ſtatim illum inſequi deſinunt. Sic nimirum contingit hodie, quandiu dulcedinem proſperitatis & diuitiarum in te viderint, quàm plurimos amicos, ſeu potius aſſentatores, te inſequentes numerare poteris: at diuitiis & proſpera fortuna deficientibus, ſtatim omnes te deſerent, & tanquam ab homine peſte paupertatis infecto fugient. Patuit hoc in Dauide, quem cùm proſpera ei fortuna arridebat, & in gratiam Saulis Regis propter victoriam de Gigante habitam, deuenerat: omnes Hieroſolymitani ciues, cuncti nobiles & potentes comitabantur, neque ab eius latere per momentum diſcedebant: ſed quàm primum à gratia Saulis cecidit, & illum perſequi cœpit, omnes deſeruerunt eum. Et cùm fugiens à facie Saulis ſe conferret in Nobe tam ſolus incedebat, quod ſacerdoti Abimelech, cauſa admirationis extiterit. *Miratus eſt*, inquit textus, *Abimelech, quòd tam ſolus eſſet Dauid.* Ac ſi intra ſe diceret: Hic ne eſt ille Dux ſtrenuus, quem omnes comitabantur, de

1.Re. 21. cuius amcitia gloriabantur, quem Rex tanto fauore ac beneuolentia proſequebatur, quem omnis turba virginum acclamabat: *Saul percuſſit mille, ſed Dauid decem millia?* Quomodo ergo nunc tam ſolus incidit? Sed quid mirum, quòd

tam

Digitized by Google

tam ſolus eſſet, cùm iam dulcedo proſperitatis ei deficeret, & à gratia Saulis iam cecidiſſet? Plures enim ſolē in ortu quàm in occaſu adorant: proſperitas quamplurimos amicos habet, aduerſitas verò nullum. *Eſt amicus*, inquit Salomon, *ſecundum tempus, & non permanebit in die tribulationis*, Eccleſ. 6. *Eccl. 6.*
Sunt huiuſmodi amici perſimiles argento viuo, quod aurum ſemper inſequitur, cum illóque magnam amicitiam videtur habere, at in tempore probationis quando in fornace vel igne projicitur, ſtatim illud deſerit. Sic quamplurimi qui tempore proſperitatis amicitiam profiteri videntur, aduerſitate ingruente, illico oſtendunt ſe non veros, ſed fictos amicos fuiſſe: quod bonum quoddam eſt (vt inquit Boëtius) quod in tribulatione & aduerſitate reperitur. Ibi enim amicitia examinatur, & quænam fuerit oſtenditur. In lib. Iob, cap. 2. dicitur, quòd cùm tres illi Reges Orientales amici eius, qui de terris ſuis ad eum conſolandum venerant à longe eum vidiſſent, in illa tribulatione conſtitutum, non cognoſcebant eum. Sed quid mirum? Ego enim iuramento illud affirmare auſus eſſem, quia amici ficti, quales illi, poſtea ſeſe oſtenderunt, amicum in tribulatione poſitum non agnoſcunt. Vnde de illis conqueritur ipſe Iob cap. 6. dicens: *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens qui raptim tranſit in conuallibus.* In Hebræo ſic habetur: *Fratres mei fefellerunt fidem, vt torrens, vt qui vallē tranſeunt torrentes, qui turbidi ſunt glacie & niue.* Eſt enim elegantiſſima metaphora qua vtitur patientiſſimus vir, ad explicandam amicorum ſuorum perfidiam & infidelitatem. Contingit enim, quòd hyemis tempore, quamplurimi torrentes decurrant, ex pluuiis & niuibus aggregati: viator autem, cùm aliquem torrentem iſtorum viderit, & locum amœnum arboribus conſitum valdeq; delectabilem, locum ipſum aduertit: quòd ſi contingat verno tempore per eandem viam tranſire, ex ſiti & ardore ſolis fatigatus, totam ſuam ſpem in torrēte illo repoſitam habet: quia ibi exiſtimat poſſe ſitim ſuam extinguere: Cùm autem ad locum illum peruenit torrentem ſiccum inuenit, & nec aquæ guttam per amnem decurrere. Fefellit enim eum ſua ſpes, & à deſiderio ſuo fruſtratur, quod in maximam moleſtiam cedit. Ex hac ſimilitudine iuſtam huius Prophetæ querelam, & literæ intelligentiam habere poſſumus. Comparat Iob amicos ſuos his torrentibus infidis, & mendacibus, qui neceſſitatis tempore deficiunt: quia amicitia eorum tempore aduerſæ fortunæ, quo magis erat neceſſaria, defecerat. Non abſimiles mihi eſſe videntur amici huius temporis, quorum amicitia tandiu durat

Ficta amicitia.

Boëtius.

Iob 2.

Iob 6.
Nota.

Digitized by Google

durat quandiu proſperitatis aura, qua deficiente, nullum remanet amicitiæ veſtigium. Hæc eſt noſtri Dauidis quærela, qui omnes amicos ſuos, tempore ſuæ perſecutionis, mercenarios & infidos fuerat expertus. Quare non ſine graui dolore inquit: *Amici mei*, &c. Quod & magis verſio B. Hieron. ex Hebræo confirmat, ſic habens: *Chari mei, & amici mei, quaſi contra lepram meam ſteterunt. Huyan de mi como de hombre tocado de lepra.*

Euſebius Angeli beati amici & proximi hominis dicũtur.

Euſebius aliò diuertit hunc verſum. Per amicos namque & proximos, ſanctos Angelos intelligit, qui amici hominis appellari poſſunt: quia ſummo amore eum proſequuntur, bonum beatitudinis illi optando. Dicuntur etiam proximi, propterea quòd capaces ſunt beatitudinis, & ad eundem finem, quem homo creati, ſed propter peccatum fiunt inimici hominis, cùm homo fiat inimicus Dei creatoris ſui. Patet hoc in primo homine, qui ante peccatum, Angelorum erat amicus & familiaris: ſicut oſtendit Bernadus ſuper illud Pſal. 48. *Homo cùm in honore eſſet non intellexit.* Vbi dicit: Homo ante peccatum habitabat in Paradiſo, in loco voluptatis conuerſatio eius, nihil moleſtiæ, nihil indigentiæ ſentiebat, conſtitutus ſuper opera manuum creatoris, erat illi ſors & ſocietas cum choris Angelorum, & cum omni militia cœleſtis exercitus. Sed quod mirũ quòd Angeli hominis familiaritate & amicitia delectarentur, cùm & ipſi creatori hoc contingiſſet? Dicit enim Prouerb. 7. loquens de creatione rerum. *Cum eo eram cuncta componens*, ſcilicet, cum æterno Patre, *ego Sapientia, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*, ſeu, vt alia litera habet, *Delicians in mundi harmonia, ſed delicia mea eſſe cum filijs hominum.* Ex quo loco eandem ſententiam deſumpſiſſe videtur Mercurius Triſmegiſtus, Ægyptius ſiue Madianita, dicens: Quòd Deus duas compoſuit imagines, ſcilicet, mundum & hominem: alteram videlicet mundum, vt in ea luderet; alteram, nempe hominem, vt in eo deliciaretur. Quòd ſi ipſe Deus tantum ante peccatum de hominis amicitia & familiaritate gaudebat, quid de Angelis, qui facti ſunt ei miniſtri, & in cuſtodiam dantur, erit ſentiendum?

D. Bern. Pſal. 48.

Mercurius Triſmegiſtus.

Pro Angelis cuſtodibus.

Non leue argumentum eſt ad comprobandam amicitiam Angelorum, qua nos proſequuntur, cura & ſolicitudo quam in nobis cuſtodiendis habent. Nam licèt faciem patris ſemper videant, eiúſque fruantur conſpectu, nos ipſos cuſtodire in via, & à periculis, & Dæmonis incurſibus defendere, non dedignan

dignantur: quod niſi ex magna beneuolentia & amore oriri non poteſt: vt oſtendunt verba illa Pſal. 90. *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidē pedem tuum.* Quem verſum, licèt Satanas allegauerit pro Chriſto, tamen falsè allegauit eum Matth. 4. vt adnotauit Hieronymus, quia non intelligitur de Chriſto, qui Angelorum cuſtodia non indigebat, cùm ſit eorum Dominus & creator, ſed de quolibet iuſto, qui Angelorum cura cuſtoditur, ne cadat in peccatum. Et inquit. *In manibus portabunt te.* In quo ſingularis Angelorum amor oſtenditur. Præcipitur eis, vt hominem in viis ſuis cuſtodiant, quia via huius mundi periculis, & aduerſariis plena eſt. Et ſicut cùm aliquis Princeps aut nobilis, dū per iter aliquod eſt tranſiturus, vbi pericula latronum aut hoſtium timentur, literæ Regiæ ei dantur, in quibus viciniotibus ciuitatibus præcipitur, vt milites ei conferantur, ad iter ſuum ſecurius peragendum. *Manda que le lleuen con eſcolta y gente de guarnicion.* Non ſecus factum eſt cum homine. Videns enim ſummus ille mundi Imperator, quanta in huius miſerrimæ vitæ itinere, homini imminerent pericula, & quòt inſidiæ paſſim ei pararentur Dæmonum, noluit, vt ſolus, ſed militibus, ſcilicet Angelis comitatus incederet: vt ſic omnes Diaboli technas & inſidias poſſet euadere. Patet hoc ex Angelo Tobiæ, qui eum à tot periculis in via & à poteſtate Dæmonis liberauit, Tobiæ 12. Sed & ſancta Iudith cap. 13. hoc idem confeſſa eſt, dicens: *Cuſtodiuit me Angelus Domini, & non permiſit me ancillam ſuam inquinari peccato.* Deducitur etiam hoc manifeſtè ex alio verſu Dauid, vbi ſic dicitur de iuſtis, *Stetit Angelus Domini in circuitu timentiū eos, & eripiet eos.* Vbi diuus Hieronym. ex Hebræo ſic vertit: *Circundat Angelus Domini in gyro timentes eum.* Alia autem verſio ſic: *Caſtrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum*, id eſt. *Aſienta ſu Real al rededor del iuſto, para guardalle y defendelle*: more ducum qui caſtra ſua iuxta arcem, vel ciuitatem ponunt, ad eam defendendam. Et hinc eſt quod Heliſæo contigit, 4. Reg. cap. 6. Cùm enim famulus eius videns Syrorum caſtra maximo terrore eſſet perculſus, orauit ad Dominum: *Domine aperi oculos iſtius*, &c. & ſtatim aperti ſunt oculi eius, & vidit montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Heliſæi, quod non aliud credendum eſt fuiſſe, quam Angelorum militiam Heliſæum cuſtodientem, vel fuit Angeli ipſius Heliſæi cuſtodia, quæ cùm munitiſſima valdéque ſecura eſſet, in illo

Matth. 4. Chriſtus non indiguit cuſtodia Angeli. Simile.

Tob. 12. Iudic. 13. Pſal. 33. D. Hier. Nota.

4. Reg. 6.

Q curruum

Digitized by Google

curruum & armorum apparatu repræſentabatur. Bene ergo dicitur in Pſalm. *Angelis ſuis Deus mandauit de te*, &c. Sed vt ad propoſitum deueniamus, oſtenditur euidenter Angelorũ amor erga hominem, in hoc quod ſequitur: *In manibus portabunt te*. Præcipitur illis, vt cuſtodiant hominem, ipſi verò tanta cura & vigilantia hoc præceptum adimplent, tantáque beneuolentia hominem proſequuntur, vt in manibus portent: quod ſummi amoris eſt indicium. Portamus enim in manibus illud quòd valdè charum eſt, ſicut mater portat paruulum filium, & ſicut gemmam & lapidem pretioſum in manibus etiam portare ſolemus. Dicere ergo quod in manibus portãt hominem, ſignificare eſt, quòd eſt illis valdè charus & pretioſus, & ne deperdatur & pereat, in manibus illum portant. Vel ſecundùm D. Bernardi expoſitionem, portare iuſtum in manibus dicuntur, quia non patiuntur eum tentari, ſupra id quod poteſt. Sed in manibus portabunt eum, id eſt, ei auxilium ferent vt pertranſeat offendiculum, quia facilè tranſit foueam qui portatur manibus, & mundè lutum qui manibus ſuſtinetur, & facilè natat aquam, cuius alter ſuſtinet mentum. Ad hoc propoſitũ explicari poteſt illud Iob cap. 9. *Sub quo curuantur, qui portant orbem*. Loquitur enim de Angelis qui portare orbem dicuntur, vel quia ſecundùm Peripateticam doctrinam, cuilibet orbi vnica aſſiſtit intelligentia, illum mouens infatigabili curſu, vel quia in manibus hominem portant, qui Microcoſmos ſeu paruus mundus, appellari ſolet.

D. Bern. *Similia.* *Iob 9.*

Et licèt à propoſito aliquantiſper digredi videar, non grauabor viſionem illam ſcalæ, quam vidit Iacob, antequã vltimam manum huic conſiderationi imponam, referre, & eam explicare. Dicitur Geneſ. 28. *quod fugiens Iacob à fratre ſuo Eſau, pergenſq; in Meſopotamiam poſt ſolis occaſum, requieſcere volens in quodam loco, ſuppoſuit lapidem capiti ſuo, viditq; in ſomnis ſcalãm ſtantem ſuper terram, cuius cacumen cœlum tangebat, Angelos aſcendentes & deſcendẽtes per eam, & Dominum ſcalæ innixum*. Vbi conſideratione dignum eſt, quibus modis Deus ſeruum ſuum afflictum conſolatus fuerit. Tria eum grauabant. Primum, quod peregrinus in terra aliena omnibus incognitus eſſet. Contra hoc oſtenditur ei ſcala à terra vſque ad cœlum pertingens, quaſi diceret. Noli ob hoc ſolicitus eſſe, quod peregrinus es in terra aliena: en ibi parata eſt via ad cœlum, quid igitur tibi nocebit ſi nihil habeas in terra, cùm cœlum tibi ſit apertum? Secundum, quod longè à parentibus abeſſet. Cõtra hoc ſeipſum Deus oſtendit, quaſi dicat: Quid obeſt

Gen. 28.

ſi longè

ſi longè à parente carnali ſis, dum modò ego tibi ſim pater? En adſum tibi, & non te deſeram. Poſtremo maximè eum ſollicitabat odium fratris. Contra hoc videt Angelos in ſcala illa, qui tanta familiaritate ad eum deſcendebant. Ac ſi diceret Dominus: Fratrem & homines aduerſarios habes, ſed conſolare, quia Angeli tibi ſunt amici & protectores. Ne ergo timeas fratris tui inſidias, quia Angeli, qui veri ſunt amici & defenſores, caput tuum ſeruabunt. Hi ergo Angeli veri hominis amici, qui eum protegunt & defendunt, & conuerſatione eius delectantur, propter peccatum, ex amicis in inimicos cõuertuntur: quia cùm peccator inimicus Dei fiat, non poſſunt eidem peccatori etiam Angeli non aduerſari. *Statim enim hac homo peccauit, eiectus fuit ab Angelo ex Paradiſo voluptatis: & ſtetit in Paradiſi porta gladium ignitum diſtrictum in manu ſua habens, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Ex ianua enim illius munitiſſimæ arcis, bellum vſque ad ignem & ſanguinem, contra filios Adæ, natura Angelica gladio illo flammæo indicebat. Hoc etiam apparuit in Balaam. Num. 22. Cui Angelus Domini obuiam exiit gladium euaginatum in manu ſua tenens, cùm ad maledicendum populo Dei pergebat: *Ego veni,* inquit, *vt aduerſarer tibi: quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria.* Itaque ſancti Angeli, dum in peccatis ſumus, licèt omnino noſtram cuſtodiam non derelinquant, tamen nobis aduerſantur, quatenus aduerſarij Dei ſumus, & permittunt nos in aliqua mala incidere: vt S. Thomas determinat 1. par. quæſt. 113. art. 6. Conſiderans ergo Dauid peccatum ſuum, & quod propter illud, in inimicitiam inciderat Angelorum: qui in quamplurima mala pœnæ eum labi permiſerunt, ſecundùm diuinæ prouidentiæ ordinationem inquit: *Amici mei & proximi mei, aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt: & qui iuxta me erant de longè ſteterunt.*

Geneſ. 3.

Num. 22

D. Thom.

Et vim faciebant, qui inquirebant animam meam. Per hos animam illius quærentes ad perdendum eam, Dæmones intelligit, ſecundùm gloſſam Caſſiodori, quem ſequitur Incognitus. Quærit enim Satanas animas noſtras ſummo ſtudio & diligentia ad perdendum eas: & vt hoc aſſequatur nullam non facit vim, & nullum non mouet lapidem. Iob capite primo interrogatus eſt à Domino, *vnde venis*? Reſpondit. *Circuiui terram & perambulaui eam.* Quæ verba non ſimpliciter accipienda ſunt, neque iactanter (vt Origenes exiſtimat) ſed tanquam veriſſima quæ proprium Diaboli ingenium & eius indefeſſum ſtudium indicant. *Circuit enim Dæmon*

Caſſiod.
Incognit.
Tob. 1.
Diabolus circuit quẽ deuoret.

Digitized by Google

tanquam leo rugiens (vt ex ore Beati Petri verba depromamus) *inquirens quem deuoret*. Per quem modum circumeundi, calliditas & aſtutia eius ad decipiendum denotatur. Nam & Latinè dicimus circumuenire quempiam, pro decipere. Vnde interpres Chaldaicus ſic tranſtulit. *Scrutatus ſum in terra, & ambulaui per eam.* Scrutinium enim rerum pretioſiſſimarum eſt frequenter, quod non ſine magna diligentia & curioſitate fit. Sicut ſolet mulier ſcrutari domum,& eam euertere ad inueniendam dragmam, vel gemmam deperditam. Non enim ſcrutatur Satanas terram, ad inueniendos theſauros,quia aurum, argentum ,& omnem mundi gloriam pro nihilo pendit. Quin potius omnia hæc Chriſto obtulit in deſerto, vt cadens in terram ſe adoraret, ſed diuitiæ illius ſunt animæ, quas ſumma diligentia inueſtigat,vt rapiat. Cui conſonat Euſebij Emiſſeni explicatio homilia tertia de Epiphania, circa illa verba Hieremiæ ſeptimo. *Perdix fouit quæ non peperit,cõgregauit diuitias,ſed non in iudicio.* Vbi inquit,quòd per hanc autem Diabolus intelligitur. Hæc enim auis (vt ipſe inquit) ſi feræ alicuius incurſu priuata fuerit ouis propriis,inſidiatur alienis : & nidi habitatore depulſo, partus inuadit extraneos. Itaque,maximam habet auiditatem ſuffurãdi alienos, quos diuitias ſuas appellat. In quo Dæmonis aſtutia , & animarum fames oſtenditur.Ineſt enim ei quædam,quaſi naturalis cupiditas animarum ſuffurandi, cùm propriè ſint Dei creaturæ, quas ſolas ſuas diuitias reputat.Vnde & terram ſcrutatur ad eas inueſtigandas & decipiendas. Quòd ſi de auidiſſimo mercatore Poëta cecinit.

Interpres Chald. *Nota.* *Matt. 4.* *Euſebij Emiſſen.* *Exemplum naturale.*

Horat.

Impiger extremos,currit mercator ad Indos:
Per mare pauperiem fugiens,per ſaxa,per ignes.

Sic hic animarum mercator de ſeipſo profert:*Scrutatus ſum terram , & peramburaui per eam. No que da dia qua no le da vna buelta.* Leo Papa referente D.Bonauent. in Pharetra capite 4. huiuſmodi diligentiam notauit, dicens: Diabolus omnium diſcutit conſuetudines,omnium ventilat curas,omnium ſcrutatur affectus,& ibi cauſas quærit nocendi, vbi quempiam viderit ſtudioſius occupari.

Leo Papa D. Bona.

Quòd ſi hoſtis hic crudeliſſimus arbitrio ſuo relinqueretur, & miſericors Deus vires eius non confringeret: aut limitaret: nullus profectò eſſet qui ei poſſet reſiſtere, quia non eſt poteſtas ſuper terram,quæ poſſet ei comparari:ſed Deus eius vires comprimit. Quia vt inquit D. Paulus. 1.Corinth.10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet*

Iob 41. *1.Cor.10.*

faciet cùm tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Prouentum enim quod facit Deus, eſt auxiliū gratiæ ſuæ nobis conferre, quo mediante & inimici vires imminuit, & nobis facultatem ad reſiſtendum tribuit. Et hoc ſignificatum eſt per illa verba Iſai. cap. 37. Quæ do Semnacherib populi Iſraëlitici inimico, per quem Diabolus ſignificatur, dicta ſunt: *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in maxillis tuis, & reducam te in viam per quam veniſti.* Vbi gloſſa Gregorij inquit: Omnipotentiæ Dei circulum Diabolus in naribus portat: vt cùm bonorum mortem ardentius anhelat, ab eorum vita vacuus redeat. Itaque ponere circulum in naribus eius, & frænum in maxillis eius, nihil aliud eſt, quàm eius potentiam & crudelitatem frænare & compeſcere, vt à ſuo deſiderio fruſtratus maneat, quod eſt per eandem viam redire. Cui etiā conſonat viſio B. Ioan. in ſuæ Apoc. cap. 2. vbi dicit, *quòd Angelus ille qui deſcendit de cœlo*: videlicet Chriſtus, *apprehendit draconem ſerpentem antiquum*, qui eſt Diabolus, *& alligauit eum.* Dicitur namque in vinculis retineri, quia in nullum, niſi permittente Deo, inuehi poteſt. Et ſecundo, quia Demonum poteſtas aduentu Chriſti imminuta, imò fracta eſt: vt eleganter ſatis, atque perdoctè tractat Euſebius, lib. 4. præparatio. Euang. cap. 1. quod comprobat Porphirij Eccleſię acerrimi hoſtis confeſſione. Inquit enim Euſebius; quòd autem poſt tempora Saluatoris noſtri, potentia Dæmonum fracta iaceat, ipſe Porphirius Chriſtiani nominis hoſtis, in libro, quem aduerſus religionem noſtram conſcripſit, hoc modo teſtatur: Nunc verò mirantur, inquit, ſi tam multis annis peſte vexatur: cùm & Æſculapius & alij Dij longè abſint ab ea. Poſtea enim, quam Ieſus colitur, nihil vtilitatis à Diis conſequi poſſumus. Ex his ſequitur quòd Dæmon in ſtatu gratiæ non habet tantas vires ad tentandum, ſicut habuit in ſtatu naturæ, & in lege veteri, quia iam per Chriſtum ducem noſtrum fuit ſuperatus, & eius potentia imminuta. Quare nos facilè poſſumus eum debellare, & ictibus eius reſiſtere, quia inimicus inermis eſt. Quod cecinit Abacuc in ſuo Cantico dicens: *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.* Percuſſit Chriſtus caput de domo impij, quando in deſerto Satanam percuſſit & ſuperauit, qui creditur eſſe Lucifer omnium Dæmoniorum caput: denudauit fundamētum, id eſt, arma eius vſque ad collum, quia eum inermem & debilem reliquit, vt quiſque noſtrum illum ſtrangulare & vincere poſſit. Debilis enim eſt hoſtis, quem reſiſtendo ſolùm, ſuperare poſſis. Si Diabolo reſti

Deus vires Dæmonis cōprimit.
Iſai. 37.
D. Greg.
Apoc. 2.
Euſebius Cæſar.
Porphir.
Diabolus facilè vincitur.
Abac. 3.

Digitized by Google

reſtitiſti, cum ſuperaſti, ſi tentationibus eius non præbuiſti conſenſum, victoriam de illo conſequutus es. In bello illo quod mouit Rex Antiochus contra populum Iſraël, vt habe-
1. Mac. 2. tur, 1. Machabæorum, cap. 2. fuerunt quidam, ex his qui Ma-
Figura. thatiam illius populi ducem ſunt ſequuti, qui reſtiterunt viriliter militibus Regis Antiochi, & hi quidem victoriam ſunt adepti: alij verò timore perterriti, non ſunt auſi reſiſtere, ita quod neque lapidem miſerunt in eos, vt ibi dicitur, nec oppilauerunt loca occulta, qui omnes interfecti ſunt. Ad eundem modum, qui Regi Antiocho, id eſt, diabolo non reſiſtit, in tentationibus & bellis ſpiritualibus voluntati eius parendo, hic abſque dubio ab illo occiditur: at, qui illi reſiſtunt violenter & fortiter, hi de illo victoriam conſequuntur. Quia, licèt vis diaboli & eius potentia magna ſit, tamen iam per Chriſtum fracta eſt & ſuperata. Non enim tantis viribus pollet, quantis, cùm Dauidem ſuperauit. Tunc enim vires dæmonum magis vigebant, quia nondum extenuatæ erant, aut imminutæ per Ducem noſtrum Chriſtum, qui eum in palæſtra ſuperauit. Quare experientia edoctus dicebat: *& vim faciebant qui quærebant animam meam.*

Et qui inquirebant mala mihi, &c. Facta mentione de perſecutione quam à diabolo patiebatur, nunc de ea quam à ſatellitibus & miniſtris eius, loquitur, ſecundum gloſſam moralem, quæ ſic habet. *Et qui inquirebant mala mihi*, id eſt, homines maligni, qui ſunt membra diaboli. Hi enim quærebant mala Dauid, quia mortem ei quærebant inferre, & diuerſos dolos & diabolicas aſturias, ad hoc inquirebant. Sicut & ipſe
Pſal. 35. Dauid in alio Pſalmo affirmat, dicens de Saule, qui eius mortem machinabatur. *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni via non bona, malitiam autem non odiuit.* Sed aduerte, quòd quando de dæmonum perſecutione agit, verbis ſimplicibus vtitur, dicens: *Et vim faciebant, qui inquirebant animam meam.* Sed quando de perſecutione hominum, loquitur maiore ponderatione: *Et dolos*, inquit, *tota die meditabantur*, id eſt, ſemper & inceſſanter. Quaſi magis hominum malitiam & crudelitatem, quam dæmonum aggrauet. Et rectè quidem quia crudelitas hominum, crudelitatem dæmonum, aliquando ſuperat & antecellit. Diabolus enim perſequi Chriſtum ceſſauit, & fatigatus eſt: at homines, nunquam ceſſauerunt, ſed adhuc poſt mortem, denuo illum perſequebantur, dolos & vanitates contra illum meditantes, & apponentes ſepulchro eius cuſtodiam, ſeductorémque illum appellantes.

Perſecutio hominum cũ perſecutione dæmonum cõfertur.

Quinimo,

Digitized by Google

Quinimo,fuit Origenis opinio,quod diabolus ſemel in aliqua tentatione victus defatigetur, & iterum hominem in eodem genere tentationis non aggreditur. In quo hominis crudelitas, & grauis eius perſecutio oſtenditur: qui inimicum ſuum vſque ad mortem perſequitur, nec deſiſtit à concepta malitia, quouſque tandem optatum finem conſequatur. Homo,homini lupus, vulgariter dicitur:ſed rectius homo,homini, homo, diceretur,quia rabies & crudelitas hominis, omnium ferarum crudelitatem excedit. Ferè enim beneficiis aliquando domeſticantur & manſueſcunt:at homines ſunt, (vt verbis vtar diui Ignatij) Leopardis crudeliores, quibus cùm benefeceris, peiores fiunt.Non abhorret ab hoc propoſito hiſtoria illa quæ habetur in libro Danielis,capite quinto. Volens Deus Balthaſari Regi ſignificare graue ſupplicium, quod de illo ſumere decreuerat, propterea quod vaſa aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor aſportauerat de templo, profanauerat, & propter alia facinora quæ commiſerat:oſtendit ei manum hominis ſcribentis contra candelabrum, in ſuperficie parietis: qua viſa ſtatim color eius immutatus eſt,& cogitationes eius conturbabant eum. Sed bone Deus, quis huiuſmodi ſymbolum & regiæ mortis inſigne non miretur? Vult Deus illi crudeliſſimam mortem, quam paſſurus erat illa nocte oſtendere, & tranſlationem regni eius ad Perſas ſignificare, & crudeliſſimum hoc ſupplicium, ſymbolo manus ſcribentis ſignificat. Si ei cometam ſuccenſam, aut globum igneum per modum lanceæ,aut gladij oſtenderet, ſicut in morte Principum apparere ſolet,rectè quidem ſe haberet:at manum tenuem & delicatam hominis,quorſum hoc? Rurſus ſi manus hæc leonis eſſet, aut vrſi,vel cuiuſuis alterius feræ, prædam dilacerantis,ſed manus hominis, quæ benigna eſſe ſolet,& parcens? Hoc quidem admiratione dignum eſt, quòd ſub hominis manu tam crudelis vindicta intelligatur.Hinc planè oſtenditur,quam dura ſit hominis manus, quanta eius crudelitas & inhumanitas. Nulla manus crudelior,aut ad vindictam ſumendam, humanúmque ſanguinem effundendum auidior. Ira enim hominis quando veraciter exardeſcit,neſcit habere modum aut placari. Optimè quidem hoc cognoſcebat Dauid ipſe: cui cùm ex parte Dei optio daretur & electio, vt vnum è tribus eligeret, famem, aut bellum,aut peſtem: vltimum elegit, dicens: *Coarctor nimis, & quid eligam ignoro, ſed melius eſt mihi incidere in manus Dei,quàm in manus hominum, quoniam multa miſericordia eius.* Ac ſi diceret:Scio enim nec me præterit,quòd

Opinio Origenis

D.Ignat.

Dan.5.

Nota.

horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, non me fugit quòd manus eius valida, ſuper Ægyptum aggrauata eſt, & quòd in duritia manus ſuæ inimicis ſuis aduerſari ſolet, de illiſque vindictam ſumere: ſed cum his omnibus conſidero, quòd manus ſunt miſericordiæ & clementiæ. *Manos que noſe dan manos a perdonar y vſar de miſericordia.* At verò manus hominis crudelis, tyranna, & implacabilis. Vnde, melius eſt mihi in manus Dei, quam in manus hominum incidere. Sed ad noſtram eruditionem hoc ſolùm aduerte, quò ſermonem
Paulus. noſtrum concludamus, quòd non ſine cauſa ſacratiſſimus Paulus dixerit: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis:* non Dei mortui, vt intelligamus, quòd poſtquam Deus pro nobis mortuus eſt & paſſus, iam ſecurum eſt & ſuaue, in manus eius incidere, quia duriſſimæ illæ manus, quibus peccatores percutiebat, balſamo ſanguinis ſui delinitæ, ſumma lenitate & man-
Raulin. ſuetudine afficiuntur. Quærit magiſter Raulin. 2. part. ſermonum quadrageſimalium. Quare voluerit Deus, quod manus eius clauis cruci affigerentur? Et reſpondet: quòd ad peccatorum ſecuritatem, vt ſecurè peccatores ad eum accederent, qui clauis eſt affixus, quaſi impotens ad percutiendum eos. Erat enim duriſſima eius manus, cuius duritiam ſenſerat ille, qui in calamitate conſtitutus dicebat: *Miſeremini mei, miſeremini mei, &c. quia manus Domini tetigit me.* Ac ſi dicat, non enim manum ſuam ſuper me aggrauauit, ſicut ſuper Ægyptum, aut ſuper alios aggrauare ſolet, ſed ſolum leui pulſu me tetigit, & tamen contriuit omnia oſſa mea, abſtulit à me filios, ſalutem, honorem, & diuitias. Non fruſtra Dauid noſter inimicis ſuis imprecatur, dicens: *Inueniatur manus tua omnibus inimicis*
Pſal. 3. *tuis: Dextera tua inueniat omnes qui te oderunt,* & quid inde? *Pones eos vt clibanum ignis.* Vbi vertit Pagninus. *Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis. Ella ſola baſta para todos, no han meneſter otro caſtigo, ſino a ſola vueſtra mano.* Talis erat olim manus Dei viuentis: at poſtquam cruci eſt affixus, poſtquam manus Dei viuentis factæ ſunt manus Dei paſſi, & mortui, ſecurè ad illum accedere poſſumus, ad impetrandam noſtrorum peccatorum veniam, apud quem eorum remiſſionem, gratiam, & gloriam inueniemus.

* * *

CON

CONCIO SEPTIMA.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.
Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.
Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus.

DIXERAT in præcedenti verſu Dauid, quomodo amici eius contra eum inſurrexerant; & dolos aduerſus illum machinantes, non ceſſabant eum perſequi, vanitatibus, opprobriis, & iniuriis inſectando: nunc in his verſibus qui ſequuntur, de remediis contra huiuſmodi opprobria, ſcilicet, de obturatione aurium, refrænatione linguæ, & animi infracta patientia differit. *Ego autem*, inquit, *tanquam ſurdus non audiebam*, &c. Licèt ſuæ prædeſtinationis, abſque ſpeciali Dei reuelatione, nemo certus eſſe poſſit, cùm ex mera ipſius Dei voluntate dependeat: tamen aliqua ſigna à Doctoribus aſſignari ſolent, quibus id poſſimus coniectari. Aliis dimiſſis quæ pro nunc ad noſtrum inſtitutum non ſpectant: vnum illorum eſt, patientia in aduerſitatibus, & in perſecutionibus tolerantia. Quæ quidem virtus in his qui ad ſupremam fœlicitatem, & æternam beatitudinem ſunt præordinati, maximè lucere ſolet: quia per hanc virtutem Deo aſſimilamur: cuius infinitam patientiam, vel peccata noſtra, quibus illum quotidiè offendimus, teſtificantur: cùm non ſtatim de illis ſumat vindictam, ſed patienter, vt de illis debitam pœnitentiam agamus, expectet. Quamplurimis virtutibus, & meritorum ornamentis Dauidis animus Regius erat præditus, fortitudine inquam, iuſtitia, & temperantia, humilitate profunda, cum ſumma cordis manſuetudine, & lenitate: & tamen in nulla virtute iſtarum, ſed in ſola patientia & tolerantia, Saul cognouit, illum ad Regiam dignitatem à Deo fuiſſe præordinatum. *Nunc*, inquit Saul, *certiſſimè ſcio, quòd regnaturus ſis in Iſraël, & habiturus in manu tua regnum*, &c. Quaſi diceret, iam multis retro diebus opera tua contemplatus ſum, conſideraui fortitudinem tuam, & in rebus bellicis fortunatam manum, qua caput gigantis abſcidiſti: non me latet tua iuſtitia in rebus omnibus adminiſtrãdis,

Perpeſſio laborum prædeſtinationis eſt indicium.

1. Reg. 24

Digitized by Google

quia iuſtum te eſſe, atque rectiſſimum cognoſco, manſuetudinem tuam, vel in me ipſo ſum expertus: cui, cùm liberè interficere poſſes, pepercisti. Ex his omnibus & aliis virtutibus, quibus es præditus, te Regem fore & Ducem huius populi ſuſpicatus ſum: at nunc, cùm patientiam tuam admirabilem in perferendis perſecutionibus intueor, mihi perſuaſum habeo & certiſſimè ſcio, quòd futurus ſis Rex. Hæc ſunt Saulis verba, ex quibus anſam ſumentes, liceat nobis, ex terreno regno, ad cæleſte & æternum, orationem transferre. Si ex laborum tolerantia & patientia iudicauit Saul Regem eſſe futurum Dauid: quantò magis nos ex laborum perpeſſione, quibus in hac vita iuſti vexantur, & ex eorundem in perſecutionibus admirabili patientia, ſuſpicari poſſumus, illos ad cæleſte regnum deſtinatos eſſe. Præſertim, cùm ex ſacro inſtrumento certò ſciamus, viam ad Regiam hanc dignitatem conſequendam, eſſe laborum tolerantiam. Dicitur enim Matthæus vndecimo: *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Quaſi diceret: Non eſt ſicut terrena regna, quæ multoties hæreditario iure poſſidentur, & pacificè acquiruntur abſque bello & ſanguine, & abſque armorum apparatu, ſed vim patitur: quia per multas tribulationes, ad poſſeſſionem eius perueniendum eſt. Sicut cùm aliquod extraneum regnum expugnatur, quod non ſine magnis laboribus, & difficultatibus, non ſine multo ſanguine, ferro, & igne fit: ſic nimirum regni cæleſtis poſſeſſio, ferro & igne, laboribúſque acquiritur. Vidit diuus Ioannes, capite ſeptimo Apocalypſis magnam beatorum multitudinem in cælo, qui omnes ſtolis albis erant amicti, & palmas in manibus ſuis, teſtes ſuæ victoriæ habebant: de quibus cùm ſciſcitaretur, quinam eſſent, & vnde veniſſent ad illud ſupremum regnum obtinendum? tandem dixit illi Angelus: *O Ioannes, iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, ideo ſunt ante thronum Dei.* Venerunt, inquit, ex magna tribulatione. *Eſtos ſon los que paſſaron por las picas, los que atraueſaron por los fuegos, y ſe curtieron en los trabajos.* Quaſi diceret: Hæc eſt via ad coronam cæli obtinendam, quia nonniſi per labores peruenitur ad requiem. Rectè igitur inquit, *quòd regnum cælorum vim patitur. No ſe gana a piellano, ſino que es meneſter trepar por las picas, y ſaltar por el muro. Et violenti rapiunt illud. Los violentes le ſaquean.* In hoc ingens periculum pariter & præmium oſtenduntur. Nunquam enim

Matt. 11.

Regnum cælorum vim patitur.

Simile.

Apoc. 7.

Simile.

enim cum maiori periculo & vitæ diſcrimine, neque cum ſpe maioris præmij, quàm cùm vrbem aliquam expugnant, à militibus debellatur, *quando lamentem a ſaco mano.* Solent enim milites ex vnius vrbis expugnatione locupleſieri & proſperari. Sic nimirum expugnatio Regni cœleſtis, periculis & difficultatibus plena eſt: tamen incomparabilium diuitiarum magnis ſpebus ſuffulta: quia pro regno cœleſti dimicatur, quod non timidi, ſegnes, aut ſomno & voluptatibus indulgentes, ſed violenti aſſequuntur & rapiunt. Violentum illud dicitur, vt ex Philoſopho in lib. 5. Phyſicorum patet, quod eſt contra naturam, paſſo non conferente vim. Illi ergo regnum cœlorum rapiunt, qui violenter viuunt, qui ſuæ ſenſualitati & naturæ vim infuerunt, qui contra ictum fluuij conantur in via Dei progredi, qui in omnibus ſibi ipſis aduerſantur. *Que dam de mano a ſus deſſcos, meten a cuchillo ſus paſſiones, que dizen vn no a ſu ſi, y vn ſi a ſu no y viuem agua arriba deſus inclinationes.* Quòd ſi hoc difficile vobis appareat, mementote quòd magna non ſine magno pretio emuntur. Ferè ſemper enim præclara ac pretioſa muris dificultatum fortiſſimis circundantur. Fluuius quidam, qui vulgariter Ganges appellatur, qui creditur eſſe Phiſon, de quo mentionem facit Scriptura ſacra, Geneſ.cap.2.talis eſt, vt D. Hieron.aſſerit, in eo eſſe quamplurimos lapides pretioſos Smaragdos, Carbunculos, & per ripas eius montes aureos adiacere: verumtamen acceſſus eius difficillimus eſt, propter innumeros Tygres, Leones, & alia ferociſſima monſtra, quæ ibi à natura procreantur. Quòd ſi terrenas diuitias tot difficultatum muris natura, vel (vt rectius dicam) ipſius naturæ auctor circunſcripſit, quanto magis Regnum illud cœlorum, in quo æternæ noſtræ diuitiæ ſunt reconditæ, par erat, vt difficultatibus & laborum muris circundaretur: vt non ſine ipſorum laborum tolerantia, & patientia, ad eas pateret via? Sunt enim in via cœli difficultates, quas vincere patientia neceſſe eſt, ſunt tygres, & inſuperabiles leones Dæmonum inimicorum, cum quibus pugna paſſim eſt ineunda. Alioquin, ſi iſtæ feræ non eſſent, non diceret ſponſus ſponſam ſuam (animam videlicet) ad coronam inuitans: *Veni de Libano ſponſa, veni de Libano, veni coronaberis, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cubile nàmque leonum, & mons pardorum, & innumerabilium ferarum, mundus hic eſt: in quo horrenda laborum ac difficultatum monſtra commorantur, quæ viam cœl. animæ iuſtæ impedire moliuntur, cum quibus dimicatura eſt

Violentũ quid? Ariſt. 5. phi. text. com. 58.

Geneſ. 2. D. Hier. in epiſt. ad Ruſt. monachũ

Cant. 4.

Digitized by Google

eſt, ſi cœli coronam de manu ſponſi ſui accipere affectat. Sed ſilentio prætereundum non eſt, quòd ante omnia ei dicitur, non ſemel, ſed bis: *veni de Libano.* Libanus enim, iuxta B. Hieronymi (vt credo) interpretationem, idem eſt, quod candidatio vel dealbatio. Itaque ſponſam vocat ad recipiendam coronam; & monet eam, vt veniat ex candidatione, vel dealbatione. Eccleſia hæc militans candidatio eſt, *el beancuda lero*, locus deputatus ad hoc, vt animæ quæ nigræ ſunt per culpam, candidæ fiant per gratiam. Sed obſeruandum, quòd ea quæ ex propria natura, vel ex ſe albedinem non habent & candorem, non poſſunt illum adipiſci, niſi laboribus, tunſionibus, & preſſuris: ſicut videre eſt in papyro, quæ vt ad candorem quem habet deueniat, per maximos labores, prius tranſit. Premitur enim, tunditur, & dilaceratur in molendino, & ſic candida inſtar niuis euadit. Sic nos vt nigredine culpæ depoſita, ad candorem optatum deueniamus, per labores, afflictiones, & calamitates tranſire debemus. Quod ex Apocal. Ioannis cap. 19. magis conſtare poterit, vbi dicit *ſe beatos vidiſſe byſſino candido veſtitos*, & addit, quòd byſſinum ſunt, iuſtificationes ſanctorum. In quo myſterium de quo loquimur adumbratur. Quia byſſus, hoc habet: quòd cum fragilis & vilis herba ſit, arte tamen, & multo labore contuſa & concocta, tandem in candidiſſimum byſſinum commutatur. Sic iuſtum laboribus concuti & vexari neceſſe eſt, & quamplurima tormentorum genera conſtanter perferre, vt candorem animi recipiat, quo accolæ illi cœleſtes induuntur: *Patientia vobis neceſſaria eſt*, inquit Beatus Paulus, *vt voluntatem Dei facientes reporteris promiſſiones.* Sanctus Dauid huius altiſſimæ philoſophiæ non ignarus, quam nemo Principium huius ſæculi cognouit, quam Plato, quam Socrates, quam Pytagoras, & Ariſtoteles ipſe ignorauit: cùm animi ſui labores cerneret, Saulis perſecutionem, & proprij filij conſpirationem, qui contra eum coniurationem fecerat, inſuper & amicorum diſertionem qui contra eum dolos meditari & vanitates loqui non ceſſabant: omnia hæc æquo animo & admirabili patientia ferebat, aures ſuas obturãs, & linguam ſuam refrenans, ita, vt neque aſperum verbum quod vindictam ſaperet, de ore eius egrederetur: *Ego autem*, inquit, *tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.*

D. Hier. | Simile. | Apoc. 19. | Nota. | Hebr. 10.

Docemur hinc, quam neceſſaria ſit nobis patientiæ virtus ad victoriæ palmam, cœlique coronam conſequendam. Nam quis ſanctorum (vt verba D. Hieron. imitemur) ſine certamine

Hier. ad Euſtoch.

mine coronatus eſt? Solus in deliciis Salomon fuit, & ideo forſan corruit. Quod ſi aliquando laboribus vexamur, & tentationibus moleſtamur, non deficiamus animo, ſed viriliter reſiſtentes conſideremus, quòd tanquam aurum in fornace probat nos Deus, vt digni beatitudine inueniamur. *Tanquam aurum, quod per ignem tranſit, probauit me Dominus*, inquit B. Iob, de graui ſua tentatione agens. Intendit aurifex imaginem aliquam auream conflare, vt ex pectore Regis pendeat, & prius aurũ ipſum in fornacẽ proiicit: vt ibi per calorem ignis à terra, vel quacunque alia mixtura expurgetur: ſic Deus qui ex natura noſtra humana, tanquam peritiſſimus artifex, imagines ſe ipſo dignas præparare intendit, patitur vt in laborum fornacem proiiciamur, vt ibi à culparum noſtrarum (ſi quas contraximus) ſcoria purgemur. Quare B. Auguſt. ſuper Pſalmũ 60. ad hoc attendens, inquit: *In fornace ardet palea, & purgatur aurum illa in cinerem vertitur, & hoc ſordibus exuitur.* Fornax eſt mundus, aurum iuſti, ignis tribulatio, & perſecutio, artifex Deus, &c. Itaque, ex his habemus, quòd tribulatio & perſecutio eſt iuſti purgatorium, quo ab omni peccatorum ſuorum contagio purgatur, vt coram Deo mundus & purificatus apparere poſſit. Quod attendens Micheas Propheta capite ſeptimo dicebat: *Iram Domini portabo, quia peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum, & educat me in lucem, & videbo iuſtitiam eius.* Iram Domini portabo, id eſt libenti animo feram eius ſupplicia, quia peccaui ei: vt vel ſic pro peccatis meis in parte ſatisfaciam. Docet enim Sanctus Thom. quòd ſi flagella, quæ pro peccatis à Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipſius patientis, rationem ſatisfactionis accipiunt: fiunt autem ipſius in quantum ea acceptat, ad purgationem peccatorum, eis vtens patienter. *Quare*, inquit Propheta, *iram Domini portabo.* In quo nos repræhenſione digni ſumus, qui tam impatienter flagella Dei ſuſcipimus, quòd potius rationem vindictæ, quam ſatisfactionis habent. Non enim ſuſcipimus ea tanquam à Deo inflicta, ſed tanquàm ab homine nos perſequente: ſimiles, vt inquit Dorotheus, canibus: Hi enim, inquit, ſi quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimiſſo, lapidem remordent, ita nos Deo relicto, qui nobis tribulationes huiuſmodi peccatorum noſtrorum purgationem procurat, ad inimicos, vel perſecutores recurrimus, impatiénterque ſuſtinemus. O filiorum Adæ deplorandum ingenium. Nónne hoc miſerabile tibi videtur, quòd quamplurimos peccatores

Iuſtus in labore examinatur.
Iob 32.
B. Aug.
Simile.
Miche. 7.
In addit. ad 3. p. q. 15. art. 2.
Simile.
Dorothe⁹ de accuſa. ſui ipſius do. 7.
Impatiẽs laboris carpitur.

catores videas, qui vt diuitias aut voluptates conſequantur, quamplurimas calamitates patiuntur, laboribus delectantur, & difficultatibus ſe obiiciunt, quæ tamen libenter & abſque vlla murmuratione ferunt: at ſi vel leuiſſimo labore aut calamitate propter peccata ſua à Deo corripiantur, ſtatim tragœdias excitant, aërem clamoribus replent, & in cœlum os ſuum ponunt? Imitari mihi videntur mulierem adulteram, quæ ſi ab adultero percutiatur tacet & obmuteſcit, ita quod interrogata à quo percuſſa fuerit, vel quis ſignum in faciem expreſſerit, mendacium confingit, dicens, caſu accidiſſe: at ſi à viro ſuo percutiatur clamat, vicinas lachrymis & eiulatibus conuocat, & omnibus vulnera ſua oſtendit. Non aliter quamplurimos huiuſmodi conditionis & ingenij intueberis, qui cùm quamplurima damna propter vanitates ſuas à Dæmone patiantur, in ſalute, honore, ac diuitiis, patienter ſufferunt: ſed propter Deum, vel leuiſſimum verbum, aut paruulam iniuriam ferre abhorrent. Non animo attendentes, quod ſi Deus aliquando laboribus nos cruciat: tamen multò maiora ipſe pro nobis pertulit in cruce. Quid namque magnum fecero, ſi aliquid pro illo libenter ſuſtinuero, qui tot pro me à peccatoribus ſuſtinuit opprobria? Si ipſe cùm Deus ſit, pro me terræ vermiculo, vſque ad effuſionem ſanguinis pati voluit, quare graue mihi erit pro illo aliquid ſuſtinere? Cùm filij Iſraël in dura illa Ægypti captiuitate affligerentur, *clamauerunt* (vt inquit textus) *ad Dominum, qui exaudiuit orationem eorum, & cùm deſcenderet liberare eos, apparuit Moyſi in rubo, vt habetur* Exod. tertio Et miſit eum in Ægyptum, vt populum ſuum de dura illa ſeruitute liberaret. Sed percontari libet. quare magis Deus Moyſi in rubo, quam in aliqua alia arbore apparere voluit? Nónne erant in illo deſerto pulchriores arbores? non potuit in pino, platano, vel quercu, vel aliqua alia arbore apparere? Quare ergo in rubo ſpinis pleno? Nunquid in hoc aliquid latuit myſterij? Latuit quidem: quod abſque dubio intelligeremus, ſi attendamus ad labores quos Iſraëlitæ in Ægypto patiebantur, quibus commotus Deus, ad illos liberandos deſcenderat. Quinam fuerint hi labores, & quæ illorum vexatio dicitur Exod. capite primo: vbi ſic habet textus. *Prapoſuit eis*, ſupple Rex, *magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus: ædificaueruntque vrbes tabernaculorum*, &c. Et ſubdit, *oderántque filios Iſraël Ægyptij, & affligebant illudentes eis, & inuidentes.* Quæ afflictio, aut quæ illuſio fuerit hæc explicant magis Hebræa,

Simile. *Nota.* *Exod. 3.* *Cur Deus in rubo apparuerit.* *Exod. 1.*

bræa, ex quibus ſecundum aliquos ſic reddi poteſt: *Et ſpinis puncti ſunt filij Iſraël.* Itaque ſignabantur eis quotidiana opera, quæ, ſi non adimpleſſent, virgis alicuius rubi ſpinis plenis vſque ad effuſionem ſanguinis flagellabantur. Qui cùm clamaret ad Dominum, exaudiuit eos, & apparuit Moyſi in medio rubi ſpinis circundatus. Ac ſi diceret: Audiui, ô Moyſes, filiorum Iſraël iuſtas querelas, & afflictionem eorum vidi, & ideò adſum præſtiturus eis auxilium, & de illa miſera captiuitate, quàm citiſſimè educturus. Interim tamen conſolentur, & labores ſuos quantumuis graues ferant patienter, quia ſi ipſi ſpinis punguntur, ego etiam ſpinis ſum circundatus, ſi virgis rubi flagellantur, ecce cernis me in medio rubi conſtitutum, ſi igne tribulationis examinantur, ecce flamma ignis vndique me circundat. Deus ſancte, Chriſte verè mundi Redemptor (te enim alloquor) ſi priuſquam naturam humanam aſſumeres, hæc dicere potuiſti ad populi tui conſolationem, quid nunc dicere poteris, quando homo mortalis & paſſibilis factus es? Quando tot labores, tot ludibria & opprobria pro nobis in cruce ſuſtinuiſti? Quid quereris, Chriſtiane? Quid Deum accuſas, quòd manus eius dura ſit contra te, & quod nimis laboribus & flagellis te afficiat? Illum intuere in arbore crucis pendentem, flagellatum, vulneribus plenum, & coronatum ſpinis, ex cuius aſpectu maximè conſolaberis, & omnes tui labores comparatione ipſius leuiſſimi & ſuauiſſimi apparebunt. O Dauid ſancte, ô infracta patientia, ô animus verè Regius & conſtans: quanta cum animi moderatione calamitates ſuas perferebat, qui intelligens, per manus Domini fuiſſe dimiſſas furore depoſito, & omni vindictæ ſpecie derelicta, cum gratiarum actione eas recipiebat, tanquam mutus factus & ſurdus, & quaſi homo qui in ore ſuo redargutiones non haberet.

Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui & ſilui à bonis, &c. Pſalmus hic compoſitus fuit à Dauide, in memoriam perſecutionis, quam paſſus eſt à Semei, quando egrediens ciuitatem fugit à facie Abſalon: tunc enim Semei ex altiſsimo monte quamplurima in eum conuitia & improperia proferebat, dicens: *Egredere vir ſanguinum, vir Belial: reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul.* Vt habetur 2. Reg. 16. *Itaque maledixit ei, non quomodocunque, ſed maledictione peſſima*, vt ſacra Scriptura inquit. Et aduertit D. Hieronym. quod dictio quæ in Hebræo

Pſal. 38. *D. Theodoretus.* *2. Re. 16.* *D. Hier.*

Hebræo habetur, ad hanc maledictionem ſignificandam; ex quinque literis conſtat: quarum prima ſignificat adulterum, ſecunda Moabitam, tertia impium, quarta leproſum, quinta abominabilem: Itaque vnico verbo quinque improperia illi dixit: quæ tamen ſanctiſſimus Rex humiliter & patienter ſuſcepit, intelligens os illius ſpurciſſimum, ſuum eſſe purgatorium. Vnde non eſt paſſus quod Abiſai caput eius abſcinderet. Tunc enim, vt inquit Doctor Incognitus, vt poſteris Heroïcum patientiæ exemplum relinqueret, hunc compoſuit Pſalmum. *Dixi*, inquit, *cuſtodiam vias meas*, id eſt, maxima erit mihi cura & ſolicitudo, *andare con mucho tiento*, vt non delinquam in lingua mea. *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator*, id eſt, Semei, *aduerſum me. Eche me candado a la boca tenella mas guardada.* Refrenatio enim & cuſtodia linguæ ſignum eſt latentis iuſtitiæ: nam qui linguam cuſtodire neſcit, ſe malis operibus implicatum manifeſtat. *La lengua es el pulſo de las obras.* Dicit Philoſophus 5. animalium, quod ſi auis habeat ſub lingua venam albam, generat filium album, ſi nigram, nigrum. Sic moraliter, ſecundùm colorem & qualitatem linguæ erit qualitas fœtus, id eſt, operis. *Obmutui*, inquit, *& humiliatus ſum, & ſilui, etiam à bonis*: quia neque bonum neque malum locutus ſum. Sed quare tantùm obmuteſcis & diſſimulas? Quare ô Rex ſancte, Harpocratis ſilentium imitaris? Ipſe inferius oſtendit, dicens: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Licèt ab inimicis perſecutiones & iniurias fuerit paſſus, tamen eas Deo attribuit, quia ipſo permittente fiebant, vt à peccatis purgaretur. Vnde inquit, *obmutui, quoniam tu feciſti*: quaſi diceret. Si alius hoc faceret, de illo forſitan vindictam ſumerem, & non tam patienter ſuſtinerem, tamen obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti. Quod cum verſu præſenti conſonat, vbi dicit: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus nõ aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens, &c.*

Doctor Incognit.

Refrenatio linguæ & latentis iuſtitiæ ſignum.

Ariſtot.

Exemplum naturale.

Antequam hinc diſcedamus ſummopere obſeruandum eſt, quòd licèt inimicorum infidelitas in perſecutionibus ab eis inflictis oſtendatur: tamen iſtæ minus nocent, quàm amicorum lenis adulatio: quia meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. Vnde ſi contra inimicorum improperia aures ſunt obturandæ, quantò magis contra amicorum fraudulentam aſſentationem? O ſi mundi Principes & Prælati hoc attenderent, non tam attentas & placidas aures adulatoribus præberent, ſed cum B. Dauide dicerent: *Corripiet*

Contra adulatores

Pſal. 140.

me

me iuſtus in miſericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quod explicans Auguſtinus inquit: Hoc eſt, non creſcet caput meum de adulatione falſa. Falſa laus adulatoris, hoc eſt oleum peccatoris. Sicut dicere ſolemus, *vntar el caxco* pro adulari. Contra hos adulatores, qui ſunt Principum perditio, & Reipublicæ Chriſtianæ pernicies, inuehitur Ezechiel cap. 13. *Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis.* Ad hoc puluillus ponitur, vt molliter quieſcatur: quiſquis ergo male agentibus adulatur, puluillum ſub capite, vel cubitu iacẽtis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quieſcat. Sunt quidem adulatores perſimiles vmbræ, quæ corpus ſequitur quocumque ierit, vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, ſi corpus ambulat, illum imitatur, ſi ſtat, & ipſa pariter. Et ſicut vmbra lumen ſolis impedit, ſic adulator lumen veritatis: quia adulatores non vera loquuntur, maximè Principibus & potentibus, ſed auribus pruriunt, *hazenles coſquillas alas orejas.* Quare ſapienter Demetrius Phalereus Ptolomeum Regem monuit, vt libros illos legeret, in quibus præcepta Regibus, ac Ducibus tradũtur, quandoquidem doctiſſimi illi viri, ea ſcribunt, quæ nemo vnquam Regibus Ducibúſve dicere audet. Qui quidem labor non recens, ſed valdè antiquus eſt. Semper enim Principibus defuit qui vera diceret. Per Prophetam Oſeam cap. 7. conquerebatur Dominus, dicens: *In malitia ſua lætificauerunt Regem, & in mendaciis ſuis Principes.* In malitia, inquam, ipſorum Regum lætificauerunt eos, illos conſolando, & ab eis malefacta laudando, & approbando. Huc ſpectat id quod referunt antiquæ Poëtarum fabulæ, quæ mira eruditione & doctrina refertæ ſunt. Nec mirum, quia bona & pretioſa quæque, quæ dixerunt, de ſacrarum literarum ærario ſurripuerunt. Quod inter alios teſtificatur Goropius, in ſua Indoſiſtica, vbi inquit: Fures fuerunt ſacri Vates, ſed Laconicos, non quiuis deprehendet. Et de Mercurio Trimegiſto Ægyptio, vel Medianita, affirmat Arctabanus, quòd Moſeus ab antiquis fuerit appellatus, quia doctrinam illius ſequutus, quidquid ipſe dixit, aut ſcriptis mandauit, in Moſe reperitur. Et de Platone affirmat Numenias, nil aliud eſſe Platonem, niſi Moſem Attica lingua loquentem. Pythagoras etiam, à quo ſchola Academica originem traxit, ſecundùm Hermippi ſententiam, multa ex doctrina Moſaica traduxit, ex quibus ſcripta ſua locupletauit. Vnde diuus Auguſtinus in laudem ſcripturæ ſacræ audacter

D. Aug. *Ezec. 13.* *Simile.* *Demetr. Phaler.* *Oſeas 7.* *Goropius* *Multa Philoſophi ex ærario ſcripturæ ſurati ſũt.* *Arctab.* *Numen.* *D. Aug.*

inquit: *Nulla gens de antiquitate ſapientia ſua, ſuper Patriarchas & Prophetas noſtros, vlla ſe vanitate iniqua iactauerit: quando nec Ægyptius inuenitur, qui ſolet falſo & inaniter, de ſuarum doctrinarum vetuſtate gloriari, qualicumque doctrina ſua, Patriarcharum noſtrorum tempore, prauenitur ſapientia.* Hæc obiter dixerim, vt & Scripturæ antiquitatem agnoſcamus, & Philoſophorum, aut Poëtarum dicta, minimè contemnenda putemus: cùm ferè omnia quæ ſcripſerint, licèt fabulis, Hieroglyphicis, aut variis picturis occulta, ex ſacris ſcriptoris deſumpſerint. Et (vt aliis dimiſſis, aliquod ad noſtrum propoſitum, furtum detegamus) quod euidentius eſſe poterit, quàm illa fabula, quæ de paſtore Argo refertur? Quem fingunt centum habuiſſe oculos, quod forſitan de Ezechielis animalibus deſumpſerunt. Huic paſtori vacca quædam in cuſtodiam commiſſa eſt, quam cùm Mercurius furari vellet, fiſtula quadam dulciſſima ad paſtoris aures modulatus eſt, qui ſuauitate muſicæ delinitus, obdormiſcens omnes centum oculos clauſit, & ſic vaccam ab eo ſurripuit. In quo ſignificare voluerunt quod lingua adulatoris & ſuauis eius melodia, nulli parcit, ſed quẽquam etiam ſapientiſſimum, & oculis intellectus pollentem, decipit, & obdormire facit. Ecce doctrinam, ſed furtum detegamus. Furati ſunt hanc moralitatem & doctrinam, ex Eccle-
Eccl. 40. ſiaſtico capite 40. vbi dicitur: *Tibia, & Pſalterium ſuauem faciunt melodiam, & ſuper vtraque lingua ſuauis.* Per linguam ſuauem, ego linguam adulatoris intelligo, qui ſuauia ſemper & blanda loquitur verba, quibus homo prudens aures ſuas auertere debet. Nam quid aliud (vt ad Poëtas noſtra ſe con-
Homer. uertat oratio) ſignificare voluit Homerus cùm cæcinit quòd Vlyſſes ſociorum ſuorum, dum per mare iter agebat, aures obſtruxit, ne Sirenarum dulciſsimos audirent cantus? niſi quòd homo qui per mare procelloſum huius mundi nauigat, aures ſuas obſtruere & obturare debet, ne dulciſonas adulatoris voces & laudes audiat. Vnde D. Hieronymus. *Si ad patriam tendimus cantus Sirenarum non audiamus*, id eſt, adulatorum, de
Iſaia 13. quibus dicitur Iſaiæ 13. *Et Sirena in delubris voluptatum*: id eſt, in aulis Regum, qui faciunt ſe adorare ſicut Deus: vt cum Dauide dicere poſsimus: *Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.*

Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Tranſlatio B. Hieronymi ex Hebræo ſic habet. *Te enim Domine expectabam, tu exaudies me Domine Deus meus.* Quæ verba cum ſuperioribus immediatè præcedentibus dependen

Digitized by Google

pendentiam habere videntur. Quaſi diceret: Ideo factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones, ſcilicet, quia te expectabam, vt me defenderes, & pro me reſponderes. Cui cõſonat D. Aug. expoſitio, quæ ſic habet. Tanquam ipſe diceret: Quare non aperuiſti os tuum? quare non dixiſti parcite? quare non iniquos in cruce arguiſti. Sequitur & dixit: *Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus.* Monuit te qui facias, ſi fortè incurrerit tibi tribulatio. Quæris enim te defendere & nemo accipit defenſionem tuam, inde tu perturbaris quaſi perdideris cauſam tuam, quia nullius habes defenſionem aut teſtimonium; cuſtodi intus innocentiam tuam, vbi nemo opprimit cauſam tuam. Præualebit in te falſum teſtimoniũ, ſed apud homines, nunquid apud Deum valebit, vbi cauſa tua dicenda eſt? Inter iudicem tuum & conſcientiam tuam noli timere niſi cauſam tuam. Si cauſam malam non habueris, nullum accuſatorem pertimeſces: Conſonant etiam B. Gregorij verba, quæ ſic habent. Verba ſunt hęc Chriſti ſecundùm humanam naturam, ſic ergo & membrum Chriſti, ſi quando perſecutionibus affligitur, ſi flagellis atteritur, ſi cõuitiis prouocatur, illũ; qui propoſitus eſt nobis forma iuſtitiæ, in omnibus imitetur. Non deficiat ſi cauſa ſua non audiatur apud terrenum iudicem ſciens quoniam conſcium habet in excelſis Regem cœlorum. Speret, quoniam ſi in hoc ſæculo immeritò accipit dãnationis ſentẽtiam, à Deo accipiet in cœlo coronam. Sciat quia retributionis æternæ gaudiũ nequaquam in cœlo colligitur, niſi prius in terra cum fletu & gemitu & amaritudine, ſeminetur. Sicut ſcriptũ eſt. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cũ exultatione portantes manipulos ſuos.* Itaque, ex dictis iſtorum doctorum inferre poſſumus, quanta ſit ſecuritas bonæ conſcientiæ. Iuſto enim nihil timendum eſt, quãdo propria conſcientia eum non accuſat. Hinc naſcitur ſecuritas iuſti quam in aduerſitatibus habet. *Omnes dies pauperis mali: ſecura mens* (vt dicitur Prou. 15.) *quaſi iuge conuiuium* Per *pauperem* peccatorem intellige: qui bonorũ ſpiritualium pauperrimus eſt: Iuxta illud Apoc. cap. 3. *Dicis, quia diues ſum & nullius egeo, & neſcis quia miſer es, pauper, nudus & cæcus.* Quod cõfirmat interpretatio ex Græco, ſic habens. *Omni tempore mali ſuſcipiunt mala.* Vbi loco pauperis, mali ponũtur. Mali ergo, qui perturbatã habent conſcientiam, ſemper mala ſuſcipiunt, ſemper perturbantur, & nullam ſecuritatem habent, quia exultatio eorum, ſicut eius qui deuorat & interficit pauperem in abſcondito: cuius, licèt

Iniqua ſententia iudicis patiẽter tolerãda.

D. Greg.

Pſal. 125.

Prou. 15.

Apoc. 3.

Securitas bonæ conſcientia.

Abac.3.] nulli teſtes ſint, nulli oculi accuſantes, tamen timet à propria conſcientia accuſante, quæ mille teſtes dicitur. Viſo iuſtitiæ miniſtro ſtatim perturbatur, colorem mutuat, & omnia eius mẽbra tremere incipiunt, & tandem fugit nemine perſequente, vel vt rectius dicam, mala conſcientia perſequente & accuſante. *At ſecura mens quaſi iuge conuiuium.* Paraphraſis Chaldea, *conuiuium eſt continuum.* Nullibi magis lætantur, quàm in conuiuiis: ibi enim nihil eſt triſte, nihil noxium, aut quod dolorem excitare poſſit: ſic nimirum ſecura mens eſt, & conſcientia iuſti, in qua ſumma pax & tranquillitas, gaudium, & lætitia, reperitur: & nihil eſt quod eius ſecuritatẽ & gaudium defraudare poſſit. Quare de Apoſtolis dicitur, quòd alacres & ſecuri ad carceres ibant, & ad tribunalia iudicum ducebantur. Nec tyrannorum crudelitas, nec miniſtrorum ſæuitia, nec tormentorum præſentia eos terrebat. *Ibant* (inquit D. Lucas in Actis) *Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Domini Ieſu contumeliam pati.* Sed aliis nunc dimiſſis, quis non D. Petri, vel ſecuritatem, vel confidentiam inter catenas, & ſui carceris cuſtodes demiretur? Dicitur enim de illo. *Erat Petrus ipſa nocte dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Aduerte firmiſſimam cuſtodiam & nihilominus ipſe dormiebat ſecurè, & tam profundo ſomno erat ſopitus, quòd neque repentinus Angelis ſonus, qui ad præſentiam Angeli factus eſt in carcere, neque fulgor à facie eius procedens, eum excitauit, quouſque ipſemet Angelus percuſſo eius latere excitauit eum, præcipiens ei vt velociter ſurgeret, & egrediens cuſtodiam, illum ſequeretur. O chare Deus, quanta eſt iuſti confidentia, quanta eius ſecuritas, mens eius continuum conuiuium. Iam Petrus damnatus erat, ſententia contra eum erat lata, in craſtinum erat iugulandus, tortor iam erat præuentus, gladius paratus, locus martyrij iam conſtructus: & tamen ſomno indulgebat. Dormiebat enim ſomno confidentiæ, quia iuſtus in Deo confidit, in quo ſumma ei ſecuritas & protectio promittitur. Non abhorret ab hoc propoſito illud Pſalmi 67. *Si dormiatis inter medios cleros penna columbæ deargentata: & poſteriora dorſi eius in pallore auri*: Alij vertunt, *ſi dormiatis inter duas ſortes.* & ſic à Titelmano (vt credo) explicatur: Quod ad militum conſuetudinem poſt partam victoriam alludere videtur, qui ſpolia belli, & captiuos ſortiuntur, vt cui ſors contigerit captiuus detur, vt ex eo ad voluntatem ſuam poſſit diſponere, ſiue illum occidendo, ſiue

car

Paraphr. Chald.

Actor.5.

Act.12.

Conſcia mens recti fama mẽdacia ridet.

Pſal.67.

Simile.

Nota.

Digitized by Google

carceri mancipando. Inquit ergo, ſi in tanto diſcrimine & vitæ periculo conſtituti fueritis, quòd ſuper vos iam alea fuerit iacta ad mortem. *Que eſtuuiere de ſorteador para la muerte* nolite timere, quia in medio calamitatum, alæ columbæ quæ velociſſimæ ſunt ad volandum, vobis orientur: quibus pericula fugere & deuitare poſſitis. Sed aduertendum quod dicit, ſi dormiatis inter ſortes, vt ſecuritas illorum oſtendatur: quia etiam ſi ſuper illos ſors mortis iacta ſit: tamen cōfidenter dormiunt & quieſcunt, ſpem ſuam & confidentiam in Deo reponentes. Sed vt verbo vno diſcurſum noſtrum & declamationem concludamus: quæ maior ſecuritas aut confidentia excogitari poſſet: quàm ea, quæ per Prophetam Iſaiam iuſto promittitur, cap. 33. *Qui ambulat*, inquit, *in iuſtitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas*, &c. *Hic in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis datus eſt ei, & aqua eius fideles.* Quibus verbis, ſumma ſecuritas iuſto, & indeficiens auxilium promittitur. Tria enim ſunt, quæ aliquā arcem inexpugnabilem reddunt & ſecuram. Primum quod in loco excelſo, vel aliqua altiſſima rupi, vbi facilè non pateat aſcenſus, ſit collocata. Et ſic dicitur, quod in excelſis habitabit. Secundum, quod parietes & muri eius, ex fortiſſimis ſaxis ædificati ſint: & ideo additur, munimenta ſaxorum ſublimitas eius. Tertium, quod victualibus abundet, quare dicitur, panis datus eſt ei, & aquæ eius fideles, id eſt, indeficientes. *No abra tomalle por hambre.* Interpretatio ex Græco ſic habet. *Hic habitabit in excelſa ſpelunca petra fortis.* Per quam ſpeluncam & petram D. Hieronymum ſequentes, Chriſtum intelligere poſſumus, qui ſpelunca & petra in ſacra ſcriptura appellatur: vbi iuſti confugientes à malis & periculis omnibus proteguntur. Vbi enim editio vulgata habet. *Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu*, alij vertunt: *Quoniam refugium meum & latibulum meum es tu* A fugitiuis animalibus deſumpta metaphora, quæ latibula & foueas habent, vbi à venatoribus & aliis feris perſequentibus abſconduntur. Dicitur etiam petra iuxta illud Pauli: *Petra autem erat Chriſtus*. Iuſtus ergo qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem, &c. in hac fortiſſima petra habitabit, in hac fœliciſſima ſpelunca abſcondetur, & in hoc ſaxorum munimento protegetur, ne vlla ei mala nocere poſſint, ſed dicet cum ſacro vate: *Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Tu es refugium meum Domine, à tribulatione, quæ circundedit me: exultatio mea, erue me à circundan*

Iſaia 33. Iuſti ſecuritas.

D. Hier. Chriſtus ſpelunca aut petra iuſti.

1. Cor. 10.

cundi intibus me. Apud quem veram & indeficientem prote-ctionem & ſecuritatem reperiet. Quæ hîc incipit per gratiam, & in cælo conſummatur per gloriam.

CONCIO OCTAVA.

Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

DIXERAT in verſu præcedenti. *Quoniam in te Domine ſperaui; tu exaudies me Domine Deus meus.* Quod quidem de ſpe quæ in oratione cõcipitur, intelligi debet. Ad quod attendens Paraphraſtes Chaldæus, ſic vertit: *Quoniam coram te oraui Domine, tu exaudies me, &c.* Nunc autem cauſam ſuæ orationis aperit, dicens: *Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei, &c.* Semper ab initio ſæculi valdè triſte fuit & timendum ab inimico ſuperari & vinci, præſertim, quando victoriam triumphus ſequitur, in quo quantò victoris maior fuerit gloria, tantò victi & ſuperati ignominia & dedecus. Conſueuerunt Romani poſtquam de inimicis ſuis victoriam reportauerant, vrbem ſuam ingredi cum magno apparatu & pompa, & cum totius populi applauſu & iubilo, in triumphali curru, cum inſigniis ſuæ victoriæ inſidentes: & in ipſo curru inimicum vinctis manibus, vel catenis ligatum inducere: vt quantò triumphus eſſet ſibi gloriæ, tantò inimico eſſet ludibrio. Vnde eſt, quod quamplurimi fortiſſimi Duces, poſtquam à Romanis fuerunt deuicti, ne triumphis ſuis viui reſeruarentur: ſeipſos è conſpectu hominum voluntaria morte abſtulerunt, quia ſuper ipſam mortem genus illud ludibrij & inſultationis timebant. Patet hoc in Hannibale Carthaginenſi populi Romani crudeliſſimo hoſte. Poſtquam enim à Romanis fuit victus, ad Regem Pruſiam in Bithiniam confugit, qui cùm intelligeret in hoſtium manus eſſe tradendum, vaſe taurini ſanguinis ad imitationem Themiſtoclis, ſecundum Plutarchum, vel alterius veneni, ſecundum Titum Liuium aſſumpto, naturæ conceſſit. De Mario refert Valerius libro ſexto, capite

Paraph. Chald.

Hannibalis mors.

Plutarc.

Titus Liuius.

Valerius lib. 6. c. 8.

Marij mors.

octauo

octauo quod poſtquam in Prænestina obſidione fuit deuictus, vt Sylanæ crudelitatis ſe faceret expertem, & in eius non deueniret manus: à Teſclino ſeruo ſuo paſſus eſt occidi: quo occiſo, gladium cruore Domini madentem, per ſua egit præcordia. Sed vt ad ſacras hiſtorias deueniamus, idem de Saule fertur primo Regum trigeſimo primo. Cùm enim in montibus Gelboë ſuperatus iaceret: ne in Philiſtinorum poteſtatem deueniret, qui fortè de illo triumphare vellent, ſicut ipſe de Rege Agag triumphauerat, quem reſeruauerat viuum ad triumphum, & erexerat ſibi arcum triumphalem, ſeruo ſuo imperauit vt ſe proprio tranſuerberaret gladio; quem ſtatim ad ſeipſum conuertit. Ex his exemplis, vel luce clariùs cuique conſtare poteris, quantum doloris habeat, inimicorum inſultationibus, iniuriis, & ludibriis exponi, ac ſubiacere. Vnde eſt, quod Propheta Hieremias Threnorum, capite ſecundo vbi populi ſui calamitates refert, inter alias, huius etiam non eſt oblitus. *Aperuerunt*, inquit, *ſuper te os ſuum inimici tui.* Aperire os, eſt inſultare, ſibilare, & deſpicere. Et Rex Dauid audita Saulis morte, quam modo retulimus, in Cantico illo lugubri, quod compoſuit: inter alia canebat. *Nolite annunciare in Geth, ne fortè exultent filia Philiſtim.* Chriſtus etiam Redemptor noſter, quamuis paſſus eſt mori, pro generis humani ſalute, non tamen quòd de illo inimici eius triumpharent: quod quidem contingeret, niſi triumphator à mortuis ſurrexiſſet, quare glorioſè ſurrexit, ne inimici eius gloriantes ſuper eum inſultarent. Sicut habetur Micheæ ſeptimo: *Noli gaudere ſuper me inimica mea, quia cecidi, ſed reſurgam.* His ita præſuppoſitis, ſciendum, quòd dæmones humani generis hoſtes, maximopere de caſibus noſtris gaudent, & in miſeriis hominum præparant ſibi triumphum. Nam ſicut gaudium fit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ſic etiam fit in inferno ſuper vna anima peccatum perpetrante, quia lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. Nunquam enim riſus adeſt, iuxta ilud Poëticum, niſi quem fecere dolores. Itaque, gaudium, triumphus, & eorum gloria (ſi quam habent) in nobiſipſis ſuperandis, & deuincendis conſiſtit. Sic enim teſtatur illud Abacuc Propheta, capite primo: *Ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.* Triumphat enim Sathanas de Regibus & tyrannis, quando quis eorum in inferno recluditur; vbi dæmones maximam oſtendunt lætitiam, & ad modum triumphantium ſe habere videntur. Sicut in receptione Nabuchodonoſor patet:

1.Reg.31. *Thren.2.* *2.Reg.1.* *Mich.7.* *Bonorum & malorum Angelorum diſcrimē.* *Abac.1.*

Digitized by Google

Iſai.14. quàm Propheta Iſaias mirabiliter depingit, capite decimo-
Loquitur quarto: *Infernus ſubter te conturbatus eſt, in occurſum aduen-*
ſecũdum *tus tui ſuſcitabit tibi gigantes, omnes Principes terræ ſurrexe-*
Lyranũ *runt de ſoliis ſuis, omnes Principes nationum.* Quid nam hæc
de Bal- inferni conturbatio, niſi præparatio ad triumphum? Quid per
thaſar. gigantes & Principes intelligit, niſi ipſos dæmones principa-
Lætatur les, qui de damnatione alicuius, & maximè Principum, ſum-
diabolus mopere delectantur, & tantò magis, quantò eorum peccata,
de caſu propter quæ damnantur, grauiora ſunt. Quod ſi hoc ita eſt,
noſtro. fratres, quot triumphi, quot occaſiones gaudendi (ſi tamen ipſe gaudij capax eſſet) quotidie aduerſario noſtro paramus: qui tot flagitia & peccata perpetramus. Hac vna de cauſa (quando nulla alia ſufficeret) deberemus à vitiis & peccatis abſtinere, videlicet, ne gauderent ſuper nos inimici noſtri, & in peccatis noſtris magnificos ſibi triumphos pararent. Quare
Eccl.18. Eccleſiaſt.18. ſapienter nimis dicitur: *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, dabit te in gaudium inimicis tuis.* Sed quænam ſunt iſtæ concupiſcentiæ? Hoc aperit nobis diuus Ioan-
Ioan.1. nes 1.cap.2. *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia car-*
cap.2. *nis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Qui ergo tradiderit animam, ſiue vitam ſuam his concupiſcentiis, poſt mortem, abſque dubio, dabit ſe in prædam, in opprobrium, & contemptum inimicis ſuis dæmonibus: qui de illo gaudenter triumphabunt. Quod quidem in fortiſſimo illo Samſone ſigni-
Iudic.16. ficatum eſt, Iudic.16. qui amore Dalilæ, quam deperibat, de-
Figura. uictus, in Philiſtinorum poteſtatem deuenit: quem cùm excæcaſſent, omni populo poſitus eſt in ludibrium. Sic homo qui in præſenti vita à ſuis paſſionibus & ſenſualitate fuerit victus, in dæmonum poteſtatem deueniet, quibus erit in ludibrium & opprobrium. Hoc attendens Propheta ſanctus, preces ſuas ad Deum fundebat, enixéque ab eo poſtulabat dicens: *Quoniam coram te orabo Domine, tu exaudies me Domine Deus meus.* Et cauſam ſuæ orationis oſtendens, ſubiungit in præſenti verſiculo, dicens: *Ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.*

Hoc igitur eſt dæmonis ingenium, quod de malis alienis lætatur: in quo illum imitatur, qui gaudet de proximorũ ſuo-
Caſſiod. rum ruina. Et huc ſpectat Caſſiodori gloſſa, inquiens: *Si commouentur aliquando humana infirmitate irrident impij, vnde*
Pſal.12. *dolent pij.* Quare Pſalmo duodecimo dicebat Dauid: *Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero, ego autem in miſericordia tua ſperabo.* Vilis quidem & infamis delectatio exiſtimãda eſt,

Digitized by Google

eſt, quæ in alieno malo fundatur. Nam quæ vtilitas ex alterius damno mihi contingere poteſt? Si enim meum malum ex alterius incommodo vitaretur: forſitan totis meis viribus illud procurarem; at cùm ipſum non vitetur, vt quid tanto ſtudio de proximi mei carnibus ſaturari deſidero? Quare ſalubre nimis conſilium illud haberi debet, quod Prouerbiorum vigeſimo quarto habetur: *Cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam.* Forſitan enim diſplicebit Domino inſultatio tua, & gaudium, quod de ruina illius captas: & auferet ab eo iram ſuam, releuando illum à miſeria ſua, & permittendo te ipſum cadere in ea, propter quæ in illum inſultabas. Ad quod videtur reſpexiſſe Eccleſiaſticis capite ſeptimo dicens: *Non irrideas hominem in amaritudine animæ ſuæ: eſt enim qui humiliat, & exaltat, circumſpector Deus.* Quaſi diceret: Deus ipſe, qui illum humiliauit, & te exaltauit: vicem euentus mutare poterit, illum exaltando, & te humiliando: vt & de exaltatione ſua ſimul, & tuo caſu gaudere poſſit. Sed proh dolor! pudet me illud referre, & Gentilium exempla ad confuſionem noſtram in medium adducere, apud quos maioris pietatis ac humanitatis indicia, quã apud Chriſti, ſectatores, pretioſo eius ſanguine redemptos, inuenio. De Antigono Rege Valerius Maximus refert, libro quinto, capite primo quòd cùm Rex Pyrrhus diris auſpiciis, Argiuorum vrbem inuaſiſſet, cecidit in illo congreſſu. At cùm Alcyoneus Antigoni Regis filius, ad patrem lætus, caput Pyrrhi attuliſſet: pater correpto filio, quòd tanti viri ſubitæ ruinæ immemor humanorum caſuum, effuſo gaudio inſultaret, caput humo ſublatum cauſea, qua more Macedonum ſuum caput velatum habebat, texit, & corpori Pyrrhi adiunxit, & honorificè cremari iuſſit. Refert etiam de Marco Marcello, quòd captis à ſe Siracuſis, in arce conſtituit, vt opulentiſſimæ illius vrbis quæ ferro & igne vaſtabatur, fortunam, ex alto cerneret. Qui cùm lugubrem caſum eius aſpiceret, lachrymas cohibere non potuit. Quem, ſi quis, inquit, facti ignarus aſpexiſſet, alterius victoriam eſſe crediſſet, non ipſius, qui tantopere de illius ruina & deſtructione doleret. O pretioſiſſima humanitatis & clementiæ exempla. Quomodo nos Chriſtiani non confundimur, apud quos tanta crudelitas & ſæuitia commoratur: quod inimicum noſtrum vſque ad mortem perſequimur, nec fortuna eius aduerſa commouemur, ſed potius de aduerſitatibus eius gloriamur? Quam pauci hodie ſunt qui

Cõtra illos qui gaudent de alterius ruina.

Prou. 24.

Eccl. 7.

Valer. Exempla humanitatis.

Iob 31. cum beato Iob poſſint dicere: *Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eum malum. Non dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens*
Pſal. 7. *animam eius*. Idem ſe adimpleſſe teſtatur Dauid Pſalmo ſeptimo dicens: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulùerem deducat*. Et meritò (vt cætera taceam) imprecatur ſibi Dauid, quòd ſi malum pro malo red-
Nota. didit, gloria eius in nihilum deducatur, quia nulla maior gloria victori eſſe poteſt, quàm victis parcere, & vincendi gloriam vincere. *No ay maior victoria que vencer la gloria dei ſer vencedor*. Hæc autem gloria denigratur & annihilatur, quando vel malum pro bono, vel malum pro malo redditur, inimico inſultando, & de illius caſu gaudendo: quod in magnam victi afflictionem & dolorem cedit. Quare orat Dauid, dicens: *Ne quando ſupergaudeant mihi inimici.*

Et dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt. Per pedes in Scriptura ſacra, qui totius corporis ſunt fundamentum, fortitudo, conſtantia, & ſtabilitas intelligitur. Quare ad ſignificandã Chriſti fortitudinem dixit diuus Ioan-
Apoc. 10. nes in ſuo Apocal. cap. 10. *Quòd pedes eius erant ſicut columnæ,*
Cant. 5. *& alterum poſuit ſupra mare, alterum verò ſupra terram*. Sponſa etiam cap. 5. Cant. inquit: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata ſunt ſuper baſes aureas*. Et de Apoſtolis agens
1. Reg. 2. ſancta illa fœmina Anna in ſuo Cantico, vt fortitudinem illorum oſtendat: qui totius Eccleſiæ ſpiritualem fabricam, ſuper humeros ſuos ſuſtinere valuerunt, ſic inquit: *Quoniam ipſius ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem: quoniam pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit* Id eſt, quia Apoſtoli, qui cardines, vel columnæ terræ appellantur, ipſius erant, nempe Dei, per electionem, quia illos elegit, vt Eccleſiam fundarent, poſuit ſuper eos orbem ſpiritualem, qui eſt Eccleſia. Et hoc, quoniam pedes Sanctorum ſuorum ſeruabit, id eſt, quia ipſe illis fortitudinem & perſeuerantiam præſtabit. Si ergo per pedes firmitatem & fortitudinem intelligimus; quid aliud erit alicuius moueri pedes, quam à debita firmitate deficere, & aliquam infirmitatem & imperfectionem committere? Ille igitur ſuper aliquem, cuius pedes commouentur, magna loquitur: qui fratris & proximi ſui imperfectiones, aliis gaudens & exiliens manifeſtat. Sæpenumerò enim mecum ipſe conſidero, vnde hæc peruerſa filiorum Adæ inclinatio ortum habuerit,

Digitized by Google

aliena crimina aperiendi, & de aliorum defectibus & imperfectionibus tractandi, cùm nullum emolumentum inde nobis eueniat,& nullam aliam originem,quàm propriam æſtimationem, inuenire queo. Tantam vnuſquiſque noſtrum ſui ipſius ſatisfactionem habet, quòd omnes ab hac idea deficere iudicet, & hinc anſam arripit malè de aliis ſentiendi & iudicandi, & eorũm defectus detegendi: Nam qui proprios defectus intuetur alienos non accuſat,alienum à ratione iudicans,alienos mores corrigere,qui ſuos neſcit moderari:& feſtucam ab alieno oculo dejicere,qui trabem in proprio non intuetur. Fertur de Lamia, quòd cùm domi eſſet cæca, quando foris egrediebatur,duplicatos oculos habebat. Itaque,cùm eſſet domi,oculos in vrna habebat incluſos, quos ad egrediendum foras, & per vrbem diſcurrendum, reſumebat. Quo ſignificabatur, vnumquémque noſtrum ad domeſticos defectus intuendos eſſe cæcum,cùm ad alienos plures oculos quàm Argus habeamus. Inter alias laudes quas de ſponſo cœleſti,ſponſa celebrauit Cant. 5. vna ad oculos pertinet: *Oculi eius quaſi columbæ, quæ lacte ſunt lota, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Vbi inquit interlinearis gloſſa,id eſt, *oculi ſeipſos intuentes.* Habent enim hanc proprietatem columbæ, iuxta interpretationem Origenis, quod in aliqua altiſſima rupi fluuium reſpicientes, ſeipſas intuentur: ex qua facies ſuas contemplantur. Laudat igitur ſponſa,ſponſi oculos, quia ſeipſos intuentur. O ſi vnuſquiſque noſtrûm oculis ſuis ſeipſum aſpiceret,vt proprios defectius corrigeret & emendaret,non circa aliorum vitas, illos ocupatos haberet:neque de aliorum defectibus tam crudeliter & impie ageret: quaſi ipſe innocens omnino eſſet ab his, quæ in aliis tam criminosè accuſat. Quare iure optimo ab antiquis dictum eſt, ſicut tradit Helinandus. De cœlo veniſſe vocem illam, Γνῶθι σεαυτὸν, id eſt, noſce te ipſum. Cum quo non parum affinitatis habet illud Beati Iob capite quinto. *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis*, id eſt, cognoſcens & conſiderans teipſum, non peccabis in alium, honori ſuo detrahendo. At, qui ſui ipſius obliuiſcitur, circa alios intellectum habet occupatum. Sunt enim iſti murmuratores & elingues fluuiis perſimiles,qui cum aluum egrediuntur, ripam irrigant & fœcundant ad producendos fructus, mundámque relinquunt:at ipſi,cœno,paleis,& immunditiis implentur. Sic quippe alienæ vitæ cenſoribus contingit: qui cùm his de quorum moribus agunt, corrigendi & expurgandi ſe à vitijs occaſionem

Detractionis origo.

Lamia.

Cant. 5.

Orig.

Conſideratio ſui ipſius.

Helinãd.

Iob. 5.

Simile.

Digitized by Google

ſionem tribuant:ipſi tamen murmurationibus & detractationbus,animas ſuas inficiunt & denigrant. Et quod peius eſt,magíſque in hiſce noſtris temporibus dolendum, quod in ſuis murmurationibus fidelitatem non obſeruant, neque res ſimpliciter,ſicut,vel viderunt,vel audierunt, narrant:ſed ex culice elephantem armis onuſtum, & ex formica camelum vſque ad nubes pertingentem, componunt. Semper enim delictum in lingua murmuratoris augetur. Fertur in Babylone eſſe quoddam ſubterraneum ædificium tali ingenio & arte fabricatum, quòd qui vnam vocem emitteret, loco eius ſeptem ſonarent. Vnde Hephtiphonon appellabatur,id eſt ſeptiuocum. Non ſecus hodie in murmurationibus contingit, quòd ſi ab aliquo vocem accipias vnicam,non ſimplicem,ſed ſeptiformem illam reddis,& pro vna quam audis, ſeptem cum vſura tribuis. Non ab hoc propoſito diſſimile mihi videtur, quod de muſtela fertur. Dicunt enim, quòd aure concipit quam perexiguam habet:at tempore partus viſcera eius dirumpantur. Itaque, cum conceptio ſit parua; partus multus & magnus eſt.Sic murmurator vnicum concipit verbum,quod forſitan nullius erat momenti:at quando illud alteri narrat viſcera ſua diffundit; & in magnum aliquid erumpit, quo famam virginis, vxoratæ, aut viduæ omnino deſtruit.Vnde,rectè Salomon inquit: *A ſcintilla vna augetur ignis, & à lingua doloſa augetur ſanguis.* Eſt appoſitiſſima metaphora, ad explicanda damna & detrimenta, quæ ex murmuratoris lingua procedunt. Contingit paſtorem aliquem in monte exiſtentem, aſſumpto ſilice & ferreo annulo ſcintillam vnicam elicere,qua lignum accendit,quod alicui arbori applicat,& ſic totum montem comburit. Vniuerſus ille ignis à ſcintilla habuit initium. Sic inquit à lingua doloſa hominis murmuratoris ſanguis augetur. Ille enim vnicum verbum de aliquo protulit,auditor verò ignem illum fouit in pectore, quem non ſimpliciter vt audiuit, ſed magis accenſum coram aliis protulit:quandò verò de manibus illorum egreditur,iam magnus ignis effectus eſt, ad famam proximi conſumendam ſufficiens: *Domine*, inquit Propheta Pſal. 119. *libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.* Cui reſponſum eſt. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?* quaſi dicat: Quodnam tibi damnum ex tenera lingua quantumuis doloſa & mendace euenire poteſt? Si enim lingua gladius eſſet acutus, ſi ſagitta arcu iacta velociſſimo curſu vſque ad ſignum perueniens, forſitan eſſet timenda, at tenerum

Babylonica ſpelunca.
Contra detractores.
Leuit.11.
Muſtela inter animalia immunda reputatur.
Exẽplum naturale.
Simile.
Pſal.119.

Digitized by Google

rum eſt & delicatum membrum, & ad affundendum ſanguinem aut percutiendum impos, quid timore linguæ afficeris? Cui ſtatim reſpondet Propheta, dicens: *Sagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatorijs.* O Domine libera animam meam à detractoris lingua, quam nihil aliud eſſe iudico, quam acutiſſimam & velocem ſagittam igne admixtam, de manu alicuius ſtrenui militis, aut ſagittarij proiectam. Alia litera, vt aduertit Titelmanus in ſuis annotationibus ex Hebræo, habet: *Cum carbonibus iuniperorum.* Habent hoc peculiare carbones qui ex iunipero fiunt, quod magis inficiunt & denigrant, quam quicunque alij carbones. Vnde, ſi carbone iuniperi accenſo parientem percutias, ſi illam non comburit, ſaltem commaculat & denigrat: quod proprium eſt linguæ murmuratoris, qui ſi verbis ſuis famam non omnino deſtruit, ſaltem denigrat, & ſuſpicionem animis audientium ingenerat. Quare ſalubrius eſt nos ipſos intueri, & vitam noſtram debito moderamine corrigere, & de aliorum moribus neque vllum verbum proferre, ne ſimiles ſimus illis, qui de Dauid aduerſa fortuna gaudebant, & dum per imperfectionem aliquam pedes affectus eius mouebantur, ſuper illum magna detrahentes, loquebantur: *Et dum commouentur*, inquit, *pedes mei ſuper me magna locuti ſunt*.

Nota. Litera Hebræa, cum carbonibus iuniperorum, vel geniſtarum.

Quoniam ego in flagella paratus ſum, &c. Verba hæc præcedentibus ſic cohærent. Dixerat enim magnam ſpem ſuæ exauditionis concepiſſe: *Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus*, nunc conceptæ ſpei reddit rationem dicens: *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus*, &c. Vbi ſummoperè cõſiderandum eſt, quam prompto & libenti animo paratus erat, vt aduertit Lyranus, ad dura & aſpera quæque pro peccatis ſuis patienter ſuſtinenda. Quæ promptitudo animi etiam ex 2. Reg. cap. 15. colligitur, vbi ad Sadoch Sacerdotem dixit: *Reporta arcam Dei in vrbem, ſi inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam & tabernaculum ſuum: ſi autem dixerit mihi non places præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* Ex hac animi promptitudine ad ſatisfaciendum, etiam proceſſit, quod videns Angelum gladium euaginatum habentem & percutientem populum, ſicut 2. Reg. vlt. habetur, diceret *Ego ſum qui peccaui, ego qui iniquè egi, iſti qui oues ſunt quid fecerunt? Vertatur obſecro manus tua contra me.* Vbi manifeſtè vides, quomodo peccatum ſuum agnoſcat & confiteatur, & ex eius cognitione ad acceptandã, non quamcunque

Lyran. idẽ Theodoretus, Didimus, & Niceph.

2. Re. 15.

2. Re. vl.

pœnam,

Verſio. pœnam, ſed ipſam mortem diſponatur. Quod etiam videre
D. Hier. eſt in præſenti verſu. Nam Diuus Hieronym. ex Hebræo ſic
ex Hebr. vertit: *Quoniam ego ad plagas paratus ſum.* Paraphraſis verò
Paraphr. Chald. Chaldaica. *Quoniam ego ad exitium*, &c. Ex quo colligimus,
quod veræ pœnitentiæ ſatisfactio vltronea debet eſſe & ſpon-
D. Bona. tanea. Sicut D. Bonauent. tractat in 4. diſtinction. 16. in ex-
poſitione textus. Quare nihil debet imponere ſacerdos hu-
meris pœnitentis, niſi quod ipſe prius voluerit acceptare, ne
fortè obliget eum ad aliquam pœnitentiam, quam vel nolit,
vel non poſſit adimplere. Pœnitentiæ enim quæ à ſacerdóti-
bus imponuntur, cum ſale ſapientiæ debent eſſe admixtæ, vt
vnicuique iuxta vulnera ſua debitæ medicinæ applicentur,
quæ non ſint nimis rigidæ & aſperæ, neque tam faciles &
molles, quod ſaniem peccatorum extergere non valeant. Sa-
Luc. 10. maritanus enim ille piiſsimus, de quo D. Luc. cap. 10. per quem
Cõfeſſarius in intungẽdis pœnitẽtijs diſcretionẽ ſeruet. Chriſtum Redemptorem noſtrum Doctores intelligunt, ho-
minem illum à latronibus vulneratum, vino & oleo curauit,
quorum alterum, alterum temperaret, & dolorem & mordaci-
tatem vnius, alterum deliniret & corrigeret. Confeſſor enim
cui peccatorum cura commiſſa eſt, vinum correctionis & ſa-
tisfactionis, cum oleo manſuetudinis & diſcretionis, vulneri-
bus adhibere debet. De quo Diuum Auguſtinum libr. 2. de vi-
D. Aug. ſitatione infirmorum, capite 8. videre poteris (ſi tamen opus
illud Diui eſt Auguſtini, quòd iuxta Eraſmi cenſuram longè
ab eius ſtilo abeſt) hoc videtur eſſe vitium hypocritarum, de
quo Seruator noſter eos reprehendit, quòd aliis graues pœ-
nitentias imponebant, cùm tamen ipſi, nec faciles, opere com-
Mat. 23. plerent. Matth. 23. dicitur: *Alligant onera grauia & importabi-*
Luc. 21. *lia, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Et Luc. 21. *Væ vobis*
legiſperitis: qui oneratis homines oneribus, quæ portare non
poſſunt, & tamen ipſi vno digito non tangitis ſarcinas. Vnde
Petrus Cantor. Petrus Cantor inquit: Sicut faſcem ſuper humeros adoleſcen-
tis, quem non poteſt baiulare ſi poſueris: neceſſe habet, vt aut
Simile. faſcem dejiciat, aut ſub pondere confringatur: ſic & homo
cui graue pondus pœnitentiæ imponis, aut pœnitentiam
rejiciet, vel ſuſcipiens dum ſufficere non poteſt, ſcandaliza-
tus amplius peccat. Quare prudentia requiritur: non ſolùm ad
conferendam, ſed ad acceptandam ipſam pœnitentiam impo-
ſitam, ne pœnitens intolerabilem acceptet, quam poſtea ad-
Pſal. 108. implere non poſsit. Vnde de ipſo illud Pſalmiſtæ dicatur: *Ex-*
cuſſus ſum ſicut locuſta, genua mea infirmata ſunt à ieiunio.
Quæ metaphora ab olitoribus deſumpta eſt. Olitor enim in-
diſcretus

Digitized by Google

diſcretus videns in plantis locuſtas & bruchos inſidentes, ſi, vt eos abjiceret, plantas ita violenter excuteret, vt flores & fru- *Simile.* ctus iam erumpentes dejiceret, nónne repræhenſione dignus eſſet, & ſpe fructibus priuaretur? Sic nimirum ſunt in Eccleſia non pauci, qui zelo indiſcreto carnem ſuam nimis affligere conantur: ſicut Diuus Hieronym. de ſeipſo fatetur in prin- *D. Hier.* cipio ſuæ conuerſionis: qui poſtea quamplurimis bonis operibus inutiles fiunt. Sicut ille qui tantum vno die equum ſuum vexat, quòd in craſtino impotens redditur ad iter perficiendum. Vt ergo pœnitentia & ſatisfactio ſpontanea ſit, & in ea *Simile.* pœnitens perdurare poſſit, nec retrocedere cogatur, requiritur quod pondere diſcretionis ponderetur. Quod ſi aliquis mihi ſacros canones objiciat, qui pro quocumque mortali peccato ſeptem annos pœnitentiæ iniungere iubent. Reſpondeo primo, cum Petro Cantore, quòd ſicut Imperator cùm *Petrus* primò legem promulgat, vt populus in obſeruatione cautior *Cantor.* ſit, tranſgreſſoribus legis diſtrictiorem pœnam infligit. Sic Imperator cœli & terræ, in prima legis ſuę promulgatione voluit tranſgreſſores grauius puniri, vt ſic ſolertiores eſſent ad cauendum trangreſſiones præcepti. Hac de cauſa populus tàm grauiter percuſſus eſt propter idololatriã & adorationem vituli, vt in Exodo habetur. Et ille qui die Sabbathi ligna colli- *Exo.32.* gebat lapidatus, quia lex recens erat, vt poſteri ex his ſuppliciis timorem legis conciperent. Et in nouo teſtamento Simon Magus tam atrociter animam exhalauit. Ananias & Saphira ad D. Petri pedes, non ſine magna omnis Eccleſiæ admiratione, *Act.5.* mortui ceciderunt, quia partem poſſeſsionum ſuarum retinuerant: vt ſic poſteri timerent, & à ſimili cauerent peccato. Eadem etiam ratione in primitiua Eccleſia, tantus & tam diſtrictus rigor in iniungendis pœnitentiis obſeruabatur, ſed multiplicata Eccleſia, inualuerunt morbi peccatorum, & quia numerus quodammodo cedit in defenſionem, oportuit pœnitentias remitti.

Secundò dico cum Guillermo Parienſi quod canonicæ *Guiller.* iniunctiones potius ſunt pœnæ ad correctionem peccantium *Pariſien.* ſtatutæ, quàm ſacramentales ſatisfactiones. Pœnæ illæ ſtatutæ cùm nimis graues ſint, potius neceſsitate, quàm voluntate acceptantur: quòd à ſacramentali ſatisfactione alienum eſt, *Cant.6.* quæ voluntaria & vltronea debet eſſe: *Surrexi*, inquit ſponſa, *Myrrha* Cant. capi. 6. *vt aperirem dilecto meo, manus meæ diſtilaue-* *pœniten-* *runt myrrham primam.* Myrrha in ſacra Scriptura pœniten- *tiã ſigni-* tiam, propter eius amaritudinem & mortificationẽ, ſignificat: *fi.at.*

quam

Opera ſatisfactoria ſpontanea. quam fatetur manus ſuas diſtillâſſe:ſed quare primam? Differt inter myrrham primam, & alias quæ primam ſubſequuntur: quòd prima illa dicitur quæ ſpontè ab arbore egreditur, & nõ per aliquam inciſionis violentiam: at verò quæ poſt egreditur, *Nota.* indiget arboris ſciſſuris myrrha prima gratiſſima eſt Deo, id eſt, pœnitentia, aut ſatisfactio, quæ voluntariè acceptatur: hac debet peccator à peccati ſui lecto ſurgere, vt ſponſo ſuo aperiat animæ ſuæ ianuam, quam culpa concluſerat. Aliàs, ſi non eſt ſpontanea pœnitentia, patietur quicunque illam fecerit cum ſiniſtro latrone, qui crucem ſuam inuitus portabat, neque *1.Petr.4.* eam voluntariè acceptauit. Quare 1.Petri, cap.4. dicitur: *Nemo veſtrum patiatur vt fur, aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus non erubeſcat. Glorificet autem in iſto nomine, quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.* Diuina ſunt hæc verba, & quæ maiorem excuſſionem exigebant, ſed obiter & per tranſennam ea explicemus. Loquitur hîc Apoſtolus Petrus de laboribus quos martyres primitiuæ Eccleſiæ paſſi ſunt, & primo monet, ne quis labores illos & afflictiones inuoluntariè patiatur: quia talis paſſio & mors, non eſſet in conſpectu Domini pretioſa, neque martyrij palma digna, ſed eſſet tanquam paſſio alicuius furis, vel facinoroſi hominis, quam non voluntas, ſed neceſſitas intulit, & nomen martyrij non mereretur. Secundò docet de huiuſmodi paſſionibus erubeſcendum non eſſe, vt ſolent fures & homicidæ quando pro ſuis criminibus patiuntur, quia illi, cum pro ſuis ſceleribus patiantur rationabiliter erubeſcunt & confunduntur: at martyr, qui pro Chriſto patitur, vel quicunque alius qui de peccatis ſuis pœnitentiam agit, cùm hoc ſit opus virtuoſum & laudabile, non eſt quod erubeſcat: ſed potius quod Deum glorificet, eo quòd illum dignum fecit, quòd pro nomine eius aliquid patiatur. Sed quod ſequi- *Gloſſa.* tur, *quoniam tempus eſt, &c.* ſic explicat gloſſa, Ideo patiendum eſt pro nomine Chriſti, quia cùm nullum malum ſine pœna poſſit tranſiri, & Deus ſit in vltimo malos iudicaturus, aſperè in præſenti flagellat, & corripit omnes quos vult reci- *Eccleſ.2.* pere ad ſalutem. Vnde Salomon ait: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Duo ſunt iudicia eius, vnum occultum, & aliud manifeſtum; occultum, pœna qua nunc vnuſquiſque homo, aut exercetur ad purgationem, aut monetur ad conuerſionem, aut ſi contemnit vocantem excæcatur ad condemnationem: manifeſtum verò, quo venturus eſt iudicare viuos & mortuos: & nunc

Digitized by Google

nunc eſt tempus, vt Eccleſia per exercitia ſæculi ad gloriam præparetur. Reprobi verò, nunc ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Huc vſque gloſſa. Sed interlinearis, quæ cuiuſdam Anſelmi dicitur eſſe, ſic habet. Si primum ſit iudicium à nobis, ſi hîc cruciat quos amat, ſi flagellat filios, quid debent ſperare ſerui nequiſſimi? Et ad idem eſt quod ſequitur. *Et ſi iuſtus quidem vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Quod de Prouerbiis cap. 11. ſumptum eſt, iuxta veterem æditionem. Sed ſecundùm Hebraicam veritatem ita legitur: *Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?* Id eſt, ſi tanta eſt fragilitas mortalis vitæ: vt nec iuſti quidem, qui in cœlo coronandi ſunt, hanc ſine tribulationibus propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem trãſeunt: quanto magis hi, qui cœleſtis gloriæ ſunt exortes, certũ damnationis ſuæ perpetuæ exitium expectant? Huc attinent illa Hieremiæ verba, cap. 49. *Ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinqueris?* Alloquitur Propheta populum ſuum Dei nomine, & inquit: *Ecce quibus non erat iudicium*, id eſt, Hierem. qui licèt nõ mereretur mortem, vel captiuitatem, tamen captiuatus fuit, & Baruc qui cum ipſo ad mortem fuit quæſitus, *& tu innocens relinqueris?* id eſt, abſque punitione vlla? Sed à Propheta ad ipſius Dominum Chriſtum Redemptorem noſtrũ ſermonem transferamus. Si Chriſtus cùm eſſet innocens nulliúſque peccati cõſcius, calicẽ paſſionis de manu Dei accepit & bibit, quid de nobis peccatoribus, qui tot cõmiſimus crimina exiſtimandum erit? Si hoc ſit in viridi, quid fiet in ſicco, cùm nullum peccatum apud diuinam iuſtitiam inultum remanere debeat? Hinc eſt quòd Propheta Miche. calicem de manu Domini libenter accipiebat, dicens: *Iram Domini portabo, quia peccaui ei, donec cauſam iudicet meam, & faciat iudiciũ meum.* Id eſt, pœnam temporalem qua pro peccatis ſatisfacit homo, libenter & voluntariè portabo. Et bene inquit, *portabo*, quia per voluntariam acceptationem pœnæ temporalis, quæ de facili portabilis eſt, ab æternis & incomportabilibus pœnitens liberatur. Quare Abacuc Propheta dicebat: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* Vbi notandum ſignum eſſe prædeſtinationis, & diuinæ gratiæ, labores, quibus anima vexatur in hoc mundo, libenter & ſine murmure & contradictione acceptare. Nam ſicut currus bene vnctus, non ſtrepit, ſed facilè ad portandum onus voluitur: ſic animus

Interlin. *Prou. 11.* *Hier. 49.* *Micheas cap. vlt.* *Abacuc.* *Simile.*

Digitized by Google

à Deo illectus, & gratia Spiritus ſancti vnctus, contra labores ſibi inflictos non murmurat, ſed libenter iugo pœnitentiæ colla ſubmittit. Quod in Ezechielis curru nobis ſignificatum eſt, de quo dicitur: *quòd vbicunque erat impetus ſpiritus, illuc animalia gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent*, cuius rationem aſſignat, *quia ſpiritus vitæ erat in rotis*, ſic qui ſpiritum vitæ habet in ſemetipſo, ad quæcumque grauia & aſpera perferenda facilis eſt. Sed quod huiuſmodi promptitudo & facilitas ad patienter tolerandos labores ſignum ſit prædeſtinationis, duplici exemplo comprobatur. Primum habetur apud Nicephorum Calix. lib. 18. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 40. vbi inquit, quòd cùm Imperator Mauritius à Deo poſtulaſſet, vt de illo in præſenti vita vindictam ſumeret, reuelatum eſt ei, quòd peccatorum ſuorum, indicta ſeruo cuidam ſuo, qui appellabatur Phocas, commiſſa eſt. Qui Phocas cùm contra Dominum ſuum conſpiraret, regnúmque tyrannicè occuparet, denique Mauritium cum vxore & octo filiis interfecit: at deuotus Imperator cùm intelligeret, hoc à Deo fuiſſe permiſſum & præordinatum, tam patienter vxoris & filiorum necem pertulit, quòd humi proſtratus, nihil aliud quàm illa Dauidis verba: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*, lamentabili voce proferret. Et cùm nutrix quædam loco vnius infantis, quem abſconderat, proprium filium tyranno iugulandum exponeret, ipſe fallaciam & deceptionem detexit, & loco filij ſui alienum pati non eſt paſſus. Et illa repetens verba: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*, tandem regias ceruices tortori incidendas præbuit. Secundùm deſumptum eſt ex Cæſario, qui refert, quòd quodam concionatore prædicante de grauitate peccati & pœnis inferni, mulier quædã exclamauit. *Domine, quid fiet de concubinis Sacerdotum?* Cui ille ludens reſpondit. *Nunquam ſaluabuntur, niſi clibanum ardentem ingrediantur*: illa verò non per iocum, ſed tanquam ſi veraciter verba hæc eſſent dicta, clibanum accenſum eſt ingreſſa, & ſtatim extincta. Et de ore clibani viſa eſt à multis columba alba aſcendere in cœlum. Qui ſtupefacti de viſione, cùm domum ingrederentur, extrahentes corpus de clibano in campo ſepelierunt: Vt autem Deus oſtẽderet mortem ſic ſimpliciter ſibi illatam, non ex malitia & deſperatione, ſed ex obedientia fuiſſe, de nocte, multis videntibus, candelis ardentibus tumulum ipſius illuſtrauit. Dauid noſter, cùm ad ſupremam fœlicitatem præordinatus eſſet, ad ſatisfactionem pro peccatis ſuis faciendam, & labores perferendos paratiſſimus erat, quare dicebat: *Quoniam*

Ezech. 1.

Niceph.

Notabile patientiæ exẽplum.

Cæſarius

ego in flagella,ſiue ad plagas paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Dolorem enim peccatum ſuum appellat ab effectu, quia propter illud nimis dolebat. Et quia hunc dolorem ſemper habebat præſentem, ideo ſemper ad flagella erat paratus. Habeamus, & nos ſemper dolores noſtros præſentes, neque peccata noſtra obliuioni mandemus, vt flagella quæ pro illis patimur ſiue à Deo inflicta, ſiue ſponte ſuſcepta, libenter accipiamus. Quia vt D. Gregorius inquit: Sancti viri in hac vita flagellari deſiderant, vt flagellis correcti & imminentes culpas videant, & commiſſas ante oculos ponant. Sæpe enim delinquentes oculos aperiunt flagella, quos inter vitia inſolentiæ & ſecuritatis tenebræ concludunt. Sæpe torpentis animus perſecutionibus tangitur, vt excitetur, quatenus qui ſtatum ſuæ rectitudinis per ſecuritatem perdidit in afflictione conſideret, quò peruenit. Vera namque extat illa Iſaiæ ſententia. *Quòd ſola vexatio intellectum dabit auditui.* Quæ quidem verba de Iudæis dicta ſunt, iuxta diuorum Cyrilli, & Theodoreti interpretationem: ex quibus aliqui malis & calamitatibus coacti, prophetias, quæ de Christo loquebantur, completas eſſe didicerunt, & ſic ad Deum ſunt conuerſi. Sicut ſolet prudens medicus infirmum extrema valetudine laborantem, & ſenſibus expertem diuexare, & crura illius fortiſſimis vinculis conſtringere, vt à ſomno excitatus, ſenſum deperditum recuperare poſſit: ſic Deus peccatorem in extremis agentem laboribus cruciat, & calamitatibus diuexat, vt ad ſanam mentem rediens, periculum animæ ſuæ cognoſcat. Quod ſi ita eſt, fratres, acceptemus cum Dauide Dei flagella, vt à ſomno vitiorum excitati: ad eum humiles confugiamus, apud quem peccatorum veniam, criminum remiſſionem, debitorum indulgentiam, in præſenti gratiam, & in futuro gloriam reperiemus.

D. Greg.

Iſaiæ 28.

Simile.

CONCIO NONA.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt,qui oderunt me iniquè.

TRes ſunt pœnitentiæ partes, vt à Doctoribus ſcholaſticis communiter traditur in 4. cordis contritio, oris confeſſio, & operis ſatisfactio. Quam doctrinam deſumpſit Magiſter ſentētiarum,quem alij Doctores ſequuntur,ex D.Ioann. Chryſoſt.qui ſic ait: *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre,in corde eius contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas.* Sunt tres peccati differentiæ, vt ait Auguſtinus in ſermone Domini in monte,ſcilicet, in corde, in facto, & in verbo,vel conſuetudine,tanquam tres animæ,vna quaſi in domo, quādo corde conſentitur libidini, altera quaſi prolata iam extra portam, cùm in factum procedit aſſenſio, tertia eſt malæ conſuetudinis, quando mole præmitur animus,vel noxiæ defenſionis clypeo armatur,& eſt quaſi in ſepulchro iam fœtens. Quæ tria peccatorum genera in tribus mortuis quos Dominus legitur ſuſcitaſſe ſignificata fuēre. Huic triplici morti triplici remedio occurrendum erat: contritione, quæ interior actus eſt mentis confeſſione,qua mors intus latens ore profertur:ſatisfactione, qua mala & inueterata vitiorum conſuetudo aboletur. Compunctio cordis nobis commendatur, cùm per Ioëlem dicitur: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro,* &c. *Et ſcindite corda veſtra; & non veſtimenta veſtra.* Scindite,inquit,corda quod per dolorem intelligendum eſt: quia pœnitentia definitur, vt recitat Alexander 4. parte, quæſt. 67. membro. 1. articulo 1. D.Bonauent. Et ſanctus Thomas diſt.17. quæſt.1. Pœnitentia eſt dolor de peccatis volūtariè aſſumptus,cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. Confeſſio tangitur, cùm dicitur à Salomone: *Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui ipſius,* quia verè confitetur qui ſe accuſat, & execrando malum ſibi imputat. Ibi etiam vbi dicitur, *effundite coram illo corda veſtra*: quia tunc effunditur cor, quando venenum intus latens per

Magiſt. in 4.diſt. *D.Chryſ.* *Trespartes integrales pœnitentiæ.* *D.Aug.* *Ioël. 2.* *Alexan. Alenſ.* *D. Bona.* *S. Thom.* *Pœnitētia definitio.*

per

per confeſſionem foras emittitur. Diuus etiam Iacobus præcipit, dicens: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Satisfactio verò à D. Ioãne Baptiſta præcipitur, qui inquit: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Fructus dignos, inquit: vt ſecundùm qualitatem & quantitatem culpæ, ſit quantitas & qualitas pœnæ, & iuxta menſuram delicti, ſit plagarum voluntariè aſſumptarum modus. Ex his quæ diximus facilè conſtare poteſt, quàm vera fuerit & non ficta Regij huius vatis pœnitentia, quæ omnibus his partibus integrata fuit, ſicut ex hoc Pſalmo patere poterit. Habuit cordis contritionem, quæ præcipua inter omnes partes cenſetur, cùm dixerit: *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper*: operis ſatisfactionem, ſiquidem ad flagella & plagas paratus erat, *quoniam ego in flagella paratus ſum*: non ei defuit peccatorum confeſſio, qua vera pœnitentia perficitur, ſiquidem modo inquit: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* *Iacobi 5.* *Lucæ 3.*

Vbi primò animaduertendum eſt, quòd priùs dixit, *& dolor meus in conſpectu meo ſemper*: & ſtatim ſubdit, *iniquitatem meam annunciabo.* Qui enim cognoſcit dolorem, vel peccatum ſuum, ſtatim illud confitetur. Nam peccatum nil aliud eſt quam vulnus animæ, quod niſi per confeſſionem curetur, mortem æternam inducit, & incurabile redditur. *Quoniam tacui*, inquit Dauid, *inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Et Prouerb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*, vbi manifeſtè inſinuatur, quòd ſine præuia peccatorum confeſſione non poteſt quis miſericordiam conſequi. Quare, qui ſeipſum intuetur, & ſe peccatorem eſſe cognoſcit, & quòd peccatum eſt animæ vulnus, quo mediante in magno vitæ ſuæ verſatur diſcrimine: ſtatim ad medelam confeſſionis recurrit. Sed cognitio hæc donum Dei eſt, quare à Deo poſtulari debet. Vnde inquit Macrobius libr. 1. de Somno Scipionis de cœlo (vt ait quidam) deſcendit Γνῶθι σεαυτὸν, id eſt, noſce te ipſum. Nam & Delphici vox hæc fertur oraculi conſulenti ad beatitudinem quo itinere perueniret. *Si te*, inquit, *agnoueris*: ſed & in ipſius fronte templi hæc inſcripta ſententia eſt. Hominis autem vna eſt cognitio ſui: ſi originis ſui exordia prima reſpexerit, nec ſe extra quæſierit. Sic enim anima virtutes ipſas conſcientia nobilitatis induitur, quibus poſt corpus euecta, eò vnde deſcenderat reportatur. Hæc ille. Sed rectè (vt ad oraculum Apollinis reuertamur) dicitur, quòd iter quo ad *Cognitio ſui.* *Pſal. 31.* *Prou. 28.* *Macrob.* *Oraculũ Delphic.* *Vide de hoc Platonem in phedro. l. de pulchro, in princip.*

beatitudinem peruenitur, eſt ſuiipſius cognitio. Nam infirmus qui propriam infirmitatem non agnoſcit, medelam & medicum contemnit: non ſecus peccator peccatorum ſuorum ignarus, illa confiteri & medico ſpirituali detegere paruipendit. Vnde Seneca epiſtola vigeſima octaua: *Initium ſalutis eſt notitia peccati: nam qui peccare ſe neſcit, corrigi nõ vult, ideo quãtum potes te ipſum argue, inquire in te accuſatoris primum, partibus fungere, deinde iudicis, nouiſſimè deprecatoris.* Quare vitia ſua nemo confitetur? Quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare vigilantis eſt, & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamur ergo vt mores noſtros coarguere poſſimus. In Canticis capite primo ſponſæ dicitur: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt greges ſodalium tuorum.* Quod ſi pulcherrimæ ſponſæ, quæ Soli & Lunæ comparatur hæc verba dicuntur; quid nobis, qui tot vitiis fœdati, tot maculis culparum coinquinati ſumus dicetur? Vtique, ſi ignoramus nos, & proprias culpas non agnoſcimus, vt eas ſacerdoti confiteamur, benè egredi poſſumus. Egredi, inquam, à cæli cohabitatione ab Angelorum participatione, à clara Dei viſione, & poſt veſtigia ſodalium noſtrorum dæmonum abire: qui peccatum ſuum cognoſcere, aut cõfiteri neſciunt. Hinc eſt, quod nihil tanta ſolicitudine & ſtudio à peccatoribus Deus exigit, quàm proprij peccati cognitionẽ: vt eo cognito ſtatim illud confiteantur, & veniam ſimul & miſericordiam conſequantur. Peccante enim primo noſtro parente Adamo, ſtatim Deus cum illo ſermonem habuit, vt vel ſic peccatum, quod obliuioni mandauerat, ad memoriam ipſius reuocaret. *Adam*, inquit, *vbi es?* Geneſ. 3. Quid his verbis Deus intenderet, aperitur nobis de pœnit. diſtinct. 1. Perſpicuè apparet, neminem ſine confeſſione à peccato mundari. Peccato tranſgreſſionis primi parentes corrupti, à Domino ſunt requiſiti de culpa, vt peccatũ, quod tranſgrediendo commiſerant confitendo delerent. Ad hoc etiam Nathan Propheta miſſus fuit ad Dauid, vt adulterium & homicidium iam oblitum, parabola illa ad memoriam reuocaret, vt peccata ſua cognoſcens, ſtatim illa confiteretur: quod & factum eſt, nam cùm peccati ſui grauitatem audita parabola velut in fulgidiſſimo ſpeculo cognoſceret: ſtatim confeſſus eſt, dicens: *Peccaui Domino.* Cui Propheta reſpondit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te.* Et per eundem Dauidem Pſal. 49. peccatorem alloquens, inquit Deus: *Si videbas furem currebas cum eo, &*

Simile. *Seneca.* *Cant. 1.* *Geneſ. 3.* *De pœn. diſt. 1.* *2. Reg. 12* *Pſal. 49.*

Digitized by Google

ro, & cum adulteris portionem tuam ponebas: os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos, &c. Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam, vbi aliqui legunt, *& ſtatuam contra faciem tuam peccata tua.* Beatus Hieronymus ex Hebræo, ſic vertit: *Et proponam te ante oculos tuos.* Cui conſonat lectio beatus Auguſtinus quæ ſic habet: *Conſtituam te ante oculos tuos:* & rectè quidem, quia peccator ſeipſum non intuetur, ſed oculos auerſos à ſe habet. Quare neceſſe eſt illũ, quaſi tertia & diſtincta eſſet perſona, ante ſeipſum conſtituere, vt ſe aſpiciat, & deformitatem ſuam agnoſcat. Quare Auguſtinus ſic hunc locũ interpretatur. Quid tibi faciam arguendo te? Modo te non vides, faciam, vt videas te. Quia ſi videres te, & diſpliceres tibi, placeres mihi, quia verò te non vidẽs placuiſti tibi, diſplicebis & mihi & tibi: mihi cùm iudicaberis, tibi cùm ardebis. Et poſt pauca. Statuam te, inquit, ante faciem tuã. Modo ergo tu fac quiſquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis, diſſimulans à factis tuis, & conſtitue te ante te. Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat à te cõfeſſio, & dic Deo tuo: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum ante me eſt ſemper.* Non multum ab hoc ſenſu abhorret Bernardus in ſuis meditationibus, vbi inquit: Multa multi ſciunt, & ſeipſos neſciunt, quærunt Deum per exteriora, relinquentes ſua interiora, quibus interior eſt Deus: cum tamẽ iſta ſcientia maior ſit, & ſuper omnes alias: quia nullus, quantumcunque literatus, eſt verè ſapiens, qui currit ad infernum. Et alibi: ſtude cognoſcere te ipſum, quia multo melior & laudabilior eris, ſi te ipſum agnoſcas, & in libro conſcientiæ tuæ ſtudeas, quàm ſi te neglecto cognoſceres curſus ſyderum, fundamenta terrarum, vires herbarum, complexiones hominum. Et ratio eſt, quia ex horum cognitione plerumque ſuperbit homo, & inflatur eius animus: at ex ſui cognitione humiliatur, propria peccata & delicta agnoſcens, & ad eorũ confeſſionem inclinatur: ſicut Dauid noſter, qui poſtquam dolorem ſuum agnouiſſe fatetur, ſtatim de confeſſione peccatorum ſuorum agit, dicens: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo.*

D. Hier. ex Hebræo lectio beati Auguſt.

D. Aug.

D. Bern.

Durandus in 4. diſt. 17. inquit: Sicut lex vetus fuit vmbra & figura legis nouæ, & ſicut in fide veterũ implicitè cõtinebatur fides modernorũ: ſic in veteri lege confeſſio fuit inſtituta implicitè in vmbra & in figura. Nam ſicut habet Alexander 4. parte tractat. de pœnit. licèt ante legem ſcriptam nullum fuerit inſtitutum Sacramentum, nihilominus erant tunc quædam

Durand. in 4.

Alexan. Alenſis 4. par.

Digitized by Google

ſigna, quæ gerebant ſignum pœnitentiæ, quæ habebant ex inſtinctu, non ex inſtitutione, Et apud veterem legem multoties confeſſio præcipitur. Iſai. 43. dicitur: *Narra, ſi quid habes, vt iuſtificeris.* Vbi Septuaginta habent: *Dic peccata tua, vt iuſtificeris.* Et Prouerb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur.* Et Eccleſiaſt. 18. *Ante mortem confitere, à mortuo enim, velut ab eo qui non eſt, perit confeſſio.* In omnibus his locis & aliis ſimilibus confeſſionem præcipientibus, licèt confeſſio ſacramentalis, quæ in ſpeciali ſacerdoti fit, non præcipiatur: tamen in eis virtualiter & in vmbra continetur. Formaliter verò in nouo Teſtamento, quia à Chriſto Domino inſtituta fuit: quare de iure diuino cenſenda eſt. Dicitur enim Ioannis vigeſimo: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Nec credendum eſt quòd Eccleſia & Apoſtoli iugum hoc hominibus impoſuiſſent, niſi Chriſtus Dominus proprio ore præceptum hoc dediſſet. Ideo fallitur gloſſa de pœnitentia & remiſſione, diſtinctione prima, capite in pœnitentia, quæ dicit, confeſſionem eſſe ſolùm de iure poſitiuo humano. Fallitur etiam hiſtoria Tripartita, quæ dicit quòd Græci non confitentur. Nam & Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus eorũ doctor, confeſſionem ſic deſcripſit. Confeſſio eſt ſalus animarum, remiſſio peccatorum, recuperatio virtutum, fuga dæmonum, obſtructio oris inferni, & apertio Paradiſi: Quod non ita feciſſet, niſi Græci cõfiterentur. Et ſi dicatur quòd per illa verba Ioannis. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* non præcipitur peccatori vt confiteatur, ſed ſolùm ordinantur miniſtri ad remittendã peccata: Reſpondet ad hoc diuus Bonauentura in quarta diſt. 16. quòd ſufficit quòd ægroto exponatur medicus & medicina ſibi neceſſaria. Vnde Hugo de ſancto Victore ait. Dixit medicis vt curarent, ſed non dixit infirmis, vt ad medicos curandi cauſa venirent. Hoc enim quaſi certum eſſe voluit, quia ægri libenter ſalutem quærerent, & ſe curandos offerrent, ſi medicos inuenirẽt. Si apoſtema medico corporali oſtenditur, & ab eo aperitur, non ſine magna doloris perpeſſione, vt corruptis humoribus defluẽtibus ſanitas recuperetur, quantò magis peccata noſtra aperienda ſunt in confeſſione, vt recuperetur ſanitas ſpiritualis? Sicut lingua canis quæ medicinalis eſt omnibus ſuis vulneribus, quæ tangere poteſt medetur, illud verò quod non poteſt attingere corrumpitur & putreſcit: ſic peccator lingua ſua per humilem confeſſionem debet omnibus ſuis vulneribus mederi, quòd ſi alicui medicinam hanc nõ applicuerit, ſtatim putreſcet & corrumpetur, & tandem miſera

Iſai. 43. Septuag. Prou. 18. Eccl. 18. Confeſſio peccatorũ in veteri inſtrumento virtualiter continebatur. Ioan. 20. Chryſoſt. Confeſſionis encomium. D. Bona. Simile. Simile.

Digitized by Google

anima æternaliter peribit. Greg. in homil. de diuite & Lazaro. Quid eſt peccatorum confeſſio, niſi quædam vulnerũ ruptio? & confitendo peccata quid agimus, niſi malum quod intus latebat aperimus? Nunquid inquit Propheta Hieremias, *non eſt reſina in Galaad, aut medicus non eſt tibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei.* Quaſi diceret: Cùm tanta ſit Sacramentorum abundantia, tanta ſpiritualis medicinæ copia, & tam facilis medela: quòd ſolis verbis præſtari poteſt: quare tot ſunt vulnera, tot cicatrices, & infirmitates in populo meo, quibus medicina hæc ſalutifera nõ applicatur? Videmus enim, quam plurimos ægros (quod valdè dolendum eſt) vermibus, putredine, & ſanie peccatorum ſcatentes, vſque ad hebdomadam ſanctam expectare, vt à languoribus ſuis curentur. Quid ad hoc reſpondere poſſumus fratres? niſi quòd quaſi frænetici & furioſi medicinam ſpernimus, & ſalutem animæ noſtræ paruipendimus? Vnde cùm ipſe Propheta nomine peccatoris idem inquireret, dicens: *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis?* ſtatim ſubdit rationem. *Renuit*, inquit, *curari.* Videte ergo, ne ad hunc ſtatum deueniatis, quando dolor veſter fiat perpetuus, & plaga incuria & negligentia veſtra incurabilis: ſed ſtatim ad medicinam oblatam, ſanguinem, inquam, Ieſu Chriſti, qui vera reſina eſt accurrite, qua medicina omnibus peccatis veſtris poſſitis mederi. Præuenite faciem eius in confeſſione, vt cùm iudex in fine ſæculi aduenerit, nihil iudicio ſuo dignum in vobis inueniat: quia iudicium illud ſtrictiſſimum futurum eſt: ſecundum quod per Sophoniam pollicetur, capite primo. *Scrutabor*, inquit, *Hieruſalem in lucernis ardentibus*: Quo dicendi tropo ſcrutinij rigidiſſimum examen ſignificatur. Et ſpecialiter, inquit, *hoc ſcrutinium fiet, ſuper defixos in facibus ſuis.* Super eos, inquam, qui in fæcibus peccatorum requieſcentes per annum integrum, vel forſitan per totam vitam, vas cordis ſui per confeſſionem mundare neſciunt. Deus ſancte, quale ſcrutinium ſuper fœtidos hos peccatores moribus & operibus corruptos fiet? Scrutabitur enim Deus omnes cordis eius angulos, & lucernam manu ſua applicabit: vt nihil intus lateat, quod non coram omnibus appareat. Fur ſciens iudicem venturum, vt eum ſcrutetur, præoccupat eum, furtum deponendo: quia ſi cum furto inuentus fuerit, abſque dubio damnabitur. Quid aliud ſunt peccata & voluptates, niſi quædam hominis furta, quæ contra rationis dictamen & Dei legem anima noſtra furatur? Quòd ſi tale ſcrutinium iudex facturus eſt, ſicut per Prophetam comminatur,

Hiere. 8. *Hier. 15.* *Soph. c. 1.* *Simile.*

Digitized by Google

quare non ſtatim per ianuam oris furta hæc, illa confitendo deponimus? Hiere.2. dicitur: *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël.* Vbi interpretatio ex Græco habet: *Sicut confuſio furis cum captus fuerit: ſic confundentur filij Iſraël*: & rationem huius confuſionis aſſignans, inquit: *Dicentes ligno, pater meus es tu, & lapidi, tu me genuiſti: Verterunt ad me tergum & non faciem.* Magna enim eſt furis confuſio & verecundia, quando cum furto deprehenditur. *Quando le coxen con ol hurto en las manos*, ita vt nullo modo illud negare poſſit. Credo equidem, quòd dolor ipſe mortis, non eſt maior confuſione iſta. Qualis igitur erit extrema confuſio illorum, qui in die iudicij cum furtis peccatorum ſuorum deprehendentur à ſeueriſſimo illo iudice? Illorum dico, qui quaſi idololatriæ creaturas colentes, & voluptates adorantes, ſui creatoris obliuiſcuntur, & ab eo faciem ſuam auertunt, neque per confeſſionem conuertuntur, abiicientes peccata, & ab eo ſupliciter veniam poſcentes. Tunc enim illis continget, quod de ſeipſo (licèt populi ſui nomine) Propheta Hieremias (non ſine magna cordis amaritudine) deplorabat. Threnorum primo: *Iniquitates meæ in manu eius conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo.* A iudicibus deſumpta eſt metaphora, qui aliquando conſueuerunt, latronum colla furtis circumdare, & in loco publico & manifeſto eos collocare, vbi ab omnibus conſpiciãtur, vt vel ſic, coram omnibus verecundentur & confundantur. Sic nimirum in die iudicij peccatoribus impœnitentibus continget, quorum peccata, quaſi ex eorum collibus pendentia, omnibus manifeſta erunt, vt magnam verecundiam & confuſionem patiantur, qui ob verecũdiam culpabilem crimina ſua confiteri noluerunt. Quapropter diem illum timentes, præuenientes iudicem, & Dauidem imitantes, ſimul & nos dicamus cum ipſo: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, &c.*

Hier.2. *Thren.1.*

Et cogitabo pro peccato meo. Rectè quidem, pòſtquam peccatorum annunciationem, vel confeſſionẽ promiſit, nunc ſubdit, & cogitabo pro peccato meo: quia confeſſio nõ repentina, ſed præmeditata eſſe debet. Nam certè, ſicut vult Philoſophus 3. Ethicorum, actum virtutis, vt verè virtutis ſit, conſilium & deliberatio debet præcedere: & genus deliberatiuum præcedit genus demonſtratiuum: vnde ad hoc quòd confeſſio ſit virtuoſa & Deo accepta, debet eſſe cum debita præmeditatione & conſcientiæ examinatione. *Dixi*, inquit Dauid, *confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem*

Ariſtot. *Pſal.31.*

Digitized by Google

pietatem peccati mei. Vbi aliquæ bonæ confeſſionis circunſtantiæ neceſſariæ apponuntur. Prima, quòd ſit prædeliberatiua, & ideo, *dixi*, id eſt, ſtatui. Secunda, quòd ſit integra, ideo, *confitebor*, id eſt ſimul omnia fatebor. Tertia, quòd ſit accuſatiua, non excuſatiua, & ideo dicitur, *aduerſum me*, non aduerſus alium: ſicut Adam fecit, qui culpam in mulierem retorſit. Quarta quòd propter bonum finem, ſcilicet, propter veniam obtinendam, & ideo dicitur: *iniuſtitiam meam Domino*, vel ſacerdoti, qui eius vices gerit, non amicis, aut commilitonibus, de peccatis commiſſis complacendo, ne de nobis illud Iſa. verificetur: *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.* Quinta, quòd ſit humilis, grauitatem peccatorum recognoſcens, quare dicit: *& tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Sed prima conditio iſtarum tanquam præambula ad confeſſionem, eſt, quòd ſit præmeditata, cum ſufficienti diſcuſſione & examine, reuocando ad memoriam omnia peccata cum circunſtantiis mortaliter aggrauantibus: Vt dicat anima cum ſponſa, Cant. 3. *Surgam & circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea.* Surgat anima, quæ in lecto voluptatis ſuæ ſomno peccati dormit; ſurgat, inquam, per contritionem cordis, & circumeat ciuitatem conſcientiæ ſuæ, omnes vicos & plateas, & abditiſſimos eius angulos luſtrans: & quærat per confeſſionem humilem dilectum ſuum, donec illum quem perdiderat, inueniat. Eandem animam, Iſa. alloquitur, cap. 22. dicens: *Sume citharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita, bene cane, vt memoria tui ſit.* Cithara corpus noſtrum merito à Platone appellatur, ſicut & anima intus latens muſicus, vel citharœdus dicitur: & ſicut ad muſicæ conſonantiam neceſſe eſt chordas percutere ſic ad pœnitentiam agendam & peccata noſtra lamentabiliter deploranda, neceſſe eſt corpus noſtrum percutere & caſtigare: ſicut faciebat Paulus, qui dicebat: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* Debemus etiam ciuitatem conſcientiæ noſtræ ſumma cura & diligentia circuire, ſingulas ſtationes eius ſcrutando, ne Diabolus ibi lateat. Bene canamus peccata noſtra confitendo & manifeſtando. Frequentemus canticum iſtud ſemel in hebdomada, vel ſaltem in menſe, confitendo, vt qui per peccatum obliuioni traditi ſumus, in memoria Dei, & in libro vitæ aſcribamur. Matth. 10. dicitur: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Simplicitas columbarum innocentibus competit, at ſerpentina prudentia, peccatoribus magis quàm innocentibus. Quæ quidem in hoc

5. conditiones bonæ cōfeſſionis.

Iſa. 3.

Cant. 3.

Iſa. 22.

1. Cor. 9.

Matt. 10. Exēplū naturale.

Digitized by Google

hoc conſiſtit, quod licèt corpus terræ hæreat, & ſuper pectus ſuum gradiatur: tamen ſemper caput habet erectum, vt totum corpus ſuum videat & regat: ſic homo in præſenti vita, non poteſt ſeipſum regere & gubernare, niſi caput habeat erectum ad ſeipſum & cor ſuum reſpiciendum, conſcientiámque ſuam diligenter conſiderandam, vt & quæ agenda ſunt videat & malè acta abſque vlla mora reparare ſtudeat. *Anni noſtri*, inquit Pſalmiſta, *ſicut aranea meditabuntur.* Sicut enim aranea in medio telæ ſuæ, quaſi in munitiſſima arce reſidens, omnem motum factum in quacumque parte telæ ſentit, & ſtatim, vbi fuerit fractura, orditur & reparat eam: ſic anima in centro cordis, quaſi in medio ſui exiſtens, qualecumque damnum ſentit, vt illud reparet per confeſſionem ſeipſam euiſcerando & interiora ſua ſacerdoti detegendo. Lib. de nugis curialium dicitur, quod Plato faciem ſuam ſæpe in ſpeculo videre conſueuerat, non curioſitatis gratia, ſed vt videret, quantum per feruorem ſtudij de naturali diſpoſitione, ex faciei iudicio deperdidiſſet: vt ſeruaret naturam, ne fortè labore immoderato in dies corrumperetur. Sic enim ſtatum conſcientiæ noſtræ in ſpeculo animæ conſiderare debemus: non curioſitatis gratia, ſicut illi, qui in libris contemplantur ſtatum hominis, & nihil inde commouentur, aut emolumenti acquirunt, ſed vt videat vnuſquiſque quantum ſibi ablatum eſt de naturali depoſitione animæ per labores inordinatos, quibus laborant homines, vt iniquè agant, vt ſeruet animam, ne inordinatis laboribus corrumpatur: *Cogitaui*, inquit Pſalmiſta, *vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.*

Pſal. 39. *Nota.* *Exemplum naturale.* *Li. de nugis curia.* *Exẽplũ Platonis.* *Pſal. 118.*

Sed rogabis forſitan, quænam præparatio requiritur ad confeſſionem dignè faciendam? Tibi reſpondet Scotus in 4. dicens: quòd homo debet tantam diligentiam apponere in ſcrutinio conſcientiæ ſuæ, in inquirendo mortalia, quantam apponeret vir prudens circa aliquid multum arduum, quod valdè ſibi eſſet cordi. Vt inquit Diuus Auguſtinus, & allegatur à Magiſtro in 4. diſt. 16. ſit paratus pro recuperanda animæ vita, facere, quod faceret pro euitanda corporis morte, & ſubdit: cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.

Scotus. *D. Aug.* *Magiſt. in 4.*

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt, &c. Poſt recenſita mala, quæ ab inimicis paſſus eſt: nunc eorum ſoſpitatem & fœlicitatem recenſet: quaſi de hoc admirans: *Inimici*, inquit, *mei viuunt, & confirmati*

Digitized by Google

mati ſunt ſuper me. Et quidem, non ſolus Dauid de hoc conqueritur: quia quamplurimos alios Prophetas ſocios habuit, qui prouidentiam diuinam & admirabilem eius diſpenſationem circa hæc temporalia intelligere nequibant. Et primus inter omnes Iob cap. 21. ſic inquit: *Et ego, quando recordatus fuero, pertimeſco, & concutit carnem meam tremor.* Comparat labores ſuos cum peccatorum fœlicitate, & inquit: Quandocunque labores meos, & proprias calamitates, in quas deueni conſidero, non poſſum non pertimeſcere, mente & coresre contremiſcere, quia ad vltimun infœlicitatis ſtatum ſum redactus: quòd ſi hoc ita ſe habet, quare impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatíque diuitiis; Subleuati ſunt hominum fauoribus & ad extremum dignitatis apicem euecti, diuitiíſque confortati & roborati, ne ab adeptis dignitatibus poſſint excidere. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum, id eſt, magnam filiorum & nepotũ ſucceſſionem videbunt, quod ad humanam fœlicitatem conducere ſolet. Domus eorũ ſecuræ ſunt & pacatæ, id eſt, ab omni aduerſitate eximuntur. Si aliquis moritur, ſed non domeſticus eorum, ſi infirmitas fuerit in ciuitate, domus eorum non attinget, ſi hoſtes aut fures ciuitatem inuaſerint & deprædentur, domus illorum erunt ſecuræ, quas hoſtilis manus non attinget, & non eſt virga Dei ſuper illos. *No ay açote de Dios, ni golpe aduerſo de fortuna para ellos.* Et tandem inquit: *Tenent tympanum & citharum, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Quaſi dicat, inter eorum fœlicitatem & mortem nullum mediat tempus, in quo aliquod malum eis accidere poſſit, ſed à felicitate & gaudio, ad mortem fœlicem, poſt multa tempora in requie tranſacta, properant. Quaſi dicat, totum vitæ curſum in deliciis & voluptatibus conſumunt. Hierem. etiam tanquam diſcipulus humilis de hoc erudiri cupiens, capit. 12. dicebat: *Iuſtus es, Domine, ſi diſputem tecum veruntamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui prauaricantur, & iniquè agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt, & faciunt fructum.* Duplici metaphora fœlicitatem malorum depingit. Prima à nautis deſumpta: *Quare*, inquit, *via impiorum proſperatur?* Id eſt, *nauegan por eſte mundo con proſperidad, les da el viento en popa* Et rectè quidem, quia vita hominis periculis & diſcriminiſbus plena nauigationi comparatur. Dies mei velocius tranſierunt curſore,

Malorũ fœlicitas.

Iob 21.

Hiere. 12

Iob 9. curſore, *& ſicut naues poma portantes*, inquit Iob. *Es vida de galera y remo.* Quare non vehementius appetenda. Secunda ab agricultura deſumpta eſt, quia & homo ipſe arboribus paſſim comparari ſolet. Fœlicitas alicuius arboris, quæ de nouo plantatur, conſiſtit in emittendis radicibus, ne à vento euellatur, & in fructu tempore ſtatuto ferendo: quare, vt malorum fælicitatem oſtendat, inquit, quod de manu Domini plantati eſſe videntur, & radices in ſua fœlicitate miſerunt, quia non de facili ab ea poſſunt auelli: proficiunt & faciunt fructum, quia eorum fœlicitas & proſperitas in dies augetur & multiplicatur. Hæc eadem conſideratio Dauidi fuit petra ſcandali, & quaſi lubricum in tenebris, vbi frequenter deficiens laberetur, niſi diuina gratia fuiſſet adiutus. Vnde dicebat *Mei autem penè morti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns: quia non eſt reſpectus morte eorum, & firmamentum in plaga ipſorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Pſal. 72. Pſalm. 72. Id eſt, non poteram intelligere hoc prouidentiæ ſecretum. Quare tanta pax & ſecuritas; tantàque bonorum affluentia, iniquis & peccatoribus in hac vita concedatur. Non enim eſt reſpectus morti eorum, *No ay muerte para ellos.* Vitam coruinam, vel Neſtoream agunt. Tranſlatio B. Hieron. ſic habet: *Quia non cogitauerunt de morte ſua.* Cui conſonat Paraphraſis Chaldaica dicens: *Quoniam non terrentur, nec conturbantur propter diem mortis ipſorum*, id eſt, ſic læti & gaudentes viuunt, ac ſi morituri non eſſent. Paulus Burgen. inquit, quòd aliqui ſic interpretantur: *Quià non ſunt ligamenta in morte eorum*, id eſt, moriuntur abſque pœnis corporalibus, vel ſaltem cum leuiſſima migrant ex hac luce: ita quod neque viui neque mortui, laborem aliquem experiuntur: *Et firmamentum in plaga ipſorum*, id eſt, ſi aliqua plaga, vel calamitas eis contingit in præſenti vita, fundamentum non habet, quia citò curatur & remedia præ manibus habent. Sed loco huius Paraphraſis habet, *Efferuntur cogitatus eorum, & terſum, & pingue, & forte eſt cor eorum.*

Trãſlatio Hieron. Paraphr. Chald. Paulus Burgen.

Hæc fuit antiquitus iuſtorum querela, hic zelus eorum, quo de iuſtorum laboribus & de malorum requie, de iſtorum fœlicitate & gloria, & de illorum aduerſitate cauſabantur. Sed animaduerte, quòd ex eiſdem locis à nobis citatis, in quibus difficultas mouetur, ſolutio eius, & noſtræ mentis quietatio pendet. Iob enim poſtquam difficultatem mouit, ſtatim inquit: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad*

ſonitum

ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Quod de pœnis inferni, & æterna morte diuus Hieronymus, & Gregorius interpretantur. Ac ſi diceret: Non mirum eſt quòd in præſenti vita fœlicitas eis cõcedatur, quia Deus qui liberaliſſimus eſt, bona ſua ſic diuiſit: vt peccatoribus temporalia, iuſtis verò æterna concederet. Vnde, ſi impij in præſenti vita bonis perfruuntur, ſed in futura, æterna mala eis præparantur. Quod Philoſophatus eſt Plato in Phædo. Inquit enim, ſub perſona Socratis, quod Dij bona & mala, voluptatem & dolorem miſcere voluerunt, quod cùm intelligerent fore impoſſibile: extremitatibus illa connexa & ligata eſſe decreuerunt, ſic quòd finis voluptatis ſit dolor, & finis doloris voluptas. Quare, qui in præſenti vita ad voluptatem manum ſuam extendit, in futura dolorem & æternam damnationem reperire neceſſe eſt. Cui alluſit reſponſio illa duriſſima Abrahæ, quæ diuiti epuloni in inferno exiſtenti: cùm aquæ guttam peteret ad refrigerandam linguam, data eſt. Luc. 16. *Fili, recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Quaſi diceret: Hic eſt ordo diuinæ prouidentiæ, ſic ſua bona diſpenſat, vt nemini duæ fœlicitates aut gloriæ, ſicut neque duplex tribulatio, aut labor contingat. Quare, cùm tu bona in ſæculo conſequutus fueris, non eſt cur fœlicitati Lazari inuideas, neque aliquid boni, aut ſolatij deinceps ſperes. Hinc eſt quòd cùm Dauid de peccatoribus diceret: *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum: ſaturati ſunt filijs, & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis,* quaſi impoſsibile iudicans in præſenti vita, & in futura ſatietatem bonorum habere: ſtatim ſubdit: *Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.* Sed ad loquendi modum redeamus: *De abſconditis tuis*, inquit, *adimpletus eſt venter eorum.* Per abſcondita intelligit Lyranus diuitias, aurum, & argentum, & gemmas: quæ Deus tanquã humanæ naturæ perniciosa in terræ viſceribus abſcondit. Si domum alicuius Principis ingrediaris, ea quę pretioſa ſunt & magni valoris, vt panni ſerici & aurei in principalioribus domus cubiculis, vbi ab omnibus intueri poſsint, videbis, & in loco patenti vaſa aurea & argẽtea, propter magnitudinis apparatũ & oſtentationẽ appõũtur: at ea quæ vilia ſunt & parui momẽti, & vaſa ignominiæ ad corporis vſum deputata, in interiori & abditiſsima parte domus ſunt recondita. Sic Deus Rex omnipotẽs in magna mundi huius domo feciſſe videtur. Cælos enim ſtellis ornatos & ſplen

D. Hier. *D. Greg.*

Plato in Phædo, vel de anima in princip.

Luc. 16.

Pſal. 16.

Nota.

Simile.

& ſplendentes, *eſſa tapiceria de los cielos dorados con el ſol, platcados con la luna, y bordados deſſos reſplandecientes carbuncos*, coram omnium oculis poſuit, vt deſiderium noſtrum accenderet: at aurum, argentum, & pretioſos lapides tanquam res parui momẽti ſubtus terram abſcondit. *Et de his rebus abſconditis*, inquit Dauid, *venter impiorum ſaturatur. Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, & tunc ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ad Hieremiam deueniamus. Poſtquam enim difficultatem ſuam propoſuit de malorum proſperitate, ſubdit: *Congrega eos quaſi gregem ad victimam & ſanctifica eos in die occiſionis.* Quaſi dicat: Scio Domine, quod licèt mali in hac vita proſperentur & impinguentur, tamen proſperitas eorum & impinguatio ad mortem æternam ordinatur. Sicut ſolet bos qui mactandus eſt vel interficiendus impinguari, & inter virentia paſcua dimitti. Sic mali qui gladio diuinæ iuſtitiæ quaſi greges interficiendi ſunt: iuxta illud Iſai. 34. *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, de ſanguine agnorum & hircorum, & de ſanguine medulatorum arietum. Victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edon: & deſcendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus.* Hi enim omnes gladio Domini in inferno iugulãdi ſunt, & ideo in præſenti vita voluptatibus, & diuitiis, ac bonorum temporalium affluentia impinguantur. Quod & D. Gregor. adnotauit ſuper illud Iob 31. *Nunquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem?* Vbi ſic dicit: Iniuſtus ad debitam mortem currens, effrenatis voluptatibus vtitur, quia & vituli, qui mactandi ſunt, in liberis paſcuis relinquuntur: at è contra iuſtus à dilectionis tranſitoriæ iucunditate reſtringitur, quia nimirum vitulus ad laboris vſum vitæ deputatus, ſub iugo tenetur.

Simile. *Iſai. 34.* *Quare impij proſperentur in preſenti.* *D. Greg. Iob 31.*

Ad Dauidem nunc reſta nobis reſpondere, quod difficile non erit, cùm apud eundem Pſal. 36. extet Spiritus ſancti reſponſio. Dicebat ille, *zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Cui dicitur: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem, quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & tanquam olera herbarum citò decident.* Noli inquit fœlicitati eorum inuidere, quia momentanea eſt, non diuturna, breuiſſima, non æterna, aut longo tempore permanſura. Et aduerte, quod non fruſtra vtitur hoc verbo, zelare, quod coniugatorum proprium eſt. Zelat enim vir vxorem ſuam, cui prohibet ne domum egrediatur, ne alicuius viſitationem admittat, ne ad feneſtram aut ianuam ſit frequens, ne

Pſal. 36. *Nota.*

cum

cum hac vel illa perſona ſuſpectam conuerſationem habeat: quod quidem facere poteſt cùm vxor eius ſit, & ex legitimo matrimonio ſibi copulata: at ſi non ſit eius vxor, ſed ſcortum & meretrix publica, non tenetur ei fidelitatem ſeruare, quare abs re erit eam cuſtodire velle, & zelare. *Noli æmulari in malignantibus*, inquit, *neque zelaueris facientes iniquitatem.* Quaſi diceret: Noli de eorum proſperitate zelum habere: quia proſperitas non vxor diuitum eſt, neque ex legitimo matrimonio habita, quæ eis fidelitatem ſeruare teneatur. Eſt enim publica meretrix, quæ fidelitatem nullam obſeruat, ſed ſtatim poſsidentem deſerit, & ad alium ſe confert. Diues fuit Nabuchodonoſor, ſiquidem & Rex potentiſsimus, & tamen proſperitas ab eo aufugit, & à ſuo regno priuatus, inter beſtias fuit eiectus. Diues fuit Iob, & inter omnes orientales ditior: & nihilominus ad infeliciſsimum paupertatis & miſeriæ ſtatum peruenit, ita, vt in ſterquilinio eiectus, tegula, ſaniem quæ ex eius corpore fluebat, abſtergeret. Diues etiam fuit ille de quo D. Lucas narrat, quòd induebatur byſſo & purpura, & epulabatur quotidie ſplendidè: & tamen ad tantam deuenit indigentiam, quòd aquæ guttam ad refrigerandam linguam poſtularet. Itaque, *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris proſperitatem eorum*: ſed cur hoc? *Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent*, &c. Oleribus & fœno proſperitas malorum cõparatur, non arbori firmas radices habenti, quia eius viror & flos breuiſsimo tempore durat. Eſt enim malorum fœlicitas momentanea, nam adueniente mortis hyeme, ſtatim perit & conſumitur. Arborem proceram & fructiferam videbis, quæ per ſpatium decem, aut fortè viginti annorum, ad altitudinem & ſtatum naturæ ſuæ debitum peruenit: quòd ſi circa illam arborem, cucurbitam paruam ſemines, quindecim aut viginti diebus tranſactis, iam ad arboris altitudinem euecta eſt, & ipſam ſuperare conatur, tamen hyeme adueniente, cucurbita malè radicata exſiccatur, at arbor quæ profundas habet radices, licèt mortua appareat, tamen in ſuo vigore naturali perſeuerat, & in vere proximo reuireſcit, pulcherrimos flores & ſuauiſsimos fructus proferens. Sic nimirum peccator, qui in præſenti vita florere & proſperari videtur, tamen proſperitas eius diuturna non eſt, neque permanens, qualis erit iuſti, de quo dicitur. Pſalm. 1. *quòd eſt tanquam lignum quod plantatur ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo:* quia in charitate Chriſti bene radicatus & fundatus eſt, peccator verò qui benè radicatus non eſt, cùm in bonis tranſi-

Simile. *Daniel. 4.* *Ioa 1.* *Luc. 16.* *Fœlicitas impiorum breuis.* *Simile.* *Pſalm. 1.*

T toriis

toriis fundetur, ſtatim virorem ſuum deperdet, & tãquam vile fœnum marceſcet. Vnicum duntaxat habet proſperitatis ver. *No tiene mas que vn verano de preſperidad.* Vnde peccatori de ſua infœlici fœlicitate gaudenti, dicere poſſumus illud Hieremiæ cap. 46. quod ciuitati Moab dictum fuit: *Date florem Moab, quia florens egredietur, & ciuitates eius deſerta erunt, & inhabitabiles.* Vbi inquit Lyranus, id eſt, dicite eum ſimilem flori, cuius pulchritudo marceſcit & deficit citò. Vnde flores momentaneæ fœlicitatis ſymbolum eſſe poſſunt. Quare ſenſus illius literæ erit: Dicite Moab, quod eius fœlicitas momentanea eſt, & citò defectura, quia ciuitates eius deſtruentur, & omnis gloria regni eius peribit. Tranſlatio Chaldaica habet. *Date coronam Moab*, vel *auferte coronam à Moab*, quod idem eſt. Auferte, inquam, coronam floridam de capite eius, & alteri conferte, quia gloria regni eius citò peribit. Sed interpretatio ex Græco adhuc ſic habet. Date ſigna Moab, quia dare ei flores, eſt ſigna ſuæ vaſtitatis conferre. Quia floris pulchritudo non diuturna, ſed fragilis eſt. Hoc idem peccatori de ſua fœlicitate glorianti dicere poſſumus: Date illi flores, vel auferte coronam floridam de capite eius, quia proſperitas eius fragilis & breuiſſima futura eſt. Citò enim ab eo mors violenta manu coronam auferet, & omni gloria ſua ſpoliabit. Itaque fratres mei, nolite peccatores & iniquos æmulari, eorum opera imitari, neque illorum gloriæ inuidere, quia eorum gloriam æterna mors & confuſio ſubſequetur, & fœlicitas ipſorum momentanea & caduca eſt. Quare malis & peccatoribus in eorum perniciem & condemnationem multoties conceditur, ſicut inquit Dauid: *Inimici autem mei viuunt & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.* Quare proſperitatem mundanam, quæ vitro ſplendenti propter fragilitatem à diuo Auguſtino comparatur, contemnamus, aduerſa pro Chriſto pati, ne formidemus, peccata noſtra cum Dauide confiteamur: vt eorum veniam ſimul cum gratia accipiamus, & in futuro gloriam.

Hier. 46. *Lyranus.* *Trãſlatio Chald.* *D. Aug.*

CON

CONCIO DECIMA.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi; quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ.

QVantum gratiarum actio pro beneficio accepto conformis eſt naturæ: tantum ingratitudo & beneficiorum obliuio, naturę ipſius principiis aduerſatur. Vnde ingratus naturæ monſtrum, iuris violator, præuaricator legis, & debiti naturalis tyrannicus abnegator iure deſcribi poteſt. Hinc eſt quòd cùm Valerius maximus lib. 5. cap. 3. de ingratitudine quam in Romulum conditorem ſuum populus Romanus exercuerat, ageret: quem in curia lacerauit & interfecit, aſperis in eum verbis inuehitur, dicens: Rude nimirum illud & ferox ſeculum, quod conditoris ſui cruore fœdè maculatum, ne ſumma quidem poſteritatis diſſimulare pietas poteſt. Et rectè quidem rude & agreſte ſeculum ingratum appellatur, quia vt ipſe Valerius alibi dixit, dandi & accipiendi beneficij commercium, ſine quo vix vita hominum extat, perdit & tollit, quiſquis bene merito patrem referre gratiam negligit. Quare ingratus homo & qui pro accepto beneficio parem gratiam non refert, potius cum beluis inſipientibus quàm cum hominibus comparandus eſt. Quod adnotauit D. Hieronymus in ſuis ſuper Iſaiam commentariis cap. 1. circa illa verba: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus praeſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognouit*, inquit: Ego eos adoptaui in filios, & feci populũ peculiarem & partem meam ad funiculum hæreditatis meæ, appellauítque eos primogenitos: illi autem ne hoc quidem fecerunt, quot bruta faciunt animalia, vt beneficiis vincerentur, & intelligerent paſtorem & nutritium ſuum. Nec comparauit eos canibus, quod ſagaciſſimum animantium genus eſt, & pro paruo cibo dominorum tecta defendunt, ſed ſtolidioris ſenſus boui & aſino. Moyſes etiam in Deuteronom. 32. in ingratos grauiter excandeſcit: eos ſtultos & inſipientes appellans. *Generatio praua atque peruerſa, haccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens. Nunquid non ipſe eſt pater tuus: qui poſſedit te, & fecit & creauit te?* Quaſi diceret. Iſtæ ne ſunt gratię quas ei reddis pro beneficiis tibi collatis? Reddis enim pro bonis mala, quod

Ingrati definitio.

Valerius

D. Hier. Iſaia 1.

Deut 32.

Digitized by Google

ſummum genus malitiæ eſt. Nam reddere bonum pro bono æquitatis eſt, reddere bonum pro malo perfectionis eſt, reddere malum pro malo infirmitatis eſt, at reddere malum pro bono, ſummę ingratitudinis & peruerſitatis eſt. Et paulò inferiùs ingratitudinem huius populi magis aggrauat, dicens: *Vua eorum vua fellis, &c.* Plantauit Deus hanc vineam quam de Ægypto tranſtulit ſpe fructus percipiendi: at euentus votis eius non reſpondit: quia expectata eſt vt faceret vuas, fecit autem labruſcas. Quare vua eorum, vua fellis & botrus amariſſimus: ſupramodum enim exacerbauit Deum idololatriis & ſceleribus ſuis. *Vinum eorum fel draconum & venenum aſpidum.* Omnia hæc lethalia & mortifera ſunt. Quidquid eſt in dracone venenoſum eſt, caro, ſuccus, & halitus, quanto magis fel? Sed adhuc aſpis magis nociua eſt, quia aſpidum ictui vel nullum vel rarum admodum remedium inueniri, tradit Ælianus, & compertum eſt plerumque ictu læſos huiuſmodi, vix horis quatuor ſuperfuiſſe. Euſtathius etiam, eam morſu ſuo lethiferum ſummum ſuperinducere affirmat. Sed & illud multo magis mirabile quod de hoc ſerpente refert Plinius. Inquit enim, venenum eius tam eſſe lethale, quod cùm eques quidam fortè aſpidem in agro reperiſſet, lancea ſua interfecit, & cõtinuò venenum, per lanceam aſcendens, equitem & equum pariter necauit. Inquit igitur Moyſes de populo ingrato illo agens: *Vinum eorum fel draconum & venenum aſpidum inſanabile.* Verè vinum quod creatori ſuo protulit venenum fuit aſpidum, ſiquidem propter beneficia ab eo recepta veneno odij & inuidiæ eum proſequutus eſt, & tandem in cruce vita priuauit. Sed tanta ingratitudo & malitia non impunita manſit: quin potius tanti ſceleris dederunt pœnas. Quare ſequitur: *Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.* Nullum enim peccatum, ingratitudine, dignius eſt ſupplicio. Hinc ortum habuit, quòd ſancti illi patres veteris legis, qui probè nouerant quantùm Deus ingratum animum & beneficij immemorem deteſtetur, & quod ingratitudo (vt verbis D. Bernardi vtar) ventus eſt vrens, fontem ſiccans pietatis, rorem miſericordiæ, & fluenta omnis gratiæ: cùm aliquod beneficium de largitate diuina recipiebant, ſtatim ei conferebant gratias, vel canticum cõponendo, vel aliquod ſignũ in memoriã beneficij recepti, tanquã memoriale perpetuũ erigendo. Iacob namque, *Geneſ. 28* cui apparuit Deus in via, quãdo ſcalam illam vſque ad cœlum pertingentem, & Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes vidit: in memoriam huius beneficij erexit (vt ibi dicitur)

lapidem

Digitized by Google

apidem in titulum fundens oleum deſuper. Quaſi illũ locum ignans in quo templum Domino ædificaretur. Fuit enim ibi vt ait Lyranus) Salomonis templum ædificatũ etiam in memoriam liberationis populi ex Ægyptiaca ſeruitute, quando na nocte percutiens Angelus omnes Ægypti primogenitos nterfecit, iuſſit Moyſes: quod filij Iſraël omnia primogenita, am hominum, quàm iumentorum, perpetuò Deo offerrent: vt anti beneficij memoriam nulla poſſet obliuio delere. Item, ne beraliſſima ſummi Dei magnificentia è memoria excideret, ui populum illum innumerabilem, pane ſuauiſſimo de cœlo ræſtito, in deſerto pauit: in vrna aurea pars quædam illius ıagna ſeruata eſt, ſicut in Exod. 16. habetur. *Sume vas vnum*, ıquit Moyſes Aaron fratri ſuo, *& ibi mitte Man quantum poeſt capere Gamor, & repone coram Domino ad ſeruandũ in generationes veſtras.* Quod repoſitum eſt ob memoriam æterni ıcti (vt interlinearis dicit) in quodam tabernaculo paruo, uod iam habebant, ſicut aliqui ex Hebræis volunt. Quin & ıfirmitas Regis Ezechiæ qui ægrotauit ad mortem, Iſaiæ 38. li cõtigit, ſecundùm aliquorum opinionem, quam ibi recitat, cèt non approbet Lyranus, quia poſtquam Dominus per miiſterium Angeli quadam nocte exercitum Sennacherib perıſſit, nõ ſufficientes ei gratias reddidit. Quod ſi Deus eos qui eneficiorum ſuorum obliuiſcuntur ſic punit: quid faciet iis, ui non ſolùm debitas gratias nõ perſoluunt, verùm mala pro onis retribuunt? *Retribuebant*, inquit, *mihi mala pro bonis, & lium pro dilectione mea.* Et per Oſeam cap. 7. de populo ſuo onqueritur, dicens: *Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt cõtra me ıendacia, & non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulaınt in cubilibus ſuis.* Et poſt pauca, *facti ſunt quaſi arcus doloſus.* Redemi eos, inquit, de Ægyptiaca captiuitate, & in gratiaım actionem locuti ſunt contra me mendacia: quando adoıntes vitulum, dixerunt: *Ecce Dij tui Iſraël, qui eduxerunt te e terra Ægypti:* & non clamauerunt ad me per ſupplicem de:ecationem tanquam verum Deum inuocando, ſed vlulabant cubilibus & delubris ſuis, vbi libidini ſtupríſque vacando æmones & vana Idola colebant. Quare facti ſunt quaſi arcus ›loſus, cuius ſagitta reuertitur in intendentem, ſic iſti ſagits blaſphemiæ in Deum ſuum dirigebant. Et probè quidem ›pulus ingratus doloſo arcui cõparatur, cuius ſagitta in pro:ientem conuertitur, quia nulla ſagitta eſt quæ tam atrociter ›r iacientis vulneret, quãtum ingratitudo viſcera benefacto; penetrat. Vnde eſt quod Propheta Hierem. cap. 18. non ſine

Templũ Salomonis vbi ædificatũ Lyranus.

Exod. 13.

Exod. 16.

Iſaia 38.

Pſal. 34.

Oſeas 7.

Hiere. 18

Digitized by Google

magno cordis dolore Deum alloquens dicebat: *Attende Domine ad me, & audi vocem aduerſariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Recordare quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis: propterea da filios eorum in famem, & deduces in manus gladij, fiant vxores eorum abſque liberis, &c.* Et in fine capitis, poſtquam alia mala, non tam imprecatus eſt, quàm prædixit, concludit dicens: *Ne propitieris peccato eorum, & iniquitas eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conſpectu tuo in tempore furoris tui abutere eis.* Abuti eis appellat, ſecundum Hugonis, & Lyrani expoſitionem, eos quos ad gloriam creauerat ad pœnam & æterna ſupplicia ordinare. Sed quare tot calamitates illis prædixit? non ob aliud, niſi quia reddiderunt pro bono malum, & quia ingrati Prophetæ beneficiis extiterunt. Vt hinc diſcamus quàm graue peccatum ſit ingratitudo, quantúmque cælo odibilis: quæ tantis ſuppliciorum generibus punitur. Sed aduerte, quod in Hebræo & in verſione diui Hieronymi, ſic habetur: *Et in die furoris tui fac in eis.* Et non decernit quid facturus ſit: vt ſignificet, quod deficiunt verba & ſupplicia ad vindictam ſumendam de homine ingrato, qui pro bonis ſibi exhibitis mala retribuit. Sed ne vltra protrahamus ſermonem, quia fortè plus iuſto calamum progredi permiſimus. Ad Dauidem accedamus. Videns Rex ſanctus, quod illi, qui ſtrictioribus vinculis, & beneficiorum catenis aſtricti eſſe deberent, in coniuratione filij ſui Abſalon, hi magis contra eum inſurrexerant, & de illius honore malè apud populum loquebantur, dicentes illum eſſe adulterum & homicidam, & ideo diademate regni indignum, & vt inquit Theodoretus, quem diligere oportebat ſecundum leges naturæ, hunc tanquam mortuum grauiter olentem deteſtabantur: vt extremam inimicorum ſuorum malitiam explicet, illud quoque addidit: *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi.*

Ingratitudo graue peccatum.

Verſio D. Hier.

Vellem ad alia progredi, ſed video querelam hanc Dauidicam ad nos etiam pertinere. Eſt enim quaſi rete magnum omnes filios Adæ comprehendens. Omnes enim creatori & benefactori noſtro Deo, mala pro bonis reddimus, & pro beneficiis ab eo acceptis tanquam ingratiſſimi iniurias & contumelias rependimus. Nec mirum, quia ab illo homine trahimus originem, qui cùm tot in ſua creatione beneficia acceperit: in iuſtitia originali creatus, & ſuper omnia opera quæ de manu Dei proceſſerant conſtitutus, & in Paradiſo voluptatis collocatus,

tamen

Digitized by Google

tamen omnia hæc beneficia obliuioni mãdans:ſtatim in creatorem ſuum inſurrexit, & iugum legis eius è ceruicibus ſuis excuſſit. *A ſæculo,* inquit Hieremias, *confregiſti iugum, rupiſti vincula, & dixiſti, non ſeruiam.* A ſæculo, id eſt, à principio ſæculi, ſtatim ac creatus es. Non enim annorum ſæcula pertranſierant, vt ſucceſſu temporis beneficiorum oblitus eſſe poſſes, ſed in eadem die qua creatus es, beneficij immemor, iugum præcepti mei rupiſti, & legem es tranſgreſſus. Hinc ortum habet (vt exiſtimo) quòd homo aliquando Enos appellatur in ſcriptura. Triplici enim appellatione gaudet, vt ex Hebræo conſtat. Aliquando appellatur Adam, interdum is, & aliquando etiam Enos, quod obliuioſum ſignificat. Quare vbi in Iob cap. 15. dicitur: *Quis eſt homo vt mundus ſit?* In Hebræo habetur, *quis eſt Enos?* Itaque, homo ipſa eſt obliuio. *Es vn pedaço de oluido.* Quapropter ad imaginem Dei creatus eſt, & in ipſo Deus ſimilitudinem ſuã expreſſit, vt ſeipſum intuens factoris ſui neceſſariò recordaretur, & in illius deueniret cognitionem. Et hoc eſt quod ab anima ſponſa ſua petit Deus Cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, & vt ſignaculum ſuper brachium tuum,* id eſt, mei ſemper memoriam habe. Quia, vt inquit gloſſa: Solemus ſignum aliquod digito, vel brachio alligatum circumferre, quo admoneamur illius rei, cuius frequentiorem volumus habere memoriam. Cui explicationi Chaldæus Paraphraſtes conſonat, ſic habens: *Pone me vt ſculpturam anuli ſuper cor tuum, & ſuper brachium tuũ. Pon me por anillo de memoria para no oluidar me.* Sed obſeruandum eſt, quòd memoria hæc Dei ad illum diligendum ordinari debet, & ad præcepta eius obſeruanda: alioquin memoria & recordatio eius magis erit culpabilis. Quod adnotauit D. Auguſtinus lib. 12. ſuper Geneſin ad literam quæſt. 30. Ibi inquirit rationem, quare ſerpens interrogauerit mulierem de ratione præcepti ſibi à Domino impoſiti, & inquit: Ideo prius interrogauit ſerpens, & reſpondit, hæc mulier, vt præuaricatio eſſet inexcuſabilis, neq; vllo modo dici poſſet, id quod præceperat Deus oblitam eſſe mulierem, quanquam & obliuio præcepti, maximè vnius & tam neceſſarij, ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret, verumtamen euidentior eius tranſgreſſio eſt, cùm memoria retinetur, & tanquam in illo Deus aſſiſtens præſenſque contemnitur. Idipſum ego dico in præſentia. Quid recordatio Dei & eius memoria mihi præſtat, ſi illum non amo? ſi non totis viſceribus diligo? ſi præcepta eius non obſeruo? Talis memoria potius obliuio,

Hiere. 2. *Homo obliuio dicitur.* *Iob 15.* *Quare homo ad ſimilitudinẽ Dei factus.* *Cant. 8.* *Gloſſa.* *Chaldai. Paraphr.* *D. Aug. Nota.*

Digitized by Google

ne dicam contemptus, dicenda eſt: cùm pro gratia culpam, pro beneficio offenſam, & pro bono malum, Deo conferamus. Neſcio enim quomodo paſſio in nobis tantùm contra rationem præualere poſſit, vt Deum, à quo tot accepimus beneficia, pro vili voluptate paſſim offendamus. Si enim beneficia nihil aliud ſunt, vt dicitur, quàm voluntatis compedes, & quaſi catenæ aureæ, quibus animus trahitur: quomodo tot ab eo beneficiis acceptis, creatione, inquam, & redemptione, & aliis innumeris, non deuincimur? Geneſ. cap. 39. Cùm vxor Putiphar à caſtiſſimo Ioſeph peteret, vt ſuæ libidinis voluptatem expleret, & ipſe dictis eius non acquieſceret, his verbis vſus eſt, quæ non ſolum Domini ſui ſeruum, ſed etiam beneficiorum laqueis captiuum oſtenderunt. *Ecce*, inquit, *Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quicquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum?* O verba ſummæ gratitudinis literis aureis in vniuſcuiuſque noſtrûm cordibus aſcribenda. Non enim dixit, quomodo malum hoc faciam; ſed, quomodo poſſum malum hoc facere? quaſi beneficia non ſolum voluntatem, ſed etiam facultatem & potentiam adimant, ad peccandum in eũ, à quo recepta ſunt. Si ergo Ioſeph propter bona temporalia, quæ à Domino ſuo acceperat tãtum illi teneri fatebatur, quòd impotentiam ad peccandum in eum allegabat: quantò magis nos, qui à Deo creatore noſtro, non temporalia ſolùm, ſed ſpiritualia, non tranſitoria, ſed æterna, partim accepimus & partim accepturos ſperamus, debitum hoc recognoſcere tenebimur, ne eum à quo tot recepimus offendamus? Hac vna voce diabolum, mundum, & carnem peccatũ nobis ſuadentes Chriſtianus confundere poſſet: *Quomodo poſſum malum hoc facere & peccare in Deum, qui tot ab eo beneficia accepi?* Sed proh dolor! pudet me in præſentia ingratitudinem noſtram referre; quæ tanta eſt, quod hæc eadem quæ ab eo accepimus, in offenſionem illius conuertamus, & ex beneficiis arma fabricamus ad bellum illi inferendum. Perſimiles filiis Iſraël quos eduxit de Ægyptiaca ſeruitute argento & auro plenos, & diuitiis affluentes, & ex illo auro & argento conflauerunt vitulum in deſerto, vt illum adorarent, & vero Deo Iſraël cultum latriæ denegarent. Quibus per Prophetam Oſeam improperat dicens: *Multiplicaui eis aurum & argentum quæ fecerunt Baal.* Erat enim Baal idolum Sodomiorum, vel Babyloniorum. Vbi inquit Theodoretus: Quæ à Deo dona acceperat, ea ad Dei hoſtes

Gene. 39. *Oſe. 7.* *Theod.*

hoſtes detulit. Quandocunque enim dona quæ à Deo accepimus, ſiue valetudinem corporis, ſiue intellectus acumen, aut faciei pulchritudinem, ſiue etiam diuitias, & rerum abundantiam, quibus vti deberemus, ad Deum glorificandum & pauperum inopiam ſubleuandam. Quandocunque enim hæc in malum commutamus, & in proximorum noſtrorum perniciem, ad vindictam ſumendam, ad pauperem opprimendum, & ad honeſtatem virginis oppugnandam, ſenſualitatémque noſtram explendam: nihil aliud facimus, quàm ex auro & argento deſuper nobis conceſſo, vitulum conflare, & in iniuriam Dei idolum nobis conſtituere. Quare timeo, ne illud Hieremias quinto de nobis dici poſſit: *Saturaui eos & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur.* Si enim in hominem homo ingratus, ſeueriſſima nota dignus eſt: quantò magis in Deum? Bernardus libro de ſeptem miſericordiis, ſermone ſecundo. Ingratitudinem definiens, ait: Peremptoria res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Dico enim vobis, quod, meo iudicio, nihil ita diſplicet Deo quemadmodum ingratitudo. Poteſt nobis hædera eſſe ingratitudinis ſymbolum, quæ ab aliqua arbore, ſiue cypreſſo, ſiue pino adiuta, vſque ad vltimum faſtigium ipſi arbori inhærens aſcendit, & poſtquam ad optatum finem peruenit: ſic arborem ipſam complexibus præmit, quod exſiccare eam facit & areſcere. Quot hodie viuunt in mundo, in ſupremo dignitatis & honoris faſtigio conſtituti, qui, cùm priùs in ſumma egeſtate obliuione & miſeria iacerent, aliquibus vſi ſunt ad dignitates quas habent obtinendas: quorum ſtatim obliti, quaſi ingratiſſimi mala pro bonis rependunt, pro dilectione odium, & pro honore ignominiam. De quo conquerebatur Dauid Pſal. 34. dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ.* Et inquit Theodoretus, hoc propter Saulem dictum eſſe: à quo cùm, citharam percutiens & pſallens, dæmonem expuliſſet, arripuit lanceam vt eum confoderet & interficeret. Quem modo etiam carpens & omnes eius ſatellites, qui animam eius quærebant ad perdendum eam, inquit: *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi.*

Hier. 5.

D. Bern.

Simile.

Pſal. 34.

Detractio vitium eſt commune: &, vt inquit Hieronymus ad Celantiam, rari ſunt, qui illi renuncient: quæ nihil aliud eſt, quàm alienæ famæ denigratio, & tantò grauior furto, quantò fama omnibus opibus pretioſior. Dicitur enim Prouerbior. 22. *Melius eſt bonum nomen, quam diuitiæ multæ.* Et Eccleſiaſt. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi,*

Prou. 22.

Eccl. 41.

Digitized by Google

quàm mille theſauri pretioſi & magni. Quare ſicut diuitiarum fures,& qui bona temporalia diripiunt, pœna ſuſpendij mulctantur:ſic etiam qui famam proximi vſurpant & furantur, eadem pœna deberent puniri,Quod & Athenienſes feciſſe,& legem de hoc ſtatuiſſe fertur, vt tradit Vtinus in ſuo libro de legibus.Detractores, inquit, ſecundum leges antiquas, contumeliis acerbis affecti Athenis occidebãtur.Iudicabant quippe Reipublicæ valdè pernicioſos eſſe,quia ex detractionibus ſæpenumero lites & contentiones oriuntur,& Reipublicæ tranquillitas perturbatur. Et quis eſt qui dubitet Poëtas eos ſignificare voluiſſe,cùm finxerunt,quòd Cadmus ſeminauit dentes ſerpentinos, ex quibus ſtatim milites armati nati ſunt: qui ad inuicem contra ſe inſurgentes ſe occiderunt? Quidnam ſint ſerpentini dentes, dicat nobis Moyſes in Deuteronom.cap.32. *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium.* Vbi per dentes beſtiarum aliqui expoſitores murmuratores intelligunt:Et rectè quidem,inquit Caſſiodorus ſuper Pſalmos: Quia dentes dicti ſunt à demendo,ideo pulchrè linguæ detrahentium dentes vocantur. Quia ſicut illi ciborũ partes demunt, ita & iſti opiniones hominum corrodunt. Ex his ergo dentibus ſeminatis, quos diabolus in mundo ſeminat, lites, bella, & diſſenſiones oriuntur. Nónne dens ſerpentinus ibi videtur fuiſſe Doëch Idumeus, qui videns quòd Abimelech ſacerdos recepiſſet Dauidem, & panes altaris dediſſet ei, detulit ad Saulem verbum iſtud, ſacerdoti detrahendo, & peruertendo ſanam intentionem eius, propter quod excandeſcens Saul,occidit octuaginta quinque viros indutos Ephod, & mulieres ac paruulos interfecit? primo Regum vigeſimo tertio. An non Principes filiorum Amon dentes ſerpentinos iudicabis:qui detrahentes nuntiis Dauid, peruerterunt puram & ſanam intentionem eius, & fuerunt cauſa diſcordiæ & belli, ex quo quamplurima homicidia ſubſecuta ſunt? Ea propter,de talibus Dauid ipſe loquens Pſalm.56. inquit: *Dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Et Ezechiel capite 22. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum ſanguinem.* Sed aduerte,quòd non ſine magna rei proprietate dentes iſti ſerpentini dicuntur. Comparatur namque detractor ſerpenti,non ſolùm propter eius virus,quo inficit,ſed etiam propterea quòd ſerpens non directè,ſed obliquè & tortuoſè incedit, quod detractoris proprium eſt. Incipit enim laudare, vt ſecurius detrahat,& verbis eius maiorem fidem adhibeant. Dicit aliquid ad commendationem eius

Vtinus de legibus.

Fabula Cadmi.

Deut.32.

1.Reg.23

Pſal.56.

Ezec.22

pertinens,

Digitized by Google

pertinens, & ſtatim addit, ſed tamen: quæ coniunctio verè aduerſatiua eſt, quia ex diametro, famæ eius de quo loquitur, aduerſatur: & vt honeſtior eius detractio appareat, dicit ſe non credere mala quæ de fratribus ſuis narrat, vel non animo detrahendi dicere, ſed ex compaſſione, & animo corrigendi. Quam probè monſtrum hoc humanum Salomon cognouerat, qui tam viuis coloribus Eccleſ. 10. illud depinxit: *Si mordeat ſerpens in ſilentio*, inquit, *nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Serpens animal eſt proditorium in ſilentio mordens. Non enim vt taurus comminatur cornibus, neque rugit vt leo, aut latrat vt canis contra eum quem inuadere vult, ſed ſilenter accedit vt mordeat. Sic multi ſub ſilentio, & ſub relegionis & pietatis zelo, dentibus ſuis ſerpentinis vitas aliorum dilacerant, & linguis ſuis vipereis, famas eorum inficiunt & denigrant. Vnde Diuus Bernardus in quodam ſermone inquit: Nunquid non vipera eſt lingua detractoris ferociſſima? Plane nimirum, que tam lethaliter inficit flatu vno. Nunquid non lancea eſt lingua iſta? Profecto acutiſſima, quæ tres penetrat ictu vno, ſcilicet, detrahentem, audientem, & eum cui detrahit. Quod ſi detractio tam pernitioſa eſt, & tanta ex ea mala proficiuntur, obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt ab hoc infami vitio abſtineatis, de omnibus benè loquentes, & de nemine malè ſentientes: ſemper res dubias in meliorem partem iudicantes, quia fama res fragilis & delicatiſſima eſt, quæ ſi ſemel fuerit amiſſa, tardè recuperatur, quia vt in Prouerbio dicitur: *Eccl.10.* *Nota.* *D. Bern.*

Quem ſemel horrendis maculis infamia nigrat,
Ad bene tergendum, multa laborat aqua.

Plus enim eſt validum quod eſt in opinione, quàm quod eſt in veritate, & multi hodie contra iuſtitiam & veritatem, propter alicuius detractoris dictum infamati ſunt. Quare, ſanum eſt conſilium, quod à Salomone confertur, Eccleſ. 19. *Audiſti verbum aduerſus proximum tuum commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet, à facie verbi parturit fatuus tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa fœmori canis, ſic verbum in corde ſtulti.* Quaſi diceret: Concepiſti verbum aliquod detractionis, vel infamiæ aduerſus proximum tuum, commoriatur in te tanquam filius abortiuus, vt nec tu retineas, nec aliis referas. Cùm enim mulier fecit abortiuum, ſtatim illum ſepeliunt, nec patiuntur in lucem edi, vt ab aliquo videatur: ſic verbum quòd contra fratrem tuum audiſti, in te commoriatur, & illud ſepeli neque diuulges *Eccl.19.*

Digitized by Google

uulges illud. At, inquit, fatuus à facie verbi quod concepit parturit, tanquam gemitus partus infantis, id eſt, profert illud verbum, manifeſtando illud, ſicut partus mulieris ex gemitu pueri manifeſtari ſolet: quia difficile partus occultatur, cùm ſtatim ploret & exclamet infans: Vel tanquam gemitus infantis parturit, quia ſicut mulier cum dolore emittit partum, ita detractor dicit ſe cum dolore referre quod audiuit. *Sagitta*, inquit, *infixa*, &c. Eſt aptiſsima ſimilitudo ad explicandum detractoris ingenium. Canis enim, qui habet ſagittam fœmori ſuo infixam, non quieſcit, ſed dentibus conatur eam extrahere: ſic ſtultus homo non quieſcit, donec quod audiuit euomuerit, quaſi verbum illud ſagitta eſſet acuta, quæ cor eius transfigeret.

Simile.

Quod ſi detractio, quæcunque ſit, tam graue peccatum eſt, quid detractio virtutis? Si contra peccatorem oblatrare nefas cenſetur, quid contra iuſtos & ſanctos, & contra viros religioſos, qui virtuti & ſanctitati ſtudent? Quid eorum ſanctitatem hypocriſim, & eorum pietatem fictionem appellare; Primum impedimentum quod inuenerunt Iudæi Hieruſalem reædificantes fuit Samaritanorum deriſio & obtrectatio, vt habetur 2. Eſdræ, ſiue Nehemiæ, capit. 4. vnde dixit Tobias Amanites irridendo eos: *Si aſcenderit vulpes tranſiliet murum eorum lapideum.* In Hebræo habetur, *diſſipabit murum*, id eſt, tam debilis erit murus quem ædificabunt, quòd vulpecula poſſit eum diſſipare & demoliri. Non ſecus dum aliquis incipit cœli ædificium conſtruere, & virtuti ſtudere, vitiis & mundo renuntiare, ſtatim detractores ſuis irriſionibus & detractionibus, eum ab incepto opere retrahere conantur. Atſi detractores quicunque grauiter puniuntur, & in perditionis laqueum cadunt: quantò magis laceratores, & detractores virtutis vindicibus flammis exurentur, & debitas pœnas perſoluent: illi nimirum qui aliqui detrahunt, eò ſolum quòd mundum contemnit, vitia relinquit, & virtutem ſequitur? Sed quinam ſint iſti, explicat nobis Dauid in præſenti verſiculo, dicens: *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.*

2. Eſd. 4.
Nota.
Virtutis detractores.

Sed dicet mihi aliquis: Ego nulli detraho, neque de alicuius honore malè ſentio: ſed ſi aliquis coram me in fratrem ſuum oblatret, libenter eum audio, licèt dictis illius fidem non præbeam. Inciuilitas enim eſſet loquenti mihi attentas non præbere aures, cui ego cum Beato Bernardo reſpondebo. Detrahere aut detrahentem audire, quid horum ſit damnabilius,

Detractor non eſt audiendus.
D. Bern.

lius, non facilè dixerim. Et inde conſidera, inquit ipſemet Doctor, quia Detractor & libens auditor, vterque Diabolum portat: ille in lingua, hic in aure. Quare caueat vnuſquiſque, ne aut linguam, aut aures habeat prurientes, id eſt, ne aut aliis ipſe detrahat, vel detrahentes audiat: ſed potius debet quilibet, vel detractorem redarguere, vel ſaltem oſtendere vultu, quod detractio eius ſibi diſpliceat. Nam vt dicitur Prouerb. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Vbi inquit gloſſa: Si hilari vultu detractorem audieris, tu illi das fomitem detrahendi; ſi verò triſti, diſcit non libenter dicere, quod didiſcerit non libenter audire. *Prou. 25. Gloſſa.*

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me. His duobus verſibus Pſalmum ſuum finiuit Propheta, diuinum implorans auxilium & fauorem, præſertim contra detractores: quia ſolùm Deus poteſt aliquem à calumnioſis detractorum linguis liberare. Sed obſerua, quòd prius dixit: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, & ſtatim addidit: Ne diſceſſeris à me.* Quaſi dicat: Optarem Domine, neque per momentum, à te, qui Deus meus & Dominus meus es, ſeparari: quòd ſi aliquando me dereliqueris, obſecro ne longius diſcedas. Solet enim Deus aliquando ſuos ad tempus derelinquere, ſed non ab eis longè diſcedit. Sicut mater puerum derelinquit, vt experiatur, ſi ſtare aut incedere poſſit, ſed tamen non diſcedit ab eo, ſed iuxta eum eſt, vt ſi fortè titubare ceperit, ſtatim manu ſua eum apprehendat ne cadat, quem ſtatim amplexatur. *Y le haz mil caricias.* Sic Deus videtur ſuos ad momentum derelinquere, quando laboribus vexari patitur. Et ſic dicebat Chriſtus in cruce exiſtēs: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* At verò non procul abſcedit: quia ſtatim eos protegit & liberat. Vnde per Iſaiam cap. 54. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te.* Et cap. 26. *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.* Sicut cùm aliqua magna tempeſtas ingruere ſolet, quòd omnes ad Eccleſias, vel domus confugiunt, vt ibi ſe protegant à grandine & pluuia, quæ tamen citò tranſeunt: ſic ſolet eſſet indignatio Dei, & ira qua in ſuos deſæuit, tranſit enim citò ſicut tempeſtas, & ſtatim eos conſolatur. Sunt enim aliqui homines & Principes colerici, *hombres apitonados*, qui faciliter in iras prorumpunt, quos tamen oportet ferre, quia citò eorũ ira tranſit, & ſeruum quem

Simile. Deus ad tempus videtur deſerere. Mat. 27. Iſa. 54. Idem 26. Simile. Simile.

Digitized by Google

quem contumelia affecerunt, muneribus proſequuntur. *Sufrele el criado vna mala palabra, y luego deſenojaſe, y dale vn veſtido*: ſic ſunt iræ Dei quibus in ſuos deſæuit, quos corrigit & caſtigat. Laboribus, infamiis, infirmitatibus, & aliis perſecutionibus eos affici diſſimulat: verùm huiuſmodi iræ ſunt illis vtiliſſimæ, quia ex earundem perpeſſione magna ſibi præmia comparare ſolent. Licèt enim iuſtos ad tempus deſerere & derelinquere videatur: ſed non longe ab eis diſcedit, quia ſi clamauerint ad eum, cum ipſis eſt in tribulatione, vt eripiat, vt liberet, & glorificet, hîc conferendo eis gratiam, & in futuro gloriam.
Amen.

SVPER

Digitized by Google

SVPER PSALMVM QVARTVM POENITENTIALIVM.

CONCIO PRIMA.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea, Et à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, Et peccatum meum contra me eſt ſemper.

INTER omnes Pſalmos pœnitentiales à Dauide conſcriptos, quibus Eccleſiam ditauit, miſericordiam Dei magnificauit, peccatoribus ad lachrymas perſuaſit, illiſque exēplum pœnitentiæ pariter, & ſpem certam veniæ dedit: hic vnus inter omnes Principem locum obtinet. Nam ad illum componendum ſpecialem Dei gratiam & ſpiritum habuiſſe, nemo eſt qui dubitet. In quo magnitudinem miſericordiæ, peccati grauitatem, & lachrymarum valorem ad culpam delendam, omnéſque animæ noſtræ maculas lauandas, viuis coloribus depingit. D. Chryſoſtomus in expoſitione huius Pſal. inquit, quod prophetia pictura quædam eſt, ac per conſequens Prophetæ pictores erunt appellandi, qui non humana inuentione, aut arte, ſed diuino potius, ac ſupercœleſti ſpiritu profundiſſima myſteria captum noſtræ mentis excedentia, nobis depingunt, & repræſentant. Nam ſicut ars naturam imitatur, & pictores colorum diuerſitate leonem fingunt, elephantem, aut hominem, oculiſque corporalibus contemplandum objiciunt: ſic Prophetæ ea quæ præterita tranſierunt, vel futura nondum aduenerunt, præſentia nobis faciunt, & ante oculos mentis proponunt. Nemus arboribus

D. Chryſ.

Scriptura Sacra pictura.

Simile.

Digitized by Google

boribus conſitum, leonibus & aliis feris plenum depingunt, lethale bellum, campúmque armis & militibus conſtantem, inter quos alij victi, aliíque victores euadunt, vulneráque & ſanguinis torrentes per medium campum decurrentes, oculis inſpiciendum obiiciunt. Hîc equitem armatum & peditem ad pedes eius prouolutũ miſericordiam poſcentem, illic Ducem ſiue Regem gladio, aut haſta tranſuerberatũ intueberis. Quod quidem, cùm nihil aliud ſit, quàm fictio & pictura loco tamen hiſtoriæ oculis contemplantium deſeruit. Sic etiam prophetia ad inſtar picturæ ſe habet & viui exemplaris, vbi quaſi in pariete, vel lintheo quamplurima myſteria cernuntur. Ibi peccatoris & iuſti imaginem videbis, hunc ſtantem, illũ cadentem, alterum à paſſionibus ſuis deuictum, alterũ de illis victoriam reportantem, alterum vita gratiæ viuentem, alterum in deliciis & voluptatibus ſuis ſpiritualiter mortuum: hunc tãdem in luto peccatorũ ſuorum iacentem, illum verò ope diuinæ miſericordiæ de eiſdem peccatis reſurgẽtem, quæ omnia in ſcriptura ſacra depicta reperiemus. Sed inter hanc picturam & illam hoc diſcriminis verſatur: quòd ſi illam videris, nullum tibi emolumentum accreſcit, ex hac verò incomparabilis oritur vtilitas. Quid enim refert imaginem Regis aut conſulis videre, cùm Rex, aut conſul eſſe nõ poſſim. Quid Alexandri victorias, Hannibalis triumphos, aut Cæſaris res benè geſtas, cùm nec illos imitari, nec illorum conſequi gloriam, in mea ſit poteſtate? At pictura ſcripturæ ſacræ longè aliter ſe habet, quia quidquid in ea refertur, quod ad mores attinet cum ſpeciali Dei auxilio imitari poſſum; imò ad hoc mihi proponitur, vt quantum in me eſt, non pigeat imitari. Ad hoc enim ante oculos mentis noſtræ (vt alios taceam) Dauid proponitur pœnitens, & ad Deum poſt lapſum conuerſus, ad hoc eius lachrymę referuntur & fletus, quibus per ſingulas noctes lectum ſuum rigabat, vt mentis maculas ablueret, vt qui ſecutus ſum errantem, ſequar etiam pœnitentiam. Ex hac etiam viſione addiſco certamen, & erudior ad victoriam. Quare ratio poſtulat, vt tota mentis attentione oculos ad Pſalmum hunc conuertamus: in quo nihil aliud, niſi Dauidicæ pœnitentiæ, & miſericordiæ diuinæ pictura admirabilis nobis oſtenditur.

Titulus huius Pſalm. Ad intelligentiam huius Pſalmi non parum refert titulum, & inſcriptionem eius intelligere, quæ ſic habet: *Pſalmus Dauid, cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethſabee.* Tangit titulus hiſtoriã illam omnibus manifeſtam. *2. Reg. 12* De qua 2. Reg. 12. agitur. Quando Propheta Nathan, Dauid propter

propter adulterium,quod cum Bethſabee commiſit , & homicidium , quod in Vriam eius virum perpetrauit , reprehendit: quem occidit,vt eam ſibi in vxorem acciperet , & adulterium celaret. Hoc enim habent peccata,quòd vnum ad aliud viam aperit. *Abyſſus namque abyſſum vocat* , & vnum inconueniens *Pſal.41.* aliud ſequitur. Peccare enim velut tecta reficere eſſe dicitur, quòd vna tegula ablata;alia aufertur , & ſic tota tecti conſtructio remouetur:ſic Dauid de vna culpa in aliam maiorem cecidit, quouſque ad Vriæ homicidium (peccatum quidem gra- *Simile,* uiſſimum)peruenit.Ad quem Deus Prophetam Nathan miſit, vt famoſam illam paſtoris , & ouium parabolam proponeret, vt ſententia lata ex ore proprio ſeipſum iudicaret. Iam omnibus parabola nota eſt : nolo in ea referenda vobis eſſe moleſtus.Sub illo enim parabolæ velamine, veritas abſcondebatur, & reprehenſio,quam Principes &mundi potentes exoſam habẽt,nec illam vllo pacto ferre poſſunt,aut audire. Quare opus *Simile.* eſt quòd tanquã pillula deauretur, vt illã deglutire poſſint, aut tanquam qui equum indomitum,& effrænem infrænare vult, qui frænum,vel lintheo,vel pallio abſcondit, ne prius illud videat,quàm ore recipiat. Principes enim frænum veritatis recipere nolunt tanquam indomiti & feri equi. Quare, ſub pallio parabolæ illud abſcondere, prophetarum conſuetudo fuit. *In* *Pſal.31.* *chamo & fræno maxillas eorum conſtringe*,dicitur Pſalm.31.*qui non approximant ad te.* Hac arte vſus Nathan , Dauid Regem reprehendit, qui frænum veritatis accipiens humiliter peccatum ſuum cognoſcens confitetur,dicens : *Peccaui Domino.* Et ad hoc propoſitum Pſalmum hunc compoſuit , ſicut eius indicat titulus.

D. Bern. Ex magnitudine noſtrarũ miſeriarũ, diuina miſericordia magnitudo cognoſcitur.

Miſerere mei Deus. A miſericordia Dei cõuerſionem ſuam auſpicatur,quã in ſuum fauorẽ implorat.Et hanc non qualemcũmque,ſed particularem & magnam. Et cùm hæc vniformis eadémq; ſit apud Deum,nempe infinita , quæ neque augmentum,aut decrementum recipit : non abſolutè magna , aut parua,ſed in ordine ad peccata noſtra(vt Bernardus inquit)appellatur. Miſericordia enim Dei , ad noſtram miſeriam reſpicit, quare tunc magna dicitur, quando miſeria à qua nos liberat magna eſt. Quare iuxta hoc Dauidem petere miſericordiam magnam,nihil aliud eſt, quàm grauitatem & magnitudinem ſuorum ſcelerum agnoſcere, & peccata ſua magna eſſe palàm confiteri.Et ſic vertit Sanctius Pagninus. *Pro bonitate tua, pro ingenti miſericordia tua,dele ſcelera mea, nam tranſgreſſiones meas ego cognoſco.* Quod confirmari poteſt exemplo quodam

Sanctius Pagn.

D.Gregorij ſuper Pſal.4.Ponite ante oculos mētis veſtrę hominem vulneratum,& vlceribus plenum: Si quando medicus aut chirurgus ad eum curandum accedit,illi dixiſſet,ô Domine vnlnera mea videas illíſque medicinam adhibe. Hîc enim omni veſtra ſcientia & arte opus eſt. *Es neceſſario que echeys aqui el reſto de vueſtro ſaber.* Nonne his verbis manifeſtè indicat periculum ſuum agnoſcere, & vulnera ſua lethalia eſſe, non ignorare?Indicat certè: nam & modus medicinæ petendæ huius rei euidentiſſimum indicium eſt.Cùm ergo peccata

Iſai.1. nihil aliud ſint quàm animæ vulnera, dicente Iſai. *Vulnus,& liuor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Et Dauid vulnera ſua ſentiens cùm de medicamine agit,petit à Deo,vt omnem ſuam miſericordiam illi adhibeat. *Que eche todo el reſto de ſu miſericordia.* Non enim parua aut mediocri contentus, magnam & ſuperabundantem petit:manifeſtè ergo colligitur,periculum animæ ſuæ non ignoraſſe, & grauitatem ſcelerum ſuorum illum non latuiſſe.Primus lapis qui in pœnitentię & conuerſionis arce collocari debet, tanquam totius ædificij fundamentum, eſt pro-

Peccatorum cognitio neceſſaria. priæ miſeriæ cognitio. Vt enim remedium quæret, qui damnum ſuum non videt? At cùm hoc ſenſerit homo, ſtatim abſque vlla mora de illius remedio agit.Inquit Seneca epiſtola 6.

Seneca. quòd *ſignum eſt meliorati animi,cùm vitia ſua cognoſcit*,quod

Simile. ſimili quodam oſtendit. Nam quibuſdam, inquit ægris congratulamur,cùm ſeipſos ægros ſentiunt. Sunt enim ægritudines, quibus ipſarum ignoratio eſt annexa, quod maximè in mentis ægritudine,peccato ſcilicet, verificatur. Vnde D.Aug.

D. Aug. inquit: O *homo ſi te videres,tibi diſpliceres, & mihi placeres: ſed quia te non vides,mihi diſplices,& tibi places.* O quantum Deo diſplicebat ſuperbus ille Pharao Rex Ægypti, qui mente alienatus ſe Deum eſſe credere non eſt veritus: cùm homuncio eſſet, viliſque terræ vermiculus. Cui per Ezech. Dominus

Ezec.29. cōminatur:*Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti dracho magne, qui cubas in medio fluminum tuorum,& dicis meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum.* O deteſtanda cæcitas. *Et ponā,*inquit, *frænum in maxillis tuis, & extraham te de medio fluminum tuorum,adducam ſuper te gladium, & interficiam de te hominem & iumentum.* Non abſimilis fuit Aſſur Regis Syrorum

Iſai.10. cæcitas, cui etiam Deus per Prophetam Iſaiam comminatur, dicens: *Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim, in fortitudine manus mea feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli*

Digitized by Google

ſtuli terminos populorum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes. Quare hi tantum Deo diſplicebant? Nimirum, quia ſibi placebant vilitatémque ſuam non agnoſcebant. Non deſunt hiſce noſtris temporibus ſimilia monſtra homines ſuperbi & elati qui propriæ miſeriæ & vilitatis obliti, cùm ad faſtigium dignitatis aſcenderint ſe Deos eſſe ſibi perſuadeant, & cum Deo ipſo contendere de diuinitate velint. De quibus illud Dauidicum poteſt intelligi: *Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt*, Pſalm. 47. Et Pſalm. 9. vbi noſtra lectio habet: *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* D. Hieronym. vertit ex Hebræo. *Pone Domine timorem eis.* Et Fœlix: *Pone Domine iugum ipſis.* Magnates enim, & Principes, heu dolor, ſuæ conditionis obliti frequenter in ſuperbiam eriguntur, iuxta illud Iob: *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam filium onagri liberum ſe natum putat.* Quare, iugo indigent diuinæ legis vt humilientur, & Deo colla ſubmittant. Hi quidem magni ſibi videntur, vt perpulchrè inquit Seneca, quia cum baſi ſua merita ſéque ipſos metiuntur. Non eſt magnus, inquit pumilio, licèt in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc pro maiori parte mundi Principes laborant errore, quòd non metiuntur ſe eo quo ſunt, ſed adjiciunt ſibi & ea quibus ornantur, diuitias, honores, & dignitates, cùm ſe nudos, hiſque omnibus ſpoliatos intueri deberent: & hinc prouenit quod magni ſibi videntur, in quo quidem errore verſabatur Epiſcopus ille Laodicenſis. Ad quem Ioannes ſcribens Apocalyp. 3. inquit: *Dicis quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* Videte in quantam cæcitatem & amentiam deuenerit, vt ſibi perſuaſerit nulla re indigere, cum omnibus his caruerit. Erat enim miſer, miſerabilis, pauper, nudus & cæcus. Et loquitur Diuus Ioannes, quaſi tædio affectus: cum de illo dicat, quod neque frigidus eſt aut calidus, ſed tepidus quod ad vomitum diuinum pectus prouocat; quia non eſt quod magis diuinam iram prouocet, quàm peccator peccatum ſuum non agnoſcens. Ad quod facit caput ſecundum Hieremiæ, in quo contra populum ſuum acriter inuehitur, eo quòd peccata ſua non agnoſcebat. *Quomodo dicis non ſum polluta, poſt Baalim non ambulaui? Vide vias tuas in conualle: Scito quid feceris curſor leuis explicans vias ſuas. Onager aſ-*

Pſal. 47. *Pſal. 9.* *D. Hier.* *Fœlix.* *Iob. 11.* *Seneca.* *Apoc. 3.* *Nil Deo ingratius homine culpã & miſeriã ſuam non agnoſcente.* *Hier. 2.*

ſuetus in ſolitudine in deſiderio anima ſua attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eam. Inducit populum de vitiis ſe excuſantem, & conuincit eum, ad vias ſuas illum remittendo. *Vide*, inquit, *vias tuas in conualle.* Erat enim vallis in campeſtibus Moab, quæ Ennon dicebatur (vt ait Lyranus) vbi idololatræ Diis ſuis ſacrificare conſueuerant, quamplurima ſcelera ibi perpetrando ideo ait, contemplare vias tuas in conualle,& ſcelera quæ ibi perpetraſti,ſacrificia Dęmoniis offerendo ad memoriam reuoca,& deſine vitia tua excuſare, & iuſtitiam tuam vſque ad cœlos iactare. *Fuiſti enim*, (vt mores tuos viuis coloribus depingam) *curſor leuis explicans vias ſuas,& quaſi Onager in ſolitudine aſſuetus*, id eſt, facilis ad idololatriam, & ad quæcumque alia vitia procliuis, ita quòd neque Prophetæ,neque lex,neque ſupplicij timor, à vitiis tuis te potuerunt retrahere, aut auertere. Verba hæc quamuis de populo illo rebelli dicta ſint,de quocũque etiã peccatore peccata ſua non cognoſcente,non abſurdè poſſunt intelligi. Quomodo ô peccator (te enim alloquor) in corde tuo dicis non ſum pollutus? præcepta Domini non ſum tranſgreſſus? Et cum Phariſæo merita tua iactans, dicis: *Gratias tibi ago, Domine, qnia non ſum ſicut cæteri homines,raptores,adulteri,auari,*&c. Cùm reuera curſor ſis leuis,canis, inquam, venaticus,qui ſtatim,vt leporem aut prędam ſenſerit,per tribulos,ſentes,& pręcipitia,omni timore poſtpoſito, magna violentia & celeritate fertur: ſic tu omnibus difficultatibus contemptis, & timore mortis, & inferni poſthabito, voluptates inquiris, omníque animi ſtudio perſequeris.Cuius cùm tanta ſit & in inquirendo diligentia,& in ſequendo perſeuerantia: eſt nihilominus non minor in vitiis tuis cognoſcendis cęcitas,&cùm via tua ſit deducens ad mortem,recta tamen tibi videtur,& nihil iniuſtitiæ aut peccati continere. Quod ſi pictura hæc Hieremitica ſufficien tibi non videtur ad mores tuos depingendos, audi quid tibi Deus ipſe per Dauidem Pſalm.49.dicat. *Si videbas furem currebas cum eo,& cum adulteris portionem tuam ponebas, os tuum abundauit malitia & lingua tua concinnabat dolos, ſedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti & tacui. Exiſtimaſti iniquè,quod ero tui ſimilis,arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Ac ſi patenter dicat:Ne exiſtimes,ô peccator,quòd propterea quòd vitia tua patienter ſuſtineo, vt te ad pœnitentiam alliciam,illa aut obliuioni tradidi,aut ignoraui omnido. Non enim ſum tui ſimilis, qui peccata tua non cognoſcis.

Lyranus. *Luc.18.* *Simile.* *Pſal.49.*

Agnoui

Agnoui enim illa, etſi de illis vindictam ſumere differo. Erit enim tempus cùm arguam te, & ſtatuam illa contra faciem tuam, vt tunc ſine aliquo fructu agnoſcas, quæ modo fructuosè cognoſcere contemnis. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres* (inquit animam alloquens Cant. 1.) *egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum.* Anima enim quæ ſeipſam ignorat, facile à Deo auertitur, & poſt veſtigia paſſionum ſuarum labitur. Quare nemo coram Deo peccata ſua excuſet, quinimo cum Dauide illa confiteatur, & cum Iob dicat, cap. 13. *Vias meas coram illo arguam, & ipſe erit ſaluator meus.* Quæ verba expendens D. Gregorius 11. moral. cap. 19. inquit: Cùm Paulus dicat, ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur, eò tunc Dominus Saluator inuenitur, quò nunc præ timore Domini, coram ipſo peccatum noſtrum à nobis-metipſis redarguitur. Illum enim Deus excuſat, qui ſeipſum accuſat, & illum ſaluat, qui ſe condemnat, illius culpam remittit, qui grauem & intenſam eſſe cognoſcit, & ille tandem dignus eſt miſericordia, qui cum Dauide magnam eſſe ſuam miſeriam cognoſcit, dicens: *Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.*

Cant. 1.
Iob 13.
D. Greg.
Deus facilè condonat cõfitenti & agnoſcẽti culpam.

Secundùm multitudinem miſerationum tuarum (inquit) quia ex illo profundo miſericordiæ diuinæ pelago, infinitæ miſerationes, quaſi parui fluuij ex ſuo fonte ſcaturiẽtes dimanant: quæ omnino euacuari non poſſunt, ſicut nec miſericordia ipſa quæ infinita eſt. Decuit enim multitudinem miſerationum talem ac tantam fuiſſe, quæ cum multitudine peccatorum noſtrorum dimicare poſſet, & illam deuincere. Vnde eſt, quòd Dauid, Pſal. 144. miſericordiã diuinam, diuinis exaltat enchomiis. *Miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors, ſuauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Sed quomodo ſuper omnia opera dicuntur eſſe miſerationes, cùm non ſint ſuper opera iuſtitiæ, cùm aliquos damnet æternaliter abſque ſpe alicuius miſericordiæ? Dicente Iacobo, quòd iudicium fiet ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiam. Huic dubitationi reſpondetur primò, quòd etſi damnatis non facit Deus miſericordiam, quò ad terminationem pœnę, facit tamen quò ad intenſionem, quia ſecundùm Theologos puniuntur citra condignum. Secundò dicuntur miſerationes ſuper omnia opera eius, quia miſericordia ſuper exaltat iudicium, & cùm pronior ſit ad miſerendum quàm ad vindicandum: plures ſunt miſerationes, quàm vindictæ: nullam enim occaſionem

Iſai. 144.
Dubium.
Iacob. 2.
Solutio.
Miſericors eſt deus etiã ergà dãnatos qa eos punit citra cõdignum.

Digitized by Google

prætermittit miſerendi, cùm plures prætermittat, vindicandi, & ſæpiſſimè peccatores ad pœnitentiam patienter expectet. Miſeratio hominis iuxta fontem à quo procedit (cor, ſcilicet, humanum) perexigua eſt, & citiſſimè aqua eius conſumitur & ſiccatur. Vix enim ex humano fonte vnicum potum exaurire poteris, quin ſtatim fons ipſe euacuetur, & deficiat, *Luego ſcagota la fuente de la miſericordia.* Si ſemel iniuriam ſibi illatam dimiſerit, neſcit amplius parcere. Pro hac vice, inquit, ego illi parco, quòd ſi ſecundò iniuriam intulerit, de omnibus me vindicabo. Non parum ſe feciſſe Diuus Petrus arbitratus eſt, cùm dixit: *Si peccauerit in me frater meus, quoties dimittam ei? Septies?* Exiſtimauit enim vſque ad vltimam miſericordiæ metam attigiſſe. Quàm rectè Oſeas miſericordiam noſtram depinxit, dicens: capite ſexto. *Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.* Eſt inquam miſericordia veſtra ſtrictis limitibus coarctata, & quæ citò finitur, & euaneſcit, ſicut nubecula quæ celerrimo curſu per aëra à ventis circumfertur, à qua vix quatuor aquæ guttæ in terram decidunt, vel tanquam ros manè pertranſiens, qui ſtatim, ac ceciderit à calore ſolis, & ſiccitate terræ conſumptus euaneſcit, nec terram ipſam humectat, aut prolificat. At miſericordia Dei longe copioſior eſt nulliſque limitibus coarctata, & nullum peccatum eſt quantumuis graue, nullum facinus aut ſcelus: cui veniam libentiſſimè non præſtet. Eccleſiaſtici decimo octauo. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Domini ſuper omnem carnem.* Proximum amicum vocat, quia vt in plurimum miſeratio hominis ad amicum ſe extendit & conſanguineum, ſed non vltra progreditur: at miſeratio diuina, circa omnes verſatur: circa bonos & malos, amicos & inimicos, iuſtos & iniuſtos. *Solem namque ſuum Deus ſuper bonos & malos oriri facit, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Matthæo quinto. Vnde nos, qui illius veſtigia ſequimur, qui pro inimicis ſuis animam poſuit: illum imitari arctiori vinculo tenemur, dicente Diuo Paulo Coloſſ. tertio. *Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordia.* Si enim ſerui domini ſui coloribus, & inſigniis indui ſolent, quare nos miſericordiæ viſcera non induimus: quam ipſe Dominus tanti fecit, quòd inſigne ſuum eſſe voluerit? Præſertim cùm ſimus electi, & ad amoris, non timoris legem vocati? Quod inter Barbaros, & infideles crudelitas, & inhumanitas reperiatur, quòd ſanguis ſanguinem tangat, quòd vltio de illatis iniuriis ſumatur, quod vnuſquiſque denique fratris ſui carnem deuoret, non eſt mirandum: at inter Chriſtianos nihil tale

Diſsimile — *Matt. 18.* — *Oſeas. 6.* — *Quãtum diuina miſericordia humanã ſuperet.* — *Eccle. 18.* — *Matth. 5.* — *Coloſſ. 3.* — *Simile.*

tale repetiri debet, ſed ſumma pietas & clementia. Et aduerte, quòd non inquit, induite verba, ſed viſcera, quia multi verbis compatiuntur, operibus pauci, quamplurimi inimicum verbotenus diligunt, ſed opere, & corde pauciſſimi: ſunt qui lingua pauperis compatiuntur, & miſeriam eius deplorant, ſed perquam exigui qui manum crumenæ admouent, & neceſſitati illius ſuccurrunt. Inter hos paucos annumerandus eſt Imperator Theodoſius, de quo refert Diuus Ambroſius de obitu eiuſdem, quòd nunquam alicui miſericordiam poſcenti denegauit. Beneficium (inquit) computabat ſe accepiſſe Theodoſius, cùm rogaretur ignoſcere, & tunc pronior erat veniæ, quando fuiſſet maior commotio, optabatur in eo, quod ab aliis timebatur, vt iraſceretur. Vides impunè abire: qui nunquam veniam petēti negauit. Præponderat Petrus Criſologus in ſermone quodam iudicij, quod in ſupremo, & finali iudicio ſolum circa miſericordiæ opera examen fiet. Non ibi, inquit, ad memoriam reuocabitur quod Abel fuerit paſſus, quòd Noë mundum ſeruauerit, quòd Abraham fidelis fuit, quòd Moyſes legem dedit, quòd Helias in cœlum aſcendit, quòd Petrus reſupinus crucem aſcendit, quòd Paulus decapitatus fuit, quòd Laurentius combuſtus, omnia hæc Chriſtus tacet, & ſolùm de operibus miſericordiæ loquitur, dicens: *Eſurini & dediſtis mihi manducare,* &c. Vult enim Deus quòd in operibus miſericordiæ illi aſſimilemur, & quòd miſericordia noſtra non ſit exigua, ſiquidem miſericordia illius multiplex eſt, & infinita, abſque vlla limitatione, & menſura: quod agnouit Dauid pſallens & dicens: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Miſericordia opera.

D. Amb. Theodoſii Imp. inſignis clementia.

Pet. Criſol.

Miſericordia eſt Chryſtiani ſymbolum.

Amplius laua me ab iniquitate mea, &c. Diuus Hieronymus ex Hebræo vertit. *Multum laua me ab iniquitate mea,* alij *plurimum*, vel *admodum laua*, verterunt: Græcè verò habetur *ἐπὶ πλεῖον*, id eſt, copioſius, quod ſonat *adhuc multum*: quaſi dicat, etiam atque etiam laua. Ex quo natura & conditio peccati perſpicitur, quod tantùm animam inficit, vt non quacumque, ſed aſſidua, & multa lotione, indigeat. Vas enim quod ex veneno aliquo infectionem diuturnitate temporis contraxit, non ſemel aut ſuperficie tenus, ſed multoties, & ex propoſito lauādum eſt, vt nullæ in eo reliquiæ, nullus odor, aut ſapor remaneat: ſic inquit Dauid, cor meum quod per annum integrum veneno peccati fuit infectum, impoſſibile eſt quòd illius ſaporem non referat, & quòd picem non ſapiat, quare

D. Hiero.

Peccati infectio. Simile.

Simile. maxima, & crebra lotione indiget. Peccata namque quantò
diuturniora,& grauiora difficilius lauantur, ſicut macula olei,
vel ceræ gutta, quæ pannum infecit: ſi recens ſit faciliter, vel
lauatur, vel deletur, ſed diuturna, difficulter. O quanta cùm dif-
ficultate animæ macula abſtergitur, quando iam per prauam
conſuetudinem & temporis longinquitatem inueterauit, di-
cente Poëta quodam.

Hora.lib. 1.epiſt.ad Lolium.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Cõſuetudo praua victu difficilis. *Iob 10.* *D. Greg.*

Quandiu enim habitus ipſe prauus remanet in anima, ad vi-
tium allicit,& inclinat. Et forte ad hoc alluſit Beatus Iob capi-
te decimo. *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi*, id eſt, *ſtatim, cur
ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris.* Exiſtimabat enim
ſe mundum non eſſe, quia licèt peccatum ſibi eſſet dimiſſum,
adhuc habitus inclinationem ad malum propellentem ſentie-
bat. De quo vide Diuum Gregorium libro nono, moral. capite
trigeſimo nono. Huc etiam ſpectat diffidentia illa Hieremiæ,
quàm de populo longa idololatria infecto conceperat, ſui va-
ticinij, capite ſecundo. *Si laueris te nitro*, inquit, *& multiplicaueris
tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me.* Pro
herba *borith*, Septuaginta viri, *Toan*, habent: vt ſignificarent, ſi-
cut ait Diuus Hieronymus herbam fullonum, quæ iuxta ritum
prouinciæ Paleſtinæ, in virentibus & humectis naſcitur locis,
& ad lauandas ſordes eandem vim habet, quam nitrum. Chal-
daica Paraphraſis ſaponem interpretatur. Sic enim habet.
Quoniam ſi putatis emundare à peccatis veſtris, ſicut mun-
dant nitro, & dealbant ſapone, ecce quaſi nota maculæ, quæ
non eſt munda, ſic multiplicata ſunt peccata coram me. Ecce
quàm pernicioſum ſit in vitiis inueteraſcere, & habitum pec-
candi in anima nutrire. Conſuetudo enim eſt altera natura,
quam negare difficillimum eſt. Cretenſes, vt refert Valerius,
libro ſeptimo, capite ſecundo, in fine, cùm acerbiſſima execra-
tione vti volunt aduerſus eos, quos vehementer oderunt,
optant vt mala conſuetudine delectentur, quaſi hoc ſummum
genus execrationis ſit. Peſtifera enim eſt praua conſuetudo,
qua quidem quaſi ferreis compedibus detinemur, ne ad Deum
conuertamur. Vnde Seneca, epiſtola octageſima quinta, *dum in
vitijs*, inquit, *iacuerimus euelli difficile eſt, non enim inquinati ſumus,
ſed infecti.* Quare de Alexandro narrat hiſtoria Græca (refe-
rente hoc Holcoth in ſapientialibus lectione 192.) quòd cùm
fuerit potentiſſimus orbis dominator, & in moribus, & in Leo-
nidis pædagogi ſui inceſſu non tamen potuit carere vitiis,
quibus

Hier. 2. Septuag. interpr. *D. Hier.* *Chald. Paraph.* *Ariſtot. ethicor.* *Valerius lib. 7.* *Vide hoc Pſal. 1. fol. 78.* *Seneca epiſtola 85.* *Holcoth. lect. 192.*

quibus paruulus fuit imbutus. Tanta enim eſt malæ conſuetudinis ineluctabilis vis, quod licèt neceſſitatem non imponat, vehementer tamen inclinat. Diuus Auguſtinus in ſoliloquiis,ita inquit, *prauus vſus vix aboletur, aſsidua conſuetudo vitium in naturam conuertit, animus in ſceleribus conſtrictus vix euelli poteſt ab eis*. Quod & de ſe ipſo fatetur, libro octauo confeſſionum,dicens: Rapiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, & pondus conſuetudo carnalis erat. Et in eodem loco:Voluntas noua, quæ mihi eſſe cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, ſola certa iucunditas nondum erat idonea, ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam: ita duæ voluntates meæ, vna noua, alia vetus,illa carnalis,hæc ſpiritualis confligebant inter ſe. Sentiebat enim vir ſanctus in principio ſuæ conuerſionis ſanguineam luctam, quam ſuperare difficulter poterat. Confligebant enim inter ſe antiqua vitiorum conſuetudo cum voluntate virtutis iam concepta. Præpediebatur enim antiquis habitibus, ne virtutem concupitam amplexaretur. Vnde 8. confeſſionum fatebatur. Ligatus eram non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruiui libidini: facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſtiti,facta eſt neceſſitas. Patet igitur ex dictis, quanta ſit prauæ conſuetudinis vis, quantaque cum difficultate diluatur. Quare non ſimplici, ſed multiplici indiget lotione. Cùm Naaman Syrus ad Heliſæum veniret, vt à lepra ſua curaretur, vt 4. Reg. narrat hiſtoria, præcepit ei, vt ſepties lauaretur in Iordane. Erat enim infirmitas eius diuturna & contagioſa, & ideo non præcepit ei, vt ſemel, aut bis, ſed ſepties lauetur:vt purior remaneat, vnde tanta puritate nituit,quod caro eius quaſi caro pueri refloruerit, & ad iuuentutem redacta fuerit. Non eſt lepra, quæ ſic corpus, ſicut peccatum animam inficiat,præſertim quando diutina conſuetudine firmatum eſt,quare non vnica aut leui lotione contenti ſimus, ſed illud quotidie lachrymarum profluuio lauemus, amarè flentes,quod inſipienter contra Deum commiſimus. Sic quippe faciebat Diuus Petrus; de quo refert Diuus Clemens, quòd ex continuis lachrymarum imbribus,quas ad horam galli cantus fundebat,maxillas plenas ſulcis haberet. Sic enim oportebat nos peccata noſtra plangere, vt deletis animæ maculis, ad optatam,& incorruptam puritatem pertingere valeremus. Sic quippe faciebat ille qui de ſe ipſo aiebat: *Lauabo per ſingulas noctes*

D. Aug. — *Idem.* — *Idem 8. confeſsionum.* — *2. Reg. 5. Figura.* — *Clemens. D. Petri frequentes ad omnem galli cantũ lachryma.*

Pſal.6. *noctes lectum meum lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Lectum, Nota. inquam, in quo fœdiſſimum adulterium commiſi, & ſtratum, in quo fœdiorem mortis ſententiam contra innocentem Vriam conſcripſi, manúque propria firmaui. Ego enim agnoſco iniquitatem meam, & non me latet multiplici lotione indigere. Lauemus & nos Dauidem imitantes animas & conſcientias noſtras, vt à maculis quas per peccata contraximus abluti, ad antiquum gratiæ nitorem redeamus. Tanta enim eſt pœnitentiæ virtus, quòd animam quantumuis per culpam deformatam, ad priſtinum dignitatis gradum reſtituat: quia vbi abundat delictum, ſuperabundare ſolet gratia, & vas quod per culpam è manibus artificis elapſum contritum fuit: ſi per pœnitentiam & dolorem reparetur, ad fœliciorem ſtatum educitur. Quare, ſi per veram pœnitentiam & lachrymas Dauidem imitantes ad benigniſſimum Deum conuertamur, abſque dubio conſequemur peccatorum veniam, reparationem vitæ, miſericordiam & gratiam.

CONCIO SECVNDA.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

CVM miſericordiam à Deo ſuppliciter imploraret Regius vates, veniamque peccatorum ſuorum tam anxiè expoſceret: quaſi cauſam deſiderij animi ſui ſubdens, inquit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meũ contra me eſt ſemper*: ac ſi patenter dicat: Non enim ſceleris mei obliuiſcor, aut poſteriori manticæ (vt aiunt) iniquitatem meam mandaui, quin potius ante oculos mentis habeo præſentem eius memoriam, grauitatis eius non ignatus: & poſtquam hæc in præcedenti verſiculo teſtatus eſt, nunc in præſenti palàm peccatum ſuum confitetur, dicens: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.*

Nihil

Digitized by Google

Nihil enim eſt (vt ab hac conſideratione quam ſuperiori concione partim tetigimus exordiamur) quod magis ad pœnitentiam inducat, & ad poſtulandam miſericordiam propellat, quàm peccati ipſius fœditas, & grauitatis eiuſdem cognitio. Non mediocre eſt (inquit Ambroſius) vt agnoſcat vnuſquiſque peccatum ſuum, quia bonæ mentis eſt vulnus ſentire peccati. Miles qui in bello percutitur non exclamat, aut in clamores prorumpit, neque arma deponit, & ſe in alterius poteſtatem tradit, quouſque ſenſerit vulnus ſuum eſſe lethale, ſanguinemque profluentem oculis ſuis inſpexerit: tunc enim ſupplex deponit arma, & ad pedes potentioris prouolutus humiliter veniam poſcit: ſic peccator qui cum Deo bellum gerit, & ambulat contra eum extento collo (vt inquit Iob) tunc deſinit pertinaciter agere, & contra Creatorem ſuum vexillum erigere, tunc palàm peccata ſua confitetur, quando vulnera animæ ſuæ videt, & grauitatem delictorum ſuorum intelligit. Quis enim eſt, niſi omninò ſanè mentis inops, qui peccati grauitatem conſiderans, & ad damna innumera quæ in nobis operatur, ſimul & bona, quibus animam ſpoliat aſpiciens: non illico illud tanquam humanæ fœlicitatis peſtem reſpuat, & deteſtetur? Peccatum enim mors eſt animæ (dicente Domino) *Anima quæ peccauerit ipſa morietur*. Priuat enim gratia, in qua animæ vita conſiſtit. Peccatum nos ipſos à Deo ſine noſtro ſeparat, & vſque ad inferni portas nos appropinquare facit: *Iniquitates veſtræ* (inquit Iſaias) *diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum*. Et de illis peccatoribus, qui omnem cœli eſcam abominati ſunt, præſertim verbum Dei, inquit Pſalm. 106. *Et appropinquauerunt vſque ad portas mortis*. Priuat etiam hæreditate cœleſti: in cuius figuram poſt peccatum homo de Paradiſo fuit eiectus, & ad ianuam Cherub appoſitus flammeum gladium manu tenens. Vnde, aliquando peccatum ipſum in Scriptura ſacra deſertum appellatur, iuxta illud Pſalmi vigeſimi noni: *Vox Domini concutientis deſertum*. Vbi per *deſertum* Doctor Incognitus peccatum intelligit, quia nos à Deo, & Paradiſi gaudiis deſertos facit. Sed quid immoror in peccati malis recenſendis: cùm peccatum nihil aliud ſit, niſi malorum abyſſus, & profundiſſimum miſeriarum pelagus? Quod & adnotauit ipſe Doctor ſuper illud Pſalmi ſeptuageſimi ſexti: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & turbatæ ſunt abyſſi*. Quid enim abyſſi nomine (inquit) niſi profunditas peccati deſignatur?

Ambroſ. apologia cap. 1. *Simile.* *Initium eſt ſalutis notitia peccati.* *Peccati damna.* *Iſai. 59.* *Pſal. 106.* *Gen. 3.* *Pſal. 29.* *Doctor Incogn.* *Idem ſuper Pſal. 76.*

Hinc fit, quòd cùm tanta ſit peccati grauitas & malitia, & tot

Digitized by Google

Peccati conſideratio proſicua. tot ſpiritualibus diuitiis animam ſpoliet, conſideratio ipſa peccati, non mediocriter ad ipſius deteſtationem & confeſſionem deſeruiat. Et ad hoc propoſitum egregius ille vir, & pater doctiſſimus Alphonſus à Caſtro, de omni Theologia, tam *Alphonſus à Caſtro.* ſcholaſtica, quàm poſitiua benemeritus, verſiculum illum *Pſal.75.* Pſalm.75.explicat: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*, vel vt alia habet tranſlatio: *Solennia celebrant Deo.* Prima cogitatio (inquit) eſt de peccato, de fœditate, de turpitudine, de malitia illius, & ex hac cogitatione ſuperſunt ſemper quædam reliquiæ videlicet odium, diſplicentia, deteſtatio. Nam vt eſt apud quendam *Nahŭ.3.* Prophetam: *Omnis qui viderit te reſiliet à te.* Quiſquis enim probè (vt decet) peccati malitiam agnouerit: niſi ſit mentis inops, ab illo tanquam à profundo puteo reſiliet, & velut à poculo venenato abſtinebit: adhuc ille.

Itaque, cùm peccator ad ſanam mentem rediens, damna, quæ per peccatum incurrit, conſiderat: quando mente reuoluit bonum quod amiſit, & malum quod lucratus eſt, cùm conſiderat gaudia cœleſtis patriæ, diuitias illius, vbertatem, ſatietatem, & vitam denique perpetuam, quorum iacturam fecit: deinde deflectit oculos vt cõſideret quò deiectus eſt, & vbi iacet: & videt quanta arctetur mentis triſtitia, quanta ſit ſua paupertas, quanta tenebrarum obſcuritas, denique tendit oculos ad futura tormenta & imminentia ſupplicia: ſi hæc omnia oculis non cæcutientibus contemplatus fuerit, non poterit maxima triſtitia non affici, neque à copioſiſſimis lachrymis abſtinere: non poterit peccatum ſuum non deteſtari, vitæ tædere, & cum *Nota.* regio Vate non exclamare: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram* *Geneſ.3.* *te feci.* Cùm eiiceret Deus parentem noſtrum Adamum de Paradiſo, vt habetur Geneſ.3. Collocauit eum in regione contra Paradiſum, vt ibi habitaret, quod licèt in vulgari noſtra editione non legatur, habetur tamen in editione Septuaginta Interpretum, vbi dicitur: Et emiſit eum Dominus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt, & eiecit Adam, & collocauit ante Pardiſum voluptatis. Sed quorſum Domine non longius illum eiicis, ſed in regione ipſi Paradiſo tam propinqua illum conſtituis? Vt ille (ſic enim arbitror) perpetuam doloris materiam quotidie haberet, aſſidua mentis cogitatione reuoluens, & propriis intuens oculis ſui lapſus campum amœniſſimum: & peccatum, exilij, & omnium malorum cauſam ad memoriam reuocans. Nam cùm ſummam infœlicitatis genus ſit fuiſſe fœlicem, recordatio amiſſæ

Digitized by Google

amiſſæ fœlicitatis, materiam doloris perpetui abſque dubio illi adminiſtrabat. Patientiſſimus ille Iob, cùm præſentem miſeriam cum antiqua ſua fœlicitate conferebat, nimis triſtabatur eius animus, neque à lachrymoſis gemitibus ſe continere valebat. Dicebat enim: *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundùm dies quibus Deus cuſtodiebat me. Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris? Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo? &c.* O ſi peccator cùm per culpam à fœlicitate gratiæ ad peccati miſeriam peruenit: inter hos duos ſtatus huiuſmodi comparationem faceret: conſiderans primo fœliciſſimum illum, in quo petra illa Chriſtus riuos olei miſericordiæ & gratiæ illi fundebat, quando lauabat pedes butyro, id eſt, affectiones carnis, ſacramentorum virtute abſtergebat, quando Deus ipſe ſecreto erat in tabernaculo illius, gratiam & auxilium præſtans ad tentationes quaſque deuincendas, ad lumen illius, quod per legem gratiæ eius præſtatur, per cœli viam abſque offendiculo aliquo incedebat: ſi hunc, inquam, ſtatum cum ſtatu peccati compararet, in quo omnibus his beneficiis culpa ſua priuatur, quomodo non ſtatim dolore conteretur, perfundetur lachrymis, & præ mœrore penè exhalabit animam? Quomodo cum filio prodigo præſentem miſeriam & inopiam recognoſcens non dolebit, dicens? *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Vadam ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cælum & coram te, &c.* Sic Dauid feciſſe mihi videtur in præſentia, qui peccati ſui conſcius, & grauitatis illius non ignarus, miſeriam etiam quam per illud incurrerat recognoſcens: ad Deum miſericordiam poſcens ſupplex accurrit, vt ab eo veniam poſtulet: & ante oculos maieſtatis eius inclinatus, ſcelus ſuum confitetur, dicens: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper:* vel vt habet D. Hieron. *corã me eſt ſemper*, id eſt, nunquam excidit à memoria mea, & ideò illud coram te cõfiteor, dicens: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.*

Iob. 29. *Luc.* 15.

Sed nunc operæpretium erit, vt ſingula huius verſiculi verba expendamus. Primò inquit: *Tibi ſoli peccaui.* Et quis eſt qui verbum hoc exaudiẽs non miretur? Quomodo, ô Rex ſancte, ſoli Deo peccâſſe affirmans? An non in Bethſabee peccâſti, cuius violâſti thorum, cuius pudicitiam proſtituiſti? An non in Vriam etiam, cuius ouiculam rapuiſti, cuius fudiſti ſanguinem, cuius vitam gladio, & gladio filiorum Ammon de medio

Dubium.

Digitized by Google

Vide de hoc Didimum ſuper hunc locum.

medio abſtuliſti? Quomodo ergo ſoli Deo peccâſſe profiteris? Non me præterit quamplurimas eſſe huius loci interpretationes, quæ ſubtile magis ingenij acumen, quàm deſideratam veritatis rationem oſtendunt. Quare illis dimiſſis communi via cum Eccleſiæ Patribus Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Chryſoſtomo, & Caſſiodoro incedendum eſt. Dicunt enim, ideò Dauidem hæc verba dixiſſe, quia cùm ſupremus eſſet Rex, nemini niſi Deo ſubdebatur, nullius legibus tenebatur aſtrictus, niſi Deus, de illius peccato vindictam poterat ſumere. Rex enim, licèt legi ſubdatur humanæ, quantum ad vim directiuam, non tamen quãtum ad coactiuam. Sicut enim dicitur de iuſto quòd *illi non eſt lex poſita.* 1.ad Timoth.1. quòd quantum ad vim coerciuam intelligi debet, quia cùm virtute ducatur non coactè, & violenter, omnia quæ rationi ſunt conſona, exequitur. Quod & Vrbanus Papa confirmat, 19. quæſtione 2. Canone, Duæ ſunt, vbi inquit: *Qui à lege priuata ducitur, ſcilicet, Spiritus ſancti, nulla ratio exigit, vt lege publica, puta humana, quæ vniuerſis poſita eſt, conſtringatur*: ſic etiam pari modo, licèt Rex alia ratione legi humanæ non ſubdatur quantum ad vim coercitiuam, quia ſuperiorem non habet, à quo poſſit puniri. Quod & Ariſtoteles non reticuit 5. Politico, capite 19. vbi de iuſtis & potentibus ſimul loquens, inquit: *Excellentes virtute & potentia non ſunt legibus aſtringendi.* Et hùc ſpectare exiſtimo illud Prouerb.21. *Sicut diuiſiones aquarum, ſic cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet.* Corda enim priuatorum hominum & eorum actiones, ſic ſunt in manu Domini, quòd etiam in manu Regis, aut Iudicis ſint, à quibus in fines debitos diriguntur, & ſi opus fuerit coercentur: cor Regis, cùm ſuperiorem in terra non habeat, in ſolius Dei manibus poſitum eſt, à quo ſolùm dirigi, & ordinari poteſt. Sicut enim aquas diuidere, & vnumquodque fluminum in locum deſtinatum dirigere, ad ſolùm Deum ſpectat: ſic etiam cor Regis gubernare & dirigere. Quod ea facilitate præſtat, qua vel aqua ipſa diuiditur, in qua reſiſtentia nulla eſt. Sed licèt Princeps quo ad vim coerciuam legibus non ſit aſtrictus: tamen, quantum ad vim directiuam, earundem directione tenetur, ne eum verum illud ſaluatoris dictum comprehendat: *Qui dicunt & non faciunt, & qui alijs onera grauia imponunt, ipſi verò digito nolunt ea mouere.* Quare C. de legibus & conſtitutionibus, leg.4. Imperatores ipſi aiunt: *Digna vox eſt maieſtatis regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri.*

Reges legi ſubdũtur, licèt non cogantur.

1.Tim.1.

Vrbanus Papa.

Ariſt.5. Politi.

Prou.21.

Matt.23.

Directiuè licèt non coerciuè Imperator legibus ſubditur.

Hinc

Hinc manifeſtè colligitur quanta rectitudine & iuſtitia Principes pollere debeant. Cùm enim ſint ſupremi iudices, à quibus ad alios ſuperiores appellare non liceat: oportet vt eorum iudicia rectiſſima ſint, & ne alicui iniuſtitiam inferant. Et hoc eſt argumentum illorum verborum Abrahæ, quæ habentur Geneſis decimo octauo. Cùm enim Dominus vniuerſam Sodomorum regionem ſubuertere decreuiſſet, ait illi Abraham: *Nunquid perdes iuſtum cum impio? abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatq; iuſtus ſicut impius, non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram.* Quaſi diceret: Cùm tu Domine ſupremus ſis totius orbis iudex, cuius iudicium abſolutum eſt, omnibuſque numeris perfectum eſſe debeat, ſiquidem ad alium ſuperiorem appellari non poſſit, à quo ſententia à te lata aut corrigatur, aut limitetur: quomodo iuſtum ſimul cum impio, bonum cum malo, ſanctum cum peccatore, ſic perdere & extirpare decernis? Hoc enim Reges & totius orbis Principes aduertere ſummoque ſtudio contemplari deberent, quòd ſupremi ſunt iudices à Deo conſtituti in vindictam malorum & laudem bonorum, vt nulli iniuriam faciant, aut iuſtitiæ rectitudinem per vim extorquere præſumant. Eorum enim ſententia ſiue bona ſiue mala abſoluta eſt, neque ad aliam ſuperiorem poteſtatem ſubditis recurſus conceditur. Si enim alicuius oppiduli iudex contra aliquem ſententiam iniuſtam tulerit, poterit quidem ab alio ſuperiori emendari: at ſi ſententia à ſupremo Senatu lata eſt, nulla refugij ſpes illi relinquitur. Quare ſupremi iſti judices arctiori tenentur vinculo, vniuſcuiuſque ius inuiolata & incorrupta fide ſeruandi. Vnde eſt conſilium illud ſaluberrimum & perneceſſarium quod Principibus à Salomone traditur, Sapientiæ ſexto: *Audite ergo Reges & intelligite, diſcite Iudices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cùm eſſetis miniſtri Regni illius non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum legem Dei ambulaſtis* Secundo Paralipomenon decimonono etiam dicitur: *Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, neque perſonarum acceptio, neque cupido munerum.* Ad hoc propoſitum ſpectat Pſalmus octuageſimus primus, quem vt tradũt Doctores Hebræi & aliqui

Princeps iuſtus ſit.

Geneſ. 18.

Diſſimile.

Sap. 6.

2. *Paral.* 19.

Pſal. 81.

Digitized by Google

Auctor huius Pſalmi quis fuerit. aliqui ex Catholicis, Aſaph, compoſuit: qui præuidens iudices mundi corruptos, & eorum iudicia, amore, vel odio, aut muneribus frequenter peruertenda: contra eos hunc Pſalmum compoſuit. Ait ergo: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*, id eſt, Deus ſtat in medio congregationis Principum & Iudicum, qui eius vicem, & locum in terra gerentes, eius iudicium tanquam Vicarij Dei exercent, propter quod etiam Dij merentur appellari. In horum cœtu Deus ſtat tanquam omnibus præſidens, tanquam Iudex primus, cuius cęteri omnes Miniſtri ſunt & Vicarij: Sicque in medio eorum conſiſtens, iudicat eos, diligenter attendens, quis poteſtate ſibi commiſſa, & gladio, quem portat, rectè vtatur. Et eorum attendens iniuſtitias, eos increpat, & arguit dicens: *Vſquequo iudices mundiq; rectores, iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Quandiu tandem vos, quibus vicem meam commiſi in terris, abutentes tradita vobis poteſtate, peruertetis iudicium, non quod æquum eſt iudicantes, ſed facies peccatorum ſumentes? Ex Græco verti poteſt. *Et perſonas peccatorum ſumitis?* Quia dictio, πρόσωπον, & perſonas, & facies, ſignificat. Quare idem eſt facies ſumere, quod eſſe perſonarum acceptores. Vſquequo, inquit, vos patiar, vſquequo patientia mea abutemini? Quaſi hoc grauiſſimum ſit crimen, & ſeueriſſimam Dei vindictam expectet. Sed attende (vt ad interpretationem verſus noſtri redeamus), quia forſan longius æquo digreſſi ſumus: dum Principum, & potentum, qua tenentur, obligationem depingere ſumus conati: quòd ſupremi iſti iudices vicem Dei in terra gerentes, Dij appellantur. In Hebræo enim dictio, אל *El*, ponitur, quæ Deum ſignificat, & ponitur ſingulare pro plurali. *Quare Iudices Dij appellantur.* Ratio autem inter alias, quare in hoc nomine fruantur, eſt, quia ſicut Deus ſupremus eſt omnium Dominus qui omnes iudicat, & à nemine iudicatur, nullique ſubditur: ſic Reges, & orbis Principes, cùm omnes corrigant & iudicent, à nemine corrigi aut iudicari poſſunt, niſi à ſolo Deo, quare ſoli Deo ſubiecti eſſe dicuntur, cuius poteſtati ſolùm in terra ſubduntur: quod attendens Dauid ab illo miſericordiam poſcens, inquit: *Tibi ſoli peccaui.* Nullum enim alium præter te vnum in terra ſuperiorem recognoſco.

Caſſiod. *Et malum coram te feci.* Gloſſa Caſſiodori circa hæc verba ſic habet: *Non erubui ante te peccare: quem nulla quamuis abſcondita latent.* *Deum nihil latet.* Hæc res inter omnes nos deberet ab omni maleficio reuocare, cùm firma fide teneamus, & Deum omnibus in locis eſſe præſentem, & omnia nuda & aperta eſſe oculis

Digitized by Google

oculis eius. Hoc enim nomine Iſaias & licentiam noſtram, & diffidentiam accuſat, his verbis: *Quare dicis Iacob, & loqueris Iſraël, abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſibit? Nunquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, neque eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.* Nihil eſt quod latiorem vitiis viam aperiat, quàm oculos diuinæ prouidentiæ de medio tollere. Vnde amici Iob, Philoſophi inquam illi Orientales, hoc illi imponebant: *Et dicis quid nouit Deus, & quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, & circa cardines cœli perambulat. Nunquid ſemitam custodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui?* Id eſt, forſitan per viam latam, quæ ad perditionem, & interitum ducit, ingrederis: diuinam prouidentiam negans, ſicut aliqui viri iniqui, vt liberiùs voluptatibus deſeruirent? Hanc viam cuſtodiuit & calcauit primus Cain, qui requiſitus à Domino, *vbi eſt frater tuus Abel?* Reſpondit, *Neſcio, nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* De quo inquit Beatus Ireneus: Malum eſt occidere fratrem, multò peius ſic audacter & irreuerenter reſpondere omnia ſcienti Deo, quaſi poſſes fruſtrari eum. Et Beatus Ambroſius: exiuit & Cain à facie Domini, non ſolùm poſt parricidium commiſſum, ſed etiam poſtquam putauit Deum eſſe fallendum. Calcauerunt etiam illi, de quibus Dauid Pſalm. 93. ait: *Et dixerunt non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.* Illi etiam de quibus diuus Paulus in epiſtola ad Romanos, cap. 1. *Non probauerunt Deum habere in notitia, ideo tradidit illos,* &c. Aſſignat enim cauſam & radicem quare gentes illæ in tam immania ſcelera ſint prolapſæ, & inquit, hoc illis eueniſſe, quia non probauerunt Deum habere in notitia. Quod dupliciter exponitur. Primò, ſecundùm diuum Hieronymum, id eſt, *non neſcierunt, ſed minimè probauerunt.* Ille enim probat ſe Deum habere in notitia, qui ſemper illum in præſenti habens peccare non audet. Secundò iuxta Beatum Anſelmum: Id eſt, *cùm multis rationibus poſſent probare Deum habere in notitia hæc crimina, tamen putauerunt Deum ignorare & negligere ea.* Contigit enim illis quod pueris contingere ſolet, qui quando clauſos habent oculos, quia neminem vident, exiſtimant à nemine videri. Sic antiqui illi Philoſophi & peccatores, qui omnes in vitiis ſuis exiſtentes, à Deo ſe non videri exiſtimauerunt. Quibus è diuerſo opponitur Dauid, dicens: *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite, qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat? qui corripit*

Iſaiæ 40. *Iob 22.* *Cain prouidentiã negauit.* *Iren. li. 3. aduerſus hær. c. 36.* *Apolog. Dauid. 1. cap. 14.* *Pſal. 93.* *Ad Ro. 1.* *D. Hier.* *D. Anſel.* *Simile.* *Pſal. 93.*

Digitized by Google

Paulus *ripit gentes non arguet? Qui docet hominem ſcientiam?* Et
Hebr. 4. Apoſtolus Paulus: *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis Domini.*
Annulum vel geſtamen aureum, ſiue pretioſum lapidem ali-
Simile. quis furatus eſt. Quid ergo fiet? Denudetur, & omnes il-
lius veſtes excutiantur. Sed dices, quod ſi illum deglutiuit?
Tunc enim nullum remedium eſt. Impoſſibile erit illum in-
uenire. O diuinos oculos ſuper ſolem lucidiores, & ſuper lyn-
cem acutiores, quibus nihil occultum eſſe poteſt! Omnia enim
illi, non ſolum nuda ſunt, verùm, & aperta, quia *corda & re-
nes ipſe ſcrutatur, & nihil eſt tam occultum, quod oculos maie-*
Iob 28. *ſtatis eius latere poſſit.* Iob 28. *Profunda fluuiorum ſcrutatus
eſt, & abſcondita produxit in lucem.* Quid per profunda flu-
uiorum, niſi peccatorum corda intelligemus? Cor enim im-
pij, quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt. Hoc enim
mare Deus ingreditur, & ſiccis (quod aiunt) veſtigiis per il-
lud tranſit: & quod ibi reconditum eſt in lucem producit.
Simile. Sicut redundantia fluctuum. *La reſaca del mar*, corpora mor-
tuorum, & alia maris monſtra ad littus educere ſolet, vbi ab
omnibus videri poſſint: ſic in die iudicij redundatio peccato-
rum fiet. O bone Deus, quot peccata occulta, quot ſcelera,
quæ modo tenebris obuoluuntur, pudore, & cōfuſione digna,
in publicum prodibunt? Quot monſtra culparum, quæ modò
ſub hypocriſis falſo velamine latitant, apparebunt? Latitant
quidem, ſi ad humanos oculos comparentur, non ad diuinos
quibus nihil occultum eſſe poteſt. Quod ex ipſius nominis ſi-
gnificatione demonſtratur, quia Deus Græcè dicitur Θεὸς,
à verbo θεάομαι, quod eſt videre & ſpectare, quaſi omnia vi-
dens & proſpiciens. Quare ſacerdotes Ægyptij, vt obſeruauit
D. Cyrillus Alexandrinus, lib. 9. aduerſus Iulianum, vt Deum
ſignificarent, ſceptrum depingebant erectum, cum oculo de-
ſuper circunſpiciente, vt innuerent Deum rectiſſimum eſſe
iudicem, omniáque proſpicere & intueri. Quare, fratres mei,
ſatis mirari non poſſum, quòd cùm hominum præſentiam ad
peccandum tantùm reuereamur, Dei tamen vultum vbique
per præſentiam exiſtentem, omniáque opera noſtra intuen-
tem, non formidamus. *Oſtia pomarij clauſa ſunt, nemo nos vi-*
Dan. 13. *det*, dicebant illi maledicti ſenes Danielis. Eſto nemo homi-
num vos videat, ſed ideo nullus? Videt enim vos Deus, videt
iudex ille, ad cuius tribunal vos aſſiſtere neceſſe eſt. Quàm ali-
Pſal. 89. ter ſentiebat ille, qui dicebat Pſalm. 89. *Poſuiſti iniquitates no-
ſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum in illuminatione vultus
tui.* In illuminatione vultus tui, inquit, quia non ſunt tenebræ,
& non

Omnia nuda & aperta ſunt oculis Domini. Θεὸς, vnde ſic dictus Græcis.

& non eſt vmbra mortis quæ ab oculis eius peccata noſtra poſſint abſcondere. Attendens igitur Dauid noſter, quòd nullum eſt peccatum, quantumuis de ſe occultum, quod oculos Dei fugere poſſit, licèt peccatum ſuum quantùm potuit celauerit: fatetur tamen ipſi Deo fuiſſe manifeſtum. *Tibi*, inquit, *ſoli peccaui, & malum coram te feci.*

Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Permiſiſti Domine peccatum meum, méque in culpam ruere diſſimulaſti, *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, &c. Nimis aliquando de iuſtitia ſua præſumebat, & ſicut alter Petrus qui nimis fortitudini ſuæ credens, dicebat: *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Non ſecus Dauid plus debito ſibi arrogans, dicebat: *Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt.* Eò hæc mentis elatio proceſſerat, ſicut ipſe fatetur Pſalmo vigeſimo nono, quòd à diuina gratia cadere, & ab amicitia illius deficere, ferè impoſſibile iudicaret. Id enim verba eius oſtendunt. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Chaldaica tranſlatio ſic vertit: *Ego dixi cùm ſederem in fiducia.* Sed quidnam dixit? Non mouebor in æternum, iam neque ad momentum à Deo meo ſeparabor. Certus ſum enim, quod neque mors, neque vita, neque creatura aliqua, ab eo, cum quo vinculo indiſſolubili charitatis ſociatus ſum, poterit me ſeparare. *Domine in virtute tua, præſtitiſti decori meo virtutem.* Quaſi diceret: Veruntamen ignorabam Domine, neque experientia didiceram, non eſſe in hominis poteſtate abſque te propoſitum cordis perficere, neque ſine te illud poſſe hominem pro voto in effectum educere: donec ſubſequens experientia hoc me docuit. *Auertiſti enim faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Statim namque, vt manum tuam qua tenebar ne ruerem, à me amouiſti: in quamplurima inconuenientia ſum prolapſus. Videns igitur Deus, Dauidem de ſuis viribus nimis confidentem, voluit probare eum, vt fragilitatem ſuam agnoſcens, materiam humilitatis haberet. Probauit autem eum, cùm Bethſabee vidit lauantem ſe, ſed appenſus in ſtatera, inuentus eſt minus habens. Exarſit enim in mulierem, qua cùm adulterium commiſit: ex quo Vriæ mors fuit ſubſecuta. Dixerat illi Deus atque reuelauerat, de propriis viribus non eſſe confidendum. Quia omnis noſtra fortitudo, & confidentia fragilis eſt, nec aliquid in ſe ſtabilitatis habens. Eſt enim ſpes noſtra

Matt. 14.

Pſal. 118.

Pſal. 29.

Sapien.5. quaſi lanugo, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt. Quare illi dixerat Pſalmo trigeſimoſecundo. Pſal.32. *Non ſaluatur Rex per multam virtutem & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.* Quod vt experientia comprobaret, permiſit illum cadere in adulterium, & homicidium. Ne nimis extollamur, fratres, neque de noſtris viribus præſumamus: ſed in ſolo Deo diuináque eius gratia omnis confidentia noſtra ſita ſit: ne aliquando diuino fauore deſtituti, in flagitia, & ſcelera prolabamur. Fatetur ergo Dauid ſanctus ſcelera ſua, dicens: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*: Quod quidem permiſiſti Domine, *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, qui doces de propriis viribus nulli hominum eſſe fidendum, *& vincas cùm iudicaris*, id eſt, cùm de hoc cum ipſo peccatore contenderis.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Originalem culpam, quæ ianua eſt, & origo omnium peccatorum in ſuum fauorem allegat. Ac ſi diceret: Non mirum eſſe debet Domine quòd te offenderim, quia in originali peccato ſum conceptus: & ex vtero matris meæ indita mihi eſt quædam ad malum propenſio, foméſque peccati congenitus, ad peccandum ſemper impellens. Eſt enim orignale peccatum, quod veram rationem culpæ habet, quaſi latrunculus paruus, qui domi recluſus, media nocte ianuam aliis latronibus aperit: vt domum ingreſſi, quicquid in ea repererint diuitiarum, furentur, & diripiant. Sic nimirum originalis culpa ad omnia alia vitia ianuam aperit. Quod adnotauit gloſſa ſuper illa diui Pauli verba. *Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.* Quod ideo dicit, quia ex primo peccato concupiſcentia contra ſpiritum nata eſt in carne: ex qua nimirum, quicquid peccati eſt in dictis, factis, aut cogitationibus, totum oritur ex illa concupiſcentia quæ ex primo peccato proceſſit: & ideo in peccatis, & non in peccato conceptus dicitur, quia peccatum originale cauſa eſt, & origo omnium peccatorum. Cui conſonat diui Hieronymi verſio, quæ ſic habet: *Ecce enim in iniquitate conceptus ſum, & in peccato peperit me mater mea.* Sed & Pagnini Lucenſis verſio ſic habet. *Ecce enim in iniquitate genitus ſum, & cum peccato calefacta eſt de me mater mea.*

Peccatũ originale Simile. *Gloſſa. Rom.7.* *Peccatũ originale radix omnium peccatorum.* *Verſio D. Hier.* *Pagnin.*

D. Greg. Sonant verba hæc iuxta diui Gregorij ſententiam congruentiam quandam, & rationem ad miſericordiam, quam poſtulat

Digitized by Google

poſtulat conſequendam. Inquit enim: Opus eſt Domine vt mei miſerearis, quia ab ineunte vitæ primordio, in peccati foueam incidi, & concupiſcentiæ carnalis ſordibus inquinata natiuitatis meæ initia contraxi. Ac ſi patenter diceret. Quid mirum quod picem peccati ſapiat, qui peccatum in lacte ſuxit, & quaſi iure hæreditario à parentibus accepit. *No es mucho que aya caydo mancha enel paño, que en gerga ſalio todo manchado*, quia ſi in pretioſis, & ſericis veſtibus macula inuenitur, quanto magis in vilibus, & interpolatis: Si enim cryſtallina illa, & cœleſtia ſpecula (naturæ inquam Angelicæ) maculata fuerunt per culpam, quantò magis nos quibus macula ipſa quaſi connaturalis eſt? *Ecce qui aſſiſtunt coram eo non ſunt ſtabiles* (dicebat Iob) *quantùm magis, hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea?* Sunt enim aliqua peccata, præſertim illa, quæ ex imbecillitate noſtræ naturæ oriuntur, quæ excuſationem aliquam ſecum trahunt: cùm natura noſtra, ſenſúſque humani ab adoleſcentia ſua proni ſint ad malum. Et ad hoc ſpectat illud Pſalm. 102. *Miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam puluis ſumus.* Vbi Chaldaica Paraphraſis ſic habet. Quoniam ipſe nouit fomitem prauum, qui peccatum ſuggerit: in memoriam venit coram eo, quod ex puluere ſumus nos. Sic nos ipſi ad inuicem, cùm ex infirmitate peccamus facere deberemus: reducere, inquam, ad memoriam fragilitatem naturæ noſtræ. Sumus enim puluis qui facilè à vento diſpergitur. Non eſt cur peccatum fratris tui vſquequaque admireris, neque cur illum naturæ ſuæ oblitus vehementer accuſes, quin potius illius miſerere, blandíſque, & ædificationis verbis corrige: conſiderans teipſum, qui cùm eiuſdem conditionis, & naturæ ſis, in eadem crimina facilè poſſes incidere. *Fratres* (inquit diuus Paulus, de peccatis ex infirmitate humana procedentibus agens) *ſi præoccupatus fuerit quis in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Lenta enim manu huiuſmodi peccata corrigenda ſunt, de quibus non eſt cur miremur: cùm ex infirmitate naturæ noſtræ ortum habeant: & ideo venia digniora. Quòd attendens Dauid, vt diuinam flecteret iuſtitiam, & ad miſerendum inclinaret: pronitatem noſtram poſt vitiatam naturam ad peccandum ante oculos ponit, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c.*

Iob 4. *Geneſ. 8.* *Pſal. 102.* *Galat. 6.*

Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientia

Digitized by Google

tua manifeſtaſti mihi. Dupliciter poteſt verſus hic explicari. Primò, quòd ſit quaſi explicatio eius quod nuper dixerat: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* Poſſet ex his verbis aliquis ſuſpicari, quòd Dauid naturam accuſans ſeipſum excuſaret, & grauitatem ſui ſceleris non agnoſceret. Et vt hanc ſuſpicionem de medio tollat, & credatur illud, non ad excuſandum, ſed potius ad impetrandam veniam fuiſſe dictum: nunc peccatum ſuum aggrauat, beneficia à Deo accepta recenſens. Quia quantò quis maiora à Deo accepit beneficia, tantò amplius peccans eſt Deo ingratus, & peccatum ſuum grauius exiſtit. Sed quid dicat pœnitens audiamus: *Ecce enim veritatem dilexiſti.* Id eſt, veritatem quam tu vnicè diligis, non negabo: Peccatum quidem meum grauiſſimum eſt: quia non ex ignorantia, ſed ex certa ſcientia peccaui: nam *incerta & occulta ſapientiæ tuæ,* ſiue (vt vertit diuus Dieronymus) *abſconditum & arcanum ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.*

Explicatur dupliciter hic verſus.

Verſio D. Hieron.

Ex quo planè infertur, quòd illi qui maiora à Deo receperunt beneficia, & quorum intellectus clariori diuinæ legis intelligentia, & cognitione illuſtrantur, arctiori tenentur vinculo Deum diligendi: & grauius peccant legem eius transgrediendo, quàm indocti & imperiti. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non facit ſecundum voluntatem eius plagis vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et hinc eſt, quòd neminem Deus tam aſperè reprehendit in Scriptura ſacra: quàm eos, qui non ex ignorantia, ſed ex certa ſcientia peccant: Sacerdotes, inquam, & eos qui literis incumbunt, viámque veritatis alios docent. Hieremias capite quinto, effrænem ſecularium hominum viuendi modum dolens, inquit: *Forſitan iſti inſipientes ſunt, & ignorantes viam Domini, & iudicium Dei ſui: ibo ergo ad optimates, & loquar eis: Ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui: & ecce magis hi ſimul fregerunt iugum, ruperunt vincula: idcirco percuſſit eos leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtabit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorũ.* Vide quanta illis comminatur, qui non ex ignorantia, ſed ex certa ſcientia & malitia peccant. Quando diues aliquis, aut præpotens, à plebeio homine iniuriam caſu accipit, ſolet ab eo petere: cognoſcis nos? quòd ſi reſpondeat, illum non cognoſcere, ſatisfactum ſibi putat: at ſi dicat ſe illum probè cognouiſſe, ſtatim diſtricto pugione aut gladio, de illo vindictam ſumit. Quòd plebeius aut vulgaris homo, quòd ignorans & inſipiens aliquid contra Deum committat, quòd illum paruipendat,

Luc.12.

Hiere. 5.

Qui peccant ex malitia grauius punientur.

Simile.

pendat, non mirum eſt: quia maieſtatem eius ignorat: at quod ſacerdos, doctus, aut literatus, hoc maximè mirandum eſt. Quod ſummè illud Deus deteſtatur. Et ad hoc propoſitum explicat diuus Gregorius illud Pſalmiſtæ: *Deſcendant in infernum viuentes.* Viui, inquit, ſunt qui ſentiunt quæ circa illos fiunt, mortui enim omnino neque ſciunt, neque ſentiunt. Mortui itaque, qui non ſentiunt, pro neſcientibus. Viuentes verò qui ſentiunt, pro ſcientibus poni ſolent. Viuentes ergo in infernum deſcendere eſt, ſcientes, ſentientéſque peccare. Cãticorum primo dicitur: *Murenulas aureas faciemus tibi ſponſa vermiculatas argento.* Et quis eſt qui huiuſmodi murenulas non miretur, cùm potius deberent eſſe argenteæ & auro vermiculatæ? Sed hoc ideo dicitur (vt apud quendam auctorem legiſſe memini) quia argentum ſapientiæ ſuper charitatis aurum fundari debet. Tenentur enim ſapientes & docti arctiori charitatis vinculo, quare peccatum eorum cæteris paribus grauius eſt. Et ſic vt culpam ſuam Pſalmiſta aggrauaret, inquit: *Incerta, & occulta ſapientia tua manifeſtaſti mihi.*

Nota.
D. Greg. lib. 18. moral. cap. 7.
Cant. 1.

Secundò explicari poteſt ſecundum diuum Gregorium, qui pro veritate iuſtitiam accepit. Appellatur paſſim in Scriptura ſacra iuſtitia hoc nomine. Pſalm. 84. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Et Prouerb. 16. dicitur: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem.* Iuxta hoc, hunc ſenſum efficiunt verba iſta: *Scio Domine, quòd iuſtus es, & iuſtitiam diligis, quare nullum peccatum inultum relinquis. Vereor enim opera mea, ſciens quoniam non parcis delinquenti.* Nunquam enim delictum aliquod ſine debita vltióne derelinqui pateris: Verumtamen, non ideo de tua diffido miſericordia & gratia, quia te ipſum & benigniſſimam pietatem tuam probè noui, quia incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Cæcus quippe ille Cain, qui diuinam prouidentiam negabat: non mirum, quòd neque diuinam miſericordiam agnoſceret, dicens: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Niniuitæ quaſi cæci, & redemptionis myſterium ignorantes, forſitan dubitare poſſent de tua infinita clementia; & ſub conditione dicere: Quis ſcit, ſi conuertatur Deus & ignoſcat, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? At ego qui ſuper ſenes intellexi, qui maiorem rerum cæleſtium cognitionem habeo, cui incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti, quia omnia redemptionis humanæ myſteria noui: non poſſum de tua miſericordia non confidere,

Secunda explicatio.
D. Greg. Pſal. 84.
Prou. 16.
Iob 9.
Geneſ. 4.
Iona 3.

& ad tribunal gratiæ tuæ ſecurus non accedere. O ſumma Dei clementia, ô ineffabilis miſericordiæ diuinæ theſaurus: qui totus in peccatorum lucrum expenditur: ô cæci & miſeri peccatores, quare bonitatem eius cõtemnitis? Quare tantam gratiam & clementiam recipere recuſatis? Quid quæritis? Quid expectatis? Quis vos faſcinauit, & detinet, ne ſumma celeritate ad fontem pietatis accedatis, vt veſtra crimina lauare poſſitis? Accedite ergo cum fiducia peccata veſtra agnoſcentes, & priſtinum fœlicitatis ſtatum cum præſenti infœliciſſimo conferentes, peccata veſtra, licèt Reges & Principes ſitis, coram Deo confitemini: quia Deus ſupremus omnium eſt Dominus. Attendite quòd vbique præſens eſt, neque aliquod crimen eum latere poteſt: nec de veſtris præſumatis viribus, ſed de ſola diuina miſericordia confidentes, ſcelera quæ commiſiſtis aggrauantes, veniam eorum confidenter exſpectate. Quam hîc per gratiam inuenietis.

CONCIO TERTIA.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Peccatũ eſt anima macula.

SVperuacaneum eſſet, nec rationi conſonũ, multa in præſentiarum argumenta adducere, ad oſtendendum, peccatum eſſe animæ deformitatem, & maculam omnem animæ pulchritudinem & decorem deturpantem: quia hoc adeò eſt manifeſtum, quòd tanquam primum principium per ſe notum præſupponi debet. Vnde opinio fuit Magiſtri ſentent. in 4. diſtin. 18. cap. vltimo, ſicut à Scoto refertur in 4. diſtin. 14. quòd poſt tranſactum actum peccati, quod remanet in anima peccatoris à quo formaliter peccator dicitur: eſt quædam ſpiritualis macula, quæ ipſam animã inficit. Polluta eſt anima, inquit, quouſque pœniteat, ſicut erat, dum in ea erat praua voluntas. Sicut enim, inquit, qui morticinium tetigit, etiam ceſſante tactu, eſt immundus ſicut prius: ita polluta remanet anima, ſicut fuit in primo actu peccati, quia illa eſt longè à Deo per diſſimilitudinem. Et licèt hæc ſententia ibi impugnetur à Doctore ſubtili,

Magiſter ſent. in 4. Scot. in 4.

ſubtili, quantum ad hoc, quòd illa macula ſit poſitiuum aliquid in anima remanens: bene tamen concedit quod peccatum illud, quicquid fuerit: ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum: ſiue ex parte animæ ſe habeat, ſiue ex parte Dei peccatorem ad ſupplicium ordinantis: macula, & deformitas animæ ſit appellandum. Et quamuis ad hoc comprobandum quamplurima Scripturæ ſacræ loca in medium poſſemus adducere: tamen breuitati conſulentes, duobus ſolum illam confirmabimus. Primus habetur ab Eccleſ. capite 47. qui de Salomone agens, quem alienigenæ mulieres à veri Dei cultu auerterunt, inquit: *Inclinaſti fœmora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua.* Secundus locus eſt Iob, capite vndecimo, vbi ait: *Si iniquitatem quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula.* Vbi per *maculam* diuus Gregorius culpam intelligit, ſic enim inquit: *Eleuatam faciem macula inquinat, ſi mentem reatus ſui conſcientia accuſat.*

Eccl. 47.

Iob. 11.

Greg. 10. mora. 16.

Tantùm quidem macula hæc animam inficit, quòd omnino niſi per Deum deleri non poteſt. Iob 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nónne tu qui ſolus es?* Peccati namque maculam niſi diuina manus fricare non poteſt. Tam enim firmiter in mente, peccati imago impreſſa manet: quod manus hominis inualida ſit ad illam delendam. *Ego ſum* (inquit) per Iſaiam Deus,) *ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me.* Quaſi diceret: Ego ſum ſolus, & non alius, qui ad tantum munus exequendum vires habeo: cùm ad hoc virtus infinita requiratur. Et hinc eſt, quod vt crimina noſtra lauaret piiſſimus ille Deus, noſtram mortalem naturam induerit: in qua paſſus, & mortuus, proprio ſanguine nos abluit. *Quid dilexit nos* (inquit diuus Ioan. Apocal. 1.) *& lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Et 1. Ioan. cap. 1. *Sanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato.* Et hoc adumbratũ exiſtimat Tertullianus in matrimonio illo Moyſis cum Ethiopiſſa, cui dixit: *Verè ſponſus ſanguinum tu es mihi.* Dicit enim, Sephoram Ethiopiſſam Eccleſiam ex gentibus ſignificare, quæ ita nupſit Chriſto, vt Chriſtus pro illa ſanguinem funderet, & quos pareret ipſa filios, ſanguinem etiam pro ipſo Chriſto eſſent fuſuri. Et ad hunc ſenſum explicat verba illa Iſai. cap. 1. *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, ſicut nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Inquit enim in Scorpiaco aduerſus Gnoſticos: Si

Iob 14.

Iſa. 43.

Apoc. 1.
1. Ioan. 1.
Tertull.

Iſaia 1.
In Scorpiaco aduerſus Gnoſticos.

Digitized by Google

peccata veſtra ſanguine Chriſti ablueritis, dealbabuntur ſicut nix: ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, id eſt, ſi corona martyrij rubeat: quaſi lana candida, candidabuntur. Tam neceſſarius fuit omni tempore Chriſti ſanguis: quòd ſine illo ſaltem præuiſo nulli conceſſa fuerit peccatorum venia. Et ideo (vt exiſtimo) Chriſtus dicitur *agnus occiſus ab origine mundi.* Cùm poſt multa ſæcula mortem obierit: quia ex tunc ſanguis eius præuiſus cœpit hominum peccata abluere.

Apoc. 13.

Dixerat in ſuperiori verſu Dauid: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, quod veriſſimũ eſſe modò oſtendit, cognouit enim quòd redemptio hominum per Chriſtum erat facienda: quòd ſolus Deus ſordes animæ poteſt abſtergere, & quòd ſanguis filij eius eſt, cui contigit maculas filiorum Adæ abluere. Quare animam ſuam tot ſceleribus commaculatam videns: ad hoc diuinum lauacrum accedit, dicens: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, &c.*

D. Theo. & diui Aug.

Aſperges me hyſſopo, inquit: Qui loquendi modus iuxta Theodoreti, & Auguſtini ſententiam, figuratiuus eſt, & parabolicus: quia hyſſopum aliarum rerum eſt ænigma. Quod ex eo maximè probat, quòd in lege herba illa, non habebat virtutem ad abluendas tam ingentes maculas, ſicut illæ, quæ per adulterium & homicidium cõtrahuntur. Suppoſito ergo, quòd ſub hoc loquendi tropo aliquod latet ſacramentum, illud pro viribus detegere conemur. Nobis enim conuenit ſpirituales ſenſus, qui iuxta literæ corticem latent eruere, quia *litera* (vt inquit diuus Paulus) *occidit, ſpiritus autem viuificat.* Iudæi ſiquidem Moyſen tanquam paruulum in fiſcella ſcirpea concluſerunt, dum cæleſtes, & ſpirituales illius ſenſus, ad literæ infirmitatem pueriliter reduxerunt. Sed hunc Pharaonis filia è fiſcella excluſit, & Regio honore ſublimauit, quia & Eccleſia ex gentibus ſumpta, Moyſi legem honorat, multos illi ſenſus ſpirituales tribuens: quam Iudæi iuxta ſolum literæ corticem intelligendam crediderunt. Et hoc eſt quod Iſaia Propheta prædixerat: *Deſerta in vbertatem verſa, aduenæ comederunt.* Nam legis Moyſi & Prophetarum dicta, deſerta apud Iudæos fuerunt: quia iuxta myſticum intellectum, ea diſſerendo excolere noluerunt: & ideo de eis nullum fructum perceperunt: nobis autem in vbertatem verſa ſunt, quia fructum in corticeſub foliiſque latentem, inquirimus. Et ita aduenæ comedimus, quæ ciues legis guſtare noluerunt.

2. Cor. 3.

Exod 3.

Figura.

Iſai. 5.

Nota.

Sed iam ad illũ locum à quo digreſſi ſumus reuertamur, & ſenſum huius literæ luce ſacrorũ expoſitorũ ſuffulti eruamus.

Hugo Cardinalis in ſua gloſſa, hic per hyſſopum humilitatem intelligit pœnitentiæ, deſumpta metaphora ab hac herba, quæ paruula eſt & humilis, & ſemper in ſaxo aliquo radicatur. Quæ quamuis inutilis & vilis appareat, tamen medicinalis eſt & ad inflationes curandas vtiliſſima; in quo inſinuatur quòd vera humilitas in Chriſto Angulari lapide radicata, vnicum eſt inflationis ſuperbiæ noſtræ medicamen. Hæc interpretatio licèt apparens videatur, tamen non multum ad propoſitum ſpectat: nam metaphoræ non adaptatur: quia ad lotionem, & mundationem animæ, de qua hic Pſaltes loquitur, humilitas ſecundum metaphoræ tenorem non ſpectat. Quapropter cum Diuo Gregorio, Theodoreto, Heſychio, & Didimo aduertamus, quod in veteri lege ex hyſſopo herba humili, quæ in petris vltro naſcitur, fiebat faſciculus, vt eſſet inſtrumentum ad purificandum, & lauandum, maculas aliquas ex tranſgreſſione contractas. Tingebatur enim faſciculus ille ex hyſſopo confectus, vel aqua, vel ſanguine: & ſic aſpergebatur populus, vt ab irregulariter vel macula contracta mundaretur. Conſtat hoc ex capite 12. Exod. vbi Moyſi præcipitur: *Faſciculum hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumque poſtem.* Et in ſacrificio vaccæ rufæ, de quo habetur Numero. 19. idem præcipitur: *Tolléntque de cineribus combuſtionis, atque peccati, & mittent aquas viuas ſuper eos in vas, in quibus cùm homo mundus tinxerit hyſſopum, aſperget ex eo omne tentorium*, &c. Accipiebatur enim faſciculus hyſſopi ſanguine plenus, & aſpergebatur populus, ſicut aqua benedicta modò fit in Eccleſia: & ſic ab aliquibus mundabantur irregularitatibus, licèt ſanguis ille virtutem non haberet mundandi à peccatis. Quod quidem expreſſiſſima erat figura ſanguinis Chriſti: qui ab omni peccati inquinamento animas noſtras emundat: ſicut Diuus Paulus in ea quam ad Hebræos ſcripſit, tetigit dicens: *Si enim ſanguis taurorum, aut vitulorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum, ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras?* Significabatur ergo per ſanguinem illius vaccæ, ſanguis Chriſti; & per aſperſionem, quæ hyſſopo fiebat, lauachrum regenerationis, quod fit diuino illo cruore qui de latere eius in cruce manauit. Quòd cùm Dauid non ignoraſſet: enixè cruore illo petit lauari, dicens: *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor,* Id eſt, aſperges me

Hugo. *D. Greg.* *Theod.* *Heſychi.* *Didim.* *Exo. 12.* *Numer.* *Hyſſopus figura ſanguinis Chriſti.* *Ad Heb, 9.*

Digitized by Google

me quaſi hyſſopo, & ſuper niuem dealbabor, ſi ſanguine filij tui præuiſo pro ſalute hominum fundendo, peccata mea laueris. Et quòd hic ſit germanus huius literæ ſenſus, Paraphraſis Chaldaica oſtendit, quæ ſic habet: *Effundes ſuper me ſicut ſacerdos, qui profundit ſuper immundum aquas aſperſionis cum hyſſopo de cinere vaccæ, & mundus ero.*

Paraphr. Chald.

Sed antequam hinc diſcedamus, conſiderare oportet quantã ſit culpæ macula, & peccati fœditas: quæ non niſi Chriſti ſanguine expiari poſſit, (loquor enim de potẽtia ordinata.) Ex difficultate & magnitudine medicinæ & remedij, infirmitatis magnitudinem, quaſi ex vngue leonem, cognoſcere quis poterit. Videmus medicum in arte ſua peritiſſimum ad potionem ordinandam infirmo, nullis ſumptibus, nullis pecuniis, aut medicinatum pretioſitati parcere: præcipit enim ex lapide qui dicitur Becal, ex auro, & margaritis ſolutis fieri: & ſtatim concipimus languorem eſſe grauiſſimum & infirmum in vitæ diſcrimine verſari: Sic etiam in præſẽti contingit. Videmus, quòd Deus ad lauandas animæ noſtræ maculas, pretioſiſſimum ſanguinem in cruce fudit: qui valoris fuit infiniti: magna ergo eſt animæ macula & deformitas, quam per peccatum incurrit quæ tanta ſanguinis iactura expianda venit.

Quanta ſit peccati macula & deformitas.

Simile.

Quis nam, ô fratres, tanta dicendi vi polleret qui deformitatem animæ peccatricis hodie viuis coloribus depingere poſſet: vt vel ſic animum veſtrum à voluptatibus, in quibus peccatum eſt, auerteret. Ad hoc enim plus quam Tulliana eloquentia ſiue Homerica neceſſaria eſſet. Sufficiat vobis dicere tantam eſſe, quæ omnem animæ pulchritudinem fœdare poſſit & inficere: quæ non modica exaggeratione eſt, quia pulchritudo animæ in gratia exiſtentis, tanta eſt: quæ cum ſolis pulchritudine comparari poſſit, & que cœli ſplendorem facilè vincat & ſuperet: *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in conſpectu Dei.* Matth. 13. & Sapient. 3. *Fulgebunt iuſti & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Speculum clariſſimum accipite, & illud verſus ſolem ponite: & ſtatim videbitis alium fulgentiſſimum ſolem in eo produci: cuius ſplendorem humanus oculus nullatenus ferre poteſt. Quod ſi ſol hic materialis & viſibilis talem habet virtutem, quid de ſole illo inuiſibilis & immateriali erit dicendum? Anima namque iuſti quaſi ſpeculum fulgentiſſimum eſt, in quo diuina illa & inacceſſibilis bonitatis lux ſplẽdet. *Es el reuerueradero de los rayos de Dios*, in quo ipſa Dei imago & ſimilitudo imprimitur. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Dicuntur iuſti Dij, non quia

Anima pulchritudo.

Matt. 13.
Sap. 3.

Simile.

Pſal. 8.

Digitized by Google

quia per naturam hoc habeant, ſed quia in illis diuina bonitas & pulchritudo ſplendeat. Quod ſi tanta pulchritudo, peccati macula inficitur: iam hinc colligere licebit, ipſa peccati deformitas quanta ſit. Maculam lunæ non modicam eſſe deprehenditur, ex eo quòd tantum ſplendorem inficit: ſi verò ſolem ipſum inficeret, proculdubio maior eſſet, quod ſi anima iuſti Soli comparatur: & hæc per peccatum tenebreſcit: ergo peccati deformitas magna eſt. Hoc autem ex eo patet, quòd peccatum aliquoties in ſacra Scriptura carboni comparatur, non ob aliud, niſi quia ſicut carbo manum vel parietem inficit, ſic peccatum animam. Accipit quis carbonem, & in pariete mundo caractêres nigros depingit, & parietem deturpat: Sic Diabolus peccato quaſi carbone quodā depingit animam, ſuíſque caracteribus ſignat. Ad hunc ſenſum Doctor Incognitus explicat illud Pſalmi 139. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos, in miſerijs non ſubſiſtent.* Per carbones, inquit, vitia nigra intelliguntur. Sic enim quando quis de bono efficitur malus, de carbone ignito fit carbo extinctus. Sed quid de huiuſmodi carbonibus futurum ſit, ſubdit: *in miſerijs non ſubſiſtent.* Alij ſic legunt: *Cadent ſuper eos carbones in igne, deijcies eos in miſerijs.* Ac deinde *non ſubſiſtent*, id eſt, non ſtabunt cum beatis, neque reſurgent ad gloriam. Cui conſonat D. Hieronymi verſio ex Hebræo, quæ ſic habet: *Deijcies eos in foueas vt non conſurgant*, id eſt, nunquam inde queant emergere. Sed & Chaldaica Paraphraſis clarius: *In ignem & gehennam præcipitabis eos, & in foueas illaqueationis: vt non reſurgant ad vitam æternam.* Ad eundem ſenſum explicat Diuus Gregorius illud Threno. 4. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* Nigri enim poſt candorem fiunt, qui amiſſa Dei iuſtitia, cùm de ſe præſumunt, in ea etiam quæ non intelligunt peccata, dilabuntur. Et quia poſt amoris ignem ad frigus corporis redeunt, ideo extinctis carbonibus comparantur. Sed quis clarius quàm Ezechiel Propheta peccati deformitatem expreſſit? Sic enim inquit, cap. 16. animam peccatricem alloquens: *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum.* Aptiſſima quidem exaggeratio, poſtquam omnem animæ pulchritudinem depinxit, dicens: *Quomodo ornauerit eam auro & argento, & lapidibus pretioſis*, ſubdit: *omnem hanc pulchritudinem, peccati nigredine, commaculaſti.* Cap. etiam 22. poſtquam populi peccata recenſuit, ſubdit in perſona ipſius Dei: *Et coinquinabar in medio eorum.* Tanta enim

Simile.

Simile.

Doctor Incognit. ſuper Pſ. 139.

Verſio D. Hieron.

Chald. Paraphr.

Greg. lib. 33. cap. 23.

Ezec. 16.

Ezc. 22.

Digitized by Google

enim eſt peccati contagio, quòd ipſum Deum inficeret, ſi alicuius infectionis capax eſſet. Sed quomodo hæc inquinatio intelligenda ſit Paraphraſis Chaldaica explicat, quæ ſic habet: *Et voluntas mea prophanabatur ab eis, quia Deus noſtris peccatis propriè non coinquinatur.* Huiuſmodi peccatorum maculas ſolus Chriſti ſanguis poteſt abſtergere. Habet enim infinitam quandam virtutem ad ſordes abluendas, mentéſque noſtras ſuper niuem dealbandas. Nemo enim niſi mundus cœlum ingredi poteſt:& cùm nemo mundus & abſque ſorde, *neque infans vnius diei*, ſicut ait Iob, omnes ſanguine Chriſti ad animas noſtras purificandas indigemus. Iſti ſunt (inquit Euangeliſta Ioannes Apoc.22.) *qui lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Quare tu ô peccator cùm animam peccatorum ſordibus maculatam habueris, ne pigeat ad diuinum illum miſericordiæ fontem accedere: in quo ab omnibus peccatis laueris. Sic quippe Dauid faciebat, qui virtutem huius lauacri ſentiens, & animæ ſuæ maculas cernẽs, ad Deum confugit, dicens: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lauabis me, &c.*

Omnes ſanguine Chriſti indigent. Apoc.22.

Et ſuper niuem dealbabor. Expende quanta ſit pœnitentiæ virtus, quòd peccatricem animam ſuper niuem dealbare poſſit. In quo, vt inquit Innocentius tertius, datur ſpes peccantibus, vt poſſint per pœnitentiam, non ſolùm ad priorem, verùm etiam ad longè maiorem redire munditiam. Tanta eſt diuinæ miſerationis liberalitas, quòd peccator, qui ad Deum per veram pœnitentiam conuertitur, ſemper ad meliorem ſtatum conſurgit, vel ad maiorem gratiam, iuxta pœnitentiæ ſuæ conatum, vel ſaltem ad maiorem meritorum cumulum; ac per conſequens ad maiorem gloriam illis correſpondentem: ſicut grauiſſimi Doctores tuentur. In quo ſenſu accipi poſſunt verba illa Pſalmi 71. *Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.* Loquitur enim ibi de redemptione per Chriſti ſanguinem facta, iuxta interpretationem Haimonis, & Brunonis Carthuſianorum Patriarchæ, & fundatoris inclyti: & promittit non ſolùm redempturum peccatores à peccatis ſuis, verùm & ab vſuris, per quas Doctor hic, æternas pœnas intelligit, quæ ideo vſuræ nuncupantur, quia maiores & diuturniores erunt, quàm peccata quæ hîc fiunt, ſicut vſura maior eſt fœnore. Et ſubdit ſtatim; *Et honorabile nomen eorum coram illo.* Qui vſurarius conuincitur, infamis & ignobilis ab omnibus reputatur: At non ſic peccatoribus continget. Licèt enim vſurarij fue

Innocẽt. tertius. Ocham in 4. q.8. Gab. diſt. 14. qu.3. artic.3. Peccator per pœnitentiã ad perfectiorem ſtatum reſtituitur. Scotus in 4. diſ.22. Pſal. 71. Haimon. & Brun.

Digitized by Google

rij fuerint, tamen nomen eorum apud Deum non infame, ſed honorabile erit, ſi tamen ex toto corde conuertantur, quia ad eundem meritorum gradum reſurgent. Adumbratum fuit hoc in illo Hieremiæ facto, cap. 18. cui præcepit Deus vt in domum figuli ſecum deſcenderet: figulus autem vaſa conficiebat ex luto, & vaſe vno è manibus labente omnino, diſſipatum eſt. Quòd cùm ſecundò lutum illud ad rotam admoueret: fecit ex illo vas alterum ſicut placuerat in oculis eius: Sed ſi idem fuit vas, quomodò alterum? Si alterum, quomodò idem? Erat enim idem, quia ex eodem luto, ſed alterum, quia melius & pretioſius. Et ſubdit ſtatim: *Numquid ſicut figulus iſte non potero ſic vobis facere?* Quid enim aliud eſt peccator, niſi vas quoddam luteum & fragile, quod quidem frangitur & diſsipatur per culpam? Sed manus omnipotentis Dei tam valida eſt, quod poſsit eum, non ſolùm ad priſtinum ſtatum reſtituere, verùm & ad meliorem: *Conuertimini ad me*, inquit per Ezechielem, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Conuertios a mi, y hazed penitentia de vueſtros peccados, y yo os doy la palabra a ley de quien ſoy; que la maldad paſſada no ſea en menos cabo vueſtro.* Innumeri ſunt peccatores, in quibus huius rei experientia facta eſt. Patet enim in Dauide, Petro, Matthæo, & Magdalena, & aliis, quibus iniquitas certè non fuit in ruinam, ſed in maximum ipſorum ceſsit honorem. Quibus contigit quod ingredienti per anguſtam ianuam cõtingere ſolet, qui ſi veſtem fortè dilacerauit & ſcidit, reſarcit illam, & ſciſſuram aureo aut argenteo alamari, ſiue ſerica vitta ornat, & reparat, ita vt non iam caſu, ſed conſultò, & ornatus cauſa facta eſſe videatur. *No parece deſgurron, ſino auertura que ſe hizo por inuencion y por gala.* Sic enim peccatoribus verè pœnitentibus contingit, quòd peccatorum ſciſſuræ, ſi per pœnitentiam reparentur, nullam in anima deformitatẽ relinquunt, quin potius in cœlo cedet illis ad gloriã. Huc ſpectat Iobianum illud cap. 22. *Si reuerſus fuerĩ ad omnipotentem, ædificaberis, & longe faciet iniquitatem à tabernaculo tuo, dabitq́ pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos.* Reparaberis, inquit. Dum quis domum aliquam, quæ minatur ruinam, vel iam cecidit reparat, ſolet eam ad meliorem ſtatum reducere, parietes conſtruit & dealbat, columnas erigit, & ſuper eas ſcuta, & nobilitatis inſignia collocat, reficit tecta & ea mundiſsimo auro adornat: ſic reparat Deus peccatoris animam quæ per culpam penè deſtructa erat, erigit humilitatis fundamen

Hier. 18.

Ezec. 18.

Simile.

Iob 22.

Digitized by Google

fundamenta, reparat virtutum fabricam, fidem & ſpem, charitatis auro inſignit, & totam animam ſcutis gratiarum nobilitat. Quare ſubdit, *dabitque pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos*. Id eſt, in omnibus meliorabitur, & ad fœliciorem ſtatum redigetur. Eſt inſignis locus ad hoc comprobandum, qui habetur apud Iſai. cap. 35. vbi ſic inquit Propheta: *In cubilibus, in quibus habitabant dracones, orietur viror calami & iunci*: Quem locum Euſebius demonſtratio. Euangelicarum lib. 9. cap. 6. quem etiam Theophylactus ſequitur, de aduentu Chriſti Redemptoris noſtri explicat. Tunc enim, quando ſciſſæ fuerint aquæ doctrinæ Euangelicæ in deſerto Gentilitatis, & quæ erat quaſi terra arida & infœcunda, fontibus & ſtagnis aquæ cæleſtis abūdet: fiet, quod in cubilibus, vbi prius habitabant dracones, oriatur viror calami & iunci. Egregia quidem promiſſio. In cubilibus in quibus ſerpentes & dracones habitabant. Quis hoc non miretur? Nam dracones cùm veneno ſint pleni, terram quam inhabitant ſterilem reddunt: quare in ea neque flos, neque folium viride naſci ſolet. Magnum igitur miraculum, quòd ibi oriatur viror calami & iunci, qui non niſi in loco aquis irriguo & fertili oriri ſolent. Septuaginta ſic rediderunt: *Illic lætitia auium, caula gregis, arundines & paludes*. Videtur quidem mihi Propheta depingere aliquod amœniſſimum viretum. *Pare ce que pinta vn Aranjuez o jardinlleno de flores, y de fuentes, y eſtanques de agua, donde los ruyſeñores, y los ſilgueros eſtan cantãdo a porfia.* Hoc nimirum in quamplurimis peccatoribus adimpletum cernimus, qui poſtea ad Deum conuerſi ad magnum ſanctitatis cumulum peruenerunt. Quid enim erat Magdalenæ anima (vt Paulum, Matthæum, & Auguſtinum taceam) niſi cubile draconum & ſerpentum? Ex ea enim, vt teſtatur D. Marcus, ſeptem dæmonia Chriſtus eiecerat, per quem numerum vniuerſitatem vitiorum D. Gregorius intelligit. At cubile hoc plenum veneno peccatorum, in viretum paradiſúmque voluptatis, vbi viror calami, & pulchritudo iunci, paludes aquarum & lætitia auium cæleſtium, Angelorum ſcilicet, proculdubio conuerſum eſt. Fuit enim huius peccatricis anima poſt conuerſionem ſuam, quaſi Paradiſus Domini, hortúſque irriguus plenus gratiarum & virtutum: quæ quamuis voluptatibus carnis prius deſeruierit; tamen, tantùm in ea diuina fulſit clementia, quòd quamplurimis iuſtis, qui forſitan ſimilibus vitiis nunquam fuerunt infecti, præferatur dignitate. Benignè enim Deus recipit peccatores, qui ad eum conuertuntur, & magnis

Iſa. 35.

Euſebius
Theoph.

eos

eos fauoribus proſequitur, vt animentur & peccatis relictis ad eum toto corde confugiant. Quod ſi permiſit quoſdam ex electis, peccatis prius & voluptatibus deſeruiſſe, hoc ideo factum eſſe exiſtimo, ne peccatores deſperarent, aut de ſua miſericordia diffiderent. Eſt enim omni celebratione & memoria dignum, quod apud Zachariam Prophetam habetur, cap. 16. Agebatur de templi reædificatione poſt longuam illam Babylonis captiuitatem, & alloquitur Deus Prophetam dicens: *Sume de tranſmigratione ab Hordai, & à Tobia, qui venerunt de Babylone aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu ſacerdotis magni, & erunt in memoriale in templo Domini, & qui procul ſunt venient, & ædificabunt in templo Domini.* Itaque præcepit Prophetæ, vt acciperet aurum & argentum, quod captiui illi adduxerunt de Babylone, & ex eis duas coronas in domo Tobiæ fabricaret, & eas in capite ſummi Sacerdotis apponeret, vt ſanctificarentur, & ſtatim in templo ſuſpenderentur, vt qui in Babylone remanſerant ſimili exemplo excitarentur, & adducerent munera. Sed, bone Deus, quis hoc non miretur? quòd cùm poſſet Deus aurum & argentum ab Hieroſolymitanis petere, vt coronas in templo ſuo collocandas fabricaret, noluit tamen, ſed ab his qui ex captiuitate venerant accipit aurum Babylonicum, quod fortè Idolis prius deſeruierat, & ex illo coronas pretioſiſſimas fabricat in domo ſua, in memoriale & captiuorum perpetuam gloriam ſuſpendendas: vt alij captiui qui in Babylone remanſerant tali exemplo animarentur, & dona ſua etiam adducerent. O infinitam Dei clementiam! quantùm Deus honorat captiuos qui de Babylone regrediuntur! quantùm illorum aurum & argentum æſtimat! charitatem, videlicet, humilitatem, contritionem, & lachrymas. *Eſtima lo en tanto, que haze dello reliquias, y fabrica coronas de gloria*, vt in domo ſua ad aliorum exemplar & æmulationem ſuſpendantur. Qualis corona fuit Petrus? qualis Paulus? qualis, oro, fuit famoſa illa peccatrix? Ex peccatoribus namque, qui prius Babyloniæ captiui Idolis & voluptatibus ſeruierunt, coronas glorioſiſſimas conficit, quas in Eccleſia ſua quaſi publicas & ſuſpenſas ante omnium oculos eſſe voluit, vt talibus exemplis peccatores omnes excitati, ad æmulandam eorum conuerſionem prouocarentur. Egregium quidem facinus, ſed pœnitentiæ debitum, quæ tantæ virtutis eſt, quòd peccatorum maculas non ſolùm eluit, verùm & ad tantam munditiam reſtituit: quòd dicat Pſaltes in præſenti verſu: *Lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

Zach. 16.
Nota.

Digitized by Google

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Fac me Domine interius vocem indulgentiæ, & remiſſionis audire: Illam, inquam, vocem melle dulciorem, *remittuntur peccata tua*: & oſſa mea quæ per pœnitentiam contrita ſunt, valdéque humiliata, exultabunt. Sed dicet forſitan aliquis, iam Dauidis peccata dimiſſa fuerant: iam ex ore Nathan Prophetæ audierat, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te. Quomodo ergo modò petit hanc vocem denuo exaudire? Theodoretus, ſic hunc locum interpretatur. Huius lætitiæ mihi aures imple: perfectam purgationem promittens. Itaque, non abſolutè purgari poſtulat & lauari, ſed totaliter & perfectè, non ſolùm quo ad culpam, ſed etiam quo ad pœnam. Debetur enim peccato mortali, & pœna infinita, & finita, iuxta duo quæ in illo inueniuntur. Inuenitur enim in peccato, auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam: auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad cōmutabile. Primæ auerſioni correſpondet æterna pœna quæ tota ſemper per pœnitentiam (ſi vera ſit) dimittitur: at ſecundæ conuerſioni, de ſe debetur pœna temporalis, iuxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum data ei tormentorum.* Iuſtum eſt enim & rationi conſentaneum, vt qui voluntati ſuæ plus indulſit, quàm debuit: contra voluntatem ſuam aliquid patiatur. Quare ſtat quod remittatur culpa & pœnaę terna, illi correſpondens, per pœnitentiam: & quod pœnæ temporali peccator maneat obnoxius: ſicut à Leone contra Lutherum qui hoc negauit decretum eſt. Et eſt apertiſſimus locus, quem ad hoc probandum adducit D. Thomas 2. Reg. cap. 12. vbi legitur, quod cùm Dauid dixiſſet, *peccaui Domino*: Reſpondit ei Propheta: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te, non morieris: veruntamen filius, qui natus eſt tibi morte morietur.* Aſpice quomodo dimiſſa culpa, pœna ei temporalis iniungitur. Et ſtatim ſubdit, *quamobrem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum.* Numer. etiam cap. 14. Cùm oraſſet Moyſes Dominum vt dimitteret populo ſcelus idololatriæ, reſponſum fuit illi: *Dimiſi iuxta verbum tuum, attamen omnes qui tentauerunt me, non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum.*

Theod.

S. Thom. 12. q. 87. art. 4. & in 4 ſent. d. 15. art. 4.

Duo in peccato inueniũtur.

Apoc. 18.

Decretũ Leonis.

3. p. q. 86. dimiſſa culpa aliquando pœna manet luenda.

Num. 14

Ad hoc igitur indulgentiæ, quas ſummus Pontifex de theſauro Eccleſiæ concedit, ordinantur: videlicet, vt pœna tẽporalis peccatori debita qua, vel in hac vita, vel in purgatorio ſoluere tenebatur, remittatur ei. Et quamuis de hac re parùm in ſcriptura ſacra inueniatur (non enim extat expreſſus locus, ex

Indulgẽtia Eccleſiaſtic.

quo

Digitized by Google

quo poſſint indulgentiæ deduci (ſed non ideo negandæ ſunt, aut contemnendæ: ſicut fecere Vvaldenſes, Vvicleff, & Lutherus, quia per traditionem Eccleſiæ ſunt receptæ! Et licet earum vſus ſerò videatur ab Eccleſia receptus, vt adnotauit Roffenſis, non mirum exiſtimari debet: quia Eccleſia auroræ comparatur. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Aurora in ſuo ortu remiſſum habet lumen, quod temporis progreſſu augetur, ſic Eccleſia in dies proficit, & circa multa illuminatur, quæ ſibi prius non fuerant manifeſta. Decretũ autem habetur de illis in concilio Lateranenſi, ſub Innocentio 3. celebratum, vbi ad reprimendam quorundam Abbatum temeritatem declarauit, Abbates non poſſe vllo pacto indulgentias concedere: ſed hoc munus fuiſſe ſolis Epiſcopis à Deo conceſſum. Vbi Epiſcopis leges præſcribuntur, ne vltra certũ numerum indulgentias cõcedant, ne vileſcant, & pro nihilo pendantur. Et concilium Conſtantienſe, ſeſſio. 8. inter alios articulos Vvicleff, hunc etiã damnat. Magnæ enim miſericordiæ aſcribendum eſt, talem in Eccleſia auctoritatẽ reliquiſſe: quòd poſſet eius vicarius tanta facilitate pœnã temporalẽ peccatis noſtris debitam condonare. Et nõ minori dementiæ nobis aſcribetur, ſi tantã liberalitatem neglexerimus: & ſatisfactionẽ pro peccatis in præſenti facere contempſerimus. Quando Naaman Syrus ad Heliſæum venit curãdæ lepræ cauſa, præcipit ei Propheta, *quod ſepties lauaretur in Iordane*: at ille remedium contempſit, & ad Syriam currum ſuum dirigebat. Cui ſerui eius dixerunt: *Pater, & ſi rem grãdem tibi dixiſſet Propheta, certè facere debueras, quanto magis quia nunc dixit tibi, lauare & mundaberis.* Qui conſilio acquieſcens deſcendit, & lauit ſe in Iordane, & reſtituta eſt caro eius ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt. Hoc idem ego dico vobis fratres, qui ſatisfactionem operis contemnitis, indulgentiáſque ab Eccleſia cõceſſas multoties prætermittitis. Tanta eſt peccati lepra quæ animam inficit, tam intenſus & ingens purgatorij ignis illis correſpondens, quòd ſi rem grandẽ nobis præcepiſſent, illud cõtemnere nõ deberemus, vt pœna illa nobis remitteretur: nunc autẽ rem facilem à nobis Deus poſtulat, modicã inquam, ſatisfactionẽ, ieiunium, orationem, vel eleemoſynam, aut indulgẽtiæ ſtationem. Quid faciliùs? Et per modicam iſtã ſatisfactionẽ immenſum nobis tormentorum pondus remittitur. Et non dico caro, verùm anima noſtra mũdatur, & quaſi anima pueri reſtituitur, quia quoad culpam & pœnam abſoluti manemus. O immenſa Dei bonitas, ô ſumma liberalitas! Quis præſentẽ ſatisfactionẽ

Roffenſis art. 18. aduerſus Lutherũ.
Cant. 6.
Simile.
Concilio Lateran. habetur in decre. titulo de pœnit.
Conciliũ Conſtan.
4. Reg. 5.
Indulgẽtias non contemnendas.

contemnat? Quis nõ ex animo eam amplexabitur,& pro tanto beneficio immenſas Deo gratias non perſoluet? Hoc enim deſiderabat Dauid iuxta Theodoreti ſententiam,cùm poſt acceptam veniam, nunc denuò remiſſionem pœnæ deſiderat,dicens: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.*

Caſſiod. *Lyranus.* Caſſiodorus & Lyranus aliter hunc verſum explicant, de ſpe cœleſtis beatitudinis illum interpretantes,& ſic inquit Lyranus: Exultabunt oſſa humiliata,dando ſpem de conſecutione beatitudinis. Verum namque animæ gaudium in ſola hac ſpe conſiſtit. Exultant mundi amatores in rebus peſſimis, & lætantur cùm malefecerint. Auarus in ſuis diuitiis delectatur, ſuperbus in faſtu & dignitate, lubricus in ſuis deliciis & voluptatibus,guloſi & voraces in exquiſitiſſimis epulis, & inuidi calamitatibus alienis delectantur: at lætitia hæc vera non eſt, ſed breuis & ficta. *Gaudium enim hypocritæ*, vt inquit Iob, *ad inſtar puncti.* Non enim gaudia huius mundi vltra dilatantur, aut extenduntur. Sunt namque breuia & indiuiſibilia ſicut punctum, quod cùm ſit principium quantitatis, tamen quantum non eſt: ſic gaudia mundi non ſunt alicuius quantitatis, *no tienen tomo*. Et ideo Eccleſ.2. dicitur: *Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Decipit namque gaudium vitæ præſentis, quia cùm tam breuè ſit, durationem nihilominus & ſtabilitatem nobis promittit:cùm tamen nihil minus quàm ſtabilitatis & diuturnitatis habeat. Quia vt inquit Salomon Prouerb.14. *Riſus dolore miſcebitur & extrema gaudij luctus occupat.* Vix peccator ad vana ſua gaudia manum admouet, quando dolorem & luctum offendit, quia *dolor & voluptas*, vt philoſophatus eſt apud Platonẽ Socrates in Phœdone, *ad inuicem connectuntur, extremiſque colligantur*, ita quòd finis doloris ſit voluptas & finis voluptatis dolor. Quare Amos 8. dicitur. *Conuertam feſtiuitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum.* Quemadmodum Sphæra cœleſtis, inter duos polos, quos Philoſophi Arcticum & Antarcticum appellant, continuis voluitur motibus, & in orbem perpetuò vertitur: ſic homo inter duos terminos, nimirum natalem diem,& exitum vitæ, iugibus motionibus, modò proſperis, modò aduerſis agitur, Nunc ridet & deliciis affluit, ſed paulò pòſt mœrore opprimitur, & lachrymas perfundit. Verum gaudium quod in Deo conſiſtit, eſt quaſi fluuius perennis ſemper fluens,& nunquam deficiens: at vana mundi lætitia eſt quaſi torrens: qui imbribus creſcens fertur rapidè, ſed facilè areſcit. Vnde Seneca epiſtola 80. *Gaudium virtutis velut*

Iob 20. *Gaudiũ mũdi momentaneum.* *Simile.* *Eccleſ.2.* *Prou.14.* *Plato in Phæd. in principio.* *Voluptas dolori admixta.* *Amos 8.* *Simile.* *Seneca.*

Digitized by Google

lut fons in domo propria naſcens. Qui enim fontem in domo ſua habet, aquam habet ad manum, & ſitim nunquam patietur. Habet etiam hoc aqua quæ ex proprio fonte hauritur: quod purior eſt, nec habet amaritudinis ſaporem extraneum admixtum. Gaudium virtutis quod ex diuino hauritur, fonte, illa inquam aqua, de qua dicit Iſaias. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris*, puriſſima eſt, neque amaritudinem aliquam in ſe continet, ſed iucunditatem ſummam: at voluptatis aqua pura non eſt, ſed mille amaritudinibus mixta, diſponente hoc Deo vt voluptatibus contemptis ad illum confugiamus. Sicut enim nutrix, quando puerum ablactare vult, amarum aliquid circa mamillas ponit, vt dulcedo lactis amaritudine permixta, puero faſtidio ſit: ſic Deus ordinat, vt voluptatum dulcedo, amaritudine & triſtitia perfundatur. Quòd Auguſtinus confeſſus eſt, 8. confeſſ. cap. 2. *Tu ſemper aderas miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis confuſionibus aſpergens illicitas iucunditates meas, ita vt quærerem ſine offenſione iucundari, & vbi hoc poſſem non inueni.* *Iſaia 12.* *Simile.* *Aug. 8. confeſſ.*

Addiderim etiam, quod non ſolùm in his rebus caducis & perituris verum gaudium reperiri non poteſt, quod omnes animæ ſinus impleat, verùm neque in ipſo Deo illud habere poſſumus, quoadusque vana hæc contemnantur: quia gaudia cœleſtia cum his terreſtribus non ſe compatiuntur, neque in vna ſede morari poſſunt. Filium promiſſionis quem Sara ſterilis in ſua ſenectute peperit Iſaac, vocauit: quod riſus interpretatur & gaudium: ſed hunc non peperit Sara, niſi poſtquam ſenuit, & vitæ reſpuit voluptates: eodem modo non poterit aliquis verum & cœleſte gaudium parere, niſi illecebras, & delicias mundi prius contempſerit. Vnde Dauid cantabat Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea Memor fui Dei & delectatus ſum.* Quem locum Titelmanus ſic interpretatur: Abnegauit ſpiritus meus, & abominatus eſt propter Dei amorem, omnem terrenam & tranſitoriam, mundi huius conſolationem, in nulla temporali delectatione voluit, neque potuit quieſcere ardens in te ſpiritus meus: nec propter quancumque temporalem conſolationem, patiebatur ſe ab æternorum deſiderio auelli, maluítque tuam dulcedinem cum afflictione eſurire ſolo deſiderio, quàm omnibus mundi oblectamentis cum abundantia perfrui. Abſtractus autem ab omni conſolatione aliena, in mente habui Deum: in illum defixi mentis oculos, & tunc conſolatus ſum. Felix vertit *memor ero Dei, & vociferabor*, ſcilicet, præ lætitia & gaudio. Conſolatione hac diuina pri- *Verum gaudium in hac vita nõ eſt.* *Gen. 21.* *Figura.* *Pſal. 76.* *Titelm.* *Felix.*

Digitized by Google

uantur illi, qui vanam mundi consolationem inquirunt. Qui enim consolationes extraneas à mundo & carne oblatas, nimium libenter amplexantur, non merentur suauitatem diuinæ consolationis gustu mentis percipere, quoniam etsi Deo videantur præbere mentem, seruant tamen alienis consolationibus affectum, vt in eum sese gustus supernæ dulcedinis non possit instillare. Quod aduertit diuus Ambrosius verba illa seruatoris expendens: *Væ vobis diuitibus: qui hic habetis consolationem vestram.* Qui consolationem, inquit, vitæ præsentis appetunt, consolationem remunerationis perpetuæ perdunt. Quare Gilbertus hunc versum exponens, inquit: Si delectatio memoriæ Dei, negotio alio se exercet, totum exhaurit spiritũ Prophetæ. Quomodo plura poterit, & peregrina complecti negotia? Delicata siquidem species est amoris affectio, & tenui occasione læditur. Lætitia spiritualis, & amor supernorum occupationis impatiens est. Et paucis interpositis. An non ipsum hoc tibi videtur sponsa innuere cùm dilectum suum ad cubilis secretum trahit? *Non dimittam*, inquit, *te, donec introducam in cubiculum genitricis meæ.* Nouit illa dilectum suum non posse foris possideri, nec in negotio quidem, & quod durum est amanti dimidiare cum Christo in mundo: Quàm durum est, inquam, in dilectionis vita peregrinas admittere curas, & cæleste secretum turbis sæcularibus infestari.

D. Amb. super Luc. 6.

Gilbert. in Cant.

Nemo potest hîc deliciari & in futuro.

Cant. 3.

Nil amari debet præter Deũ nisi propter Deum.

Quod si ita est fratres, quis non nostram dementiam & stultitiam miretur, qui diuinam illam consolationem quæ ex Dei conspectu nobis promittitur, pro vilibus mundanis hisce gaudiis ad modum puerorum commutamus? Quanta inter huiusmodi gaudia sit differentia ex hoc facilè coniicere possumus: quod peccatores gaudia huius mundi per marcessibilem rosarum coronam significant, dicentes: Sap. 2. *Venite fruamur bonis, coronemus nos rosis antequam marcescant: vbique relinquamus signa lætitiæ.* At Dauid iusti gaudium depingens Psal. 20. inquit: *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Peccatori florum corona tribuitur, quæ citò marcescit & exsiccatur: iusto autẽ corona ex lapidibus pretiosis confecta, quæ æterna est, nec finem habitura. Vis nosse quàm breue sit omne mundi gaudium? Audi mundanos ipsos Sapientiæ quinto, qui tanquam experti dixerunt: *Ecce omnia transierũt sicut vmbra, & sicut nuntius percurrens, aut tanquã nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius cùm præterierit*

Sap. 2.

Psal. 20.

Discrimẽ lætitiæ piorum & impiorum.

Sap. 5.

non

non eſt inuenire veſtigium. Quid fugacius vmbra? Quid velocius nuntio? Aut quid periculoſius naue per medium fluctuum properante? Quare ô fratres, in ſolo Deo lætandum nobis eſt, in illo ſpes gaudij noſtri reponenda, quæ nullatenus poterit deficere. Pereat mundus, tranſeat omnis gloria eius, omnia quæ oculis aſpiciuntur ad nihilum redigantur: at gaudium iuſti, quod ex diuino conſortio ei contigit, perire non poteſt. *Gaudium veſtrum*, inquit Chriſtus, *nemo tollet à vobis.* Et hic eſt ſenſus illorum verborum Abacuc, capite tertio. *Ficus enim non florebit & non erit germen in vineis, mentietur opus oliua, & arua non afferent cibum, &c. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.* Ac ſi dicat: ſi totus mundus pereat, tamen gaudium meum, quod in Deo repoſitum habeo, perire non poteſt. In Hebræo habetur; *Victori*, & ſic verterunt Pagninus, atque alij: & iuxta hoc Remigius Altiſiodorenſis Epiſcopus, ſic inquit: Deducet autem me canentem victori, id eſt, Chriſto triumphatori mortis & diaboli. Deducet ergo me ſuper excelſa, hoc eſt ad beatam ſupernæ ciuitatis frequentiam, quæ ex Angelis & ſanctis hominibus conſtat, vt illis admixtus canam victori cum Angelis, Gloria in excelſis Deo, Ad idem etiam eſt illud Pſalmi deciminoni: *Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur.* D. Hieronymus ex Hebrço vertit: *In nomine Dei noſtri ducemus choros.* Quaſi qui pro victoria Deo gratias reddunt. Sed & Felix ſic vertit: *Et in nomine Dei noſtri erigemus vexillum*, vel *cantabimus.* Deſumpta eſt à militibus metaphora: qui victoriam de hoſtibus reportantes, gaudentes cum vexillis eleuatis vrbem ingrediuntur Deo gratias agentes, & hymnos cum magno iubilo cantantes, vbi omnia plauſu perſonant, atque lætitia. O bone Deus, quanta erit iuſtorum lætitia, quam inenarrabilis iubilus, cùm in die iudicij poſt reportatam victoriã, de vitiis, mundo, & diabolo, poſt tot hoſtes ſuperatos & deuictos alacres cælum ingredientur. Per omnes enim plateas ſupernæ illius ciuitatis non aliud, niſi vox exultationis & lætitiæ perſonabit, omnéſque præ gaudio clamãtes, Alleluya cantabũt. Hæc eſt enim vera & incomparabilis lætitia, cuius, vel ſola ſpes animam noſtram conſolari & lætificare ſufficit. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*, aiebat Pſalmiſta, *in domum Domini ibimus: Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Hieruſalem.* Ac ſi diceret: Summa & incomparabili perfundor lætitia, gaudio

In ſolo Deo gaudendum.

Ioan. 16.

Abac. 3.

Hebraic. editio.

Pagnin.

Remig.

Pſal. 19.

D. Hier. ex Hebr.

Felix.

Militum metaphora.

Lætitia iuſtorum in die iudicij.

Pſal. 121

inenarrabili ſpiritus meus diſſoluitur propter gaudioſiſſima illa nuntia, quæ interna ſpiritus vnctione, mihi annuntiata ſunt, ſcilicet, quòd in ſupernam illã Hieruſalem, à qua multis annorum ſæculis, propter præuaricationẽ noſtri parentis exulauit genus noſtrum, ſumus ingreſſuri. Præ nimio deſiderio, quo à te ferimur, ò pulcherrima domus & præcellens ciuitas, etiam nunc, donec hîc in terra, quaſi in exilio & peregrinatione conſiſtimus, leuamus nonnunquam, in cæleſtes manſiones vires ſpiritus noſtri, & licèt corpore in terra poſiti, mente tamen & affectu in cælum iam videmur aſcendere, & liminã eius pedibus attigiſſe. Silentio prætereundum non eſt, quod diuus Auguſtinus narrat ſibi contigiſſe in quadam epiſt. ad Cyrillum Epiſcopum Hieroſolymitanum. Inquit enim quod cùm magno teneretur deſiderio ſciendi quanta ſit gloria & fœlicitas animarum: cogitauit ſuper hoc beato Hieronymo ſcribere, qui tunc caſu mortem obierat. Vix epiſtolæ ſalutationem ſcripſerat, quãdo en præſens adeſt Hieronymi anima ſplendidiſſima luce circumſepta, cui dixit: O Auguſtine ne timeas, ego ſum frater tuus Hieronymus, qui in hac hora apud Bethleem ad cælum migraui. Deſideras magnitudinem gloriæ beatorum intelligere. Peto à te: Nunquid numerare poteris multitudinẽ ſtellarum? Cui reſpondit: Non. Cui iterum. Nunquid poteris totum mare in paruo vaſe concludere? Similiter, non, reſpondit. Tandem illi dixit. Nunquid poteris totum mundum pugillo vno continere? Cui cùm reſpondiſſet, hoc penitus eſſe impoſſibile: ſtatim ſubdidit: Dico tibi Auguſtine hæc magis eſſe poſſibilia, quàm minimam partem futuræ gloriæ, quæ animæ beatæ confertur exprimere. Excedit enim humanæ mentis intellectũ. De hac ergo exultatione & lætitia (cuius ſpem Dauid, & ſi per peccatum non perdiderat, tamen perdendi metum conceperat) loquitur: cùm poſt impetratam de peccatis veniam, ſtatim ſubdit. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Prius namque de peccatorum venia agendum nobis eſt, de animæ noſtræ munditia & dealbatione, quæ virtute ſanguinis Chriſti fit: & deinde, de gaudio & lætitia, quæ ex conſideratione æternæ retributionis nobis promittitur. Pœnitentiam ergo noſtrorum peccatorum agamus, mentes noſtras pretioſo Chriſti ſanguine quaſi agni immaculati lauemus, ſatisfactionem operum efficere non dedignemur, gaudia præſentis vitæ caduca & breuia contemnamus, vt diuina conſolatione digni, gaudere mereamur cum Chriſto. Hîc per gratiam, & in poſterum per gloriam.

Beatorũ gloria.

Oculus nõ vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligẽtibus ſe. Iſai. 64. 1. Cor. 2.

CON

CONCIO QVARTA.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

QVAMPLVRIMA eſſe damna & incommoda, quæ hominem per peccatum contra Deum commiſſum inſequuntur: nullus vel mediocriter in Scriptura ſacra verſatus ignorat. Inter hęc quę longum eſſet, & non facilè recenſere: non infimum locum obtinet priuatio diuini conſpectus. Auertit enim Deus faciem ſuam à peccatore, ne peccatum ejus videat, quod ſummopere deteſtatur & odit: in quo par pari rependitur, & eadem animaduerſione eum percutit, qua ſeipſum per peccatum fecerat dignum. Dignum enim eſt, valdéque rationi conſonum, vt ille qui per culpam deſeruit creatorem ſuum, ab illo deſeratur, & qui Deo ſuo terga vertit, vt ad vilem creaturam conuerteretur, hac animaduerſione puniatur: quòd ab eo Deus deſiderabilem faciem ſuam auertat. Hinc eſt, quod effrænatos peccatores, de quibus in Scriptura ſacra fit mentio, hac conſueuit Deus punire vindicta. Et vt à ſecundo homine in mundo producto primum petamus exemplũ, Caino ſcilicet, quem Deus propter fratricidium iuſta damnauit vltione: exiſtimo quòd inter omnia quæ in illius lata continebantur ſententia, nil tam arduum quàm à diuino ſeparandum fore conſpectu, vt vagus & profugus, quaſi fugitiuus apoſtata, vniuerſas terræ plagas perluſtraret. Vnde, maximo dolore perculſus, illa verba protulit: *Ecce projcis me, Domine, hodie à facie tua: & ero vagus & profugus in terra: omnis qui inuenerit me occidet me.* Quaſi diceret: *Señor, pues que me deſpedis de vueſtra preſentia, yo me doy por muerto, las piedras ſe leuantaran contra mi.* Eſt enim hoc ex infimis Dei ſuppliciis, ſi ab aliquo faciem abſcondat, in quo derelictio quædam diuináque priuatio ſuorum donorum & gratiarum ſignificatur. Deuteron. 31. dicitur: *Et iraſcetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abſcondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem.* Loquitur de populo ſuo, quem propter idolorum cultum, erat derelicturus. Vbi manifeſtè vides, quanta incommoda eueniunt ei, à quo Deus clementiæ ſuæ faciem abſcondit. In abſentia

Deũ ab aliquo faciem ſuã auertere quã malum ſit.

Geneſ. 4.

Deut. 31.

Deſeri à Deo extremum ſuppliciũ eſt.

Simile.

Solis tenebræ per totum orbem diffunduntur,& vbique terrarum vmbra mortis inſpicitur:beſtiæ rugientes de cauernis ſuis egrediuntur,ad deuoranda alia animalia debiliora, prædámque victui ſuo captandam. Quid ergo aliud de populo illo expectari poſſet, à quo faciem ſuam Deus abſcondit, ſicut per
Iſai.8. Prophetam Iſaiam prædictum fuit: *Expectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob*: niſi quod tenebris ignorantiæ circumfunderetur,& à cunctis mundi nationibus conculcaretur:eſſétque eis in prædam & deuorationem? Quare in
Mich.3. Michea dicitur, cap.3. *Tunc clamabunt ad Dominum & non exaudiet illos, & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt, in adinuentionibus ſuis.* Digna eis & iuſta rependitur retributio:vt qui propter adinuentiones ſuas Deum dereliquerunt, ab eo etiam relinquantur:& qui vocem Dei noluerunt audire,ſed aures ſuas obturauerunt: quòd cùm clamauerint auxilium poſcentes,minimè exaudiantur. Sed vt ad noſtrum Dauidem regrediamur,non ſemel in ſuis Pſalmis
Pſal.66. à Deo petiit,ne ab eo oculos ſuos & faciem auerteret. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri, vt cognoſca-*
Pſal.142 *mus in terra viam tuam.* Et in Pſalmo 142. *Ne auertas fa-*
D. Baſil. *ciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.* Vbi
D.Theo. per *lacum*, ſecundum D.Baſilij & Theodoreti explicationem, profundum malorum & tenebrarum intelligit.Et quod magis mirandum eſt:quòd poſtquam hæc protulit verba: *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, verſu vnico interpoſito, ſtatim inquit:*Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Et quidem non abſque ratione, tàm inſtanter Dauid hoc poſtulat à Deo:nam diuina facies,vel eius præſentia fauorem & gratiã,protectionem,& munificẽtiam,& ſi quid
Leui. 26. aliud boni eſt quod æſtimari debeat, ſignificat. Leuit.c.26. ſic inquit: *Reſpiciam vos & creſcere faciam,multiplicabimini, &*
Origen. *firmabo pactum meum vobiſcum.* Quem locum exponens Adamantius, inquit: Plenum beatitudinis eſt hoc ipſum, ſi quem reſpiciat Dominus. Vis videre ſi reſpiciat Deus ad hominem, quanta ſit ſalus? Petrus aliquando penè perierat, & ex conſecratione diuinæ gratiæ, diabolo per os ancillæ Pontificis inſpirante,fuerat ereptus: ſed vbi reſpexit ad eum Ieſus tantùm, vbi ad eum placidi vultus ora conuertit,ſtatim reuerſus in ſemetipſum, & prolapſum de præcipitio reuocans pedem, fleuit
Simile. amariſſimè:atque ita reſpectus à Deo, gratiã & amicitiã flendo recepit,quam negando perdiderat. *Reſpiciam vos & augebo vos*, inquit, tanquam ſi Sol aſpiciens ſegetem & vberrimos fructus

Digitized by Google

fructus referat, quam vtique ſi non aſpexiſſet, infœcunda re-
linqueretur: ita Dominus Deus cor noſtrum inſpiciens ocu-
lis miſericordiæ ſuæ, & radiis nos verbi ſui illuminans, auget
nos & multiplicat. Vide quàm appoſitiſſimo exemplo ſenex
Adamantius probat reſpicere Dei, miſericordia, & donis cœ-
leſtibus plenum eſſe. Quòd ſi ita eſt, vt probauimus, non poſ- *Dubiũ.*
ſum non mirari, quomodo Dauid petat à Deo quòd *vultum*
à peccatis ſuis auertat: cùm impoſſibile videatur auertere fa-
ciem à peccatis, quin ab ipſo etiam illam auertat. Enimverò
peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo ſupra latitudinem cor- *Hie.17.*
dis eorum, in vngue adamantino. Quòd ſi peccatum in cordis
parietibus depictum eſt, ſi firmiter exaratum; ſi auertit Do-
minus faciem à peccatis, & à perſona pariter auertere neceſ-
ſum erit.

Vt propoſitam dubitationem abſoluamus, aduertendum eſt: *Duplex*
in Deo non vnicam ſed duplicem eſſe faciem: alteram miſeri- *facies in*
cordiæ, alteram iuſtitiæ, quarum modò hanc, modò illam, ho- *Deo, ſcili*
minibus oſtendit. Facies miſericordiæ benigna eſt & beneuo- *cet iuſti-*
la, plena donorum & gratiarum, de qua loquebatur Dauid, di- *tia & mi*
cens: *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus.* Et alibi: *Deus mi-* *ſericor-*
ſereatur noſtri & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſu- *dia.*
per nos, & miſereatur noſtri. Et Moyſes populi Iſraëlitici dux: *Pſal. 79.*
Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem *Pſal. 66.*
tuam. Altera verò quæ iuſtitiam refert, terribilis eſt, pecca- *Exod.33.*
toribúſque valdè pertimeſcenda, de qua loquens Pſalmiſta,
ait: *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de*
terra memoriam eorum. Adumbratæ ſunt huiuſmodi Domini
facies in Ezechiele, cap.41. vbi Propheta templum depingens, *Eze. 41.*
inquit; *Quòd in pariete depictus erat Cherub inter duas pal-* *Figura.*
mas, qui duplicem habebat faciem: ex vna parte faciem homi-
nis, & ex altera faciem leonis. Cherub hic Chriſtum Redem-
ptorem noſtrum adumbrabat, qui *magni conſilij Angelus* ab
Iſa. dicitur, cuius duæ ſunt palmæ. Primam, conſequutus eſt *Iſa. 1.*
in primo aduentu, quando potentiſſimè de inimico noſtro *Duplex*
triumphauit eum ſuperando & vincendo. Secundam, in fina- *Chriſti*
li iudicio cõſequetur, de peccatoribus & inimicis ſuis ſumen- *trium-*
do vindictam. In primo aduentu faciem hominis oſtẽdit, quia *phus.*
fuit ille aduentus totaliter miſericordiæ & clementiæ conſe- *Cant. 2.*
cratus. Quare dicebat ſponſa: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet*
vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua de-
cora nimis. At in ſecundo aduentu, iam nõ faciem hominis ſed
leonis oſtendet, id eſt, faciem iuſtitiæ, quia contra peccatores
quaſi

quaſi leo rugiet & clamabit: Quædam huius faciei vmbra B. Ioanni Euangeliſtæ & Prophetæ oſtenſa fuit, vt ipſe cap. 1. *Apoc. 1.* ſuæ Apoc. refert. Vidit enim Dominũ oculos velut flammam ignis habentem, facies eius velut ſol fulgebat, de eius ore gladius ex vtraque parte acutus procedebat: cuius aſpectus tam terribilis fuit, quòd charus ille diſcipulus, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuerat, qui dilectus inter omnes ſpeciali prærogatiua dilectionis meruit appellari, cui tot reuelata fuerunt myſteria, viſa hac domini facie, ad pedes eius velut mortuus ſtatim cecidit. Sed quid mirum, cùm aſpectus ille totus ad iuſtitiam pertinuerit? Quia per gladium, nihil aliud niſi ſeueriſſima illa iudicij ſententia, ex ore iudicis proceſſura ſignificatur: qui gladius ex vtraque parte acutus dicitur: quia *Richard. de ſancto Victore.* illa ſententia ſimul animam & corpus iugulabit, vt Richardo de ſancto Victore ſuper hunc locum placet. O facies Domini terribilis, ô intuitus valdè tremendus: & quis eſt tam ferreus, qui hæc audiens non perhorreſcat? *Qui reſpicit terram*, inquit *Pſal. 103.* Dauid, *& facit eam tremere: tangit montes & fumigant*. Vnico enim Dei intuitu tota terra tremit in ſuo centro, & non timet homuncio cinis & vermis: & in ſui cordis centro contritionem & dolorem non ſentit? Vide homo quàm terribilis in extremæ diei iudicio facies hæc Domini apparebit, ſiquidem à conſpectu eius omnes inimici illius quaſi fumus deficient, & quaſi cera liquefient. Tunc enim adimplebitur illud *Pſal. 67.* Pſalmi 67. *Sicut defecit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Si ergo fratres, nolumus faciem hanc leonis aſpicere, aſpiciamus modò, cùm tempus ſuppetit, faciem hominis: amplectamur miſericordiam ſi nolumus incidere in manus iuſtitiæ, quia in manu voluntatis noſtræ eſt vtrumlibet eligere. Referunt hiſtoriographi anti- *Pompon.* qui præcipuè Pomponius, quòd in bellis illis Punicis, quæ cum Carthaginenſibus habuerunt Romani, miſerunt ad eos conſulem legatum cum duobus inſigniis, lancea, videlicet, & caduceo: vt Carthaginenſes quod vellent eligerent. Erat enim lancea belli & inimicitiæ inſigne, caduceus verò pacis. Noluerunt eligere caduceum, ſed acceperunt lanceam, & ſic totaliter ab eis deleti ſunt. Sic nimirum ſe habet Deus, offert in præſenti peccatori, vt eligat quod maluerit, vel pacem, vel bellum, vel miſericordiam, vel iuſtitiam. Qui tamen ſi oblatam ſibi miſericordiam noluerit, velit nolit, recipiet poſtea iuſtitiam, & de ſuis ſceleribus d[illegible] pœnas luet: & qui fugit faciem clementiæ inueniet faciem vindictæ. Iam hinc ſolutionem

Deus in præſenti offert miſericordiam.

nem dubij ſuperiùs propoſiti facilè intelligetis. Quando enim Dauid inſtanter à Deo petebat, ne faciem ab eo auerteret, de prima facie, miſericordiæ, ſcilicet, intelligebat: cùm verò modò petit, vt à peccatis ſuis faciem auertat, de facie hac terribili ſuæ iuſtitiæ intelligit: id eſt, ne pro debito peccata ſua puniat, ne de illo debitam ſumat vindictam: *Auerte faciem à peccatis meis*, inquit. Vbi Ambroſius Apolo. Dauid, 1. cap. 13. Prudenter rogat, vt faciem aueſtat, non ab ipſo, ne deficiat deſtitutus, ſed à peccatis, vt vires non poſſint habere peccata ipſius. Quod magis alia verſio confirmat, ſic habens: *Auerte furorem tuum à peccatis meis.*

Solutio dubij.

D. Amb.

Denotant etiam verba hæc verecundiam, & confuſionem quandam ſuorum ſcelerum. Quare inquit Euſebius: Qui conſcientiæ malæ maculis mundatus fuerit, & fiducia plenus eſt, poteſt Deo dicere: vultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me: qui verò recentibus peccati vulneribus grauiter affectus turpitudinem, abſurditatem, ac fœditatem operum ante oculos ſuos intuetur, pudore opertus, non immerito Deo tanquam magno iudici dixerit: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Quaſi diceret: Auerte Domine faciem tuam à me, ne videas tot crimina à me perpetrata: nudus enim ſum & deſtitutus omni virtute, & anima mea plena eſt peccatis, quæ oculos tuæ maieſtatis offendent. Quare noli me, neque peccata mea reſpicere, priuſquam illa laueris & ſanguinis tui pretio deleueris. Hinc manifeſtiſſimè conſtat, quomodo peccatum confuſionem & verecundiam inducat. Eſt enim peccatum deformitas quædam animæ quæ maximam annexam habet erubeſcentiam. Primam verecundiam quam expertus eſt homo, fuit propter peccatum, quouſque enim diuinam legem eſt tranſgreſſus, non erubuit, neque ruborem paſſus eſt: ſed cùm peccauit, ſtatim cœpit erubeſcere, & abſcondere ſe à diuino conſpectu. Vocem tuam, Domine, audiui & abſcondi me, eò quòd nudus eſſem. Abſcondit ſe, non vbicunque, ſed in medio arboris vitæ, ſicut habet Paraphraſis Chaldaica, quia arbor iſta, illam ſignificabat, in qua Chriſtus nudus apparuit & pependit: talis namque ſuperbia, tali humilitate indigebat, vt curari poſſet. Humilitas verecundiæ vnius, ſuperbiam alterius, curauit. Abſcondit ſe Adam in concauo arboris, non vt ſcelera ſua non videret Dominus, (vt cum interlineari loquamur,) ſed vt indignus eius conſpectu. Similem verecundiam & confuſionem tribus Efrain contraxerat, eo quòd reliquerat Dominum & poſt Deos alienos abierat, cùm apud Iere. cap. 31. dicebat,

Peccatũ confuſionem inducit.

Gen. 4.

Gloſſ. interlin.

Iere. 31.

dicebat: *Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentia mea*, Quinimo eandem confuſionem vniuerſus
Idē c.3. populus confeſſus eſt, cap. 3. dicens, *Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominiam noſtram quoniam Domino Deo noſtro peccauimus.* Hoc quidem, modò ad oculum ad impletum cernimus. Dormit enim populus hic in ignominia & dedecore conſepultus, propter maximum illud peccatum, quod occidendo Chriſtum commiſerunt, & poſitus eſt vbique terrarum, & vbique gentium, in ſibilum & parabolam in cunctis mundi nationibus: ita vt ſint omnibus ludibrio & ignominiæ in ſceleris ſui vindictā: tale enim peccatum talem confuſionem vt pariat, neceſſe eſt. Nulla poteſt eſſe culpa, quam verecundia & coufuſio, quaſi eius vmbra, non ſequatur vel hîc iu præſenti, vel poſtea in futuro. Hinc eſt, quod Maria
Luc. 7. Magdalena, quando domum Phariſæi eſt ingreſſa, non eſt auſa præ verecundia ante conſpectum Domini apparere, ſed
Luc. 18. acceſſit retro, ad poſtulandam criminum ſuorum veniam. Publicanus etiam præ confuſione à longè ſtabat, nec audebat oculos ſuos attollere: quin & Diuus Petrus conſiderans ſe eſſe
Luc. 5. peccatorem, indignum Dei præſentia ſeipſum iudicabat: *Exi à me Domine, quia Homo peccator ſum.* Sed proh dolor! quid de nobis dicam, qui tantum Deum noſtrum quotidie offendimus, nec confundimur? tranſgredimur, ſed minimè verecundamur? Quin potius videmur gloriari in malitia: cum ſi-
Ierem. 3. mus potentes in iniquitate. De quibus illud Ierem. dici poteſt 3. cap. *Frons meretricis facta eſt tibi, & noluiſti erubeſcere.* O magna exaggeratio. Non dicit, Frons mulieris vxoratæ facta eſt tibi: quia hæc, licèt aliquando adulterium committat, tamen ſi in illo compræhenditur: valde erubeſcit & confunditur: at in muliere meretrice nullus pudor eſt, nullus honor, nulla erubeſcentia: quinpotius de ſceleribus ſuis gloriatur, & illa aliis narrare non confunditur. Sunt aliquæ animæ quæ Deum offendunt, fidelitatem quam in baptiſmo illi promiſerunt, propter voluptates denegando, & fluxæ carnis veſtigia inſequendo: verùm de ſceleribus ſuis confunduntur & verecundantur, ſtatim ac culpam commiſerunt pœnitent & reſipiſcunt, & ad Deum ſuum reuertuntur confuſæ: verùm hoc ſanguineis lachrymis deplorandum eſt, eſſe aliquos, qui ad tam infœlicem miſerrimúmque ſtatum peruenerunt, quòd non ſolum non confunduntur in peccatis ſuis, verùm de illis
Nota. gloriantur, publicè & coram omnibus, illa committentes.
Eze. 8. Vltima abominatio earum quas Propheta Ezechiel vidit in templo

Digitized by Google

templo, cap. 8. fuit hæc. Vidit enim *viginti quinque viros dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem conuerſas, & adorabant ad ortum ſolis habentes ramum applicatum ad nares ſuas.* Septuaginta inquiunt: Extendunt ramum ſicut ſubſanantes; Simmachus, quaſi emittentes ſonitum in ſimilitudinem cantici per nares ſuas. Quæ omnia ſimul ad irriſionem ſpectant, ſicut diuus Hieronymus inſinuare videtur. Itaque, non contenti ſunt idololatrare, terga Deo vertere, & Solis idolum adorare: ſed in ſignum contemptus & irriſionis ramum ad nares applicabant, & ſubſanantes naribus muſſitabant, Deum verum contemnentes, & parui pendentes ſcelus quod committebant. Hæc eſt ſuprema abominatio coram oculis diuinæ maieſtatis: quando peccator, non ſolùm vertit ei ſcapulas, illum relinquendo pro vili creatura, idoliſq; thura offerẽdo, quod fit in quocunque mortali peccato: quando contempto Deo voluptatibus incumbitur, ſed etiam ramus naribus applicatur, quod ſignum eſt contemptus ipſius Dei, & quòd paruipenditur eius ſupplicium & comminatio: nec reueretur oculos maieſtatis eius, quin potius omni inuerecundia & contemptu publicè peccata ſua perpetrat. Extat contra talem non ſpernanda comminatio apud Iſa. cap. 1. *Confundentur ab idolis quibus ſacrificauerunt: & erubeſcetis ſuper hortis quos elegeratis: cùm fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus abſque aqua.* Hæc verba dicebat olim Iſaias populo illi rebelli, & ad idololatriam procliui: & eadem ego vobis hodie dico Chriſtiani, qui de veſtris ſceleribus gloriamini, nec de male actis erubeſcitis. Tempus enim veniet, quando confundemini ab idolis veſtris, id eſt, à voluptatibus & carnis deſideriis, pro quibus Deum verum derelinquitis. Confundemini, inquam, in hora mortis, vel iudicij, à veſtra ſuperbia, auaritia, luxuria, & aliis, quæ omnia ſicut vmbra prætereunt. Tunc enim erubeſcent peccatores ſuper hortis quos elegerint, & ſuper voluptates quas amplexati fuerint. Sacrificabant Iudæi veſtigia Gentilium ſequentes, Priapo, & aliis diis inhoneſtis in hortis & lucis, inhoneſta & turpia committendo. Verbum enim hoc ſecundum Hieronymum, inhoneſtatem ſonat & turpitudinem. Erubeſcent igitur tunc homines inhoneſti & luxuriæ dediti, qui modò abſque vllo pudore & reuerẽtia Deũ offendunt: tunc enim verecundiã amiſſam, licèt inutiliter recuperabunt: quando fuerint velut quercus. Alia litera velut Therebintus, quæ arbor eſt infructifera defluentibus foliis, quæ virorẽ ſuum amittit. Tunc enim cùm ſalutis

Septuaginta.

Dei contemptus.

Iſa. 1.

D. Hier.

Digitized by Google

ſalutis virorem amiſerint, cùm infirmitas aderit, inſtiterítque inimica mors, folia ab arbore euellendo. Tunc, inquam, quando in arbore infructifera, nullus fructus appareat bonorum operum, & quando fuerint ſicut hortus ſine aqua, vbi nullus producitur ſaluberrimus fructus, ſed ſpinæ & ſentes peccatorum animam pungentes & lacerantes, tunc, inquam, erubeſcent & confundentur. Quibus dici poterit Paulinum illud ad

Rom. 6.

Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis tunc, in his, de quibus nunc erubeſcitis?* Ibi erit cõfuſio vera, ibi pudor & gemitus. Quamobrem fratres nihil ſecuriùs, ne ad hanc confuſionem deueniamus, quàm hic de perpetratis ſceleribus, verecundari & confundi: & cum noſtro citharœdo dicere: *Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.*

Remiſſio peccati natura præcedit gratiam iuſtificantem.

Lyranus.

Gratia non educitur de potentia animæ.

Scotus in 3. ſent. diſtin. 11. q. 1. & in 4. di. 1. q. 4.

Quando peccatũ annihilat.

Pſal. 72.

Eze. 28.

Cor mundum crea in me Deus, &c. Hic, vt inquit Incognitus, petit gratiam iuſtificãtem, poſt peccatorum remiſsionem: quia licèt hæc duo ſint ſimul, & in eodem temporis inſtanti, tamen ordine naturæ remiſsio culpæ præcedit infuſionẽ gratiæ. Quapropter poſtquam petiit remiſsionem culpæ, dicens: *Aſperges me domine hyſſopo & mundabor, lauabis me*, &c. Et in verſu præcedenti: *Omnes iniquitates meas dele*: modò *cor nouum, & mundum ſibi dari poſtulat.* Per quem modum loquendi, iuſtificationem gratiæ intellige. Et aduerte cum Lyrano, quòd petit creari cor, mediante gratia iuſtificante: quia gratia non educitur de potentia animæ, ſicut aliæ formæ naturales educuntur de potentia ſui ſubiecti, ſed immediatè à Deo creatur: non enim eſt aliquod agẽs naturale, quod poſſit eam producere. Sed, vt ad mores, vt moris eſt, deueniamus, non petit Dauid quòd mundetur cor eius aut abluatur, ſed quòd de nouo creetur: quaſi cor eius per peccatum omnino corruptum, & annihilatum ſit. Annihilatur enim cor, & ſi non ſecundum eſſe naturale, tamen ſecundum eſſe morale & gratuitum: quare inquit Pſalmiſta: *Ad nihilum redactus ſum, & neſciui.* Priuat enim peccatum Deo, qui omne bonum animæ noſtræ eſt: quapropter priuata Deo, omni bono caret, ac per conſequens nihil eſſe dicitur, quia Deus omnia in ſe continet. Sed extat de hoc ſpecialis locus apud Ezechielem cap. 28. vbi cùm ad Regem Tyri iuſſu Dei verba ſua dirigeret, ſic inquit: *In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ, polluiſti ſanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terram, in conſpectu omnium videntium te. Omnes qui viderint te in gentibus, obſtupeſcẽt ſuper te, nihil factus es, & nõ eris in perpetuum.*

Locus

Locus hic licèt ad literã de Rege Tyri intelligatur: tamen ſacri expoſitores non infimæ notæ, primo Angelo illum accommodant: propterea quòd ibi Cherub appellatur. Vbi ad oculum intueri poſſumus peccati malitiam, & quantum damnum inferat, vbicumque habet ingreſſum. Polluit enim primi Angeli ſanctificationem, quia deſtruxit gratiã in qua vel fuit creatus, vel quam poſt creationem accepit, produxit etiam ignem; per quem culpam ipſam intelligo per conſenſum contractam; quæ ignis fuit, ipſum Angelum in cinerem & fauillam conuertens: & non ſolũ in cinerem, ſed in nihilum. Si ergo peccatum naturam Angelicam, noſtrã mortalem in multis facilè excedentem, ſic fœdauit, vt ab ea omnem deleret pulchritudinem, omnem auferret gratiam, & decorem violaret: quid in nobis non operabitur: qui reſpectu illius quaſi parui vermiculi æſtimãdi ſumus? Equidem pulchritudinem animæ noſtræ deturpat, virtutes delet, & eſſe gratuitum annihilat. Vnde eſt, quòd cùm noſtrum cor ſedes gratiæ ſit, ab illa eſſe ſuum gratuitũ recipiens: peccator excors in ſcriptura ſacra dicatur: quaſi peccata ab eo omnino cor abſtulerint. Quapropter neceſſarium eſt, vt in illo Deus non ſolũ cor reparet & reſarciat, ſed quòd de nouo creet illud. At, quod peccator dicatur excors, non difficilè erit probare. Dicitur in Hier. cap. 5. *Audi me popule, qui non habes cor.* Et in Iſai. vbi dicitur: *Audite me duro corde.* Septuaginta vertunt. *Audite me qui perdidiſtis cor.* Et cap. 46. loquens contra Babylonios idololatras, cùm illis prædiceret ſuorum idolorum ſuccenſum, quæ à Perſis confringenda erant, & in Perſiam eorum reliquiæ aſportãdæ ſuper camelos & aſinos: quorum auxilium etiã ſi imploraſſent: non eſſet ſufficiens ad liberandũ eos ex illa captiuitate: ſtatim ex his quaſi cõſequenter infert, dicens: *Memento iſtud & fundamini.* Alij vertunt. *Praſtate vos viros.* Nomine enim viri indignus cenſeri debet, qui ratione non fundatur. Alij vertunt: *Eſtote rubei ſicut ignis,* id eſt, verecundamini & confundimini; facies veſtra colore rubeſcat. Quaſi dicat: Quis non erubeſcet & confundetur Deum adorare, & in Deum recipere, Deum, qui illũ non poſſit protegere, & à præſentaneis calamitatibus liberare? Quare ſtatim ſubiungit: Redite præuaricatores ad cor. Quaſi qui iudicet idololatras & peccatores à corde ſuo lõgè abeſſe, illudq; perdidiſſe. Sed heu me miſerum: quia verba hæc, licèt contra paganos illos & idololatras Babylonis fuerint prolata, tamen nõ incongruè nobis adaptari poſſunt: qui voluptates & huius mũdi delicias adoramus, pro quibus verũ Deum creatorem noſtrum paſſim relinquimus

Peccatũ annihilauit Angelũ ſecundum eſſe gratuitũ.

Peccator dicitur excors.
Hier. 5.
Iſaia 46.
idem 46.
Nota.

quimus. Quomodo ergo nō cōfundimur, perfundimúrque rubore, cùm ſummū & incommutabile bonum, propter breuem voluptatem commutemus: quæ nobis in die vltionis non proderit, neque ab inferni periculis liberare poterit? Igitur cōfundimini peccatores, redite, redite præuaricatores ad cor quod amiſiſtis, quia verè excordes eſtis, verè perdidiſtis cor, in quo vera reſidet ſapientia, ſi quidem ab eo per culpā auerſi, non ſtatim per pœnitentiā conuertimini: cor per peccatū amiſſum cū diligentia inquirite, & cum Dauide Deum ſuppliciter exorate.

Peccatū cordis venenum. *Cor mundum crea in me Deus.* Id eſt, cor aliud quod non ſit culpa infectū: quia cor iſtud quod habeo veneno peccati contaminatum eſt. Diſce hinc, peccati venenum quantum cor hominis inficiat quòd ſit neceſſe aliud de nouo creare. Magnum enim eſſet venenum, quod ſemel in vas aliquod ſiue fictile, ſiue vitreum infuſum, etiā ſi millies lauaretur, perfricareturque

Simile. ſale, ſemper odorem, vel ſaporem veneni ſeruaret. O peccati venenum peſtiferum, ô deteſtandū virus & omni cura fugiendum. Ferè ſemper enim anima quę illud ſemel recepit, odorem

Ex peccato promitas ad malum critur. eius ſeruat: etiam ſi per Chriſti gratiam lauetur. Manent enim frequenter aliquæ illius reliquiæ, vel habitus prauus, vel inclinatio & propenſio ad culpam, vel eiuſdem culpæ cōmiſſæ delectatio & cōplacentia. Ex peccato namque primorū parentum natura noſtra infecta remanſit ad malum procliuis: ita quod

Geneſ. 8. proni ſint ſenſus hominis ad malum ab adoleſcētia ſua: & hinc fomes peccati, qui inſtigatio quædā eſt ad peccatum, ipſius naturæ habuit ortum: Huius rebellionem ſentiebat Paulus cùm

Rom. 7. dicebat: *Sentio aliam legem in membris meis contradicentem legi ſpiritus mei.* Motiuum Dei tempore diluuij ad inundandam

Geneſ. 6. vniuerſam terram, vt in Geneſi habetur, fuit infectio quàm ex corruptione carnali cōtraxerat. Omnis namque caro corruperat viā ſuam, vbi ex magnitudine remedij magnitudinem infectionis licet colligere. Sed attendite aliam infectionem maiorem, peccati, ſcilicet, quæ nō per aquæ diluuium, ſed ſanguinis

Apoc. 1. Chriſti, deleta eſt. *Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Quod ſi hoc vniuerſaliter de omni peccato verum eſt, quantò magis de carnalibus? Hæc enim non ſolum

Pſal. 105. animam, verum & ipſum cor coinquinant. Dauid Pſal. 105. *Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.* Hic, ſecundùm

D. Aug. Auguſt. metonimia cōmittitur, vbi terra pro hominibus eam inhabitantibus accipitur. Qui quidem infecti fuerunt propter ſanguinem filiorum & filiarum quem effuderunt ſacrificantes

illum

Digitized by Google

illum Idolis Canaam:& propter fornicationem quam commiſerunt. Hæc enim duo inter omnia peccata magis inficiunt. Quare videns Dauid, quod vtrumque perpetrauerat, quia ſanguinem Vriæ fuderat,& adulterium cum Bethſabee commiſeſerat: & ex hoc intelligens infectionem ſui cordis, quam ex culpis commiſerat: ſuppliciter poſtulat à Deo, vt aliud cor nouum ſibi conferatur, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.*

Petit etiã cor mundum, vt poſtulet quòd inferiùs ſubſequitur in alio verſu, de quo inferiùs viſuri ſumus, *Ne proiicias me à facie tua*, id eſt, cor dignum diuino conſpectu: quia ſolum munditiæ cordis diuinus intuitus cõceditur. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt*. Et in Pſal.23. interrogat Dauid. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quia ſtabit in loco ſancto eius:* cui interrogationi reſpondet: *innocens manibus & mundo corde*. Sicut enim in aliquibus Eccleſiis ſtatutum eſt, quod nullus maculatus vulgari macula infamiæ poſſit admitti: ſic in ſuprema illa beatorũ Eccleſia, non intrabit aliquis coinquinatus, aut abominationem faciens, quod ſtatutum eſt inuiolabile. Poſſumus inferre quanta cordis munditia requiratur ad videndum Deum, ex illo quod cap.6. ſui vaticinij Prophetæ Iſaiæ contigit. *Vidit*, vt ipſe inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: à cuius maieſtate tota domus erat repleta, quem Seraphin à capite vſque ad pedes alis ſuis tegebant, illiuſq; magnificabant ſanctitatem.* Vbi notandum cùm D.Hieron. quod non vidit nudam eſſentiam & diuinitatem; hoc enim ſoli Moyſi & D.Paulo concedunt aliqui ex doctoribus: præſertim D.Aug.lib.de Vidẽdo Deum. Et S.Thom. in 1.p. Vnde idem D.Hieron. ſcribens Damaſo, tom.3. exponẽs illud: *Et Regem Dominum Sabaoth ego vidi.* ait: eſſe Hebræorũ ſententiam, Iſaiã à maioribus ideo eſſe interemptum, quia cùm Moyſes poſteriora Dei viderit: hic illum oculis carnalibus vidiſſe ſcribat. Itaque diuinitatem non vidit in hac viſione, ſed Deum in forma humana apparentem, qui cum in conſpectu tanti Dei appareret, cœpit clamare, *væ mihi quia vir pollutus labiis ego ſum*, & ſtatim vnus de Seraphin volauit & calculo ignito quẽ de altari tulit, tetigit os eius & purificauit illum, dicens: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Si ergo ad videndum Deum in forma ſolùm humana, & hac, non vera & ſtabili ſed apparenti, tanta mundities requiritur: quanto maior ad videndum Deum ſicuti eſt & in propria diuinitatis forma? Hoc quidem diuinũ illum Platonem, quẽ antiqui muſam Atticã appellãrunt,

Matth.5.
Pſal.23.
Simile.
Cordis mũditia.
Iſaia 6.
D. Hier.
D. Aug.
S. Thom.
Videmus hîc Deũ per fidẽ, & perfectiores perfectius: ſed per modũ trãſeuntis nõ permanẽtis.
Plato.

lârunt, non latuit, quod ex libris ſacris mutuatum fuiſſe non dubito. Inquit enim lib. 5. de Republica. *Quemadmodum oculus quamuis ſolis ſit filius* (facit enim viſum igneæ naturæ) *tamen niſi ſolis luce perfuſus, ſolem ipſum non videt, neque rem vllam perſpicit, etiam ſibi propinquam: ita nulla mens, etiam ſi Dei ſit filia* (vocat enim animas, vel diuinas illas mentes Dei filias & ſoboles, eo quòd ſine aliqua materia creatæ ſint) *Deũ videre poterit, niſi Dei lumine illuſtretur.* Illuſtratur autẽ humana mens in cœlo lumine gloriæ, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Et in lumine tuo videbimus lumen*: & in terra diuina gratia illam purificante. Quinimò non ſolum ad videndum eum in patria, ſed etiam ad poſſidendum eum in via ſumma cordis puritas, & munditia requiritur. De domo illa materiali, in qua Dominus inhabitabat olim, canit Pſalmiſta Pſal. 62. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudine dierum.* Quare ergo non idem de templo cordis noſtri dicetur: Cor enim noſtrum, ſanctitudo, puritas, & innocentia decet: quia habitaculum eſt ipſius Dei. *Templum Dei ſanctum eſt*, inquit D. Paulus, *quod eſtis vos.* Iudas Machabæus templũ illud Hieroſolymitanum, quod Antiochus Epiphanes prophanauerat, idololatriiſque ſuis contaminauerat purificauit: & altare in quo Idola ſua collocauerat omnino deſtruxit: ſic nos animam noſtram, quæ verè templum Dei eſt, quam profanauit inimicus immunditiis ſuis, per contritionem & lachrymas purificare debemus: vt dignum Dei habitaculum efficiatur, dicente diuo Gregorio. *Si illum qui ab omni peccato mundus eſt, in cordis hoſpitio habere volumus, oportet primò, vt illud ab omni vitiorum ſorde purgemus.* Emendemus ergo interiora cordis noſtri, & diligenter peccatorum noſtrorum ſecreta ſcrutemur, ne ex affectu noſtro peccati delectatio pullulet, ne turpe deſiderium cor in occulto titillet, ne paſſionum ex eo contentiones prodeant, ne peruerſarum cogitationum diſpenſationes aliquãdo erumpant: templum enim Dei non poteſt eſſe pollutum. Hæc quantum ad templum animæ, altare verò templi, cor ſcilicet, in quo tot idola voluptatum admiſimus, omnino cum Machabæo deſtruamus: & aliud de nouo ædificare conemur cum Dauide, qui aiebat: *Cor mundum crea in me Deus, &c.*

[Margin: *Pſal. 35.* — *Pſal. 62.* — *2. Cor. 6.* — *1. Mac. 4.* — *D. Greg.*]

Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Spiritum renouari poſtulat: quaſi per culpam commiſſam ſpiritus inueteraſceret. Nihil enim eſt, quo magis inueteraſcat ſpiritus ſiue feruor, aut deuotio animæ, quàm culpa. Vnde Theodor. in perſona Dauid, ſic inquit: *Peccati ſenium admiſi, tua benignitate me*

[Margin: *Theodor.*]

Digitized by Google

me renoua. Per Ezech.cap.36.filiis Iſraël à captiuitate Babylonica reuertentibus promittit Deus; *Dabo vobis cor nouum & ſpiritũ nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Dabo vobis cor nouum ad intelligendam miſerabilem captiuitatẽ in qua vitam veſtram tranſigitis: & ſpiritũ nouum, id eſt, voluntatem exeundi ab ipſa captiuitate. Erãt enim iam filij Iſraël captiuitati aſſuefacti & ſeruituti, & in Babylone accolæ, quare neque libertatem prætendebant, neque de reditu in patriam cogitabant. Sic peccator peccati ſeruituti addictus, nihil minus quàm animæ ſuæ libertatem curat. Catenæ ſibi dulces videntur, & captiuitas ipſa eſt illi valdè iucunda. Vnde indiget alio corde ſibi à Deo liberaliter conceſſo, ad intelligendũ vitæ ſuæ diſcrimen, & ſpiritus renouatione, ad libertatẽ animæ procurandã: quia ſpiritus per peccati ſeruitutẽ inueteraſcit & quaſi ſeneſcit. Quapropter hortatur D.Paul.ad Epheſ. ſcribens, ca.4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecũdùm Deũ creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Quaſi diceret. Vos qui per opera veteris Adæ, & imitationem transgreſſionis eius ſenium ſpiritus cõtraxiſtis, renouamini & reparamini per delictorũ veram pœnitentiam: *expoliantes vos veterem hominem, cum omnibus actibus ſuis:* & induentes nouum Chriſtũ, ſcilicet Redemptorem noſtrum, quẽ per ſanctificationẽ gratiæque infuſionem, induimus, in omni iuſtitia & ſanctitate veritatis: quia ſimul cũ eo virtutum ornamenta recipimus, quibus anima noſtra ornata: reparatur, & inſtituitur.

Spiritus per peccatũ ſeneſcit.

Epheſ.4.

Colloſſ.3.

Sed vltimo loco, quare ſpiritum rectum poſtulet, ab ore D.Aug. audiamus: qui ſic verſum hũc interpretatur. *Perfectum in me ſpiritum fac eſſe.* Inueterata erat atque curuata rectitudo ſpiritus mei. Dicit enim ex alio Pſalmo: *Curuauerunt animam meam:* & quando ſe homo facit pronum ad terrenas concupiſcentias, incuruatur cor quodãmodo: cùm autem erigitur in ſuperna, rectum fit cor eius. Itaque, cùm ſpiritus & mens noſtra naturaliter ſurſum feratur, vt recto tramite ad Deum aſcendat aggrauatur à culpa, & ſic incuruatur, & ad ima deprimitur. Nec mirum, quia peccatum nihil aliud eſt niſi obliquitas quædam. Sic enim ab Scoto definitur: *Peccatum eſt priuatio rectitudinis debitæ in eſſe.* Salomon, cùm de peccato verba ageret, inquit: *Quaſi à facie colubri, fuge peccatum:* quod non incongruè dictum exiſtimo, aut caſu, ſed ſummo conſilio: quia coluber, nunquam erectus incedit, aut recta via, ſed per

D. Aug.

Scotus in 2.diſt.37. q. vnica,

Eccl. 21.

Digitized by Google

obliqua procedit itinera. Comparat ergo colubro peccatum, quia obliquitas quædam eſt,& carentia rectitudinis quæ actui debetur. Vnde de peccatoribus dicitur,quòd *in circuitu ambulant*. E conuerſo verò animalia illa Ezechielis, quæ ab ſpiritu agebantur, rècta via incedebant, vehementia ſpiritus ducta: nec reuertebantur cùm ambularent. Nam qui ſpiritu Dei, tanquam filij eius aguntur: non per obliquas & præcipites peccatorum ſemitas, ſed per viam rectam mandatorum Dei incedunt: igne diuini amoris & charitatis accenſi: quouſque ad ſummum cæli faſtigium perueniant: vbi poſt acceptam gratiam, recipient præmium gloriæ.

Pſal.11. *Ezech.1.*

CONCIO QVINTA.

Ne proycias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

SICVT ſuprema hominis beatitudo & fœlicitas in videndo Deum conſiſtit, iuxta illud propheticum: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; ſic ſumma eius miſeria & calamitas in hoc, quòd à præſentia eius arceatur, & diuino illius priuetur conſpectu. Hoc eſt, quod damnatos miſeros facit, multò magis quàm ignis ille ſempiternus, à quo abſque vlla tormentorum viciſſitudine, perpetuò cruciantur. Quia damnatorum pœna duplex eſt, vt Magiſtro ſententia & omnibus Theologis placet, altera damni, altera ſenſus. Pœna ſenſus eſt duplex, quædam interior, quædam verò exterior: interior eſt vermis conſcientiæ, qui comburit mentem, & ſuprà modum eam torquet: exterior verò ignis gehennæ, quem patiuntur: de quo diuus Gregorius ait 15. moralium, cap. 14. exponens verba illa Pſal. 20. *Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos & deuorabit eos ignis.* Sciendum, inquit, eſt: quòd omnes reprobi, quia in anima ſimul & corpore peccauerunt, ideo in futuro, in anima pariter & corpore cruciantur. Vnde, & per Pſalmiſtam dicitur: *Pones eos vt clibanum ignis, &c.* Clibanus namque intrinſecus ardet: is verò qui ab igne deuoratur, ab exteriori incipit parte concremari: vt ergo ſacra eloquia ardere interius & exterius reprobos

Summa miſeria in quo conſiſtit. *Damnatorũ pœna duplex.* *Magiſter in 4. diſt. 50. & ibidem Scot.* *D. Greg. ſuper Pſal. 20.* *Pœna ſenſus & pœna damni & quæ ſit maior.*

p robos

Digitized by Google

probos denuncient, eos & ab igne deuorari: & ſicut clibanum poni teſtatur, vt per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente. Pœna damni, eſt carentia viſionis beatificæ: & hæc tantò maior eſt, quantò priuat maiori bono, Deo ſcilicet, qui bonum eſt animæ noſtræ, in quo vno, omnia bona, & ſine quo nihil boni, quod bonum illi ſit, habere poteſt. Sed quòd hæc pœna maior ſit, magíſque timenda, audi ex ore Chryſoſtomus ſuper Matthæum circa illa verba: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excindetur, & in ignem mittetur.* Si quis diligenter inueſtigabit, duæ pœnæ ſunt exſcindi & comburi. Qui enim comburitur, & à regno exſcinditur omnino: quæ pœna difficilior eſt. Multi enim gehennam ſolùm abhorrent, ego autem caſum illius gloriæ, multò maiorem pœnam dico gehenna. Quod enim paruum, vel magnum malum non ſuſciperet pater, vt videret & potiretur dilecto filio. hoc itaque in gloria illa putemus. Non enim aliquis filius ita ſuauis eſt patri vt illorum bonorum requies, & à corpore diſſolui & eſſe cum Chriſto. Intolerabilis quidem pœna eſt gehenna, ſed ſi quis decem mille gehennas ponat: nihil tale dicet, quale eſt ab illa beata gloria exſcindi. *Chryſoſt. Matth. 3.*

Hinc fit, quòd cùm peccator, dum in peccato mortali eſt, ſecundum præſentem iuſtitiam, reprobus & condemnatus non immeritò appellari poſſit: alia duplici pœna à diuina ordinata iuſtitia puniri ſolet. Punitur aliquando pœna temporali, tribulationibus, ſcilicet, & laboribus, vt iam hîc in præſenti, inferni dolores experiri incipiat, quibus æternaliter eſt cruciandus, vt patet de Antiocho & aliis: quæ pœna ſenſus appellari poteſt: & punitur inſuper carentia præſentiæ diuinæ, qua iuſti per gratiam perfruuntur, quæ pœnæ damni correſpondet. Peccatorem namque Deus deſerit propter peccatum commiſſum: non quòd Deus, qui vbique præſens eſt, elongetur ab eo, ſed quia peccator ab ipſo Deo elongatur per culpam. *Domine*, inquit Hieremias, *omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Non appellat Dominum fluuium aut aquam quæ perpetuo motu fertur, nec aliquo tempore aut loco quieſcit: ſed venam aquarum viuentium, vnde ipſa aqua ſcaturit & dimanat, quæ ſemper eodem modo ſe habet, nec in ea aliqua eſt loci mutatio: vt hinc intelligas, quòd ſi Deus procul à peccatoribus abeſt, non eſt, quia ipſe ab illis ſit elongatus: apud quem nulla eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, ſed quia peccator ipſe à Deo peccãdo receſſit. *Peccator in præſenti duplici pœna punitur.* *Hier. 17.* *Peccator à Deo elongatur.*

D. Incog. ſuper Pſal. 29. Simile. Cui contingit (vt ſimilitudine vtar Doctoris Incogniti ſuper Pſalm.29.) ſicut illi qui mouetur in naui, qui percipit ſe paulatim à ripa magis ac magis elongari, cùm tamen littus non moueatur, ſed ipſe: ſic nimirum Deus cùm ſit omninò immutabilis, nóſque mutationi obnoxij, non ipſe à nobis, quin potius nos ab ipſo diſcedimus. *Iſai. 50.* Hoc eſt argumentum, cap. 50. Iſai. vbi ſic dicitur: *Quis eſt hic liber repudy matris veſtræ, quo dimiſi eam, aut quis eſt creditor meus, cui vẽdidi vos? Ecce enim in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram:* Quaſi diceret: Propter vnam ex duabus cauſis poteſt quis ab aliqua re ſe alienare, & in alterius transferre dominium, vel propter odium conceptum, ſicut fiebat in libello repudij: & hoc mihi non conuenit, quia non poteritis oſtendere librum repudij, quo dimiſerim ſynagoga matrem veſtram; aut propter lucrum, ſiue penuriam & neceſſitatem: & neque hoc quidem dici poteſt, quia aliquis eſſet creditor cui vos vendidiſſem: quare ſequitur, quòd ego vos non dimiſerim: ſed quòd propter peccata quæ cõmiſiſtis longè facti eſtis à me, & propter ſcelera veſtra dimiſi matrem veſtram. *Paraphr. Chald.* Paraphraſis Chaldaica, ſic legit: *Propter ſcelera veſtra, elongata eſt congregatio veſtra*, quaſi ipſi voluntariè à Deo receſſerint. Cui conſonat quod inquit beatus Dionyſius. *D. Hier.* Benigniſſimus Ieſus primus eſt in acceſſu & vltimus in receſſu, Repulſus enim Dominus quotidie adulteram ad pœnitentiam reuocat. *Deus nõ deſerit niſi deſerentem ſe.* Primus in acceſſu, quia miſericordia eius ſemper præuenit peccatorem, illum excitando à ſomno vitiorum, quo in vtramque aurem dormit, ſalutis ſuæ oblitus. Ipſe enim ſtat ſemper ad oſtium animæ noſtræ pulſans & expectans, ſiquis ianuam illi aperiat, vt ingrediatur cum illo cœnaturus. *Apoc. 3.* Eſt vltimus in receſſu, quia quantùm eſt ex ſe, nunquam recedit à nobis, niſi poſtquam nos ab illo receſſerimus. Confirmat hanc doctrinam locus *Hiere. 6.* quidam Hieremias, capite ſexto, qui ſic habet, *defecit ſufflatorium in igne, conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Comparat in hoc loco Dominus populum Iſraëliticum argento ſiue auro *Simile. D. Hier.* falſo & adulterino. Quando enim aurum vel argentum non eſt verum, ſed adulterinum, ſolet aurifex vel argentarius proiicere illud in ignem ſimul cum plumbo aut ſtanno, vt virtute ignis ſeparentur alia metalla, quæ habet admixta. Inquit ergo Deus, nullum eſt medium quod non attentauerim, vt populum hunc à peccatorum rubigine purificem, & auferam ab eo

omnem

omnem culpæ ſcoriam, defecit ſufflatorium, omne plumbum conſumptum eſt:nullum non moui lapidem ad finem hunc aſſequendum:ſed omnia fruſtra tentaui,quia non eſt conſumpta eorum malitia:quare,argentum reprobum vocari iure optimo poſſunt,& ideo proieci & reprobaui eos. Sed, bone Deus,quis non aduertat totáque animi attentione conſideret,quòd Deus aurifici comparat ſeipſum,nos verò metallis pretioſiſſimis auro vel argento:vt hinc diſcamus quanti nos æſtimet,quàm ſimus apud illum pretioſi. Aurifex enim non proiicit aurum vel argentum,niſi quando cognouerit illud eſſe adulterinum & falſum:at aurum verum tanti facit, quòd vel minutiſſimas eius reliquias deperdi,aut in terram cadere, non permittat; quod ſi intelligat non eſſe verum aurum tanquam rem inutilem,& vilem ſcoriam proiicit. Sic nimirum Deus, homines in magno habet pretio,& in cordis ſui deliciis:at cùm conſtiterit illos non eſſe aurum vel argentum, ſed in ſcoriam per peccatum fuiſſe cōuerſos,ſtatim à ſe tanquam rem viliſſimam proiicit. Quod teſtimonio ipſius Dauid comprobari poteſt, qui Pſalmo trigeſimo, ſic inquit: *Ego dixi in exceſſu meo, proiectus ſum à facie oculorum tuorum.* In exceſſu meo, id eſt, in peccato meo, in quo maximè exceſſit & Dei legem eſt tranſgreſſus. Cui fauet Paraphraſis Chaldaica, quæ ſic habet: *Ego autem dixi cùm quærebam aufugere, ſucciſus ſum à præſentia gloriæ tuæ.* Tunc quærebat aufugere à Deo,quādo delinquere cogitabat:& tunc Deus illum à præſentia ſuæ gloriæ proiecit: quia prius peccator per culpam fugit à diuino conſpectu, quàm Deus proiiciat illum aut priuet ſua præſentia. Huius doctrinæ non ignarus Dauid, timens ſeipſum, de ſua diffiſus virtute,& de diuina confidens miſericordia,enixè à Deo poſtulat: ne permittat iterum in peccatum relabi, cuius cauſa à diuino proiiciatur conſpectu,dicens: *Ne proÿcias me à facie tua, &c.*

Homo apud Deum pretioſus.

Simile.

Pſal. 30.

Nota.

O quantum malum eſt à diuino ſeparari conſpectu, illiúſque dulci priuari præſentia & conſortio. Si malum hoc peccatores conſiderarent, animóque voluerent, non tot mala committerent,neque tam facilè à Deo recederent. *Vide quàm malum & amarum eſt, dereliquiſſe te Dominum Deum tuum,* dicebat Propheta Hieremias. Malum eſt propter culpam quæ intrinſecam habet malitiam:amarum verò, propter pœnam qua peccator in inferno afficietur. Hanc pœnam comminatur Dominus per Iſaias, capite primo. *Et relinquetur filia Sion, ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut*

Malum & amarum à Deo derelinqui.

Hiere. 2. B.

Iſai. 1.

ſicut ciuitas quæ vaſtatur. Quæ verba, licèt de populo illo Iſraëlitico dicta fuerint, quem filiam Sion propter mõtem Sion in quo fundatus erat appellat: tamen non incongruè de anima noſtra à Deo propter peccatum derelicta, intelligi poſſunt: *Simile.* Hæc quidem relinquitur ſicut vmbraculum in vinea. Cùm vinea fructibus abundat, illiúſque vites racemis, & botris ſunt plenæ, tunc cuſtos vineæ facit ſibi vmbraculum vel tugurium ad cuſtodiendam illam, & à beſtiis & viatoribus defendendam: quãdo autem nullum habet fructum, ipſum vmbraculum diruit ſolóque proſternit, & flãmis ſuppoſitis exurit. Sic equidem animæ noſtræ contingit. Quandiu fructibus charitatis & bonorum operum abundat, habet Deum cuſtodem & protectorem ſuum, vt eam à latronibus & dæmoniis defendat: at cùm per peccatum omnibus ſuis meritis & virtutibus ſpoliatur, à Deo derelinquitur, vt omnibus vitiis pateat, ſitque in ſpoliationem & prædam, & niſi pœnitentiam agat flammis æternis comburatur. Et ſicut ciuitas quæ vaſtata eſt: quam incolæ omnes, illiúſque naturales ciues deſertam derelinquunt, & quæ hominum erat habitatio, iam non niſi ferarum & reptilium, viperarum & lacertorum domicilium. Idem animæ contingit, quæ à Deo per culpam commiſſam derelicta, peccatorum & dæmoniorum ſit habitatio. Reconciliatus Abſalon patri ſuo Dauid, cui fuerat exoſus propter mortem Amon fratris ſui, quem doloſè occiderat, reuerſúſque diligentia Ioab & *2.Reg.14* prudentia Thecuitis in Hieruſalem, dixit Rex ad Ioab: *Reuertatur Abſalon in domum ſuam, & faciem meam non videat:* manſitque in Hieruſalem duobus annis, & faciem Regis non vidit. Quibus tranſactis, dixit Abſalon ad Ioab: *Miſi ad te obſecrans vt venires ad me, & mitterem te ad Regem, & diceres ei: quare veni de Geſur? melius mihi erat ibi eſſe, obſecro ergo vt videam faciem Regis, quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Res quidem notatu digna. Erant Abſalon quamplurima, ex quibus voluptatem non modicam capere poſſet: erat enim in opulentiſſima illa ciuitate Hieroſolyma, non in aliquo caſtello aut tugurio, hominum conſortio deſtitutis: nati ſunt ei filij tres, & filia vna nomine Thamar elegantis formæ, quæ poſſent eſſe ei in deliciis, mœrore tamen & dolore conficitur: eò ſolum, quòd faciem patris ſui Dauid non videt: ex quo argumentum ſumebat latentis iræ in paterno pectore. O egregium exemplum, ex quo ad ſenſum intelligere poteris homo, quàm magnum malum ſit à conſpectu Dei eſſe proiectum. Si enim magna paruis, comparare licet,

licet, quid non dolere debet peccator, quòd à præſentia diuinæ gratiæ ſit eiectus: ſi Abſalon tantum dolebat præſentia Regis priuari: cur non peccator cùm Deus animæ noſtræ ſit pater, ſit ſponſus, ſit Rex, ſit creator, ſit Deus: & abſque illo nil iucundum, nil gratum, nil bonum contingere poſſit. De Coladion refert Plinius quandam mirabilem proprietatem. Inquit enim alitem hanc ad infirmum adductam, ſi ad eum extemplo oculos ſuos conuertat, ſignum eſſe certiſſimum ſalutis aſſequendæ: quod ſi auertat, ſignum eſſe mortis. Vocatur Chriſtus in Scriptura ſacra auis, Iſa. 46. *Vocatus ab oriente auem:* hæc auis ſi oculos in peccatorem defigat, proculdubio ſignum eſt ſuæ ſalutis, ſi autem auertat, damnationis & mortis. Quid ergo mirum, quod Dauid noſter magnitudinem huius ſupplicij timens, & grauitatem peccatorum ſuorum conſiderans, toto pectore exclamet & dicat: *Ne proijcias me à facie tua?* &c. *Plin.*

Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Hìc Dauid non de Spiritu ſancto iuſtificante, ſed de ſpiritu prophetiæ loquitur: & hæc eſt ſententia D. Athanaſij, Hieronym. Caſſiodori, & Lyrani: quæ ſpiritus ſancti nomine appellatur, quia non humano ſpiritu ſed diuino cõtingit. Sic enim ait. D. Petr. 2. cap. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Vnde eſt, quod Dauid dicebat Pſal. 44. *Lingua mea calamus ſcriba velociter ſcribentis.* Quaſi diceret: Lingua mea nihil aliud eſt dum futura loquitur myſteriáque propalat, niſi inſtrumentum quoddam à Spiritu ſancto motum: qui ſcriba velox appellari poteſt, quia ad ſcribendum in corde meo nullis temporis ſucceſſibus indiget, ſed velociter ſubitóque mentem meam docet & illuminat. In quo diuina ſapientia ab humana diſtinguitur, quòd hæc indiget ſyllogiſmis & demonſtrationibus & ſerio temporis diſcurſu, illa verò abſque vlla mora & in inſtanti, infunditur. Eſt enim doctor, vt inquit Gregor. qui nulla diſcentium mora agitur, ſed in omne quod voluerit, ſubito mẽtem illuminat. Quantæ dignitatis & excellentiæ ſit hic ſpiritus, vel ex eo conſtare poterit, quòd D. Paulus gradus donorum cœleſtium enumerans, poſt donũ apoſtolicum ſtatim propheticum connumerauit, dicens: *Et ipſe quidem, quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam quidẽ Prophetas.* Sunt enim iſti duo gradus tãta affinitate coniuncti, quòd ferè eadem quæ de Apoſtolis, & de Prophetis pariter, in Scriptura ſacra dicuntur. Apoſtoli quidem in Scriptura ſacra nubes vocantur, vt patet ex Iſaia capit. 60. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant,* &c.

D. Atha. Hieron. Caſſiod. Lyran. 2. Pet. 1. Prophetia ſpiritus. Pſal. 44. D. Greg. Prophetia excellentia. 1. Cor. 12. Iſa. 60.

quem

D. Cyrill. Alexan. Theodor. in Cant. ſuper illud, ſurge, propera amica mea.
Zach. 2.
Theodor.
Propheta nubes vocantur.
Apoſtoli vigiles & cuſtodes ciuitatis.
Iſa. 62.
Cant. 5.
Theodor.
Oſea 13.
Simile.

quem locum. D. Cyrillus & Theodoretus de Apoſtolis explicant, qui rore ſuæ doctrinæ, vniuerſum terrarum orbem irrigarunt: ſed idem de Prophetis dicitur per Zachariam, cap. 2. *Timeat omnis caro à facie Domini, quoniam ſurrexit de nubibus ſanctus ſuis.* Quem locum expendens Theodoretus, ſic ait; Nubes autem ſanctos Prophetas rectè vocat, nihil ſuum loquentes, ſed tanquam ex mari quodam gratiæ, ſpiritus pluuiam propheticam habentes. Ab his ſe reſurrecturum & appariturum dicit, quoniam vt per hos prædixit aduentum ſuum, & his quæ præſignificauit impoſuit finem, re ipſa & veritate, prophetiam diuinam oſtendit: Dicuntur etiam Apoſtoli vigiles vel cuſtodes ciuitatis, iuxta illud Iſaiæ: *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & nocte non tacebunt:* idem etiam de Prophetis dicitur Canticorum 5. *Inuenerunt me cuſtodes ciuitatis: num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cùm pertranſiſſem, inueni quem diligit anima mea.* Circa quæ verba, inquit Theodoretus: quod per vigiles ciuitatis, ſancti Apoſtoli & Prophetæ intelliguntur: quos percontatur & interrogat anima pia. Et rectè quidem, quia Prophetæ conſulendi ſunt & interrogandi de Chriſto: qui omnes teſtimonium de ipſo perhibent: *quia in prophetarum manibus aſſimilatus eſt*, vt verbis Oſeæ vtamur. Sicut enim in principum nuptiis contingere ſolet, quòd ſponſus aliquam ſponſæ præmittit ſui ſimilitudinem & effigiem, vt illius aliqualem habeat notitiam: ſic Deus, qui naturam humanam in ſponſam decreuerat aſſumere, per manus Prophetarum imaginem ſuam depictam mundo præmiſit, vt illius haberetur notitia & præſcientia. Prophetæ igitur conſulendi ſunt, quia omnes illi de Chriſto Redemptore noſtro teſtificantur.

Apoſtoli oculi Eccleſia.
Zach. 2.
Pſellus.
Simile.

Appellantur etiam oculi in Scriptura, quia fuerunt Eccleſiæ lumina, quare de illis dicitur: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*: & idem etiam de prophetis vſurpatum paſſim reperies. De quibus Pſellus explicat illa Canticorum verba: *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ.* Inquit enim quòd fuerunt Synagogæ oculi ſuper plenitudinem aquarum reuelationum & myſteriorum fidei conſiſtentes. Conſueſcunt enim columbæ ſuper immania ſaxa iuxta fluenta aquarum prominentia conſiſtere, vt in ipſis aquis perſpicuis & diaphanis pericula ſibi imminentia præuideant. Vident enim accipitrem, aquilam, & herodium à longe venientes; & ſic minaces eorum vngues effugiunt: ſic nimirum Prophetæ iuxta fluenta diuinæ ſapientiæ conſtituti,

tuti, futura omnia ad ſtatum Eccleſiæ ſpectantia,ſiue commoda, ſiue incommoda, ſiue triſtia ſiue læta, ſiue præmia, ſiue ſuplicia, præuiderunt. Facit enim ad dignitatem propheticam non parum, quòd Apoſtoli & Euangeliſtæ eius teſtimonio paſſim vſi ſunt, ad veritatem fidei comprobandam: nulla enim certior via ad veritates euangelicas corroborãdas inueniri poteſt. Quare dicebat Diuus Petrus,poſtquam miraculorum quæ in Thabor facta fuerant meminit: *Sed habemus his firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes*,&c.D.etiam Paulus 1.ad Corinth. cap.2:*Sermo meus & prædicatio mea,non in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ verbis,ſed in oſtentione ſpiritus & virtutis.* Circa quæ verba inquit Origenes libro 1. contra Celſum in principio: His adjiciendum diſciplinam noſtram habere quandam demonſtrationem propriam, diuiniorem quàm ſint Græcorum demonſtrationes, quam Apoſtolus vocat *demonſtrationem ſpiritus & virtutis*, vt potè ſpiritu per Prophetas fidem aſtruente iis quæ de Chriſto feruntur: virtute verò,per prodigia quæ facta credimus. Conſiſtit enim hæc demonſtratio vel oſtenſio ſpiritus, in concordia & vniformitate Prophetiæ ad Euangelicam veritatem. Quare toties ab euangeliſtis dicitur: *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas*, vt demonſtratiuè oſtendatur, in Chriſto Redemptore noſtro, omnes Prophetias adimpletas eſſe. Hoc demonſtrationis genere, elegantiſſimè per continuos decem libros, Euſebius Cæſarienſis vſus eſt, proponens aliquam veteris inſtrumenti prophetiam, ac ſtatim probans, quòd in Chriſto adimpleta ſit. Cùm igitur ſpiritus prophetiæ,tanti ſit æſtimandus,quòd Apoſtolicæ dignitati ferè ſit compar: quòd noſtræ veritatis confirmatio & oſtenſio, qua Chriſtum Redemptorem noſtrum verum eſſe Deum in lege promiſſum demonſtratur: non mirum, ſi regalis Propheta peccata ſua, quæ in Deum commiſerat conſiderans, & indignum ſe tali nono iudicans, ſummis precibus exoret, ne tale donum ob culpam ſuam ab eo auferatur, dicens: *& ſpiritum ſanctum tuum, ne auferas à me.* Hic ſummopere obſeruandum eſt, quòd etiam ſi Dauid maximus fuerit omniũ prophetarum: & inter omnes per excelentiam & anthonomaticõs Propheta appelletur, cũ ſit ſuper omnes illuminatiſſimus, in his quæ ad verbi incarnationem,redemptionìſque myſteria pertinent: ſicut ipſe fateri non erubuit, dicens: *Super ſenes intellexi*, Et alibi: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, timet tamen, ne propter ſcelera commiſſa, huiuſmodi prophetiæ

1.Petr.1.

1. Cor.2.

Orig.

Euſeb. Cæſar.

Digitized by Google

prophetiæ ſpiritus ſibi auferatur. Sciebat enim hoc eſſe Dei ingenium, & hanc illius conſuetudinem, nullum peccatorem ad ſuam amicitiam admittere; quin potius illum à ſua familiaritate excludere, doníſq; conſuetis aliquando priuare. Tandiu enim in gratia Dei & amicitia aliquis conſeruabitur, quandiu legem eius & iuſtitiam obſeruauerit. Si autem hanc tranſgreſſus fuerit, ſtatim de libro amicorum eius delebitur. *No dura mas la priuança con Dios, de quanto durare el conſeruarnos en ſu gracia, y no offendelle.* Exemplum habemus in Heli

1. Reg. 2. ſacerdote ſummo. 1. Reg. cap. 2. qui cùm maximè Deo eſſet familiaris, tamen, quia in corrigendis filiis ſuis fuit negligens & remiſſus, diuinis reuelationibus, ſimul & ſacerdotio fuit priuatus. *Quia honoraſti filios tuos pluſquam me, vt comederetis omnes primitias populi mei Iſraël: propterea ait Dominus Deus Iſraël, loquens loquutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo, vſque in ſempiternum: nunc autem abſit à me, ſed quicunque glorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Eſt & alius locus in

Hier. 22. Hierem. cap 22. vbi ſic dicitur: *Viuo ego dicit Dominus, quod ſi fuerit Iecomas filius Ioachin Regis Iuda annulus in manu mea dextra, inde euellam eum.* Vbi aduertit Lyranus quòd annulus antiquitus ſignum erat dilectionis & firmitatis quia literæ regiæ annulo ſignabantur. Quapropter ſignificatio illorum verborum erit: quòd etiam ſi Iechoniæ quamplurima beneuolentiæ & amicitiæ ſigna oſtendit, ſi muneribus proſequutus fuerit, tamen ſi eum offendat, vel à ſemitis eius declinauerit, illum proculdubio ab amicitia & familiaritate ſua repellet, in captiuitatémque ducere faciet. Nemo cōfidat (quantumuis ſanctus, quantumuis iuſtus, & amicus Dei fuerit) in beneficiis ab ipſo Deo ſibi conceſſis: vt hinc anſam tranſgrediendi præcepta eius aſſumat, vel contemnendi illum, ita quod nimia familiaritas (vt vulgo dicitur) pariat contemptum: quia ſi tam charus iilli fuerit ſicui annullus in manudextra eſſe ſolet, abſq; dubio illum repellet à ſua familiaritate & amicitia, & beneficiis quibus abuſus fuerit, priuabit. Hoc enim timens Propheta ſanctus, conſiderans legem Dei per adulterium violâſſe & ſanguinem innoxium Vriæ fudiſſe, orat Dominum, dicens: *Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

Annulus dilectionis ſignū

Lætitia incarnationis Chriſti. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*, &c. Per hanc lætitiam quam ſibi reddi poſtulat, illam quam ex conſideratione & reuelatione ſaluatoris noſtri Ieſu, ad redimendas animas, ex ſemine eius naſcituri captabat, intelligit. Et huius ſententiæ ſunt

fere

ferè omnes Eccleſiæ patres. D. Auguſt. Hieronymus, Gregorius, & alij, & vt cœteros taceam, ſolum Gregorium referam, ſic aientem. Lætabatur propheta de aduentu filij Dei antequam peccaret, & certus quòd de ſuo naſciturus erat ſemine, ante quam laberetur gaudebat: ſed poſtquam vxoris Vriæ amore deceptus, modum in peccando non habuit: ne ſibi Deus hoc offenſus ſubtraheret, quod ante placatus promiſſerat, formidabat. Confirmat etiã hoc D. Hiero. verſio, quæ loco *ſalutaris* habet *Ieſum*. Redde mihi lætitiam Ieſu tui, & ſpiritu potenti confirma me. Hoc eodem timore afficiebatur Ezechias Rex, vt cap. 38. Iſa. habetur: *Dixi non videbo Dominum Deum in terra viuentium. Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernacula paſtorum.* Septuaginta Interpretes ſic verterunt. *Nequaquam videbo ſalutare Dei in terra viuentium.* Vbi inquit. D. Hieron. Hoc autem eſt omne quod metuit: ne ſalutare Dei, ductus ad inferos, nequaquam mereatur aſpicere. Sciebat námque Rex Ezechias ſaluatorem de ſua poſteritate naſciturum, quare formidabat, ne propter vitæ exceſſum, cùm ſine liberis moreretur, tantum impediretur bonum. Spes enim Chriſti promiſſi in carne paſſibili venturi, fuit Patriarcharum gaudium, Prophetarum lætitia, & totius Synagogæ ſolamen. Vnde Cant. 2. ipſa inquit: *Sub vmbra illius quem deſiderauerunt ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quæ verba dum expendit Bernardus, inquit: Merito eius deſiderauerat vmbram, de quo & refrigerium eſſet & refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem ſyluarum ligna, etſi vmbram ſolatij, habent, ſed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos ſalutis. Vnus eſt enim vitæ auctor, vnus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, qui dicit ſponſæ ſuæ, ſalus tua ego ſum. Sedebat enim ſub vmbra illius Synagoga, quia vmbram futurorum habebat lex, & omnia illis in figura contingebant. Omnia quippe veteris legis ſacrificia, omnes illius ceremoniæ & ritus, nihil aliud erant, niſi quædam vmbra & figura Chriſti: ſub qua ſedebat Synagoga, & conſideratione tanti myſterij, ſupra modum oblectabatur, & dulcedine futuri fructus, etiam ſi à longè præguſtati, ſumma lætitia afficiebatur. Nónne ſub hac vmbra Abraham ſediſſe exiſtimandus eſt, qui in immolatione filij, Chriſti mortem præuidit, & lætatus eſt? *Abrahã* inquit Saluator, Ioan. 8. *diem meum vidit, & gauiſus eſt.* Vidit enim ſub vmbra ſedens, non apertis oculis intuitus eſt: vidit procul, non è vicino, vidit oculis mentis non corporis. Et valdè notandum eſt, quod & ſi non minore

D. Aug. Hiero. & Greg.
Atha. & Didim.
Verſio D. Hier.
Iſa. 38.
70. Inter.
D. Hier.
Propheta deſiderauerunt Chriſtũ.
Cant. 2.
D. Bern.
Vmbra futurorũ lex.
Ioan. 8.
Nota.

Digitized by Google

minore pretio, quàm proprij & vnigeniti ſui ſanguine, emerit hanc præuiſionem, tamen tanti illam fecit, quòd gauiſus eſt. Sciebat enim ex illo fonte gaudium vniuerſo orbi eſſe emanaturum: quare, & ſi quamplurimas mœroris & doloris cauſas habuerit, vt rectè Origenes homil. 22. in Geneſin aduertit, tamen omnium oblitus, & tāti beneficij memor, gaudet & exultat: non quia amantiſſimum filium iugulabat, ſed quia in morte eius Chriſti myſterium mundo valdè neceſſarium cernebat. Sedebat etiam ſub hac vmbra Iacob: quando vmbræ mortis valdè propinquus, videns in vmbra & myſterio fidei ſaluatorem quem expectabat, dixit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Vbi Inquit Ionathas Chaldæus: Non expecto ſalutare Gedeon filij Ioas, quæ eſt ſalus tēporalis, neque ſalutare Samſon filij Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed expecto redemptionem Chriſti filij Dauid, qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſraël, cuius redemptionem deſiderat anima mea. Sedit etiam ſub hac vmbra Moyſes, qui non ſine crebris ſuſpiriis & lachrymarum profluuio Deum exorabat, dicens. *Obſecro Domine mitte quem miſſurus es.* Sedit & ille qui tantæ moræ & tarditatis impatiens, cœlos alloquens, dicebat: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.* Et alibi: *Vtinam dirumperes cœlos, & deſcenderes, vt ſaluos facias nos, à facie tua montes deſluerent.* Omnes hi, ſub vmbra ſponſi requieuerunt, illiúſque dulcedinem (licèt à longè) aliquomodo deguſtārūt: quia fide illum, etſi non in propria perſona ſicut nos, receperunt. Contigit illis, quod naufragium patientibus contingere ſolet: ſi enim dum fluctibus agitantur, ventorum crudelitate concuſſi, inter medios vortices conſtituti morti iam propinqui, in altiſſimis montibus, vel fortè in aliqua eminenti longiſſimi portus turri, lumen viderint: totis viribus ad eam nauigare conantur. Quòd ſi in medio itinere, viribus deficientes, ſubmerguntur, & à fluctibus maris ſuperantur: ſaltem animo & affectu ipſum lumen amplectuntur, adorant, & venerantur. Non ſecus ſanctis illis veteris teſtamenti Patriarchis & Prophetis contigit: qui cùm in mediis peccatorum fluctibus verſarentur, nec aliquod eſſet eis ſuffugium efficax, à longè videbant Chriſtum Saluatorem noſtrum verum totius mundi lumen, ad quem pertingere ſummopere deſiderabant: quòd cùm impoſſibile eſſe intelligerent, voluntate ſaltem, animíque affectu illum venerantes, complectebātur: *Omnes iſti iuxta fidē defuncti ſunt*, inquit D. Paulus, *non ſuſcipientes repromiſſiones, ſed à longè eas ſalutantes* Non enim

Origenes | *Gen. 48.* | *Ionathas Chald.* | *Exod. 4.* | *Iſaiæ 45.* | *Iſaiæ 64.* | *Simile.* | *Patriarchæ & Prophetæ per fidem recepe-rūt Chri-ſtum.* | *Hebr. 11.*

enim Chriſtũ promiſſum manibus contingere potuerunt, non dulci eius recreari præſentia, videre miracula, aut doctrinam illã cœleſtem ex ſacro ore eius audire: quapropter omnia hæc, vt poterant, fide venerabantur, & accipiebant. Quòd ſi illi tanta animi deuotione venerabantur Chriſtum, fidémque ſuſcipiebant, ſi eius ſola conſideratione tanta perfundebantur lætitia & alacritate, quid nos facere deberemus: quibus miſericordia hæc eſt propinquior, & quos beneficiũ magis è vicino reſpicit? Quantò putas afficeremur gaudio in mediis vitæ huius laboribus & diſcriminibus, quantis conſolationibus repleremur, ſi tanti beneficij haberemus memoriam? Si lignum illud Moſaïcum in aquas Marath miſſum, quę amariſſimæ erãt, tantæ virtutis & efficaciæ fuiſſe dicitur, quòd aquas illas amaras & inſipidas in dulcedinẽ cõuerterit: quid de Chriſto, qui lignũ vitæ in Scriptura ſacra appellatur, exiſtimãdum erit? Sunt quidem amariſſimæ huius vitæ aquæ, iter exilij noſtri laboribus abundat, amaritudinibus repletum eſt, verùm efficaciſſimum nobis præ manibus adeſt remedium: lignum, ſcilicet, illud viride, quod iuxta decurſus aquarum plãtatum eſt, lignum illud vitæ quod fructũ attulit immortalitatis Chriſtus verus mundi ſaluator: cuius conſideratione & memoria, omnia in dulcedinem conuertuntur, & in conſolationem maximam permutantur. Eam ob cauſam (vt exiſtimo) Chriſtus Redemptor noſter filius vnicornium à Dauide appellatur. Et dilectus quemadmodum filius vnicornium. Eſt enim huic animali proprium, quod aquarum venena cornu ſuo tollit: Accedunt animalia ad fontem, quem ſerpens veneno ſuo infecit, & licèt maximam ſitim patiantur, tamen nullatenus audent bibere, quouſque vnicornis aduenlens cornu ſuo omne venenum tollit: bibit ipſe ex fonte & omnia alia animalia pariter bibunt. Verè Chriſtus filius vnicornium fuit, quia cùm aqua tribulationum & dolorum ante eius aduẽtum amara eſſet, quaſi abſynthium & mortifera, ipſe tamen ex illa bibens, amaritudinem in dulcedinem, venenum in liquorem, & mortem in vitam conuertit, quia omnis noſtra tribulatio, tribulationibus Chriſti Ieſu collata, ſuper mel & fauum dulcis reputabitur. Dicat ergo anima deſolata & afflicta cùm ſe omni conſolatione deſtitutam viderit. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*: & ſtatim ingens animi gaudium, ſummámque mentis alacritatem concipiet.

Exod. 15.

Chriſtus lignum vitæ.

Memoria Chriſti labores in dulcedinem conuertuntur.

Et ſpiritu principali confirma me. Timens Propheta animi ſui fragilitatem quam fuerat expertus, petit per gratiam Spiritus ſancti in bono confirmari: ne iterum in ſcelera ſua rela-

batur. Et ſpiritum ſanctum, ſpiritum principalem appellat: quia ipſe dominatur omnibus animæ noſtræ affectibus, & ſola ipſius gratia potens eſt & efficax ad illos ſuperandos. Quare alia litera habet. *Et ſpiritu potenti confirma me.* Quaſi ille ſolus & non alius ſit potens ad confirmandum in bono incœpto, perſeuerantiámque præſtandam. Et ad hoc ſpectat B. Gregorij expoſitio, quæ ſic habet. Sciebat enim quia infirma eſt omnis anima, niſi Sancti ſpiritus fuerit virtute firmata: nam & de Apoſtolis dictum eſt: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum,* Pſalm. 32. Quid enim cœlorum nomine, niſi ſancti Apoſtoli deſignantur? Qui nimirum verborum imbribus terram cordis noſtri inebriant, venturi iudicij minis & terroribus intonant, miraculorum ſignis, & operum ſanctitate coruſcant. Quare, cùm adhuc Apoſtoli debiles eſſent & infirmi, dictum eſt eis Luc. 24. *Manete hîc donec induamini virtute ex alto.* Quòd ſi fortiſſimi illi militiæ noſtræ duces, qui virtute huius ſpiritus, de quo ſermoné facimus, vniuerſum orbem ditioni ſuæ ſubiugârunt, non ſine dono hoc cœleſti ſtare potuiſſent: quātò magis nos, qui fragiles & infirmi ſumus? *Perſeuerantia enim,* vt eam D. Auguſt. definit lib. 83. quæſt. cap. 31. eſt, *in ratione benè conſiderata, ſtabilis & perpetua permanſio.* Sed cùm homo, vel ex ſua compoſitione, vel ex vitiata natura, habeat quòd inconſtans ſit, & nunquam in eodem ſtatu permaneat: nulli dubium eſt, quin ad perſeuerandum præter iuſtificantem gratiam, ſpeciale Dei auxilium requirat. De quo extat Concilij Tridentini decretum, de iuſtific. cap. 12. & 13. & canone 22. dicitur: Si quis dixerit iuſtificatum, vel ſine ſpeciali Dei auxilio, in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, Anathema ſit. D. Auguſt. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 3. vbi multa ad noſtram fidem ſpectantia definit, hoc etiam determinat: nemiuem, etiam baptiſmatis gratia renouatum, idoneum eſſe, ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum auxilium Dei perſeuerantiam bonæ conuerſationis acceperit. De animalibus illis, de quibus Ezech. capite 1. & 10. agit, qui tam celeri & perſeueranti volatu pergebant, quòd cùm ambularent, nec per momentum quidem reuertebantur, dicitur: *quòd vbicumque erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*: quaſi ſpiritui, perſeuerantia indeficiens in volando, tribueretur. Vnde enim animalis & terreſtris homo, qui natura ſua grauis eſt, & ad omne opus bonum & meritorium impos: virtutem habere poſſet & conſtantiam, ad peruolandum in cœlum

D. Greg. *Pſal. 32.* *Luc. 24.* *D. Aug.* *Perſeuerantia quid.* *Conciliũ Trid. Auxilium ſpeciale ad perſeuerandũ neceſſarium.* *D. Aug.* *Ezec. 1.* *Figura.*

Digitized by Google

cœlum quaſi ſublimipeta auis, & quòd in medio itinere non deficeret, niſi hoc ab illo ſuperno ſpiritu conceſſum eſſet, qui adiuuat infirmitatem noſtram, tribuítque naturæ vires ad difficilia quæque ſuperanda? *Qui confidunt in Domino*, inquit Iſaias, *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, vt aquilæ: current, & non laborabunt, volabunt & non deficient*. Nauis enim in medio mari poſita ſine ventorum flatu, ad optatum portum peruenire nequaquam poterit: ſed immobilis omnino permanebit: ſic homo in medio huius mundi pelago conſtitutus, niſi aura ſit Spiritus ſancti adiutus, iter ſuum nequaquam perficere poterit, ſed immobilis omnino conſiſtit. Loth de Sodomis egredienti dictum eſt, vt in itinere incœpto perſeueraret, neque retro aliquando aſpiceret, & in cacumen montis conſcenderet, ſicut Geneſis 19. habetur: & quia aliquid magnum & difficile illi præcipiebat. Erat enim difficile caput verſus Sodomam non conuertere, vbi affectus carnalis relinquebatur. Ibi enim relinquebat Loth patriam, amicos, parentes diuitias, poſſeſſiones, domus, & ingentem auri, & argenti copiam: quæ omnia igne comburenda erant: quare, valdè difficilis fuit hæc lex de non conuertendo capite. Vnde vxor eius quaſi infirma minúſque conſtans, caput conuertit, & in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. In ſtatuam ſalis, quæ prima pluuia de cœlo cadente, ſtatim reſolueretur, vt eius inconſtantiam denotaret. Sentiens igitur Deus huius præcepti difficultatem, dedit illi Angelum, qui illum de Sodoma per medios ignes educeret, nec dimitteret vſque dum perueniret ad montem. Nullus enim eſt Loth tam iuſtus, tam ſanctus: & perfectus à Sodomis egrediens, & mundi huius incendia & pericula fugiens, & per deſerti huius viam incedens, propria carne, quaſi vxore legitima, ſtipatus: cui non immineat periculum conuertendi caput ad carnales affectus. Quare indiget Angelo manu ducente, id eſt, ſupremo Dei auxilio, vt ad montem beatitudinis ſecurus, & indeficiens perueniat. *Spiritus tuus bonus*, inquit Dauid, *deducet me in terram rectam, propter nomen tuum viuificabis me in æquitate tua*. Quare exorandus eſt Deus, non ſolùm vt noſtra dimittat crimina, & maculas noſtræ mentis aqua ſuæ gratiæ abſtergat: quòd non proiiciat nos à facie ſua, id noſtris criminibus exigentibus, aut Spiritum ſanctum ſuum auferat à nobis, dona gratuita & ſpontanea denegando: non ſolùm quòd lætitiam ſalutaris ſui nobis reddat, per iugem filij ſui memoriam in nobis exiſtentem, ſed etiam quòd ſpiritu principali, aut potenti, dono, ſcilicet, perſe-

Iſaiæ 40.

Simile.

Vxor Loth in ſtatuam transformata.

Gen. 19.

Figura.

Perſeuerantia.

Pſal. 142

uerantiæ ab Spiritu ſancto collato, nos confirmet: vt in gratia perſeuerantes, coronam gloriæ conſequi mereamur.

CONCIO SEXTA.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ: & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Dei miſericordia.

INTER omnia attributa; quæ ſummæ & infinitæ perfectionis ſunt, quibus diuina eſſentia condecoratur: nullũ iucundius, peccatoribúſque magis neceſſarium, quàm miſericordia. Hæc ſanctos efficit, iuſtos in ſua iuſtitia conſeruat, peccatores ad amicitiam reuocat, & ad veram pœnitentiam inuitat. Hæc paradiſum aperit, infernum recludit, delinquentibus promittit veniam, Deúmque ipſum amabilem pariter, & tolerabilem reddit. Quia ſi apud Deum miſericordiæ ianua non ſemper pateret, quis cœli ianuam ingredi potuiſſet? *Si iniquitates obſeruaueris Domine,* inquit Pſalmiſta, *Domine quis ſuſtinebit? Quia apud te propiciatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te, Domine.* Ac ſi diceret: ſi peccatores ſtatim ac peccant, punirentur. *Si lo lleuaſſedes todo a punto crudo de iuſticia, por el cabo y con todo rigor:* ſi nulla eſſe apud te peccatorum venia, & ipſi peccatores ad pœnitentiam minimè reciperentur, quis te Deus ſuſtineret? quis eſſet quem gladius tuæ iuſtitiæ non iugularet? Sed quia apud te propitiatio eſt, quia patiens & clemens, facienſq; miſericordias in millia, & ad parcendum valdè inclinatus: ideo ſuſtinui te Domine. Eſt enim tanti momenti, támque neceſſaria conſideratio hæc, ad ſpem peccatorũ aperiendam: quòd multoties permittit Deus, aliquos ex his quos ad vitam æternam præordinatos habet, in profundum peccatorum labi: vt inde per miſericordiam ſuam illos educendo, cæteri, qui ſimilibus criminibus ſunt irretiti, ſpem veniæ concipiant, & cum fiducia ad thronum gratiæ eius accedant. Tetigit hoc ſatis eleganter ſupremus ille Doctor gentium D. Paulus 1. ad Tim. 1. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, Chriſtus Ieſus venit in mundum*

Pſal. 129.

Quare Deus permittat iuſtos cadere.

1. ad Thim. 1.

dum peccatores ſaluos facere quorum primus ſum ego, vt in me oſtenderet, omnem patientiam, ad eruditionem eorum qui credituri ſunt. O fœliciſſimum nuntium, quaſi diceret, dignũ quod eleuatis manibus, flexis genibus, & cùm gratiarum actione, reciperetur. Eſt autem nuntium hoc, quòd Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere. Licèt venerit ad condemnandum peccatum, non tamen peccatorem, ſed ad ſaluandum eum. Fuit hic diuinæ ſapientiæ primus & mirabilis punctus. *Fue vn toque franco de la diuina ſabiduria*, quòd occidit peccatum, & viuificauit peccatorem: culpam deleuit, & hominem reparauit. Sicut ſi aliquis haberet ſerpentem corpore, vel collo circumuolutum, & inueniretur quis, tãta in iaciendis ſagittis dexteritate pollens, quòd vnico ictu ſerpentem transfigeret, & hominem liberum & illæſum dimitteret. O ſumma omnipotẽtis Dei, in trãſuerberandis peccatis dexteritas. Quis enim hoc non miretur? quod vnico eodémque ictu & peccatum interemit, & peccatorem ſaluauit? culpam occidit, ſed hominem culpæ obnoxium, viuificauit? *Venit ergo peccatores facere: quorum primus ſum ego,* inquit Apoſtolus, id eſt, principalis, quia fui blaſphemus, quia perſecutor Eccleſiæ, ſed placuit benignitati ſuæ, è tot me ſceleribus eripere, vt in me oſtẽderet omnem patientiam, *para que hizieſſe en mi alarde de los caudales y teſoros infinitos de ſu paciencia.* Quaſi diceret: Nullum maius argumentum, aut euidentius ſignum patientiæ illius, quàm me peccatorem toleraſſe, & ad ſuam clementiam admiſiſſe. Quod quidem, permiſſum, & factum eſt, ad eruditionem eorum qui credituri ſunt, id eſt, vt alij peccatores, de miſericordia eius erudiantur. Explicat hoc Theodoretus eleganti exemplo. Quemadmodum, inquit, medicus: cùm in vna domo multi ſimul ægrotant, & omnes de ſalute deſperant, ſi vnum peſſimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis, ad perfectiſſimam ſanitatem deduxerit, facit vt omnes alij bono ſint animo, ac fiduciam accipiant? ita Dominus Chriſtus animarum medicus, cùm factus eſſet homo pro ſalute peccatorum, me qui eram iniquiſſimus & omnium ſceleratiſſimus, non ſolùm à prioribus liberauit maculis: ſed maximis etiã donis obruit, omnibus hominibus per me oſtendens ſummã patientiã & clementiã: vt nemo eorũ qui maxima ſcelera perpetrauerint, ad me reſpiciẽs, de ſalute deſperet. Forſitan ſi primus ille fratricida, Cainus, inquam, qui terram innocenti ſanguine fratris ſui Abelis cõmaculauit, aliquod haberet exemplum, in quo velut in ſpeculo quodã, facinus ſuũ remiſſum videret: non

Simile. *Theodor.* *Simile.* *Geneſ. 4.*

Geneſ 4. de miſericordia Dei deſperaret, neque illa verba proferret: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Sed cùm nullum aliud præceſſiſſet exemplum, credidit homicidium ſuũ indignum eſſe venia, neque poſſe tam magnum ſcelus per pœnitentiam reparari. Non enim habuit Doctorem aliquem, qui circa infinitam Dei miſericordiam illum erudiret. Longè aliter informatus erat de facultate hac, impius ille Manaſſes: qui tot contra Deum commiſerat ſcelera, tot perpetrauerat facinora: qui tamen morti iam propinquus, vitæ anteactæ pœnitens, in deuotiſſima quadam quam compoſuit oratione quæ in vltimo 2. Paralipomen. capite habetur, in hæc prorupit verba: *Tu igitur Domine Deus iuſtorum, non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abraham, & Iſaac, & Iacob, ijs qui tibi non peccauerunt, ſed poſuiſti pœnitentiam propter me peccatorem, quoniam peccaui ſuper numerum arenæ maris.* Et poſt pauca concludens, dicit: *Ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reſerues mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca: quia tu es Deus, Deus, inquam, pœnitentium, & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, quia indignum ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam.* O dulciſſima verba omníque ſuauitate repleta. Deum appellat, Deum pœnitentium, ſicut Deus iuſtorum appellari ſolet: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*: & ne aliquis exiſtimaret ſolum eſſe Deum iuſtorum, non autem peccatorum: Deum pœnitentium illum appellat: quia ſicut illis portam iuſtitiæ, ita & his miſericordiæ concedit: & ſicut illis pręmium, ita & his veniam promittit: quapropter Deus pœnitentium appellatur. Sed inquit inſuper: *& in me oſtendes omnem bonitatem*, id eſt, mihi parcens, bonitatis & miſericordiæ tuæ oſtẽſionem facies. Omnes enim bonitatem & clementiam tuam vſque ad cælos efferent: quia omnium peccatorũ maximo peperciſti. Paulus fatetur ſe à peccatis fuiſſe liberatum, ad eruditionem eorum qui crediturì erant: Manaſſes verò, vt in illo oſtenderet bonitatem ſuam & clementiam. Itaque, ex his infertur peccatores conuerſos, eſſe quaſi Dei præcones & miſericordiarum eius inſignes magiſtros. *Nam ſicut cæli enarrãt gloriam Dei*, per quos, iuſtos iure optimo intelligere poſſumus, qui quaſi cæli ab omni peccatorum macula ſunt alieni, ita peccatores terreni per pœnitentiam iam conuerſi, miſericordiã eius enarrant & annunciant: vt peccatores omnes ſpe veniæ concepta, auidius ad pœnitentiam animentur. Ex his quæ hactenus diximus, genuinus verſus Dauidici ſenſus, deprehendi poteſt. Petit enim ſuorum

Cain credidit peccatũ ſuũ eſſe irremiſſibile.

2. Paral. c. vlt.

Exod. 3.

Quare Dominus Deus pœnitẽtium dicatur.

Pſal. 18.

Verſus intelligentia.

Digitized by Google

rum peccatorum remiſſionem & veniam, & quòd præſentia diuini conſpectus nō priuetur, quin potius, quòd ſpiritus propheticus, qui ei ablatus fuerat per peccatum reſtituatur per pœnitentiam, & in gratia ſibi reſtituta confirmetur: quod ſi ita fiat, inquit, magiſter ero tuę liberalitatis & magnitudinis, præco tuarum laudum, & interpres mutus tuæ clementiæ: quia omnes impij tanta largitate miſericordiæ ineſcati, ad te per peccatorum deteſtationem conuertentur. Cui explicationi conſonant. Theodoreti verba, quæ ſic habent. Rurſus tuam benignitatem aſſequens, iniquam vitam amplectentibus, pœnitentiæ exemplar ero, & tuæ bonitatis præco: atque impios & iniquos homines commonefaciam vt ad tuas preces confugiant. *Lyran.* *Theodor.*

Et quidem vt verum fatear, non poſſum vehementer non mirari noſtram in conuertendo noſmetipſos incuriam & ſegnitiem, qui de die in diem pœnitentiam differimus, cùm tot exempla liberaliſſimæ miſericordiæ Dei erga peccatores, qui ad illum toto corde cōuertuntur, habeamus. Sicut patet in Zachæo publicano, Matthæo telonario, Magdalena peccatrice, & Dima latrone, & in noſtro Dauide homicida & adultero, quorum crimina tanta facilitate condonauit & remiſit. Quid ſunt omnes hi, niſi magiſtri, egregijque Doctores, qui ſilēter nullóque verborum ſtrepitu, miſericordiam nos docent? Quid niſi præcones Dei, qui inceſſanter ad pœnitentiam nos inuitant? O Deum immortalem, & quis eſt qui dinumerare poſſet peccatores, qui vnius latronis exemplo ad pœnitentiā ſunt conuerſi? Quis quos Dauid ſuis Pſalmis erudierit? Solet auceps aliquem paſſerculum apprehenſum intra carcerem includere, vt alios ſuo cantu alliciat & trahat: ſic factum eſt cum Dauide, quem cœpit Dominus, & ſicut paſſerem de laqueo venantium eripuit, vt ipſemet fatetur: *Anima noſtra, ſicut paſſer, erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Reſeruauit illum ab æterna morte, & in carcerem ſui timoris incluſit, vt laudes eius perpetuò decantaret, cantúque ſuo alios incitaret ad pœnitentiam. Quod ſi huius rei experientiam deſideras, audi eum, & Deum laudantem, & peccatores ſimul inuitantem. Pſalm. 39. *Eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fæcis, & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos: & immiſit in os meum Canticum nouum carmen Deo noſtro. Videbunt multi & timebunt, & ſperabunt in Domino.* Eduxit me, inquit, de lacu miſeriæ. Lacum miſeriæ peccatum appellat: & rectè quidem; quia ſicut in manu cuiuſquam eſt, ſe in lacum, vel foueam præcipitare: tamen inde, niſi *Peccatores cōuerſi ſunt miſericordiæ Dei præcones.* *Simile.* *Pſal. 123.* *Pſal. 39.* *Peccatū lapſus dicitur.* *Simile.*

Digitized by Google

alterius ope & auxilio, non poteſt exire: ſic poteſt peccator ſe in lacum peccatorum proiicere, ſed ad reuocandum gradum indéque egrediendum, indiget ſupernaturali auxilio & gratia Dei. *Et ſtatuit ſupra petram, &c.* Eruit me de periculo, & in loco firmo & ſecuro collocauit. Abſtraxit me de lutoſo vitiorum cœno, & in via lapidibus ſtrata firma & ſecura (ſcilicet in via cæli) me conſtituit, & direxit greſſus meos, legem ſuam me docendo. *Et immiſit in os meum canticũ nouum,* labia mea aperiendo, vt illum magnificarem ſummíſque laudibus miſericordiam ipſius celebrarem. Sed quid inde? *Videbunt multi & timebunt, & ſperabunt in Domino.* Timebunt, inquam, alij peccatores timore filiali, ſeipſos à peccatis & illius offenſis abſtinendo: & ſperabunt pariter, à miſeriis & peccatis ſuis eſſe liberandos. Audi etiam eundem in Pſal. 33. exemplo ſuo omnes ad miſericordiam recipiendam excitantem: *Accedite ad eum & illuminamini,* ait: *& facies veſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.* Accedite ad eum peccatores, qui per peccatum longè facti eſtis ab illo, ſicut cælum à terra, lux à tenebris, viſus à cæcitate diſtat: & illuminamini claritate vultus illius qui cæci eſtis, & in mediis peccatorum veſtrorum tenebris ambulatis: & facies veſtræ non confuſione & rubore perfundentur: vos enim benignè recipiet & veſtras preces exaudiet. Quando quis patitur repulſam, neque pro votis fit ei quod exoptat, ſolet confundi, & verecundari. Accedite ad eum confidentes: non enim repulſam patiemini, ſed iuxta petitionem veſtrã faciet vobis miſericordiam: *Quia iſte pauper clamauit.* Ego, inquam, qui pauper ſum à iuuentute mea, & in laboribus conſtitutus: & Dominus exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus liberauit. Quando imago Deiparæ de Guadalupe, aut quæcunque alia, aliquod operatur miraculum, ſiue captiuum ſoluit, ſiue mortuum ad vitam reuocat, vel claudum ambulare facit: ſolet ille qui beneficium accepit, ſeipſum coram omnibus oſtendere, vt glorificent Deum, eiúſque glorioſiſſimam matrem, ſudariúmque, aut catenas, vel fortè baculum, in loco publico Eccleſiæ ſuſpendere, vt ſic omnes ad impetrandum eius auxilium animentur: ſic Dauid qui per omnipotentis Dei manum à morte fuit erutus, & à peccatorum vinculis liberatus: ſeipſum ponit in exemplum, dicens: *Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum,* & peccata ſua quibus quaſi ſtrictiſſimis vinculis erat ligatus, quaſi ſuſpendit, ea publicando & confitendo, vt nos omnes ad idem

Pſal. 33.

Simile.

Simile.

prouo

Digitized by Google

prouocemur.Sed proh dolor!quanta eſt animi noſtri duritiees, quanta cordis obſtinatio,qui tali exemplo non mouemur,tanta liberalitate non incitamur, & tantam Dei miſericordiam contemnimus. In peccatis conſepulti iacemus, aures noſtras diuinis vocibus obturamus, in voluptatibus & deliciis vitam degimus, & pœnitentiam in poſterum reſeruamus: quam tamen morte præuenti,forſitan infectam relinquemus. Procraſtinantibus de die in diem, & vſque ad mortem pœnitentiam differentibus mihi conuenire videtur, quod de Babylone cecinit Sophonias, cap.2. Prædixit enim ciuitatem illam deſolandam eſſe,futurámque ferarum habitationem,& ſubdit: *Vox cantantis in feneſtra coruus in ſuperliminari, attenuabo robur eius.* Erunt, inquit, aues nocturnæ in feneſtris garrientes & cantantes,& coruus in ſuperluminari:quod licèt de Babylone dictum ſit, de noſtra Eccleſia intelligi poſſe,affirmat D. Hieronymus:Vbi non deficiunt nocturnæ aues, in tenebris vitiorum vitã tranſigentes,corui etiam in ſuperliminaribus. Corui cantus eſt,cras,cras: ſic ſunt quamplurimi peccatores,de quorum ore cantus hic ſemper egreditur:cras pœnitentiam agam, cras confitebor peccata mea,cras ſatisfaciam pro offenſis, honorem reſtituam,& diuitias malè partas,& nunquam ad finem huius cras deueniunt.Sed aduertit ipſemet Hieronymus,quod loco illius dictionis,*coruus*, Aquila vertit *gladium*, alij, *ſiccitatem*. Quare ſenſus erit,quòd illi qui tanquã feræ ſylueſtres, ad oſtium ſpeluncæ & foueæ peccati in quo exiſtunt, voces inutiles emittunt,& foras per veram confeſſionem egredi nolunt,in ſuperliminari huius vitæ,ſcilicet,in morte, nihil aliud quàm gladium diuinæ iuſtitiæ inuenient, ad ſcelera ſua vindicanda:inueniéntque ſiccitatem animabus ſuis valdè nociuã, quia rore cæleſtis gratiæ minimè perfundẽtur. Ne ergo in has deueniamus anguſtias, dedit nobis Deus magiſtros & Doctores pœnitentiæ, qui exemplo ſuo conuerſionem & pœnitentiam nobis perſuadeant: inter quos principem locum obtinet Dauid noſter qui exemplo ſuo nos docet & inſtruit, & ideo inquit: *Docebo iniquos vias tuas,& impij ad te conuertentur.*

Non differẽdam eſſe pœnitentiã.

Sopho.2.

D. Hier.

Coruus tardos ad pœnitendum figurat.

Aquila.

Nota.

Quod quidem,ſi vt verba iacent,intelligendum ſit,vt promittat verbo prædicationis vias Domini eſſe docturum iniquos,quod & fecit, Pſalmos quamplurimos ſcribendo,vt ait Iacobus de Valentia, in quibus vias Domini docet, videlicet miſericordiam & iuſtitiam,vita,& virtutes, pœnam,& gloriã: iam attende,quam recto ordine proceſſerit.Prius enim poſtulat ſuorum criminum veniam, gratiam per peccata amiſſam,

Iacobus de Valentia.

 ſpiritum

Digitized by Google

Contionator verbis & operibus prædicet. ſpiritum propheticum, & confirmationem in bono, & poſtea ſe doctorem repromittit. Prius enim de ſua reformatione quiſque doctor debet agere, & de ſua conuerſione, & deinde de prædicatione & doctrina aliis exhibenda: vt non ſolùm verbis, ſed vita & exemplo prædicet, ne verbum Dei ſit deſpectui, & contemnatur. O quam egregius prædicator D. Paulus, *1. Cor. 9.* qui aiebat *Non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Reprobus, inquam, in æſtimatione hominum, quia parui penditur, & reprobatur ab hominibus concionatoris do- *D. Greg.* ctrina, quando operibus non firmatur. Diuus Greg. ſuper Ezechielem, cap. 40. lib. 2. homil. 21. circa illa verba: *Et labia eorum palmi vnius reflexa intrinſecus per circuitum*, inquit: Quid eſt hoc, quod menſarum labia palmo metiuntur? niſi quod in palmo manus oſtenditur, & ſancti Patres, atque Doctores ea prædicant, in quibus auditorum opera tenduntur. Quaſi enim manum extẽdimus, cùm opera noſtra dilatamus. Et ſtatim oſtendit, quòd ea quæ prædicant, opere & ipſa adimplere debent, dicens: Penſandum verò eſt valdè, quod dicitur, quòd earundẽ menſarum labia interius ſunt reflexa. Tunc enim menſarum labia intrinſecus reflectuntur, quando Doctores ad conſcientiam reuocant tacita cogitatione quod dicunt: quando ſemetipſos ſubtiliter perſcrutantur, ſic faciunt quod loquuntur. O Doctor ecce iam menſa es, iam vaſa portas, iam in vaſis fidelibus pondus holocauſti & victimæ ſuſtines, ſed intus reflecte labium, id eſt, ad cor reuoca ſermonem: audi quod dicis, operare quod prædicas. Si enim negligis implere quod doces, aliis meſſem ſeminas, & ipſe à frumenti participatione ieiunas. Vnde ſcriptum eſt: *Cuius meſſem famelicus comedit.* Meſſem qui- *Iob 6.* dem Doctoris qui bona loquitur, ſed non operatur, famelicus comedit, quia is qui panem iuſtitiæ eſurit, operatur mandata quæ audit: & ipſe fructum non habet, qui ſeminando labora- *Prou. 19.* uit. Hinc Salomon ait: *Abſcondit piger manum ſuam ſub axilla, nec ad os ſuum porriget eam.* Nemo ita piger eſt, vt ad os manum reducere dum comedit laborem putet: ſed piger, nec ad os manum ſuam porrigit, qui nec hoc vult operari quod dicit. Hinc rurſum de benè docentibus & malè operantibus *Iſai. 77.* dicitur: *Filij Efrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli.* Intendunt arcum atque ſagittas mittunt, qui Scripturæ ſacræ ſententias proponunt, & verbis rectis auditorum vitia feriunt, ſed conuertuntur in die belli, quia poſt ſemetipſos redeunt in tentatione vitiorum, & pectus oppone

opponere nolunt, quia in tentationũ certamine non reſiſtunt: Adhuc verba ſunt D. Gregorij. Quibus explicat quanti momenti ſit concionatoris exemplum: & quod verba eius operibus ſint confirmanda. Verbum Dei muſica in ſacra Scriptura appellari ſolet Iob 35. *Qui dedit carmina in nocte*. Quare non incongruè concionator, muſicus à nobis appellabitur. Nulla enim ars plures manus requirit quàm muſica. Si muſicus aliquis, ſiue organum, ſiue citharam pulſans centum manus, ſicut Briareus haberet, omnes illi eſſent neceſſariæ, & nulla ſuperflua. Ob hanc cauſam Lacedemonij (vt refert Pierius) ſimulachrum Apollinis effigiẽtes, qui Deus erat muſicæ & ſapientiæ: cum quatuor manibus, & citharam pulſans depinxerunt. Concionator verbi Dei, qui citharam ſacræ Scripturæ quotidie pulſat, verámque ſapientiam alios docet, manus duplicatas debet habere, ad opere præſtandum quod docet: ne prædicatio eius riſum & contemptum pariat. Non enim carere myſterio exiſtimo, quod cùm Dominus Moyſi virgam illam dederit ad miracula & prodigia faciẽda, poſtea cùm corã Pharaone apparuit Exod. 7. noluit ipſe illam in terram projicere vt verteretur in ſerpẽtem, vt ibi dicitur: ſed dedit virgam Aaroni qui coram Pharaone loquebatur, vt illã projiceret, Quaſi diceret: Projice tu virgam & fac miraculum, qui Pharaonem alloquuturus es, & Propheta Dei es conſtitutus, vt ei prædices illius verbum. Exiſtimo enim hoc factum fuiſſe ad ſignificandum, quod ei, cui incumbit nomine Dei alloqui, illiúſque verbum prædicare: incumbit etiam opera, ſigna & miracula facere, quibus prædicatio eius confirmetur. Infirma enim eſt prædicatio Doctoris, & ad ſuadendum parum efficax, quæ operibus confirmata & ſtabilita non fuerit. Quapropter ait Salomon: *Sicut claudus fruſtra habet pulchras tibias, ſic non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Alia litera habet: *Claudus habet inæquales tibias, ſic parabola in ore peccatoris.* Significat his verbis (ni ego fallor) quòd ſicut claudus licèt elegantes & perpulchras habeat tibias, tamen ſi inæquales ſunt claudicat, nec rectè poteſt incedere: ſic concionator licèt elegantiſſima, & valdè ornata habeat verba, tamen ſi deſint ei opera, ſanctitas, & exemplum, nihil profectò efficiet: ſed verba eius inefficacia erunt & inutilia, ad permouendos animos, animáſque peccatorum conuertendas. O quàm egregius concionator Dauid extitit: qui, ne in aërem verba proferret, tã mirificã pœnitentiam ſuorum criminum fecit: tot ſuſpiriis & ſingultibus, tot lachrymarum imbribus, maculas, quibus vitam ſuam fœdauerat, delere

Iob 35.

Pierius Valer. lib. 33.

Exod. 7.

Nota.

Doctrina operibus cõformari debet.

Prou. 26.

Simile.

Eccl. 47. delere conatus eſt. Non immerito Eccleſi.cap.47.illius laudes
Nota. proſequutus eſt: *Sicut adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid inter filios Iſrael.* Quæ verba interpretatur Lyranus, dicens: quòd in ſacrificiis Deo oblatis, pro peccato & pacificorum, quæ non totaliter cremabantur: adeps ſeparatim ad honorem Dei ſemper cremabatur. De cæteris carnibus vna pars erat ſacerdotũ, & alia offerẽtium, in hoſtiis pacificis. Significat ergo his ver-
Dauid perfectè cõuerſus. bis quòd Dauid totaliter poſt conuerſionem ſuam fuit Deo dicatus: fuit enim quaſi adeps ſeparatus à carne, ſcilicet, à carnalibus deſideriis & affectibus aduerſus animam militantibus, fuit etiam igne charitatis combuſtus. Deóque omnino per deuotionem mancipatus. O egregium prædicatorem, qui verbo & opere, affectu & effectu, ore & vita, inceſſanter prædicaſti: & omnes peccatores pœnitentiam & lachrymas docuiſti. Rectè de te ipſo abſque vlla iactantia, dicere potuiſti: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.*

Lyranus. *Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ,* &c. Lyranus de pœna mortis quam per occiſionem Vriæ incurrerat, hunc locum interpretatur. Cui conſonat interpretatio Ionatæ
Paraphr. Chald. quæ ſic habet: *Libera me de iudicio interfectionis, Domine Deus, Deus redemptionis meæ: Stillabit laudem lingua mea iuſtitia tua*: quare ſenſus horum verborum erit: Libera me Domine qui Deus ſalutis meæ & redemptor vitæ meæ es, de morte: cuius dignus factus ſum propter innocentis Vriæ innoxium ſanguinem fuſum: & lingua mea cum ſumma exultatione toto tempore vitæ meæ laudes tuas decantabit. Vbi di-
Simmac. citur *iuſtitiam tuam.* Simmachus vertit, *miſericordiam tuam.*
Caſſiod. Quia, vt inquit Caſſiodorus, ſemper in omnibus Domini operibus, iſtæ duæ virtutes adiunctæ ſunt. Itaque, habemus ex his,
Vita v-ſus. quòd ſi Dauid vitam deſiderat, non eſt ad illum amplius offendendum: non ad ſanguinem multiplicandum, non ad opera carnis magnificanda, ventri indulgendo & luxui: ſed ad Deo inſeruiendum, illiúſque laudes decantandas. Ad hoc enim ſalutem corporalem & vitam deſiderare debemus, ſcilicet, ad ſeruiendum Deo, pœnitentiæ dignos fructus faciendum,
Iſa. 38. illúmque in perpetuum laudandum: *Domine,* dicebat ſanctus ille Rex Ezechias, cum morti iam eſſet vicinus, *ſaluum me*
D. Aug. *fac, & Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ*
Homo ad quid creatus. *in domo Domini.* Ad hunc enim finem homo creatus eſt, vt inquit Auguſtinus, vt illum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur: quare ad eundem
Simile. etiam finem vitam & ſalutem ordinare debet. Solet interdum ruſtici

Digitized by Google

ruſtici alicuius populi communitas, quãdo aliquod negotium apud Regem habet vnum ex omnibus ſapientiorem eligere, *el bachiller del pueblo*, qui tanquam omnium illorum lingua mittitur: illíque fandi copia conceditur: quia cæteri ruſtici ad id muneris ſunt minus idonei: Sic Deus poſtquam mundanam hanc rempublicam creauit, in qua tot ſunt creaturæ, ruſticæ quidem & minus idoneæ ad creatorem ſuum pro meritis laudandum, hominem inter omnes elegit tãquam ſapientiorem, vt pro omnibus illis loqueretur, inceſſantérque illum exaltaret. Quapropter, cùm hic fuerit finis conditionis eius, in hoc debet vitam & ſalutem inſumere.

Hinc codemnatus manet error illorum, qui exiſtimant vitam ad comedendum & bibendum, ad vacandum deliciis & voluptatibus conceſſam fuiſſe, & illum diem fœlicem & beatum iudicant, in quo contingit eis in huiuſmodi rebus debacchari. Cuius opinionis fuerunt Epicurei, qui in deliciis & voluptatibus fœlicitatem noſtram ſitam eſſe exiſtimârunt: de quorum numero, quamplurimos hiſcè noſtris temporibus eſſe video, qui licèt nõn verbis, factis tamen doctrinam hanc amplectuntur: illud Sapient. capit. 2. intra ſemetipſos dicentes: *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis, &c. Venite ergo fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra. No perdomenos a ocaſion de contento, demos vn verde anueſtras paſſiones.* De Sardanapalo etiam primo Aſſyriorum Imperatore legitur eum in ſuo ſepulchro, hæc carmina ſculpſiſſe.

Epicurus carpitur.

Sap. 2.

Sardanapali epitaphium.

Ede, bibe, & lude.
Poſt mortem nulla voluptas.

O egregiam doctrinã & epitaphium mirificum: quid enim aliud bos aut aſinus ad pabulum nati dixiſſent? At homo natus eſt, non ad indulgendum corpori, carníque ſuæ inſeruiendum, quia maior eſt & ad maiora natus, quàm vt ſit vile corporis ſui mancipium. Natus quidem eſt ad fruendum Deo, & interim ad eum laudandum & magnificandum. Eccl. 7. dictum eſt: *Deus de terra creauit hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum.* Et paulò poſt: *Poſuit oculum ipſorum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius:* vt

Eccle. 7.

vt magnalia enarrent operum eius. Quorum omnium hæc ſumma eſt. Deum idcirco hominem talémque condidiſſe, vt eſſet qui opera eius mirabilia intelligeret, qui prouidentiam diſponendi, rationem faciendi, virtutem conſummandi, potentiam conſeruandi, ſapientiam gubernandi, clementiam benè faciendi, & ſenſu admirari, & voce enarrare, atque collaudare poſſet. Hoc eſt, vt Deum factorem coleret. Et licèt hoc generaliter de omnibus hominibus intelligendum ſit: ſpecialiter tamen ad hoc tenentur clerici, & religioſi, quibus ex munere & officio hoc magis incũbit. Quemadmodũ in veteri teſtamento ex electo populo ſubelegit Dominus filios Leui, qui ſpecialiter ſibi in miniſteriis tabernaculi deſeruirent, ſecundũ quod locutus eſt ad Aaron: *Ego*, inquit, *dedi vobis fratres veſtros Leuitas de medio filiorum Iſraël, & tradidi donum Domino, vt ſeruiant in miniſterijs tabernaculi eius*: quos poſtea Rex Dauid inſtituit, vt ſtarent mane, ad confitendum & canendum Domino: ſic ſimili modo in nouo teſtamento, in populo Chriſtiano ſubelecti ſunt clerici & ſacerdotes, atque religioſi viri, vt ſpecialius Domino ſeruiant, eiúſque laudes tota animi deuotione decantent. Quod teſtimonio Apoſtolorum Petri & Pauli comprobatur, dicentium: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius.* Paulus autem ſic: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem, gloriæ, gratiæ ſuæ.* O fœlicem ſtatum, ô glorioſiſſimam & inclytam gentem, quæ in terris collocata, vitam degit cœleſtem, & beatarum mentium officium æmulatur: de quibus illud Iſaiæ dici poteſt: *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Gens vtique, quæ à ſanguinibus libera, ab omníque affectu carnis aliena, iuſtitiam Dei ſummámque eius bonitatem inceſſanter exaltat.

Clerici & religioſi magis tenẽtur ad laudandũ Deũ. *Nu. 18.* *1. Petr. 2.* *Epheſ. 1.* *Iſa. 34.*

D. Auguſt. Hieronymus, & Theodoretus, per ſanguines peccata intelligunt: quæ ex vitiata natura, & ex corruptione noſtræ carnis & ſanguinis multoties proueniunt. Cui etiam ſententiæ Doctor Incognitus ſubſcripſit, dicens: Notandum, quod in Scriptura ſacra ſanguis peccatum ſignificat: quia ſicut inter omnes humores ſanguis eſt magis maculatiuus, ſic & peccatum animam ſummè deturpat. Vnde Gregor. 23. moral. cap. 10. ait, per Prophetam dicitur: *Sanguis ſanguinem tetigit.* Solet enim ſanguinis nomine ſignificari peccatum: ſanguis ergo ſanguinem tangit, cum culpa cumulatur. Itaque peccatum comparatur ſanguini, quia animam commaculat & deturpat.

D. Aug. Hieron. Theodor. *Sanguis peccatũ ſignificat* *Doctor Incogn.* *D. Greg.* *Oſeæ 4.*

Digitized by Google

turpat. Quis enim, ô bone Deus, ſufficienter depingere poſſet deformitatem animæ in peccato mortali exiſtentis? Tanta enim eſt eius fœditas & deformitas, quòd à ſeipſa expaueſceret, ſi ſe poſſet intueri. Dicitur enim per Nahum, cap. 2. *Facies omnium ſicut nigredo ollæ.* Vbi alia litera habet: *Sicut aduſtio ollæ.* Si ollam nouam & intactam igni applices, ſtatim ex combuſtione ignis & fumi cõtactu, tanta nigredine fœdatur, quòd non eadem ſed alia tibi eſſe videbitur. O ſi alicui conceſſum eſſet animam in gratia intueri: equidem pulchritudinem eius ſummopere miraretur, quia puritate cœlos vincit, claritate ſtellas facilè ſuperat, & pulchritudine Angelis non eſt inferior: quam ſi poſtea culpa fœdatam aſpexerit, abſque dubio multomagis in admirationem & ſtuporem rapietur, illam minimè cognoſcẽs, quia carbonibus & titionibus nigrior & deformior effecta eſt. Vbi dicit Dauid Pſalm. 105. *Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum*: In aliquibus originalibus legitur: *Et interfecta eſt terra in ſanguinibus*, id eſt, in peccatis. Vbi ſecundum Hugonem methonimia committitur. Sumitur enim continens pro contento, id eſt, terra pro hominibus. Itaque, ſenſus eſt quòd homo per peccatum occiditur. Videte fœminam virginem & adoleſcentulam ſummáque pulchritudine pollentem, omnium ora ad ſe conuertentem, & in maximam admirationem rapientem: & hanc eandem poſt mortem contemplamini, mirabimini quidem, quanta circa eã facta fuerit permutatio. Quam deformis aſpectu, quam horribilis viſu: albedinem in nigredinem, colorem purpureum in pallorem, ac denique pulchritudinem in deformitatem commutatam videbitis, ita vt ſenſibus timorem & horrorem ingeneret. Nõ ſecus animæ ad imaginem Dei creatæ contingit, quæ cùm in gratia conſiſtebat, quæ vera eſt illius vita: tanta condecorabatur pulchritudine, quæ cum Angelis certare poſſet poſtquã verò gladio peccati interficitur, amiſſa pulchritudine gratiæ, deformitatem induit horribilem: quia abominabilis ſicut ea quæ dilexit fit. Exclamet ergo anima peccatrix, & cum Dauide ſancto dicat: *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam*: vt propter miſericordiam Dei à ſanguinibus peccatorum liberata, & à ſordibus criminum abluta, conſequatur gratiam & gloriam.

Animæ peccatricis deformitas.
Nahũ 2.
Simile.
Pſal. 105.
Hugo Card.
Homo per peccatũ occidit animã ſuã.

CONCIO SEPTIMA.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis, non delectaberis.

CVM non ſolùm diuinæ, verùm etiam humanæ philoſophiæ veritas doceat, nihil fruſtra & ſine cauſa ſub ſole fieri, tam in naturæ, quàm Dei operibus: non parum mentes eorum, qui ſingulorum cauſas inueſtigare conati ſunt, diuexauit, conditionis humanæ rationem reddere: cuius, inquam, gratia, & ad quid homo rationis capax fuerit creatus. Ad quam diſſoluendam quæſtionem, etſi multorum Philoſophorum ingenia ſolicitè ac plurimum laborauerint, tamen nullus eorum verum ſcopum attingere potuit, aut integram verámque rationem reddere: quia potius in varios inextricabiléſque errores prolapſi ſunt.

Finis creationis hominis.

Empedocles dixit creatum fuiſſe ad videndum ſolem, & de alio Philoſopho refert diuus Auguſtinus ſermo. 55. ad fratres in Herem. tom. 10. quòd dum ab eo quæreret Tyrannus, quare te Deus fecit? Reſpondit: vt contemplarer cælum, & cælorum numina. Factus enim eſt homo in terra, non ad terram, ſed ad cælum: & factus eſt de terra, non propter terram, ſed propter cælum, cui videtur illud Ouidianum alluſiſſe, libro primo Metamorpho.

Empedocles. *D. Aug.* *Ouidius Metam. lib. 1.*

Os homini ſublime dedit cælúmque videre
Iuſſit.——

Sed his & aliis omiſſis opinionibus, dicat nobis B. Auguſt. ad quid homo creatus ſit. Creauit, inquit, Deus hominem vt illum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur. Itaque, finis eſt diuina fruitio: ſed medium ad hunc finem conſequendum, eſt eius cognitio, & contemplatio: quæ etiam aliquo modo finis, licet non vltimatus dici poteſt. Cùm enim tot Deus creaturarum ſpecies in lucem produxiſſet: tamen nulla illarum rationis erat capax, vt creatorem ſuum intelligere poſſet, illúmque in operibus ſuis magnificare: qua ſexta die creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, diſcurſiuum, inquam, & rationis compopotem, vt ſingula eius opera contemplaretur, & ex eorũ conditione,

D. Aug.

Digitized by Google

tione, admirabilem eius ſapientiam admirans, in conditoris laudes prorumperet. Sic quippe faciebat Regius Propheta Pſalm.90. cùm dicebat: *Delectaſti me, Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ, vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Sed D. Hieronymus ex Hebræo ſic vertit: *Quoniam lætificaſti me Domine in opere tuo, in factura manuum tuarum laudabo.* Non enim dubium eſt, quin viſa rerum corporalium, & maximè corporum cœleſtium pulchritudine, ad factoris ſui perfectionem exaltandam, diuináſque laudes commendas, animus noſter excitetur. Quare Sapient.13. dicitur: *Solem & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt: quorum, ſi ſpecie delectati, Deos putauerunt: ſciat quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt: aut ſi virtutem & opera mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis: à magnitudine enim ſpeciei vacat creatura, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Optimum quidem hoc eſt argumentum, quod à minori ad maius appellatur. Si enim creaturæ iſtæ viſibiles, propter pulchritudinem quam habent, cùm à ſummo creatore eam receperint, tantam laudem apud homines adeptæ ſunt: quòd eis honores diuinos tribuerunt: quãto maiori laude illarum creator & pſalmator Deus dignus erit, qui eas ſapientia ſua formauit, & infinita pulchritudine ſuperat? Creauit ergo Deus hominem, vt mũdi huius viſibilis eſſet inſpector, cunctáque eius opera contemplaretur: & ex eorum contemplatione ad laudes eius decantandas prouocaretur. Quod Seneca inſignis Philoſophus non reticuit, aut ignorauit: ſic enim ait libro de vita beata cap. 28. Curioſum nobis natura ingenium dedit, & artis ſuæ ac pulchritudinis conſcia, ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formoſa, ſolitudini oſtendere: vt ſcias illam ſpectari voluiſſe, non tantum aſpici. Hinc fit, quòd cùm finis ad quem homo creatus eſt, ſit ad illum cognoſcendum & laudandum: ille verè humanam vitam, rationíque conſonam, degere cenſendus eſt, qui in Dei contemplatione & laudibus occupatur. Vulgus enim imperitum, illum ſolum benè occupatum minimèque otioſum eſſe cenſet, qui vel in excolendo terram, vel in plantandis vineis, aut ædificandis domibus, vel mercatura exercenda, debacchatur: cũ verè omnia hæc puerilia ſint hominéque ad imaginem Dei creato, indigna. Dicite obſecro, quis veſtrûm agricola

Pſal.90. *D. Hier. verſio.* *Sap.13.* *Sen.* *Vulgus carpit.*

cola brachiis ſuis puerulum portantem, & cum eo ludentem, vel forſitan domos ex cartis pictis ædificantem, videns benè occupatum iudicaret? Quis gigantem, fuſum, & colum manibus tenentem, ad penſum ſuum inſtar mulieris perficiendum, non irrideret? Quis vtrumque omnino ocioſum nō iudicaret? quia licet in aliquibus occupati ſint, tamen non in officiis ſibi congruentibus. Agricolæ enim ligo conuenit: giganti verò, claua & haſta: in quibus ſi exerceantur, tunc legitimè erunt occupati. Sic nimirum de nobis cenſendū eſt, cùm homo creatus ſit, nō vt vile corporis ſit mancipium, ſed ad maiora natus, vt aiebat Seneca, ſcilicet, ad Deum ſuum contemplandum, & laudibus efferendum: tunc aliquis ritè occupatus eſſe dicitur ocioſitatémque fugere, quādo ſtudium hoc amplectitur: quando verò circa alia diuagatur, ocioſus dici debet, & in nihil agendo, occupatus. In Geneſi enim dicitur, quòd *collocauit Deus hominem in paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret illum.* Et licèt de hac hominis operatione diuerſæ ſint ſententiæ, vt apud Lyranum licet intueri: exiſtimo tamen, non ad operationem corporis, ſed mentis referendum eſſe, nulla quippe operatione, aut cultura paradiſus ille voluptatis indigebat, quia ipſe vltroneus, & ſua ſponte, fructus ſuauiſſimos producebat: neque ad hoc aliqua humana induſtria & arte erat opus. Intelligendum ergo eſt de operatione mentis, quæ propria eſt hominis operatio, id eſt, vt contemplaretur ibi Dei opera, opificémque diligeret & magnificaret: & ſic Deus illum illæſum ab omníque periculo immunem cuſtodiret. Hæc igitur eſt vera hominis occupatio, hoc illius exercitium, & ad hoc à ſummo opifice conditus eſt, vt illum cognoſcat & laudet. Confirmat hoc Propheta Regius, dicens: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Cui quæſtioni inter alia reſpondet: *Qui non accepit in vano animam ſuam.* In vano autem aliquis quid accepit, quando finem ad quem ordinatur non cōſequitur. In vanum miles accipit arma, qui ad militiam non procedit, in vano quis accepit veſtem quam tamen nunquam induit: Anima nobis à Deo conceſſa eſt, non ad diligenda terrena, quæ vana ſunt & nullius momenti, cùm ipſa ſit immortalis: ſed ad cognoſcendum ipſum Deum, & diligenda cœleſtia. Vnde, qui à diuina contemplatione & dilectione omnino manum amouet: in vanū animam accepiſſe meritò dicitur: Nam quid intelligit, qui Deum non intelligit? Quid diligit, qui non diligit Deum? Hoc intelligens Propheta ſanctus, videns quod propter peccatum Bethſabee à contemplatione

Simile. *Seneca.* *Geneſ. 2.* *Lyranus.* *Pſal. 23.* *Quis in vano animam acceperit.* *Simile.*

cœleſtium

Digitized by Google

cœleſtium,& à diuinis laudibus ceſſauerat,peccato os eius obſtruente,& linguam ligante:poſtulat à Deo,quod potenti manu ſua, linguæ & oris impedimenta ſoluat:vt in eius laudes liberè poſſit prorumpere.*Domine*,inquit,*labia mea aperies,& os meum annunciabit laudem tuam*.

Optimus hîc locus ſe nobis offert,ad aliquid de diuinis laudibus dicendum.Et vt in hoc etiam à nobis laudetur Deus,rationes aliquas,ex innumeris , quibus laude dignus eſt, aperiamus. Et primo laudandus eſt eò quòd maior ſit omni laude: nec dignè eum laudare ſufficimus.Sicut enim Eccleſiaſt.inquit cap.43. *Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabibilis potentia ipſius,glorificantes Dominum quãtumcumque potueritis,ſuperualebit adhuc,& admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum poteſtis maior enim eſt omni laude*.Huc etiã ſpectat illud Dauidicũ Pſal.105. *Quis loquetur potentias Domini , auditas faciet omnes laudes eius ?* Quaſi diceret , nullus hoc dignè & ſufficienter præſtare poterit : quia licèt magnus Dominus & laudabilis nimis , ſed magnitudinis eius non eſt finis : quare neque laudis, quia laus ſecundùm virtutem magnitudinis eſſe debet. Duo illa Seraphin quæ erant in arca fœderis, de quibus in Exodo fit mẽtio, alas ſuas extenſas habebant,quibus arcã ipſam tegebant,eránt-que quaſi ſtupefacta,& ad inuicem ſe intuenta. Itaque,quando ſacerdos ſummus thura offerebat,& ſacrificia, quando oues & boues mactabat, quando cantores ſuaui ſua melodia, citharas percutientes,laudes canebant:ipſa Seraphin muto quodã ſilentio & ſtupore,Deum adorabant: quaſi oſtendentia quòd verus modus laudandi Deum eſt,ſub ſilentio illum adorare: & quòd Angelorũ linguæ ad id muneris exequẽdi ſunt impares. Greg. in morali. inquit. Facilius de Deo loquitur,qui obſtupeſcenda tacet.Pſal 64 Vbi noſtra vulgaris habet:*Te decet hymnus Deus in Sion*. B.Hieronymus vertit ex Hebræo : *Tibi ſilentium laus Deus in Sion*. Paraphraſis verò Chaldaica ſic:*Coram te reputatur ſicut ſilentium laus Angelorum Deus, cuius maieſtas reſidet in Sion*. Ex quo efficax argumentum deſumere poſſumus: quia ſi cœlicolarum mentium harmonia, ſi ſupernorum ſpirituum cantus, ſi ſupremorum Angelorum laus , quaſi ſilentium reputatur in conſpectu Dei,quid de noſtris laudibus,ruditate, deſidia,atque torpore præditis,exiſtimandũ erit:Omnis enim noſtra laus exigua eſt in conſpectu illius , & quidquid de illo humana fragilitas concipere poteſt,aut proferre,quã ſilentium & nihil reputabitur ; ſed in hoc ſaltem à nobis laudari poteſt

Eccl. 43.

Deus ſufficienter à nobis laudari nequit.

Pſal. 105.

Exod.25.

Figura.

Pſal. 64.

B. Hier. ex Hebræo:

Paraphr. Chald.

quòd omnem noſtram laudem anteire & procellere, cognoſcamus. Et hinc prouenisse Pierius existimat, apud antiquos ſacrificandi ritum, quòd ſupremo Deo mente & intellectu ſolo ſine ſermone, ſine ſono ſacrificabant. Quare Crocodilus, eo quòd elinguis, ſit, huius ſilentij habita ratione, ab Ægyptiis colebatur, quaſi confitentes, quod Deus ſilentio magis, quàm aliqua noſtrarum laude colendus eſſet & laudandus.

Animaduerte etiam, quòd noſtris laudibus nihil Deo accreſcit, alioquin non eſſet Deus, nec laude dignus: quod & adnotauit diuus Auguſtinus ſuper Pſal. 49. Quærit ibi quid noſtris laudibus Deo conferamus. Laudans inuoca, hymnum dic, Deo tuo, ſacrificium laudis, maior gloria erit Deo, quia magnificas eum? aut adiicimus gloriam Deo, quando ei dicimus glorifico te Deus meus? Ipſe quando nos benedicit facit nos ſanctiores, facit nos fœliciores, quando nos benedicit facit nos glorioſiores, quando eum glorificamus, nobis prodeſt, non illi. Quare Deum glorificare & laudare, vt inquit D. Bonauent. de proceſſu religionis, cap. 8. nihil aliud eſt, quàm eum laudabilem agnoſcere, vel oſtendere. Vnde eſt, inquit, quòd ſancti omnes creaturas, tam rationales, quàm irrationales, & inſenſibiles, ad laudem Dei inuitant: quia omnia opera eius eũ oſtendunt laudabilem. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, inquit Dauid, id eſt, cœli oſtendunt eſſe glorificandum, & firmamentum quaſi erudititiſſimam haberet linguam, omnipotentiam manuum ſuarum oſtendit. Hoc ergo ſuppoſito, quòd laudes noſtræ nil Deo conferunt vtilitatis, ſed nobis potius: vult tamen à nobis pro noſtrarum virium tenuitate laudari & magnificari: vt vel ſic ſupremos ſpiritus imitantes, vitam cœlitem in terris degamus. Conſtat enim ex Scriptura ſacra fœliciſſimos illos cœlicolas, igne charitatis accẽſos: iuxta diuinas laudes eſſe occupatos. Vnde multoties viſum eſt, Angelos apparuiſſe canentes, Iſai. 6. vidit duo Seraphin, quæ Dominum à capite vſque ad pedes alis ſuis tegebant: quaſi maieſtatem & claritatem vultus eius non ferentia, clamantia dulciſſima voce & dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* In Apocal. etiam cap. 19. teſtificatur Ioannes, ſe in cœlo magnam Angelorum multitudinem audiuiſſe (ſicut Aug. legit) canentium ſuaui concentu & melodia, Alleluia, quod idem quod laudate Deũ, ſignificat: & poſt dictum Alleluia, ſtatim tractus inſonuit: *Laus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt.* Habetur etiam apud librum Iob. cap. 38. expreſſus locus, vbi dicitur: *Vbi eras cùm me laudarent aſtra*

D. Aug. *D. Bona.* *Pſal. 18.* *Angeli diuinas laudes decantãt* *Iſaia 6.* *Apoc. 18.* *Auguſt.* *Iob 38.*

Digitized by Google

aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei: Quæ verba de ſanctis Angelis intelligit. B. Gregorius 28. moral. cap. 14. dicens: Quia primo in tempore, condita natura rationabilium ſpirituum creditur, num immeritò matutina aſtra Angeli vocantur: vnde matutina aſtra ſimul cum veſpertinis, redemptoris potentiam laudant, dum electi Angeli, etiam cum redemptis in fine mundi hominibus, largitatem gratiæ ſupernæ glorificant. Ipſi quippe Angeli, vt nos ad laudem conditoris accenderent, orta per carnem luce clamauerunt: *Gloria in excelſis Deo.* Hinc fit, quòd Eccleſia ſancta ab Spiritu diuino edocta, ab incunabulis (vt aiunt) cupiens cœleſtem in terris imitari vitam, hymnos & cantica ſpiritualia inſtituit, quæ Deo voce ſonora & publica canerentur, ad eius laudes celebrãdas. Quam doctrinam piiſſimámque conſuetudinem, primò docuit ipſe Redemptor & Saluator noſter Chriſtus, quia ante paſſionem & mortem ſuam, in gratiarum actionem, hymnum Domino decantauit. Dicitur enim Matthæi 26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Dixit enim hymnum alta voce alternatim cum diſcipulis ſuis, in gratiarum actionem, poſt ſacroſanctæ Euchariſtiæ inſtitutionem: eſt autem hymnus ſecundùm D. Auguſtin. ſuper Pſalm. 72. & D. Iſidorum lib. 6. Etymologiarum cap. 34. Laus Dei cum cantico, vel canticum laudantium. Accepit etiam & à diuo Paulo, qui cùm eſſet vna cum Syla in carcere, vt habetur Actorum 16. *Adorantes laudabant Dominum, & audiebant eos, qui cuſtodes erant carceris.* Tribuit etiam huius rei teſtimonium Plinius Iunior in Epiſtola ad Traianum Imperatorem ſcripta, qui de Chriſtianis verba faciens, affirmauit: ſe in illis nullam aliam reperiſſe culpam, præterquam quòd media nocte ſuo Chriſto antelucanos canebant hymnos. Quin & Socrates Conſtantinopolitanus refert, vnde ſumpſerit initium, vt antiphonæ & reſponſoria in Eccleſia canerentur, & inquit: Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius ab Apoſtolo Petro Epiſcopus, vnà cum Apoſtolis conuerſatus, aliquando viſionem Angelorum, reſponſoriis & hymnis, Sanctam Triadem laudantium vidit, & modum viſionis Antiochenæ Eccleſiæ tradidit, vnde ad omnes Eccleſias iſta traditio promanauit.

D. Greg. *Eccleſia cantica docuit Chriſtus.* *Mat. 26.* *D. Aug.* *D. Iſidor.* *Hymnus quid.* *Act. 16.* *Plin. Iun.* *Socrates Conſtan. li. 6. hiſt. eccl. c. 9.*

Sed quomodo huiuſmodi modulatio fieri debeat, vt Deo ſit accepta, diſputatur à D. Athanaſio interpretatione Pſalmo ad Marcellinum, dicens: Quod exterior modulatio & concentus, latentis ſpiritus, ordini & compoſitionis eius, debet eſſe ſignum, & ſubdit: Qui igitur non ad iſtum modum legunt ſa- *D. Atha.*

cras Odas, non prudenter pſallunt, ſed ſeipſos oblectant, habituri reprehenſionem, quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Contingere poteſt apud homines, aliquem inimicum ſuum modulantem aud,re, & muſica eius valdè delectari, quia cor illius non intuetur, nec latentem inimicitiam videt: at Deo cui omnia nuda ſunt & aperta, peccatoris laus & hymnus, cuius viſcera dolo & malitia plena ſunt, nequaquam placere poterunt. Si ſola inſtrumenti diſtemperantia ſufficiẽs eſt, ad hoc quòd muſica aures audientis offendat: quantò magis apud Deum diſtemperatus animus, & mens ab omni rectitudinis concentu aliena? Doctor Incognitus ſuper illa verba Pſalm. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*, inquit: Quòd ideo in conſpectu Angelorum promittit ſe concenturum, quia ſolus mundus & purus, Deum dignè laudare poteſt. Et ideo, inquit, qui Deum vult laudare dignè, vel ei confiteri, puritatem Angelorum ſibi proponere debet pro forma, & illam imitari. Dicitur etiam in Apocalypſi cap. 14. quòd vidit Ioannes agnum ſtantem ſupra montem Sion, quem comitabantur centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis: & quòd audiuit vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam tonitrui magni: ſimilem voci & melodiæ citharœdorum citharizantium in citharis ſuis: & cantabant quaſi canticum nouum, quod nemo poterat proferre, niſi illa centũ quadraginta quatuor millia: de quibus ſubdit, quòd erant ſine macula ante thronum Dei. Per numerum iſtorum Deo canticum illud nouum canentium, vel continentes & virgines intellige cum Lyrano, vel cum Hugone vniuerſos Chriſticolas, qui erant ſupra montem Sion cum agno, id eſt, in Eccleſia cum Chriſto, illum ſequentes & imitantes: qui habent nomen eius in frontibus ſcriptum, id eſt, publicè & manifeſtè Chriſtum, eiúſque fidem profitentur, non ſolum in corde per fidem, ſed in fronte per exteriora opera: & nomen etiam patris eius, quia ſicut à Chriſto Chriſtiani appellantur, ſic à Deo patre, Dij iure optimo appellari poſſunt. *Ego dixi Dij eſtis. Vox eorum quaſi vox aquarum multarum*, id eſt valdè Deo grata, quia vox aquarum decurrentium fluminum, grata ſolet eſſe auribus, & quaſi tonitrui magni, id eſt, dæmonibus formidoloſa: quia dæmon à voce diuinarum laudum timet, ſicut patet de Dauide, qui citharam propulſando, & Pſalmos concinendo diabolum, à Saulis corpore propulſabat. Et quaſi citharœdorum citharizantum, &c. Corpus noſtrum cithara appellari ſolet & inſtrumentum

Eccl. 15. *Diſſimile.* *Doct. Incog. ſuper Pſal. 137.* *Apoc. 14.* *Lyranus Hugo.* *Pro virginibus.* *Pſal. 81.*

Digitized by Google

mentum, quapropter dicebat Plato, corpus noſtrum eſſe citharam, animam verò intus latentem citharœdum varias circa illud conſonantias & modulationes exercente: nunc oculis videt, nunc auribus audit, nunc lingua guſtat, deinde manibus tangit. Vt ergo muſica & harmonia noſtrarum laudum Deo ſit grata, ſicut muſicus citharam percutit, ita & vnuſquiſque corpus ſuum percutere & affligere, contritione, pœnitentia, & diſciplina debet. Sic enim percutiebat Paulus, qui dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Et ſicut chordæ citharæ ſuper lignum extenduntur, vt muſica ſit grata & ſonora, ſic & membra noſtra debemus, ſuper lignum crucis extendere per conformitatem illius, vt laudes noſtræ non ſint illi ingratæ. Sequebantur agnum, quocumque ibat, quia tam per viam regiam & communem mandatorum, quàm per ſemitas conſiliorum illum ſequebantur. Et hi (per quos religioſos, qui diuinis laudibus perſoluendis mancipati ſunt, intelligo) ſunt primitiæ Deo & agno, id eſt, valdè grati & accepti, ſicut primi fructus terræ eſſe ſolent. Sed ſuper omnia attendendum eſt, quòd ad cõcinendum canticum illud nouum, ſine macula eſſe dicuntur ante thonum Dei, hoc eſt coram Deo: quia orationes & laudes eorum, quorum animæ fœditate peccati maculatæ ſunt, Deus nõ acceptat: quinpotius ab eis, aures ſuas auertit. Et ad hoc in Pſal. 49. locus minimè pœnitendus. Vbi poſtquam Deus oſtendit ſacrificia illa legis Moſaicæ ſibi grata per ſe non eſſe, ſed quatenus Chriſtum figurabant, ſtatim ſubdit. *Immola Deo ſacrificium laudiũ, & redde altiſſimo vota tua.* Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Vbi ſecundùm expoſitionem Lyrani, & Incogniti, quã etiam Burgenſis ſequitur de ſacrificio ſacroſanctæ Euchariſtiæ loquitur, quod appellatur ſacrificiũ laudis, quia præ omnibus aliis omni laude dignum eſt. Sed, vt ad noſtrum redeamus propoſitum, Paraphraſis Chaldaica ſic habet. Reprime concupiſcentiam prauam, & reputabitur coram Domino, ſicut ſacrificium confeſſionis, & redde altiſſimo vota tua, quæ vouiſti in Sinai, vt firmares præcepta, & ora coram me in die afflictionis, liberabo te, vt honorem exhibeas mihi: impio autem, qui non agit pœnitentiam, & orat in præuaricatione, dixit Deus: quid tibi vt enarres præcepta mea? Conſtat ergo, quòd ad Dei ſummi contemplationem, eiúſque diuinas laudes decantandas, puritas mentis & immaculatæ vitæ innocentia requiritur: quia *peccatum*, vt inquit Theodoretus, *linguam ligare ſolet, & os oppilare, ſtrangulare, & cogere vt conticeſcat.* Et diuus Baſilius ſic

Plato.
Anima citharœdus dicitur, corpus cithara.
1. Cor. 9.
Religioſi valdè Deo grati.
Pſal. 49.
Lyranus.
Incognit.
Burgenſ.
Euchariſtia.
Paraph. Chald.
Nota.
D. Theo.
D. Baſil.

Digitized by Google

inquit: *Hæc eſt peccati natura, vt linguam obliget, & os obturet.* Quare Dauid agnoſcens ſe eſſe peccatorem, & in multis deliquiſſe, ad diuinas laudes decantandas, primum obſecrat, vt Deus labia eius aperiat, dicens.

Domine, labia mea aperies. Rectè petit à Deo quòd os eius aperiat, quia ipſe clauem oris habet, aperit os, linguámque facit diſertam, vt de eo digna loqui poſſit, & ipſe illud occludit, ne effrænis in verba indecentia prorumpat. Eccleſ.28. *Ori tuo*
Eccl. 28. *facito oſtia & ſeras, & in verbis tuis facito ſtateram.* Et inquit
D. Greg. Gregorius quod hoc oſtium poſtulauit, qui dicebat: *Pone Do-*
Pſal.140. *mine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis.* Pſal.140. Eſt enim lingua indomabilis beſtia, quam niſi Deus intra labiorum oſtium occludat hominem in infernum præcipitabit. Igitur ſicut Deus habet oris clauem ad illud occludendum, ſic & linguæ, ad rectè loquendum: taliter quòd ſine eius auxilio neque vnicum verbum meritorium & laude dignum, poteſt proferre. Nec mirum videri debet, quòd habeat claues
Act.16. oris, cùm habeat etiam cordis. Dicitur namque Actorum 16. *Quadam mulier nomine Lyda purpuraria audiuit, cuius Dominus aperuit cor, intendere ijs quæ dicebantur.* Sed & aures
Iſai.60. aperit Dominus, vt verba eius audiamus. Iſai.60. *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorſum non abij.* Aperit etiam oculos cæcorum vt videre poſſint: Vnde dicitur 4.Reg.6. quòd ad orationem Heliſæi aperuit Dominus
4.Reg.6. oculos pueri ſui, & vidit montem plenũ equorum & curruum igneorum in circuitu Heliſæi. Itaque ex his collige, Deum totius hominis habere clauem: taliter, quòd ſine Deo neque caput ſcalpere poteſt, aut reſpirare. Ex quo dependentia ipſius hominis à Deo factore ſuo colligitur: ſine quo neque manum, aut pedem mouere poteſt. Comparatur homo vmbræ in ſacra
Pſal.110. Scriptura. Inquit enim Dauid. *Dies mei ſicut vmbra declinaue-*
Sapien.2. *runt.* Et Sapient. cap.2. *Vmbra enim tranſitus eſt tempus no-*
Vide de hoc Fuſas in Oleaſtro ſuper cap.1. Gen. *ſtrum.* Geneſ.1.cap. vbi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* In aliquibus codicibus ponitur dictio vmbram ſignificans: quaſi diceret, *ad vmbram noſtram.* Eſt enim homo quaſi Dei vmbra, in ſuis actionibus ab illo dependens, vel quaſi imago in ſpeculo repræſentata, quæ omnino ab eo cuius eſt imago, in ſuis motibus & actionibus
Simile. dependet. Vt vmbra, vel imago ſpeculi moueat manum, vel pedem, prius corpus debet illum mouere: ſi ambulat, ambulat, ſi ſtat, pariter & ipſa non mouetur: ſi claudit oculos, claudit, ſi aperit, ſtatim illam imitatur. Sic homo in omnibus ſuis actionibus

actionibus à Deo eſt dependens: quia in ipſo viuimus, moueamur, & ſumus, & nihil ſine ipſius adiutorio & auxilio, ſiue naturale ſit opus, ſiue gratuitum, præſtare poſſumus. Quando Rex Balthaſar manum illam horribilem vidit contra candelabrum ſcribentem verba illa, in quibus ſuæ mortis continebatur ſententia: aſſignans Daniel capite quinto huius vindictæ, diuinæque iuſtitiæ cauſam, inquit: *Quia Deum qui habet flatum tuum in manu ſua non glorificaſti.* Optima quidem eſt exaggeratio: Quaſi diceret: Summa fuit dementia & ſtultitia tua, qui Deum non glorificaſti, cuius tanta eſt potentia, quòd niſi per manum illius reſpirare non poteras: habet enim flatum tuum in manu ſua. O ſumma peccatorum dementia, qui contra omnipotentem vexillum erigere non verentur, & cum factore ſuo bellum gerere: illum paſſim peccatis ſuis offendendo: à quo tantam habent dependentiam quòd ſine illo flatum attrahere, vel emittere non poſſunt. Dicite obſecro, ſi hominem videretis ex altiſſima turri fune ſuſpenſum, quem aliquis manibus ſuis teneret, quem ſi dimitteret, in immaniſſima ſaxa & præcipitia ſtatim caderet, vbi neceſſario membra eius diſcerperentur: ſi hunc nihilominus contra illum à quo vita eius dependet, vel mors, inſultantem & verba blaſphemiæ proferentem, videretis: nónne eum inſanum & furioſum iudicaretis? O ſumma peccatoris inſania, ô inaudita dementia, qui cùm ab omnipotentis Dei manu, omninò dependeat: ita quòd ſi manum ſuam, vel paululum contraheret & auerteret, omnino periret, & in nihilum redigeretur: nihilominus abſque timore vllo, illum offendit, contemnit, & pro nihilo ducit, legem eius tranſgrediendo, & grauiſſima perpetrando ſcelera: perinde ac ſi ab eo non dependeret, neque in eius poteſtate eſſet conſtitutus. Cognoſcens ergo Dauid quantum homo in omnibus operationibus ſuis à conditore ſuo dependeat, & quòd vel os ad eum laudandum, ſine eius auxilio aperire non poteſt, inquit: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.*

Dan. 5.

Hominē ſine Deo nihil poſſe.

Simile.

Peccatoris dementia.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, &c. O Domine Deus meus à quo remiſſionem meorum criminũ exigo, paratus quidem ſum peccati mei ſatisfactionem tibi reddere, ſiue holocauſtũ, ſiue ſacrificiũ, aut quodcunque aliud petieris. Si enim hæc tibi placerent: nec magnis ſumptibus, nec millibus arietum, aut vitulorum, vel difficultati rei parcerem: ſed ſcio quòd his non delectaberis, & quòd illa recipere contemnes, & ideò ab his manum meam retraxi. Non omnino difficultate vacat, verſus

Digitized by Google

Dubitatio. iſte. Quomodo inquit Dauid, quòd Deus ſacrificiis & oblationibus non delectatur, ſi quidem ex ſacro textu, non vno, ſed quamplurimis in locis conſtat, illi pergrata fuiſſe? Quis enim dubitare audebit, ſacrificium illud Abrahæ Patriarchæ illi gratum extitiſſe, quando Gen. 15. vaccam illam trienem, & caprã trimam, & arietem annorũ trium, turturem & columbam, iuſſu ipſius Dei, illi obtulit? præſertim cũ ſignis exterioribus oſtenderit illi fuiſſe gratum, vt ibi apparet. Quis etiam non intelligat, ſacrificium illud Noë, & eius oblationem, quam egrediens de arca obtulit Domino, fuiſſe valdè acceptabilem? Siquidem dicitur ibi: *quòd odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis*, vbi alia litera habet, *odorem quietis*: Quaſi Deus pectus ſuum ad nauſeam prouocatum haberet ex infectione & corruptione carnium: & odore illo pacaretur. Dicitur etiam de Moyſe, quod elegit eum Dominus offerre illi incenſum in odorem ſuauitatis. Quod ſi hoc ita eſt, quomodo ergo Dauid videtur inſinuare, quòd Deus ſacrificiis illis Moſaicis non delectaretur? Ad hoc dubium dupliciter reſponderi poteſt, primò cum D. Aug. ſentiente, quòd hæc dixerit ad futura tẽpora reſpiciẽs: in quibus hæc ſacrificia erant ceſſatura: cui etiam ſubſcribit interlinearis gloſſa, quæ inquit: Videbat tempus quo hæc figuratiua ceſſarent, cum enim vmbra quædam eſſent, ſecundum illud Apoſtoli: *Vmbram futurorum habens lex*, in præſentia lucis neceſſario debebant aboleri & ceſſare. *Dilectus meus*, dicebat ſponſa in Canticis, *qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies & inclinentur vmbra.* Paſcebatur antiquitus Deus & abſcondebatur ſimul, inter lilia & flores Scripturæ ſacræ: erat enim quaſi fructus in flore virtualiter incluſus: ſed hoc non ſemper, ſed quoaduſque vmbræ inclinarentur, diéſque & lux Euangelica manifeſtaretur mundo. Exoriente enim lucidiſſimo & ſplendidiſſimo illo iuſtitiæ ſole, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſtatim veteris Teſtamenti vmbræ declinantes arripuerunt fugam, & abolitæ ceſſauerunt. Quando peritus quis architectus, aliquam magnam fabricam conſtruere parat: ſolet quaſdã machinas, quæ cimbriæ appellãtur ſupponere, quæ ædificiũ, dum recens eſt, ſuſtentent ne corruat, & ad terrã proſternatur: at poſtquã opus iam completum & perfectum eſt, cimbrias ipſas & tabulata proſternit. Sic nimirum Deus ædificium Euangelicum erigere cogitans, cimbrias quaſdã ſuppoſuit, per quas cæremonias Moſaicas intellige, oblationes, holocauſta, & ſacrificia: at poſtquam ædificium perfectum eſt, quando nimirum illud: *Conſummatum eſt*, in cruce

Cur De⁹ ſacrificiũ velit & nolit.
Gen. 15.
Gen. 8.
Eccl. 45.
Reſpõſio.
D. Aug.
Gloſſa interlin.
Hebr. 10.
Cant. 2.
Ioan. 1.
Simile.
Cæremonias Moſaicas ceſſaſſe.

cruce protulit, omnia illa ceſſauerunt, ſolòque æquata ſunt, quare iam ſunt prohibita & mortifera. Sed dicet aliquis, quomodo ergo ſtabit illud Saluatoris: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere?* Et quod multis in locis veteris inſtrumenti dicitur, quòd *lex illa æterna futura eſt?* Ad hoc reſpondemus cum Iacobo de Valentia, ſuper Pſalm. 49: iuxta illa verba: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Vbi notat, quòd Chriſto moriente, mortua eſt lex ſimul cum eo, eo quod erat finis legis: ſed quia Chriſtus ſolùm eſt mortuus quo ad corpus, & non quo ad animam, ideo lex vetus mortua eſt tantum quo ad corpus, id eſt, quo ad literam & ceremonias, ſed non quo ad animam, id eſt, quo ad veritatem & ſpiritum literæ: & ideo mortua lege ſurrexit cum Chriſto veritas legis, quæ dicitur veritas Euangelica: vt patet. Ioan. 1. *Lex per Moyſem data eſt, veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Nam lex Euangelica nihil aliud eſt, niſi veritas, & ſperitus, & anima, & vita legis Moyſi: & in ſenſu lex æterna dicitur, non quidem ſecundum literam, ſed ſecundum ſpiritum & veritatem. Præuidens igitur Dauid in ſpiritu, quòd ſacrificia illa futura erant Deo ingrata, & quòd tempore legis Euangelicæ deberent ceſſare, cum omnibus ritibus & cæremoniis Moyſaicæ legis, quæ omnia ad corticem pertinebant, inquit: *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique*: at ſcio quòd hæc non tibi valdè placent, quia video tempus in quo omnino tibi diſplicebunt, illíſque non delectaberis.

Dubitatio. *Reſpõſio.* *Iacob. de Valẽtia.* *Nota.* *Ioan. 1.* *Quomodo lex æterna.*

Secundò, cum Lyrano & Incognito: quòd ſacrificia veteris legis non erant Deo accepta de ſe, ſed tantum ex deuotione & fide offerentiam. Acceptabat enim Deus illa ſacrificia propter offerentem, non tamen offerentem propter ſacrificia: Vnde, quando offerens non erat illi acceptus, nolebat ſacrificia acceptare, vt patet Iſaiæ cap. 1. *Ne offeratis vltra ſacrificiũ fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi: neomeniam & Sabbathum & feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri: Kalendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſtas, laboraui ſuſtinens.* Et ſubdens huius tædij & diſplicentiæ rationem, inquit: *Manus enim veſtra ſanguine plena ſunt.* Itaque, illa ſacrificia non ex opere operato (quod aiunt) ſed ex opere operantis, id eſt, propter merita offerentis illi grata fuere. Theodoret. quæſt. 3. in Geneſ. ſic inquit: Excepit ipſius Noë promptitudinem animi, nõ quidem hoc nidore delectatus (nihil enim peius olet, quàm oſſa exuſta (ſed offerentis animum laudens: non enim partes corporeas

Lyran. & Incogn. *Iſa. 1.* *Sacrificia veteris legis quomodo Deo grata.* *Theo.*

corporeas habet Deus, vt illi nares etiam tribuere poſſimus nam per nares fit olfactus. Vbi conſtat manifeſtè, quòd illa ſacrificia ex opere operantis erant accepta: in quo ab ineffabili ſacroſanctóque Euchariſtiæ Sacramẽto diſtinguebantur, quod de ſe & ex operato Deo acceptum eſt, quare longe illa antecellit, & ſuperat. Vnde poſtquam in ſuperiori Pſalmo dicitur: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*, &c. Vbi de abrogatione veterum ſacrificiorum agitur, ſtatim concludit Pſalmum, dicens: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Quod intelligens Incognitus de hoc ineffabili ſacramento, quod ſacrificium laudis appellatur, propterea quod omni laude & confeſſione, præ omnibus aliis ſit dignum, inquit: Hoc ſacrificium dicitur via eundi ad Deum, propter quod viaticum nuncupatur. Hæc eſt ſcala Iacob, qua Angeli, id eſt fideles aſcendunt & deſcendunt: ad laudem aſcendunt diuinitatis, ſed deſcendunt ad laudem humanitatis Chriſti: quia in iſto Sacramento ineſt vera diuinitas & humanitas Chriſti, Et hîc oſtenditur ſalutare Dei, quia hîc ſaluator noſter realiter continetur, & etiam, quia per virtutem & immolationem huius ſacramenti ſaluamur. Intelligens ergo Dauid, quòd illa ſacrificia veteris legis non de ſe erant accepta, ſed propter offerentis fidem, aut deuotionem, cùm ex humilitate (etiam ſi iam iuſtificatus eſſet, tamen more peccatoris, à Deo veniam petentis) loquatur, ac ſi indignus eſſet quòd ſacrificium eius acceptaretur, inquit: *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique.* Ac ſi diceret: Scio Domine quòd peccatorum ſacrificia tibi accepta non ſunt, neque holocauſtis eorum delectatis, quinimo maximo tibi ſunt tædio & deſpectui, & ideo tanquam peccator, qui te grauiter offendi, Vriam occidendo, & cum Bethſabee vxore eius adulterium perpetrando, ab his ſacrificiis abſtinebo.

Euchar.
Pſal. 49.
Doctor. Incogn.
Gen. 28.

Diſcamus hinc & nos (vt conſideratione hac noſtrum concludamus ſermonem) quanta ſit peccati malitia, quod operum noſtrorum ludi meritum & defraudat. Quid enim peccatori proſunt ſua opera, ieiũnia, eleemoſinæ, & orationes & alia huiuſmodi, ſi in ſtatu peccati fiant? Certè parum, aut nihil, quia vt Deo grata ſint & accepta, debet eſſe aliquis in ſtatu gratiæ. Dicitur enim Geneſ. cap 4. quod *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, quod explicat magis Theodotio in ſua verſione, vt aduertit D. Hieron. dicens: *Et inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium eius, in ſignum quòd & perſona & ſacrificium acceptabatur*: imò ſacrificium

Opera in peccato facta non ſunt meritoria.
Geneſ. 4.
Theodot.
D. Hier.
Nota.

Digitized by Google

crificium propter perſonam, vt inquit Lyranus. Quantæ autem virtutis fuerit Abel conſtat ex Paulo Burgenſi quadam additione, quæ ſuper cap. 4. Geneſ. habetur, vbi ſic ait: Notanda eſt hæc gloſſa, ſeu tranſlatio Chaldaica Ionatæ, quæ apud Hebræos ferè tantæ authoritatis eſt ſicut textus. Quæ quidem præſentem locum ita interpretatur: *Dixit Cain ad Abel fratrem ſuum: non eſt iuſtitia, neque iudex, neque ſæculum aliud: nec remuneratio iuſtis, neque punitio impijs.* Et cùm Abel hæc omnia renuiſſet, ſurrexit Cain, &c. Ex quibus patet, quòd Abel primus martyr fuit, ſicut & primus ſacerdos, & primus virgo. Vnde Auguſt. lib. de mirabilibus ſacræ Scripturæ, inquit. Triplex iuſtitia fuit in Abel: prima fuit, quia etiam munera Deo placita, vt ſacerdos obtulit, proſapiam generis in ſæculo non dereliquit, & martyrij coronam, ſanguinis effuſione promeruit. Meritò igitur huic Dominus Ieſus primatum iuſtitiæ hominis commiſit, ita inquiens: *A ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zacharia*: ex quibus liquidò conſtat, quanta fuerint illius merita & priuilegia: quare non mirum eſt, quòd ad alius ſacrificium & oblationem reſpexerit. Sed prius dicitur, quòd reſpexit ad perſonam, deinde ad ſacrificium, quia ſi perſona Deo non eſt accepta, neque eius opera eſſe poſſunt: *Si tradidero*, inquit Diuus Paulus, *corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* In eodem puncto in quo ſubditus vel vaſſallus, contra Regem ſuum rebellat, omnia quæ poſſidebat amittere viſus eſt, & quæ in illius ſeruitio & domo lucratus fuerat. Quare 1. Reg. 9. cùm dictum fuit Regi Dauid, quòd Miphiboſeth contra eum conſpirauerat, ſtatim bona illius Sibæ conceſſit, dicens: *Omnia quæ Miphiboſeth fuerunt, tua ſint.* Vbi notandum, quod non dixit quæ ſunt, ſed quæ fuerunt, quaſi ſignificans, quòd iam ſua non erant, propter traditionē commiſſam: non ſecus peccator, qui contra Deum rebellat mortaliter peccando, ſtatim omnia quæ non ſine magno labore & induſtria, dum in ſeruitio illius erat, acquiſierat, amittit: ieiunia, orationes, ſacrificia, diſciplinas, carniſque mortificationem, cum omnibus miſericordiæ operibus quæ fecerat. Pſalm. 118. dicitur: *Non enim qui operantur iniquitatem in vijs eius ambulauerunt. No dieron los peccadores vn paſſo en el camino del cielo.* Quid ergo factum eſt de operibus, quæ aliquando in eius ſeruitio fecerunt? Quid de Salomonis prophetiis? De templi ſui fabrica, cum omnibus orationibus & ſacrificiis? Quid de renunciatione Iudæ, qui omnibus mundi rebus

Lyran. *Paul. Burg.* *Abel primus martyr.* *Quare fuerit occiſus.* *D. Aug.* *Matt. 2.* *1. Cor. 13.* *Simile.* *1. Reg. 9.* *Figura.* *Pſal. 118.* *Peccatū deſtruit omnia merita.*

Digitized by Google

di rebus & diuitiis renunciauit, vt Apoſtolicam perfectionem profiteretur? Quid de curatione ægrotorum, prædicatione verbi, expulſione Dæmonum? O rem tremendam, omníque conſideratione & attentione dignam? Omnia quidem illa propter peccatum amittuntur: ac ſi nunquam fuiſſent reputantur, niſi peccator reſipiſcat, & ad meliorem redierit mentem, de peccatis ſuis pœnitentiam agendo. Exiſtimantur quidem, quaſi in via Dei vnicum paſſum non dediſſent: quia peccatum, ſi lethale ſit, omnia virtutum opera deſtruit, quo ad meritum: *Ædificat enim quaſi tinea domum ſuam*, iuxta B. Iob: quia ſicut tinea lignum in quo generatur interius corrodit, & euiſcerat, & totum ædificium ad terram proſternit: ſic peccatum deſtruit omne meritum: ædificiúmque virtutum pro maiori parte ſolo æquat. Quapropter primũ ſacrificium quod Deus optimus maximus à peccatore exigit eſt, cor contritum & humiliatum, vt in ſequenti verſu continetur: quod ad ipſum conuertatur per veram cordis pœnitentiam, & peccatorum deteſtationem. Ab eo namque, cuius cor fuerit per peccatum auerſum, ſacrificium non accepta ad meritum: quod ſi aliis proficiat, offerenti tamen nocebit, quia iram Dei & ſeueriſſimam eius vindictam contra ſe prouocat, Dicit enim per Iſa. cap. 1. *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi.* Et per Ieremiam 6. *Holocauſta veſtra non ſunt accepta & victimæ veſtra non placuerunt.* Vt ergo opera noſtra Deo ſint accepta, illum per cordis contritionem conuertamur. Accedamus ad illum, & quem peccatis offendimus, placemus lachrymis, vt qui iram eius ſceleribus, & flagitiis prouocauimus: eidem per veram pœnitentiam reconciliemur, quia ſicut corde offenditur, corde placari debet. Cor igitur noſtrum igne charitatis accenſum tanquam acceptabile holocauſtum in primis illi offeramus: ſic fiet vt opera noſtra non ſint inutilia & caſſa, quin potius tanti pretij & valoris, quod impetrabunt gratiam, & merebuntur gloriam.

Iob 27.

Iſa. 1.

Ierem. 6.

CON

CONCIO OCTAVA

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ oblationes & holocauſta: Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

LICET in omnibus Dei operibus, diuina eius miſericordia reſplendeat, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, vt ab humanis oculis videri poſſint, ſuperemineant: tamen peccati condonatio & remiſſio, multò magis eam manifeſtat & propalat: ita vt de diuinis viſceribus igne charitatis accenſis, nemo ſit qui poſſit ambigere. Nam cùm peccatum natura ſua, tam ſit diuinæ maieſtatis offenſiuum, quòd propter illud naturam Angelicam de cœlo eiecerit, humanam à paradiſo expulerit: mundum aquis diluuij ſubuerterit, & Sodomam cœleſtibus flammis combuſſerit: quis non hæc attendens & conſiderans admiretur, quanta facilitate ipſemet Deus, peccatorem ſibi veniam petentem iuſtificet? Neſcio quid magis admirer, vel Deum de peccatis vindictam ſumentem, vel eundem peccatori contrito, & humiliato minas remittentem. Decuit enim vt Deum haberemus tam facilem & pronum ad condonandum peccata: vt peccatores tanta miſericordiæ dulcedine & ſuauitate illecti, nec pœnitentiam differrent, nec de venia deſperarent. Vnde per Prophetam Ezechielẽ promittit, dicens: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius amplius non recordabor.* In quacunque hora, inquit, vt facilitatem oſtendat. Non per longum temporis ſpatium neceſſe eſt peccatorem ad ianuam miſericordiæ expectare, vt ei cõcedatur venia. Quando quis alicui intulit iniuriam, ſi mediator, qui de rebus cõponendis pacéque ſtabilienda agit, ab eo illatæ iniuriæ veniam poſtulet, ſolet reſpondere: iniuriam eſſe recentem, *y no bien enjuta la ſangre.* O diuina clementia: in hoc quidem apparet ſumma eius mãſuetudo & miſericordia, quòd non futurũ tempus expectat, aut requirit: ſed in eadem hora, quin potius in eodem inſtanti, in quo peccator ad eum conuertitur, illi parcit.

Dei liberalitas in remittẽdo peccata.

Ezec. 33.

Simile.

D.Ioan

D. Ioan. Chryſoſt. Dubitat. Quare lectio Pſal. frequentior ſit in Eccleſia.

D. Ioannes Chryſoſt. homil. 6. de pœnitentia inquirit, quare lectio Pſalmorum familiarior ſit & frequentior Eccleſiæ, quàm cæteræ ſcripturæ ſacræ? Mihi verò, inquit, ſæpenumero admirari contingit, & mecum mente confundor cogitans, & dicēs: cuius rei gratia, præ cæteris veteris inſtrumenti, nouíque ſcriptis, librum Dauid ſic adamarunt omnes Chriſtiani, atque hūc ſolum, ore voluerunt verſari. Dubium hoc duabus rationibus abſoluit. Prima eſt, vt viuamus in timore Domini, nec de noſtra præſumamus iuſtitia, oculis mentis Dauidem contemplantes, de quo ab ipſo Domino dictum fuerat: *Inueni Dauid filium Ieſſa virum ſecundum cor meum*: & tamen tot donatus beneficiis, tot coronatus virtutibus, cùm eſſet qui ſecundùm cor Dei teſtimonium accepit: tamē peccatis maximis peſſumdari permittitur homicidio, videlicet, & adulterio, ita quòd de ſeipſe fateatur: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Quare igitur in tam grauia ſcelera permiſſus eſt cadere, & quare quotidie ſcripturam eius habemus præ manibus? Vtique, vt qui ſtat videat ne cadat, & vnuſquiſque in timore Domini vitam tranſigat. Sum religioſus, vel eremita, neque dicam, multum virtute officióque profeci, multis inſignitus ſum meritis, ieiuno, vigilo, oro, lachrymor, induor cilicio, corpus meum auſteritate contriui, non iam diaboli impetus formido, iam mihi quæ ad coronam pertinent perfecta ſunt: noli errare homo, ne mente in ſublime tollaris, an plura feciſti quàm Dauid? & tamen cecidit à ſua iuſtitia.

Solutio. (beside "plantes, de quo ab ipſo Domino dictum fuerat")

Pſal. 31. (beside "ſeipſe fateatur")

Semper timendū. (beside "qui ſtat videat ne cadat")

Spes veniæ. *Diſſimile.*

Secunda ratio ad ſpem pertinet, ſcilicet, ne aliquis quantumuis peccator, de diuina miſericordia deſperet, ſed peccata ſua confiteatur, quia nihil deſperatione deterius. Tunc enim morbus incurabilis cenſetur, quando medicus de ſalute infirmi diffidit, at verò, hic è conuerſo contingit. Non enim medicus noſter de noſtris infirmitatibus quantumuis grauibus diffidere poteſt: quia miſericordia eius & ſapiētia infinita eſt, ſed tunc reputatur incurabilis, quando infirmus ipſe mente deficiens deſperat, & curari renuit. Dummodo infirmus vlcus ſub aperiat, & confiteatur, nullum quantumuis graue, apud Deum eſt incurabile, quinimo nullo negotio ſummâque liberalitate illi medetur. Grauiſſimum quidem erat Dauidis peccatum, & tamen ad primam eius vocem & confeſſionem, illud dimiſſum vides. Vix enim poſtremam illius vocis ſyllabam protulerat: *Peccaui Domino*, & ſtatim audiuit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te.* Quod & ipſe fatetur Pſal. 31.

Nullum peccatū apud Deū incurabile.

Pſal. 31.

Dixi

Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. O ſummã Dei liberalitatem, & in parcendo promptitudinem. Quis enim non demiretur, quòd cùm Dauid tam grauia cõmiſiſſet ſcelera, homicidium, videlicet, & adulterium: tamen ad primam confeſſionis vocem, ad primum peccaui, cordis contriti & humilitati hoſtenſiuum, ſtatim ea remiſſa fuiſſe, audierit? Cũ flagitioſus aliquis maximúſque peccator, qui enormia & grauia perpetrauit, ad pedes confeſſoris accedit: vt beneficium abſolutionis accipiat, videns confeſſor, ſuorum criminum grauitatem, ſolet illi abſolutionem per aliquod temporis ſpatium differre, vt emendationem eius experiatur: grauiſſimámque illi peccatorũ pœnitentiam, ſiue ſatisfactionem imponit: puta quòd Romã adeat, & Eccleſiã Apoſtolorũ Petri & Pauli viſitet: quod per annum integrum ieiunet, carnemq; diſciplinis & flagellis affligat. Forſitan Dauid ad eundem modum, cùm peccatum ſuum Nathan Prophetæ confeſſus eſt, exiſtimauit, quòd maxima ſatisfactio eſſet ei imponenda, vel quòd dimidiam bonorum ſuorum partem pauperibus erogaret, vel depoſito regali diademate, pretioſis gemmis abiectis, & aureis veſtibus excluſis, per integrũ annum in publicam pœnitentiam, & peccati ſui confeſſionem prorumperet, vel forſitan quòd magnam arietum & taurorum copiam, pro expiatione ſui ſceleris coram omnibus in domo Domini ad illum placãdum ſacrificaret: & tamen nihil horum ab eo exegit, ſed vnica ſolùm lachryma, vno ſuſpirio & vnica confeſſionis voce contentus eſt: in quo ſumma Dei liberalitas pariter & clementia oſtenditur. Solicitus erat ſanctus Propheta Micheas, quid pro ſcelere ſuo Domino offerret, dicens: *Quid dignũ offeram Domino? Curuabo genu Deo excelſo? Nunquid offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari poteſt in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo?* Vbi aduertendũ eſt, quòd loquitur Propheta, populi totius perſonã induẽs, qui grauiter offenderat, & vt facilitatem oſtenderet qua ad Deũ poterat cõuerti, & remiſſionem peccati ſui conſequi (ſi tamen verè pœniteret) reſpondit: *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum quod requirit eſt, facere iudicium, id eſt, actum iuſtitiæ exercere. Solet iudex in eodem loco in quo ſcelus patratum eſt, actum iuſtitiæ exercere, latronem ſuſpendere, vel homicidam. Non ſecus Deus exigit, vt in

Simile.

Liberalitas Dei in parcendo.

Mich. 6.

Simile.

eodem loco in quo ſcelus eſt commiſſum, videlicet, in corde, actus iuſtitiæ exerceatur, puta occiſio culpæ quæ per contritionem fit: vt ſicut per voluntatem exceſſit creaturam inordinatè diligendo: ita per eandem recompenſatio fiat, dolendo de offenſa, & ad creatorem ſuum per pœnitentiam ſe conuertendo: qui æquiſſimus eſt iuſtitiæ actus. De hoc actu iuſtitiæ

Pſal. 40. forſitan loquutus eſt Dauid, quando dicebat. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in Domino.* Vbi Auguſt. inquit: *Sacrificium iuſtitiæ ſpiritus contribulatus, vt ſe puniens mactet Deo.* Cui conſonat Paraphraſis Chaldaica quæ ſic habet: *Domate concupiſcentias veſtras & reputabitur vobis, ſicut ſacrificium iuſtitiæ, ſperate in Domino.* Itaque, inter omnia veteris legis ſacrificia, nullum contritione maius: quia omnia ab ea propter illam erant accepta, ipſa verò per ſe iuſtificare erat ſufficiens. Quare poſtquam Dauid in ſuperiori verſu, dixit. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique, ſed holocauſtis non delectaberis:* modò in præſenti ſubdit, quòd peccatorum pœnitentia & cordis contritio, ſacrificium ſit cœlo valdè gratum. *Sacrificium,* inquit, *Deo, ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

D. Aug. *Paraphr. Chald.*

Sed antequam ad alia gradum faciamus: parumper hic immoremur. Diuum Chryſoſtomum imitantes, qui libenter de pœnitentia ſermonem agebat, propter maximam vtilitatem inde prouenientem. Aſſiduè, inquit, in eam paſtores conſueſcunt partem oues ſuas diuertere, qua gramen altius dentiúſque intuentur, atque inde prius non abigunt, quàm omne grex contuderit. Hos & ipſi ſectantes, quartam iam diem hanc, ad pœnitentiæ modum hunc paſcimus gregem, neque vel hodie digredi paramus: loco enim hoc pabulum vtilitatis multum ineſſe video, permultúmque fructum. Liceat igitur nobis pauliſper in pœnitentiæ facilitate explicanda commorari. Inquit enim Dauid noſter. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Non enim deſpicit Deus huiuſmodi cor. quin potiùs illud aſpicit, oculíſque miſericordiæ intuetur. Iſaiæ 66. *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum, ad quem autem aſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Et Daniel 3. dicitur: *In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur à te Domine.* Sed hinc occaſionem arripiamus ad propoſitum redeundi. Quid oro facilius excogitari potuit, vt peccator à Domino ſuſciperetur, quàm ſpiritus humilis & animus contritus? Quid tam in libertate noſtri liberi arbitrij poſitum

D. Chryſ. *Simile.* *Iſaia 66.* *Dan. 3.*

poſitum, ipſa gratia diuina adiuuante & impellente, quàm peccatorum deteſtatio? Aut quod remedium facilius ad depellendum animi morbum excogitari potuit? Dicite obſecro, ſi aliquis reus mortis duceretur ad patibulum ligatis manibus, cui Rex obuiam factus, illiúſque miſertus, ſupplicium illi remittere hac vna conditione decreuiſſet, quòd facti ſui & flagitij pœniteret: nónne ſtatim maximo afficeretur dolore, ſe, dicens, velle potius mortem incurriſſe, quam tale crimen perpetraſſe? O ardentiſſima Dei charitas, ô infinitæ miſericordiæ pelagus immenſum, quod nullatenus ab humanis mentibus tranſuadari poteſt: ducitur quidem peccator propter flagitia ſua ad inferni ſuſpendium vinctis manibus, quia vt dicitur Prouerb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur.* Auguſt. lib. confeſſionum: *Ligatus eram, non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat ferream, vnde me conſtringebat.* Deus ergo huiuſmodi peccatoris miſertus, remittit ei ſupplicium & mortem, hac vna ſola conditione, quòd pœniteat. Dicit namque per Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ operatus eſt & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur.* O dulciſſima verba, & quis eſt qui illa audiens, non ſtatim ad pœnitentiam incitetur, cor ſuum conterendo præ dolore, & per confeſſionem delictorum humiliando: vt vita viuat & non moriatur?

Medicina peccati facilis.

Simile.

Prou. 5.

Auguſt.

Ezec. 18.

Sed auerte, ſummáque attentione animi perpende vocem illam: *Cor contritum & humiliatum.* Vt enim hoc ſacrificium ſit Deo gratum & acceptum, ſpiritus debet eſſe contribulatus per dolorem, qui cor contritũ per contritionem oſtendat. Suſpecta quidẽ debet eſſe pœnitentia & contritio, quæ ſignis doloris nõ ornatur. Si enim læſo corpore ſigna doloris ſtatim extrinſecus oſtenduntur: quantò magis læſo corde, & per pœnitentiã cõtrito? *Recogitabo tibi omnes annos meos,* dicebat Rex ille Ezec. *in amaritudine animæ meæ.* Et B. Iob: *Loquar in amaritudine animæ meæ, dicã Deo: noli me condemnare.* Dicunt naturales medici, quòd dulcia sũt oppilatiua, & amara purgatiua: ſic dulcia & delectabilia oppilant animã & claudunt interius, ne à peccato purgari poſſit, ſed amaritudo animæ purgat eam à culpá. Dicit quidã Doct. circa illud: *Ibi dolores vt parturiẽtis* quòd dolor contritionis dolori parturientis aſſimilatur, quia ſicut quæ appropinquat ad partum, clamat præ dolore & anguſtia: & ibi dolet, quæ tempore conceptionis delectata eſt: ſic

Simile.

Iſaia 6.

Iob 10.

Nota.

Pſal. 47.

Digitized by Google

Contritio quid. peccator (ſi tamen de peccatis ſuis ſit contritus) debet clamare maximúmque ſentire doloré de offenſa: quia *contritio*, ſecundùm Magiſtrum in 4. *eſt dolor de peccatis voluntariè aſſumptus, cum propoſito confitendi, & ſatiſfaciendi.* Vnde Iſai. 26. inquit: *A facie tua Domine concepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis.* Parturire enim non ſtat ſine dolore, Paraphraſis magis hoc explicat: quæ ſic habet. *Sicut pragnans quæ in tempore partus ſui contremiſcit, & clamat in dolore ſuo, ſic fuimus eò quòd peccauimus coram te: apprehendit nos tribulatio, ſicut pragnantem in tempore partus ſui.* Aliqui legunt, *à timore tuo Domine concepimus*, quia licet ea tribulatio, quæ ex timore procedit, non ſit ſufficiens ad iuſtificandum, tamen multoties eſt via ad cõtritionem. *Sicut ferrum*, inquit Auguſt. ſuper epiſtolam Ioãnis, *corium transforat, vt filum intrare poſſit, ſic neceſſe eſt, vt timor mentem transfigat*; Iuxta illud Pſalmiſtæ: *Confige timore tuo carnes meas*, quatenus facto foramine, quaſi per ferrum terroris, ſubintret filum charitatis, colligans peccatorem cum Deo. Inquit ergo Iſaias, *à timore tuo concepimus*: quia multoties peccator à timore inferni, vel iudicij cõcepto, mouetur ad conterendum de peccatis, veréque de eis dolendum. Verùm id admiror fratres cum D. Chryſoſt. homil. 5. de pœnit. quòd triſtitiam homini tribuens Deus per peccatum, ſententiam ſententia ſoluerit. Mulieri enim minatus eſt Deus, & de præuaricatione pœnam inducens, dicit ad eam: *In dolore paries filios*: & oſtendit triſtitiam peccati fructum. Sed ô magnum donum, quod in pœnam dedit, in ſalutem vertit. Peccatum triſtitiam peperit, triſtitia peccatum contriuit: & quemadmodum vermis in ligno natus, id ipſum comminuit: ſic triſtitia de peccato nata, peccatum cõminuit per pœnitentiam inducta. Quapropter Paulus inquit 2. Corinth. 6. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem incommutabilem operatur.* Inquit Guillelmus Pariſienſi, quòd in peccatore eſt multitudo peccatorum, quaſi multitudo vermium, ſerpentum, & ſcorpionum, quæ continuò conſcientiam pungunt & dilacerant: ita quòd de illo dici poteſt illud Pſalmi, licèt alio tendat: *Ibi reptilia quorum non eſt numerus animalia puſilla cum magnis*: hæc enim niſi præmortua de corde non exeunt, nec euomi poſſunt quamdiu viuunt. Quando puer aliquis lumbricos habet, vt curari ab eíſque liberari poſſit, mors eorũ à medicis potionibus amaris abſynthio, ſcilicet, vel, aceto procurãda eſt: ſic peccator cuius anima ſerpentibus peccatorum eſt plena, amaritudine contritionis indiget, vt peccata intus moriantur.

Magiſter in 4. ſen. *Iſaia 26.* *Paraphr. Chald.* *D. Aug.* *Simile.* *Pſal. 118.* *D. Chryſ.* *Nota.* *2. Cor. 6.* *Guillel. Pariſ.* *Simile.*

Et hoc

Digitized by Google

Et hoc eſt illud D. Pauli: *Et de peccato damnauit peccatum, quia ex peccato triſtitia & dolor, quibus peccatum damnatur:* fit enim ex veneno antidotum, quo peccatum ipſum curatur. Huius contritionis aliqua ſigna à doctoribus aſſignantur, verum nullũ euidentius, quàm lachrymæ ex imo pectore fluẽtes: ſunt enim irrefragabiles teſtes. *Son teſtigos de a bono que no ſe pueden tachar.* Nam ſicut ex corpore vulnerato ſtatim ſanguis profluit, ſic ex corde contritione percuſſo lachrymæ dimanãt: quæ ſunt quaſi cordis ſanguis: in hoc ſolùm ſtat differentia, quòd effuſione ſanguinis vita corporalis deperditur, quæ in ipſo ſanguine ſecundùm aliquos cõſiſtit, at in effuſione lachrymarum vita ſpiritualis recuperatur: & anima per peccatum occiſa, viuificatur: quare lachrymarum effuſio ſignum eſt notiſſimum vitæ ipſius. Sicut cùm putatur vitis, ſi ploret, ſignum eſt vitæ vegetatiuæ ipſius: ſic homo quando amputata culpa per confeſſionem plorat ſua peccata & in lachrymas prorumpit, ſignum eſt quòd viuat vita gratiæ. Quapropter Hier. Propheta filiam populi ſui, per quam animam intellige, alloquens, dicebat: *Filia populi mei accingere cilicio & conſpergere cinere, quaſi luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Accingere cilicio carnis appetitũ mortificando, cõſpergere cinere, motus ſuperbiæ refrænando: pœnitentia namque humilis debet eſſe, quia ſi nõ ex humilitate procedit, eſt hypocriſis. *Fac tibi planctum amarum, quaſi luctum vnigeniti.* Tantus quidem debet eſſe dolor de offenſa commiſſa, quantus de morte primogeniti haberi ſolet; quòd non intenſiuè intelligendum eſt, quia cùm præſentia obiecti magis moueat potentiam, quàm ſi non eſſet præſens, non mirum quòd interdum aliquis pro amiſſione primogeniti vel pro iactura diuitiarum intenſiorem dolorem habeat, ſed appreciatiuè intelligendũ eſt, id eſt, quòd debet peccator ita deteſtari peccata, quòd pro nulla re mundi vellet ea commiſiſſe. Dicitur etiam planctus vnigeniti non primogeniti, quia ſi mulier plures habeat filios, & vnus illorum moriatur, alius ei ſupereſt, in quo conſolari poſſit: at ſi vnicũ habeat, nullam admittit cõſolationem, plorat lachrymis irremidiabilibus: ſic pro Deo deplorandum eſt, quia offenſo creatore, in nulla creatura poteſt homo cõſolari. Si homo haberet plures Deos, vno offenſo ad alium poſſet cõfugere: & hoc amiſſo, alius ſibi eſſet ſuperſtes, à quo remedium, & conſolationem captaret: at homo non habes niſi vnicum Deum, ſi hũc offendis, ad quem te recipies? Si illum perdis, in quo alio ſolari poteris. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie,*

Lachrymæ ſunt cõtritionis ſigna.

Simile.

Simile.

Hier. 6.

Angles in 5. q. de contritio. art. 3.

Pſal. 41

dic, vbi eſt Deus tuus. Per has lachrymas, inquit Incognitus, intelliguntur, quas iuſtus perfundit in hoc mundi exilio, videns ſe à Deo elongatum: quanto ergo maiori ratione debet peccator in lachrymas prorumpere, cùm per peccatum à Deo in infinitum diſtet, à cæleſtique patria ſit relegatus? inquit Ariſtot. Philoſ.7. de animalibus, quòd aqua pluuialis, magis eſt fructifera, & magis conuenit plantis quàm fontalis, vel fluminis, & nihil vniformiter benè creſcit, niſi aqua pluuiali irrigetur Similiter duplex eſt aqua lachrymarum, quędam quæ fontalis, vel fluminis appellari poteſt, ſcilicet, lachrymæ quæ pro amiſſione terrenorum emittuntur, & iſtæ ſunt infœcundæ: quædam verò pluuialis: lachrymæ, ſcilicet, quæ ex deſiderio cœleſtium proueniunt, & pro offenſa contra Deum & iſtæ lachrymæ animam ſatiant & fœcundant. Habetur alius locus apud Micheam cap. 1. huic propoſito non incongruus: *Vadam ſpoliatus & nudus, & faciam planctus velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.* Interpres Græcus ſic habet. *Propter hac planget & lugebit diſcalciata & nuda: faciet planctum quaſi draconum, & luctum quaſi filiarum ſirenarum.* Alloquitur enim populum peccantem, & modum quo peccata ſua plangere debet, tradit, dicens: quod incedat nudus & diſcalciatus, & faciat planctum velut draconum, &c. Hoc idem peccatori conuenit, qui Deum ſuum offendit. Debet enim ſe nudare, iuxta illud Apoſtoli: *Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, induite nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt*: debet exuere veterem vitam, concupiſcentiam, luxuriam, auaritiam, & reliqua omnia vitia, virtutibúſque ſe ornare. Debetque diſcalciata incedere ab omnibus affectibus ſuis: & tunc facere luctum draconum vel ſtruthionum, aut filiarum ſirenarum. D. Hieron. explicans locum, inquit: Quòd draco videns ſe ab elephante ſuperatum mirabiliter ſibilat & deflet: ſtruthio etiam qui oua ſua derelinquit in terra, videns ea conculcata à beſtiis, forſitan illa plangit. O anima quæ à crudeliſſima illa beſtia humani generis hoſte, ſuperata es per culpam & deuicta: fac tibi planctum amarum in ſimilitudinem draconis, vt lachrymis & dolore vincas eum, à quo voluptatibus deuicta es. Fac etiam planctum velut ſtruthio, vel ſirenarum filiæ, quia gratiam perdidiſti, & omnium meritorum tuorum diuitiæ à dæmone conculcatæ ſunt quas lachrymas ſi effuderis, ſignum erunt ignis latentis charitatis. Sicut enim dum aliquis calore ignis æſtuat, ſtatim ſudorem exterius emittit, ſic verè contritus, & igne charitatis inflammatus, ſudorem lachrymarum ferre

Ariſtot.

Exēplū naturale.

Mich. 1.

Interpr. Greg.

Coloſ. 3. Epheſ. 4.

D. Hier. Nota.

Simile. Lachryma ſignū charitatis.

ferre non valet:qui tantæ virtutis & efficaciæ eſt,quòd ignem inferni ſufficiat extinguere.In Epiro dicitur eſſe quidam fons admirabilis virtutis, in quo ardentes faces extinguuntur & extinctæ accenduntur, ita quòd contingere poteſt, quòd in eodem inſtanti ignem extinguat, & ignem accẽdat.O virtus mirabilis lachrymarum,ô fons in quo diuina miſericordia mirabiliter reſplendet,in quo ignis ſimul & accẽditur & extinguitur:extinguitur ignis peccati & inferni,& accẽditur ignis charitatis:culpa algeſcit,ſed cor inflammatur,& liqueſcit. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, in medio ventris mei.* Videtur in contritione ſimile aliquid accidere ei quod de ſacrificio Heliæ 3.Reg.18.refertur. Cùm enim inter illum & ſacerdotes Baal conueniſſet, quòd ille, qui per ignem exaudiretur in ſacrificio ſuo,illius Deus,vt verus haberetur:appoſuit ſuper altare ligna & ſacrificium, & fecit aquæductum, quaſi per duas aratiũculas in circuitu altaris, & immiſſis ter,quatuor hydriis aquę ſuper ſacrificium,totum humefactumeſt:ſed cùm ad cœlum clamaſſet, ſtatim ignis de cœlo deſcendit, qui totum ſacrificium combuſſit ſimul cum lapidibus altaris: illicóque omnes Prophetas Baal interfecit, neque vnum ex eis reliquit viuum. Sic quippe contingit in ſacrificio & holocauſto peccatoris, quando ſe ipſum in holocauſtum offert Deo per pœnitentiam, iuxta illud Apoſtoli: *Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra,hoſtiam viuam,ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Debet enim ſacrificium hoc lachrymarum fontibus & aquæductibus, ex interiori corde,per duas oculorum aratiunculas defluentibus,humectare & madefacere:vt igne cœleſti,ſimul cum ipſo corde combuſtum,Deo pergratum fuiſſe oſtendatur: & quò maior fuerit lachrymarum copia,maior erit charitatis flamma, qua inflãmabitur & comburetur.Sed aduerte,quòd omnes Prophetas Baal per ſe ipſum occidit,nullũ enim viuum reliquit:quia ille ſolus ſi ſupereſſet, populũ idololatrare faceret: ſic debes & tu omnia peccata iugulare,vnum ſi viuum maneat,ob verecũdiã,vel timorem, vel ob aliam cauſam ſacrificium Deo non erit acceptum, & quaſi nihil feciſſes,reputaberis, Quòd ſi omnia per pœnitentiã, ſpiritúſque contritionem occideris, erit quidem valdè gratum & acceptum. Equidem,vt Dauid inquit: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus,cor contritum & humiliatum Deus nõ deſpicies.*

Solinus de mirabil. mundi.

Pſal. 21.

3.Reg.18.

Figura.

Pſal. 50.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, &c. Tam vehemens erat deſiderium Dauid redeundi ad priſtinam Dei amicitiam per peccati ſui remiſſionem, quòd ad hoc impe-

Digitized by Google

Quinque rationes allegat in ſuum fauorem.

trandum, non vnam, ſed quam plurimas rationes adducat. Prima; *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*: principium enim impetrandi veniam, eſt propriæ culpæ cognitio. Secunda; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea*: quaſi dicat: non mirum videri debet quòd te offenderim, qui ab vtero matris meæ peccata contraxerim, & quaſi ius hæreditarium culpam originalem acceperim. Tertia; *Docebo, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur*, id eſt, ſi mihi peperceris, fiam tuarum laudum præco atque magiſter, vias tuas, miſericordiam, ſcilicet, & iuſtitiam edocendo, & ſic quamplurimi ad te per pœnitentiam conuertentur. Quarta, quia *ſi labia mea aperieris*, quæ per culpam ligata ſunt, *os meum laudem tuam annunciabit*, odas & hymnos ad gloriam tui nominis decantando: vt qui ſcelere meo occaſionem dedi ad peccandum, ianuámque blaſphemiæ aperui, nunc pœnitentia & conuerſione mea, aperiam illam tuæ confeſſioni & laudi. Quinta, quia ſi culpam meam remiſeris, & te benignum oſtenderis mihi, etiam *ipſi Sion benignus eris*: quia per me muri Hieruſalem reparabuntur: & per filium meum, ſicut mihi promiſiſti, templi tui ſtructura erigetur, in quo quamplurima ſacrificia & holocauſta tibi offerentur, & ad honorem tui nominis igne cremabuntur: & tunc tu benigniſſime Domine, *acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*.

Dimiſſis quamplurimis expoſitionibus huius loci, quæ non multum literæ conſonare videntur. Duas ſolùm conſiderationes, ad mores ſpectantes tractabimus. Prima ſit deſiderium Dauid, de ædificandis Hieruſalem mœnibus. Inerat enim ei vehemens animi deſiderium circa Hieraſalem amplificandam, muróſque eius reparandos: ſicut patet ex Pſalm. 121. vbi inquit: *Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te: fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*. Et bene poſt pacem abundantiæ meminit: quia ſicut ex bello ſterilitas terræ omniúmque rerum inopia, ſic ex pace frugalitas & abundantia omnium bonorum naſcitur. Hoc etiam eſt argumentum, Pſal. 147. cuius titulus ſic habet. *Alleluia, Agges, & Zachariæ*. Vnde dicunt aliqui, ſicut à Nicolao de Lyra refertur, quod Pſalmus iſte, eſt gratiarum actio pro reædificatione Hieruſalem facta Nehemiam: quam ſpiritu prophetico ducti præuiderunt Aggeus & Zacharias in captiuitate Babylonica exiſtentes: quod quidem multò ante præuiden

Pſal. 121.

Pſal. 147

Nicolaus Lyra.

Digitized by Google

uidens Dauid cecinit, dicens: *Lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Pſalmo etiam 136. ipſius Hieroſolymæ & murorum eius euerſionem per Babylonios fiendam, deplorat, dicens: *Memor eſto Domine filiorum Edon in die Hieruſalem: qui dicunt exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea, Filia Babylonis miſera, beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam tribuiſti nobis.* Inducit enim Babylonios ſimul & Idumæos, ab Edon ſiue Eſau deſcendentes, euertentes Hieroſolymam, & muros eius diſſipantes: vbi Idumæi crudeliores extiterunt, propter inimicitiam quam ex Iacob & Eſau, ex quibus ipſi & Iudæi deſcenderant, contraxerunt. Vnde tempore euerſionis Hieroſolymæ clamabant: *Exinanite, exinanite*, id eſt, annihilate, vel ad nihilum reducite ciuitatem, vſque ad fundamentum illam euertentes, non relinquatur ex ea lapis ſuper lapidem: ſed omnino ad terram proſternite. Patet ex his quanto deſiderio teneretur Propheta ſanctus erigendorum mœniorum ſuæ ciuitatis, quantóque afficeretur dolore propter præuiſam eius deſtructionem. Hoc debet eſſe iuſtorum deſiderium, reparationis inquam Hieruſalem ſupernæ. Hæc continua illorum ſupplicatio: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hieruſalem.* Ædificatur autem ex lapidibus viuis & electis, ex quibus ruinæ Angelorum reparantur. Ille ergo verè reparationem ciuitatis Hieruſalem cæleſtis deſiderat: qui verbo, opere, & exemplo alios docet, eorúmque ſalutem ſitit, quod quidem munus eſt prædicatorum omnium, quibus ædificatio Eccleſiæ commiſſa eſt. Hieremiæ capite primo dicitur: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices & plantes.* Vt deſtruas, ſcilicet, Babylonis ædificium: omnia peccata & vitia extirpando: & ædifices & plantes, Hieruſalem cæleſtem, quæ ex meritis & virtutibus cõſurgit. In Iſaiam capite ſexageſimo octauo, ſic Dominus Eccleſiam ſuam alloquitur, & in ea Apoſtolorum ſingulos, qui muros illius, vita & doctrina ædificaturi erant: *Eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ: Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum, fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis: & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas iniquitatum.* Eris quaſi hortus irriguus foliis bonorum verborum vernans, virtutum redolens floribus, operum fructibus

Pſal.136.

Deſiderium iuſtorũ quale debeat eſſe, vt ſcilicet adueniat regnum Dei & Chriſtus vbique agnoſcatur.

Iſai.68.

Iuſtus, vel concionator.

Digitized by Google

reficiens. Hortus miniſtrat cibum, fons potum: ſic iuſtus reficit alios fructu boni exempli, & potat eos potu verbi diuini. Et hoc eſt ædificium cœleſte conſtruere, & fabricam eius erigere. Vnde ſubditur, *& ædificabuntur in te deſerta ſæculorum:* quod D. Hieron. ad Eccleſiam militantem refert ex Iudæis & Gentibus ædificatam, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 3. *Quaſi ſapiens architectus fundamentum poſui: alius ſuperædificat, vnuſquiſque autem videat, quid ſuperædificet.* Ex his enim lapidibus, ex humana natura ſelectis, muri Hieruſalem cœleſtis, quæ ſurſum eſt, ſunt reparandi, qui Angelorum ruina fuerunt diruti, & ideo deſerta ſæculorum dicuntur eſſe ædificanda, & fundamenta generationis & generationis ſuſcitanda.

D. Hier. *1. Cor. 3.*

Satisfactio.

Secunda conſideratio ſit circa ſatisfactionem, quam promittit facere. Promittit enim quòd poſtquam muri Hieruſalem ædificati fuerint, templúmque conſtructum: tunc offeret pro peccato ſuo ſacrificium iuſtitiæ oblationes & holocauſta, & ſuper altare ſuum quàm plurimos imponet vitulos. Tres ſunt veræ pœnitentiæ partes, vt copioſè Doctores tractant in quarto, mentis contritio, oris confeſſio, & operis ſatisfactio: quare non ſat eſt præterita peccata deteſtari, & illa coram ſacerdote confiteri, niſi operibus etiam ſatisfaciamus, oratione, inquam, ieiunio, & eleemoſyna, in quibus tribus principaliter ſatisfactio conſiſtit. Eſt autem ſatisfactio (ſecundùm diuum Anſelmum lib. Cur Deus homo) debitum honorem Deo impendere: tunc autem hunc honorem Deo impendit homo, quando ad Deum, quem pro vili voluptate offendit, per veram pœnitentiam, ſatisfactionémque operum, carnem ſuam macerando & affligendo, conuertitur. Eſt autem ſatisfactio de iure diuino, nobíſque à principio ſæculi ab ipſo Deo edocta: qui tribus primis peccantibus grauem ſatisfactionem impoſuit. In tranſgreſſione quippe hominis peccauerunt, ſerpens, mulier, & Adam: Serpens in tribus peccauit, inuidendo, mentiendo, & decipiendo. Inuidiam vindicauit Deus pœnam ei imponendo, cùm dixit: *Supra pectus tuum gradieris & non exaltaberis:* mendacium, cùm dixit: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* vſum vocis ab eo auferendo, & venenum ei in lingua conferendo: & quia mulierem decepit, audiuit: *Ipſa conteret caput tuum*: tametſi ſatisfactio ei fuerit inutilis, quia pœnitentiæ incapax eſt. Eua principaliter in duobus peccauit, primo in ſuperbia: ideo ei dictum eſt, *ſub viri poteſtate eris.* Secundo fructum vetitum comedit, in cuius guſtu delectata eſt: ideo in fructu proprio eſt punita: cùm dictum eſt ei: *in dolore paries fi*

Partes pœnitentiæ tres. *DD. in 4.*

Satisfactio quid. *D. Anſel.*

Deus ſatisfactionem primus docuit. *Nota.*

ries filios, Homo in vno principaliter peccauit, ſcilicet, quod fructum vetitum comedit: quare dictum eſt ei: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: quin & ipſe nouã ſibi ſatisfactionem aſſumpſit, veſtitu vtens aſperrimo, quo carnem ſuam & regeret, & maceraret. Dicitur enim Geneſ. 3. quod fecerunt ſibi perizomata, ex foliis ficulneis, quę mordent & pungunt carnem, cum multa alia arborum folia tenera ac mollia eſſent in paradiſo, ex quibus indumentum ſibi parare poſſent. Quod quidem argumentum tractat Tertullianus & ſanctus Ireneus, in hæc verba: Inquit enim Ireneus: Etenim per ſuccinctorium in ſancto oſtendit ſuam pœnitentiam: foliis ficulneis ſeipſum contegens, exiſtentibus & aliis foliis multis, quæ minus corpus eius vexare potuiſſent: condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum. Et poſt pauca. Decebat quidẽ auctorem dolorum & malorum noſtrorum, medelam ſubinde oſtẽdere nobis, in remedium & ſalutem. Ab Adam omnis inordinata delectatio, ab illo & carnis caſtigatio in ſatisfactionem. Hoc eſt quod B. Ioannes Baptiſta prædicabat, dicens *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Quem locum exponit D. Bonauent. in 4. diſt. 16. dicens: quod differt inter dicere bonum fuctum, vel dignum fructum pœnitentiæ: quia bonus fructus poteſt dici omne opus bonum, ſi ſit perfectum, ſecundum quod competit ſtatui: dignus autem fructus non ſolum dicit bonũ opus prout competit ſtatui, ſed prout competit merito peccati: quia qui plus peccauit, neceſſe eſt ampliora pati. Iſidor. de ſũmo bono, & refertur à D. Bonau. in pharetra cap. 20. Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum ſuum ſatisfactione legitima plangit: & idem, quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum fit: ſine metu tamen homo eſſe non debet, quia pœnitentiæ ſatisfactio, diuino tantum penſatur iudicio, nõ humano: *Si enim pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua*, id eſt pro vita corporali: quid non dabit pro vita animæ ſuæ, & pro redimendis peccatis ſuis? Sed heu, quòd valdè dolendum eſt, lachrymiſque ſanguineis deplorandum, quàm pauci ſunt qui pro delictis ſuis condignam pœnitentiam & ſatisfactionem facere velint, medicinã ſuorum vulnerum ſicut phrenetici reſpuentes: quibus ſi à confeſſore ſatisfactio pro ſuis criminibus durior ſolito iniungatur, ſceleribus ſuis exigentibus: ſtatim timent, debilitatem impoſſibilitatem allegantes. Qui quidem perſimiles mihi videntur equis timidis, qui vmbratiles dicuntur, *cauallos eſpantadizos*, qui propter vmbram crucis, vel

Geneſ. 3.
Nota.
Iren. 3. li. aduer. hær. c. 37.
Matt. 3.
D. Bona. in 4.
Iſidor. de ſummo bono.
D. Bona.
Iob 2.
Simile.

vel arboris exiſtẽtis in, via pauent, & retrocedũt, & aliquando cadunt in foueam, & ſe & Dominum ſuum occidunt. Timent peccatores pænam temporalem, quæ non eſt vera crux, ſed cruciatus, vmbra purgatorij, & ſupplicij, non ſupplicium verum: & eam vitare ſtudentes: in foueam purgatorij præcipitantur.

Iob.6.

Iob 6. *Qui timet pruinam, cadet ſuper eum nix.* Eſt ad hoc propoſitum explicatio D. Iſidori ſuper illum locum Amos 1. *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quarto non conuertam eum.* Inquit Iſidor. & recitatur de pœnitentia & remiſſione, diſt. 1. primum peccatum eſt, quæ mala ſunt cogitare. Secundum, cogitationibus acquieuiſſe peruerſis. Tertiũ, quod mente decreueris opere complere. Quartum, nolle agere poſt peccatum pœnitentiam, & ſuo ſibi complacere delicto. O ſumma hominum dementia, quòd propter fugiendam paruam pœnam in præſenti vita, velit homo tam atrocem & magnam, vel fortè æternam in futura ſuſtinere. Qui autem pœnitentiam & ſatis factionem à ſacerdote ſibi iniunctam libenti animo acceptat & ſoluit, omnia ſibi à liberaliſſimo Deo condonantur.

D. Iſidor. circa illud Amos 1. ſuper Pſal. De pœnitentia & remiſſione. diſt. 1.

Leui. 25. Figura. Nota.

Leuit. 25. ſic habetur: *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, propinquus eius poteſt redimere, quod ille vendiderat: ſi autem non habuit proximum, & ipſe pretium ad redimendum poterit inuenire, computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, & quod reliquũ eſt, reddat emptori, ſic q; recipiet poſſeſſionem ſuam.*

Altiſiod. in ſumma.

Opera in peccato facta poſſunt eſſe ſatisfactoria.

Vide Scotum in 4. d. 21. q. 1.

Quod exponit Altiſiodorenſis, dicens: Frater attenuatus vendit poſſeſſionem virtutum Diabolo, quando peccat mortaliter: propinquus eius redimit, quando ad exhortationem ſacerdotis corrigitur, qui peccauerat: & reſtituitur ei poſſeſſio virtutum, & computantur fructus ex eo tempore quo vendidit, id eſt, peccauit, & ſic bona opera quæ fecit, ex quo peccauit, vſque ad deſtructionem peccati, & inſtitutionem charitatis, computantur ei ad ſatisfactionem. O clementiſſime Deus, quis hoc audiens, animóque conſiderans, ad ſatisfaciendum pro delictis ſuis non animatur? Quis eſt cui leuis ſatifactio, aſpera videatur & dura, cùm tu ipſe pro peccatis noſtris talia in cruce, vt patri ſatisfaceres, perpeſſus ſis? Si tu cùm ſis Deus pro meis ſceleribus vſque ad ſanguinem ſatisfeciſti, quid me pro ipſis qui illa perpetraui & commiſi, qui maieſtatem gloriæ tuæ offendi, facere oportebit? Faxit Deus fratres, vt Dauidem noſtrum imitãtes, ſatisfactionem noſtrorum criminum libentiſſimo acceptemus animo, vt omne debitum Deo perſoluentes: in præſenti conſequamur gratiam, & in futuro gloriam

SVPER

Digitized by Google

SVPER PSALMVM QVINTVM POENITENTIALIVM.

CONCIO PRIMA.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me, in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me.

ANTE explicationem Pſalmi, ſecundùm morem noſtrum, de titulo ſiue inſcriptione eius agamus. Titulus eius ſecundum Septuaginta viros talis eſt: *Oratio pauperis cùm anxius fuerit, & corã Domino fuderit precem ſuam.* Et licèt in Hebræo, & in tranſlatione D. Hieronym. ſecundum terminos aliqua differentia reperiatur, tamen ſenſus idem eſt. Qui ex Pſalmi materia depræhenditur. Eſt autem materia huius Pſalmi afflictio filiorum Iſrael in Babylonica captiuitate exiſtentium, à qua liberari deſiderant: ſecundum Theodoreti & Lyrani ſententiam. Auctor vero, vel eſt ipſemet Dauid, ſi Diui Auguſtini ſentẽtiam ſequamur, vel auctor eius eſt incognitus, ſecundum aliorum Doctorum ſententiam, quod veriſimilius eſſe arbitror. Pſalmi enim non ab vno, ſed à diuerſis fuerunt compoſiti: tametſi inter eos Dauid principalior habeatur. Tamen quicunque author huius Pſalmi ſit, credendum eſt illum ſpiritum prophetiæ habuiſſe diuinóque lumine fuiſſe illuſtratum. Petit ergo deuotiſſimus hic auctor nomine populi Iſraëlitici in afflictione propter duram ſeruitutem conſtituti, meritis Meſſiæ quem ſperabant, ab illa captiuitate liberari, vt in patriam poſſent redire, & Hieruſalem mœnia iam ab hoſtibus diruta reædificare, & ideo dicitur in titulo: *Oratio pauperis*, ſcilicet populi *in ſumma paupertate & miſeria conſtituti.*

70. Inter. *B. Hier.* *Materia huius Pſ.* *Theod.* *D. Aug.* *Author huius Pſ.*

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

veniat. Scienter quidem, & non ſine magna prudentia, pauper hic, quicunque ille eſt, orationem ſuam auſpicatur. Nam poſtquam in titulo paupertatem ſuam, & animi dolorem & anxietatem confeſſus eſt, ratio ipſa poſtulabat, vt ad Deum ſe conuerteret, qui diues eſt in miſericordia, ab eóque auxilium & opem poſtularet. Tanta enim eſt hominis paupertas, vt ea, non niſi per Deum ſubleuari poſſit. Fuit enim aliquando diues, quando, ſcilicet, in paradiſo creatus fuit ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & ſuper omnia opera manuum eius conſtitutus: tamen propter peccatum inde fuit expulſus, & in ſummam paupertatem & miſeriam deuenit, taliter quòd in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo. Ex regia enim dignitate, ad coloni & mercenarij ſtatum peruenit. Quod nõ reticuit patientiſſimus ille Iob, qui cùm de homine ageret, inter alias eius miſerias, huius etiam meminit: *Et ſicut mercenarij dies eius.* Itaque corona gloriæ eius, in ignominiam, ſceptrum in ligonem, perpura in pelliceam tunicam, imperium in ſubiectionem, & diuitiæ in pauperiem, commutata ſunt: & denique ille qui originali iuſtitia ditatus omnibus abundabat, eadem ſpoliatus, omnibus cœpit indigere: quare homo in Scriptura ſacra, non iam diues, ſed pauper appellatur. Sic enim eum appellat Dauid Propheta, Pſalm. 21. *Timete gentes Dominum, & laudate eum in populis: timeat eum omne ſemen Iſraël, & ſemen Iacob glorificate eum, quia non ſpreuit deprecationem pauperis.* Quem locum Theodoretus explicat de natura humana per peccatum in ſumma pauperie & indigentia conſtituta, quam non ſpreuit Dominus, ſed eam ſibi in vnitatem perſonæ vniuit & aſſumpſit. Propheta etiam Iſai. cap. 25. inquit: *Super hoc laudabit te populus fortium, ciuitas gentium robuſtarum laudabit te, quia factus es fortitudo pauperi & egeno.* Vbi per populum fortium, & robuſtorum ciuitatem, congregationem Angelorum intelligit, qui mane natiuitatis canticis ſpiritualibus laudabant Dominum & glorificabant eum, cùm per aërem diſcurrentes canebant: *Gloria in excelſis Deo.* Et ratio huius letitiæ & laudis, non ob aliud fuit, niſi quia factus fuit fortitudo pauperi, naturæ, inquam, humanæ pauperculæ & indigenti, cuius fortitudo factus eſt Deus eam aſſumendo, & fortitudinem diuinitatis ſuæ per idiomatum communicationem ſibi præſtando. Hûc etiam ſpectat interpretatio Diui Auguſtini ſuper illud Pſalmi 29. *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum: auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* In qua, inquit,

Homo per peccatũ in paupertatem deuenit.

Geneſ. 3.

Iob. 14.

Pſal. 21.

Theodor.

Iſa. 25.

Luc. 2.

D. Aug. in Pſ. 29.

Digitized by Google

inquit, abundantia dixit homo non mouebor in æternum? Intelligimus fratres perſonam humilis hominis. Quis hîc habet abundantiam? Abundantia hominis quæ eſt? ærumna & calamitas. Sed diuitiæ habent abundantiam? tanto plus egent, quanto plus habent. Deſideriis vaſtantur, cupiditatibus diſſipantur, timoribus cruciantur, triſtitia contabeſcunt. Quæ illis abundantia erat? Quando conſtitutus eſt homo in paradiſo, quando nihil deerat illi: quando Deo fruebatur, ſed dixit, non mouebor in æternum. Quando hoc dixit? quãdo libenter audiuit: *Guſtate & eritis ſicut Dij.* Hinc ergo paupertas homini contigit. Vbi exiſtimauit inuenire vitam, inuenit mortem, & vbi putauit diuinitatis diuitias latere, nihil aliud, niſi ſummam miſeriam & paupertatem eſſe, expertus eſt: & vt multa vno verbo comprehendam, tanta eſt eius indigentia, quòd ſine Deo nec reſpirare, aut aliquid efficere poteſt. Tunc enim aliqua ciuitas indigens reputatur, quando omnia illa quibus opus habet, aliunde ei prouenire debent. *Quando todo ha de ſer de acarreo.* Ex hoc miſeram hominis paupertatem cognoſcere poſſumus: quod ex ſe nullum bonum habet, ſed aliunde nempe deſurſum debet ei contingere: quia vt inquit D. Iacobus: *Omne donum optimum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Si igitur tanta eſt hominis inopia, quam propter præuaricationem contraxit: quodnam aliud ſuffugium habebit; niſi mendicare, & ad domum alicuius diuitis, qui illius inopię ſubuenire poſſit, recurrere? Sed quiſnam erit diues hîc? Nunquid mundus, qui diuitiis & poſſeſſionibus abundare videtur? Minimè quidem, quia mundus pauper eſt, & paupertati hominis ſubuenire non ſufficit. Pauper quidem ille iure dicitur: cuius opes vnius hominis famem ſatiare non ſufficiunt: quòd de mundi opibus dicere poſſumus, quæ animum vnius Alexandri ſatiare non potuerunt. Fertur enim de illo, quòd cùm audiſſet aliquorũ Philoſophorum fuiſſe opinionem, innumerabiles eſſe mũdos (quod etiam Epicurus credidit, tradente. Auguſt. tom. 1. libro contra Academicos) magna triſtitia fuit affectus eò quòd cùm tot eſſent mundi, vix vnum ſibi comparauerat. Pauper etiam dicitur mundus, quia nihil habet quod alicui conferre poſſit, niſi ab alio prius ſurripuerit, vt huic conferat regnum, vel opes, ab alio prius auferre debet. Eſt denique pauper, quia clientibus ſuis, quando poſt longam ſeruitutem ex eius domo & ſeruitio morte compellente egrediuntur, nihil aliud præter ſudarium eis conferre poteſt, quia vt inquit B. Iob, rarum illud patientiæ

Simile.

D. Iac. 1.

Exẽplũ Valer. li. 8. cap. 15. Aug. to. 1. lib. cõtra Aca.

Mundus eſt pauper.

Iob. 27. patientiæ & ſanctitatis exemplum, cap. 27. *Diues cùm dormierit nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet*. Ex quo loco manifeſtè conſtat, quòd quibus diuitiæ mundus ſuos nunc allicit & attrahit, non veræ ſed fictitiæ ſunt, & quaſi quæ Pſal. 75. per ſomnium appareant, iuxta illud Pſal. *Dormierunt ſomnium ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus* Solus *ſuis*. Sunt enim diuitiæ momentaneæ, & quæ diu nobiſcũ per- Deus pro manere non poſſunt. Ex quo ſequitur, quòd non ad mundum prie di- confugere debemus, vt noſtræ paupertati ſuccurrat, ſed ad di- ues eſt. tiſſimum Deum, cuius theſauri ſunt infiniti, cuius diuitię ſempiternæ, cuius dona deficere non poſſunt. De illo quippe Da- Pſal. 111. uid cecinit: *Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius ma-* Prou. 3. *net in ſæculum ſæculi*. Salomon etiam: *In dextera illius lon-* Rom. 10. *gitudo dierum, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria*. De quo etiam Paulus ait, quòd *eſt diues in omnes qui inuocant illum.* Mundus ſi diues eſſe videtur, hoc eſt circa aliquos, circa alios verò pauper & auarus conuincitur, quia diuitiæ eius finitæ ſunt & limitatæ: at Deus diues & liberalis in omnes qui inuocant illum, quia non eſt finis theſaurorum eius, *y aſſi ay para* Simile. *todos*. Cùm pauperes & mendici magnificam aliquam domum vident, ornatam ſuperficie, magnis ianuis, & deauratis feneſtris conſtantem, ſtatim magnam ſpem concipiunt, & ad fores pulſandas incitantur. Iudicant enim aliquem diuitem ædes illas habitare, à quo eleemoſinam ſe accepturos ſperant. O homo pauper & mendicus, qui tot rebus indiges, & nullæ tibi copiæ ſuppetunt ad vitam degendam, & optatum beatitudinis finem conſequendum, vis incomparabiles Dei diuitias, quaſi per exteriora ſigna cognoſcere? cœlum aſpice, domũ eius permagnificam intuere, oculos tuos ad cœlorum exteriora conuerte, magnitudinem eorum, & pulchritudinem miram conſidera, vide quantis ſyderibus, quàm fulgentibus ſtellis ſint ornati, & hinc diſce, quàm diues ſit eorum Dominus, vt ſpem certam remedij concipias, & ab eo & non ab alio auxilium, fauorem, & beneficia poſcas. Hinc námque argumentum ſu- Baruch 3 mebat diuitiarum eius Propheta Baruch, qui dicebat: *O Iſrael quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis* Pſal. 122 *eius*. Hinc & Dauid, quando dicebat: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri*. In manibus, inquit, non in facie, vt intelligamus talem oculorum intuitum, ad aliquid accipiẽdum eſſe,

Debemus ergo, cum aliquo indigemus, ſiue conſilio, ſiue conſolatione, aut fortè patientia, oculos noſtros in manibus omnipotẽtis Dei collocare, & ab eo omne remedij genus ſperare; qui diues eſt, & ad noſtram paupertatem ſubleuandam ſufficiens. Quod conſidarans auctor præſentis Pſalmi, qui perſonam pauperis in extrema calamitate & miſeria conſtituti induit, ad Deum preces ſuas dirigit, & corã eo orationem ſuam diffundit, vt in titulo habetur, dicens: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* *Ad Deũ cõfugiendum eſſe.*

Contra tria pericula conſueuit populus frequẽtius clamare, & voces vſque ad cœlum efferre: contra ignem, aquam, & hoſtes: Sic nos contra alia tria animæ pericula clamare debemus: contra ignem concupiſcentiæ, contra aquam mundanæ voluptatis, & contra Diabolum humanæ naturæ hoſtem. Contra primam tentationem clamabat ille, qui dicebat: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui.* Et Dauid Pſalm. 50. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus, ſalutis meæ.* Quando caſtrum aliquod alicui datum eſt in cuſtodiam, ſi viderit ſe ab inimicis obſeſſum, & quod amplius illud defendere non poteſt, nullum aliud remedium habet, quàm ſtatim nuntium ad Regem mittere, ſignificans ei periculum in quo verſatur, vt quàm citius ei auxiliũ mittat, quo poſſit ſe ab inimicis defendere. Sic miles Chriſtianus cum tentationibus fuerit obſceſſus, ſtatim ad orationẽ recurrere debet. Hoc remedio vſus eſt ſanctus Rex Ezechias. Cum enim Rabſaces dux militiæ Syrorũ obſideret eum in ciuitate Hieroſolyma, vt fertur Iſai. 37. audiens blaſphemias eius quas loquebatur per murum contra Dominum, & videns minas quæ literis ſuis continebantur: timens, ne vrbem expugnaret, & eam ſuccenderet igni, ſicut alias ciuitates fecerat: tuſit (vt ibi dicitur) libros de manu nuntiorum, & legit eos, & aſcendit in domum Domini, & expandit eos coram Domino, & orauit, dicens: *Domine exercituum Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubin, tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ. Inclina Domine aurem tuam, & audi omnia verba Sennacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viuentem. Verè enim deſertas fecerunt Reges Aſſyriorum terras & regiones earum, & dederunt Deos earum igni.* Qui ſedes ſuper Cherubin, inquit. Sedebat enim Deus ſuper alas Cherubin in propiciatorio ad inſinuandum, illum eſſe paratũ ad opem ferendum inuocantibus eum. Sed vt ad noſtros mores hiſtoriã hãc applicemus, quãdo Diabolus caſtrum, vel ciuitatem animæ noſtræ obſidet, & intendit

2. Cor. 12 *Pſal. 50.* *Simile.* *Iſai. 37.* *Deus præſto adeſt inuocantibus ſe.*

Digitized by Google

tendit illam flammis ſenſualitatis ſuccendere, tunc remedium erit ad orationem confugere, coram Domino apparere, & in conſpectu eius librum conſcientiæ noſtræ, vbi Diabolus cogitationes carnales ſuggeſtione ſua imprimit, aperire: vt periculum in quo verſamur oculis ſuis intuens, auxilium nobis mittat de alto. Sic fecit quidam Eremita, de quo fertur, quod cùm de fornicatione tentaretur, proiecit ſe ante imaginem crucifixi, dicẽs: *Domine terram cordis mei quam de te teneo, amplius defendere non poſſum.* Quaſi diceret: Tu qui omnipotens es, cui omnia obediunt, à cuius conſpectu dæmones fugiunt & contremiſcunt defende eam. Conſonat D. Auguſt. in quadam homil. dicens: *Hoc eſt remedium eius qui vitiorum tentamentis exæſtuat*; vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem fugiat, quia frequẽs oratio vitiorum impugnationem extinguit. Vnde eſt, quòd Dauid dicebat: *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.* Pſalm. 17. Sed quare primò laudat, quàm ab inimicis eripiatur. Videtur enim, quòd poſt liberationem ab inimicis, laus & gratiarum actio erat dicenda: Sed tamen, tam certum eſſe credebat auxilium orationis, quòd ſimul & clamabat contra inimicos, & hymnum in gratiarum actionem Deo canebat.

Nota. *D. Aug.* *Pſal.* 17.

Secundò, ſolent clamare homines contra aquam, ſcilicet, quando magna aliqua ingruit tempeſtas, præcipuè ſi ſit in mari; tunc enim ex toto corde ad Deum conuertuntur: confitentur peccata ſua, & humiles preces ad Deum fundunt. Sicut patet Ionæ, 1. de nautis illis, qui ipſum Ionam in Tharſis ferebãt, de quibus dicitur, quòd *timuerunt valdè & clamauerunt ad Deum ſuum.* Diſcipuli etiam Domini, quando nauis erat in medio mari, & Ieſus dormiebat cùm penè nauicula operiretur fluctibus cœperũt clamare voce magna, *Domine, ſalua nos perimus.* Dauid etiam quandã tempeſtatem depingit. Pſal. 106. *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationẽ in aquis multis, ipſi viderũt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cœlos & deſcendũt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat.* Et ſtatim ſubditur. *Clamauerũt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.* Per tempeſtatem hanc quam Propheta depingit, Iacobus de Valentia perſecutionem tyrannorum quam paſſa eſt Eccleſiæ nauis poſt aſcenſionem Chriſti intelligit. Nam ſicut nauis agitata fluctibus, quandóq; videtur aſcendere vſque ad cœlum, & poſtea deſcendere vſque ad abyſſos, & iterum aſcen

Ionæ, 1. *Matt.* 8. *Pſal.* 106. *Iacob. de Valentia* *Eccleſiæ perſecutio.*

aſcendere, in tantùm quòd nautæ turbantur, & perdunt arbitrium & ſcientiam nauigandi: ita pariter Nero, & Domitianus, & Decius, Seuerus, & Diocletianus, & Maximianus, & cæteri tyranni conati ſunt ſubmergere nauem Eccleſiæ vſque ad abyſſos, ſed Deus gubernator eius eleuauit eam vſque ad cœlum. Et in tãtum conatus eſt Diocletianus ſubmergere ipſam: quòd multi Nautæ & fideles deficiebant iam, & non audebant ſe publicè Chriſtianos nominare: imò fugiebant per ſpeluncas & antra latitantes: & Marcellinus timore mortis perterritus, idolis publicè thura ſuccendit, & ſic ſapientia aliorum nautarum Eccleſiæ deuorata eſt. Sed tunc quàm plurimi nautæ Eccleſiæ, vt B. Sylueſter & alij, cùm totaliter in hac tempeſtate & naufragio tribularentur, clamauerunt ad Dominum, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos: iſto modo, quòd Beatus Syllueſter ſanauit lepram Conſtantini Imperatoris, à quo baptiſmum recipiens, fecit ceſſare perſecutionem Eccleſiæ, & eam magnis muneribus auxit, Et ſic ſiluerunt fluctus perſecutionũ, & lætati ſunt valdè fideles, quia ad portum optatum voluntatis eorum peruenerunt, ſcilicet, ad cœleſtem patriam. Sic nos debemus facere, quando tempeſtas alicuius tribulationis contra nos inſurgit, quando perſecutionum vndæ nos obruere & ſubmergere conantur, quando iã omnia deſperata eſſe videntur: ad Dominũ clamare debemus, cuius nutu & imperio venti ceſſabunt, fluctus ſedabuntur, & tempeſtas in tranquillitatem commutabitur. Iſidorus 12. ethimologiarum dicit, quòd Mergus auis, ſic dicta ab aſſiduitate mergendi, præuidens futuram æquoris tempeſtatem, citò ad litora cùm clamore valido tendit, quaſi auxilium è cœlo poſtulans: quòd ſi ſimplex auicula ſola natura duce, talem habet prudentiam, quare homo rationis capax ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, cùm in periculis crebris & penè innumeris tempeſtatibus: quæ in medio mari huius ſæculi ſibi accidunt verſatur, non clamàbit ad dominum cum noſtro vate, dicens: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* *Iſidor. 14. Ethimol.* *Simile.*

Tertio, clamamus contra hoſtes. Cùm enim inimici ciuitatem aliquã inuadunt, vel quando duo exercitus incipiunt inire certamen, tunc clamor magnus in vrbe vel in caſtris exauditur. *Cùm ergo vita noſtra nihil aliud ſit* ſecundum B. Iobi ſententiam, *niſi quædam militia & indeficiens bellum*: non cum quibuſcũq; hoſtibus, ſed fortiſſimis & in rebus bellicis acumine ingenij, & tẽporis experiẽtia peritiſſimis, cum dæmonibus, *Simile.* *Iob 7.*

Ad Eph. 6 ſcilicet, iuxta illud Pauli ad Ephe. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*: debemus etiam nos ad Deum per humilem deprecationem, auxilium ab eo contra inimicos poſtulãdo. Sic feciſſe legitur Moyſes Exod. *Exod. 17.* 17. Cum enim Amalech veniſſet ad pugnandũ contra Dei populum, dixit Moyſes ad Ioſue: *Elige viros & egreſſus pugna contra Amalech: Ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea*: & ſubditur: *Quòd cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſi autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Quare, ne ab oratione deſiſteret, Aaron & Hur ſumentes lapidem ſuper eum ſedere fecerunt, & ſuſtentabant brachia eius ex vtraque parte.* *Nota.* In quo vtique facto, mira orationis virtus exprimitur: quia tandiu vincebat populus, quandiu ipſe Moyſes manus erectas habebat ad cœlũ. Tres enim viri orantes erant in monte, & oratio eorum fortior erat quàm omnia arma bellica, quibus totus exercitus præliabatur. Trium enim hominum oratio triginta millia hoſtium vicit, quos ſexaginta millia bellatorum vincere non poterant. Sed quid mirũ, quòd Moyſes vir ſanctus & fide plenus ad orationem confugeret, ſiquidem & Gentiles, & quęcũque alia natio quantumuis Barbara & agreſtis in belli periculis ſemper ad Deos ſuos inuocandos (licèt incaſſum) recurrerint? Et vt alios dimittã, de Romanis refert Valerius lib. 1. cap. 1. quòd poſt Cannenſem cladem, *Valerius max. lib. 1. cap. 1.* vbi fuerunt ab Hannibale deuicti & penè conſumpti, Senatus decreuit ne Matronæ vltra trigeſimũ diem luctus ſuos extenderent, ſed magis venerationi, ſacrificio, & orationi Deæ Cereris perſiſterent. Itaque, matres, filiæ, coniugatæ, & ſorores nuper interfectorum abſterſis lachrymis, depoſitiſque doloris inſignibus, nobiliter veſtitæ venerunt in templum Deę, vt ſacrificarent & orarent. Et ſubdit: Qua quidẽ conſtantia obtinendæ religionis, magnus cœleſtibus iniectus eſt rubor, vlterius aduerſus eam ſæuiendi gentẽ, quæ neque iniuriarum quidem acerbitate, ab eorum cultu abſterreri potuerit. Sed & B. Aug. 3. *Auguſt. de ciuit. Dei. lib. 3.* de ciuitate Dei, dicit, quòd Romani, dum poſt bellũ Carthaginenſe defuerunt arma bellica, pro Republica pugnaturi, neceſſitate compulſi, arma templis affixa & oblata traxerunt, vt *Nota.* ſuos milites armarent. Optarem ego (& faxit Deus vt ita fiat) quòd in hoc gentem hãc barbaram & infidelem imitaremur, vt cùm inimicis, ſiue corporalibus, ſiue ſpiritualibus infeſtamur & circumdamur, ad arma templi confugeremus, ad orationes, ſcilicet, & ſacrificia: quia iſta ſunt arma quibus Dæmones

mones

mones humani generis hoſtes ſuperari ſolent. His muniebatur B. Ambroſius Italiæ lumen contra tyrannidem Valentiniani iunioris. Dicebat enim arma ſua, lachrymas ſuas & orationes debere eſſe; his etiam vtebatur quidam Eremita, cui cum Diabolus appareret, iuſſit illum recedere, cui ille, non recedam pro te. Cui Heremita replicauit, faciam te timore recedere & excuſſit anteriorem veſtis partem, quam lachrymis frequenter orando irrigauerat, & audito ſono, quaſi puer exterritus aufugit. *B. Amb. Lacbryma.*

Sed quid mirum quòd oratio contra malignos hoſtes tātæ virtutis ſit, ſiquidem & contra ipſum Deum præualere ſoleat. Legimus enim in Geneſ. cap. 32. quòd in illa lucta quam Iacob habuit cum Angelo, præualuit contra Deum. *Si contra Deum,* inquit Angelus, *fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis?* Quæ pugna non tam brachiorum fuit quàm lachrymarum & orationum, ſicut ex Oſea capit. 12. manifeſtè colligi poteſt, Vbi de Iacob agens, inquit: *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum.* Paraphraſis Chaldaica huius loci, magis hoc exprimit, dicens: *Præualuit ad Angelum, & ſuperauit, fleuit, & deprecatus eſt eum.* Qui Angelus, Deum ipſum repræſentabat. Vnde Septuaginta verterūt: *Præualuit ad Deum.* O mira lachrymarum fortitudo, ô inaudita orationis virtus ne dicam omnipotentiam, cui benè dictum Angeli conſonat: ſi contra Deum fortis es: quantò magis contra homines præualebis? quantò magis contra ſpirituales hoſtes efficaciam habebis? Credite mihi fratres (& liceat aliena ſuffurari verba) quòd Deus armatus contra peccatores, nunquam melius vincitur & captiuatur, quàm per orationem: lancea Dei eſt ira eius, quam oratio humilians ſe, quæ cœlos penetrat, abſque vlla reſiſtentia frangit. *Gen. 32. Oſee. 12. Paraphr. Chald. Septuag.*

Deinde animaduertite, quòd non fruſtra pſaltes ante illam dictionem: *Et clamor meus ad te veniat*, præmiſit *Domine exaudi orationem meam*, quod & Lyranus adnotauit: quia per orationem, eam, quæ à corde naſcitur, & per clamorem, eam, quæ voce profertur intelligit: quia vt oratio vocalis ſit perfecta, debet non ex ſummis labiis, ſed ex affectu cordis procedere. Non enim tota orationis vis in multiplicandis verbis & componendis longiſſimis periodis conſiſtit: ſed potius mentis attentione, & cordis deuotione. Oratio enim à Beato Damaſceno ſic definitur: *Oratio eſt aſcenſus mentis in Deum.* Et *Lyranus. D. Dam.*

Digitized by Google

D. Greg. B.Greg.inquit ſicut à D.Bonau.refertur.3.part. centiloquij, ſe-
D. Bona. ctio.46.Veraciter orare, eſt in compunctione amaris gemiti-
D. Hier. bus,& non compoſita verba reſonare.Et Hieronymus, ait: ſi-
cut habetur de conſecratione,diſtinct.5. can. non mediocriter. Nunquid verborum multitudine flecti Deus vt homo poteſt? Non enim verbis tantum, ſed corde orandus eſt Deus. Cui
Matt. 6. conſonant Saluatoris verba apud Matthæum cap. 6. *Orantes nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt. Putant enim quod in multiloquio exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim pater veſter cœleſtis quid opus ſit vobis, antequam illud petatis.* Quaſi dicat, non exauditur oratio propter multiplicationem verborum, ſed potius propter puritatem mentis & affectionem cordis. Vnde quidam dicebat, non vxor ſed votum non muſica cordula, ſed cor, non clamor, ſed amor,
Pſal. 26. cantat in ore Dei. Corde enim pſallebat & loquebatur ille
2.*Reg.* 7. qui dicebat:*Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Et 2. Reg. 7. *Inuenit Dauid*
Cor hominis inquietum *ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac.* Et benè dicit quod inuenit cor, quia nihil corde fugacius, niſi per diſcretionem & continuam Dei meditationem reſtringatur. Eſt enim
Simile. inquietum & multum volubile ex natura ſua. Eſt enim, vt inquit quidam, quaſi auis venatica, *aue deceteria,* quæ cùm manu tenetur, quocumque ſonitu audito, ſtatim nititur aduolare & aufugere. Quare vinculis & compedibus neceſſe eſt eam ligare:quòd ſi aufugerit carnibus cruentis reuocatur. Sic cor noſtrum facillimè noſmetipſos derelinquit, vnde qui-
Iſai. 46. dam dicebat:*Redite preuaricatores ad cor.* Et vbi dicitur: *Audite me duro corde,* alij tranſtulerunt: *Audite me qui perdidiſtis cor:* quare refrænandum eſt vinculis timoris & amoris Dei, carnes Chriſti cruentas in oratione illi oſtendendo. Loquebatur etiam, non tam ore, quàm corde Anna Samuelis
1.*Reg.* 1. mater. 1. Reg.1. de qua dicitur. *Porrò Anna loquebatur in corde ſuo tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Tantus enim erat feruor ſpiritus quòd nec vllum verbum ore promere poſſet, & licet ſacerdos obſeruaret attentiſſimè os eius, vt petitionem ſuam intelligeret, nihil percipere potuit, quare exiſtimauit illam ebriam
Oratio lenit,& lachryma cogit. eſſe: Nec vana eſſet eius opinio, ſi eam, quam corporis, ſpiritus ebrietatem iudicaret. Vbi inquit gloſſa: Hîc traditur nobis forma orandi, vt non in multiloquio, ſed in compunctione cordis, & effuſione lachrymarum. Et rectè quidem,
quia

Digitized by Google

quia lachrymæ voces ſunt, & linguæ, quæ cum Deo colloquuntur: alioquin non diceret Scriptura ſacra Eccleſiaſt. 35. *Non deſpiciet preces populi: nec viduam ſi effundat loquelam gemitus. Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt ad cœlum, & Dominus exauditor delectabitur in illis.* Niſi enim lachrymæ linguam haberent ad exclamãdum, non aſcenderet clamor earum vſque ad cœlum. Sed & Exod. 14. dixit Deus ad Moyſen: *Quid clamas ad me? Loquere filijs Iſraël, vt proficiſcantur: tu autem eleua virgã, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud vt gradiantur.* Vbi ſummopere aduertendum, quòd quando hæc verba Moyſi dicuntur: ille nihil clamabat, vt ex cõtextu literæ ſatis conſtat. Et tamen dicitur illi, *quid clamas?* Quod ſilẽtio non præteriit Origenes, qui difficultatem hãc ſic mouet. Nulla vox Moyſi auditur, & Dominus dicit, *quid clamas ad me?* Vellẽ ſcire, quomodo Sancti clamant ſine voce ad Deum? Quam dubitationẽ ſtatim ſoluit, dicens: quòd poſtulante Spiritu ſancto per ſilẽtium clamor Sanctorum auditur. Non enim diuinus ille ſpiritus vocibus exterius prolatis indiget ad preces noſtras percipiẽdas, cum interioris cordis deſideria percipiat. Aduertit ſubtiliter Petrus Cantor, ſic ab antiquis appellatus: quòd cùm dicitur in Pſal. 36. *Os iuſti meditabitur ſapientiam,* & alibi: *Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam,* ori, vel linguæ attribuitur meditatio & attẽtio, quæ cordis eſt (non enim os vel lingua meditari ſolet, ſed cor) vt notetur conſonantia quæ inter illa duo ad perfectam orationem requiritur, id eſt, quòd corde conſideretur, quòd ore poſtulatur in huius rei figuram. Leuit. ca. 1. præcipiebatur quod caput hoſtiæ quæ offerenda erat retorqueretur ad collum, quod eſt organum vocis, vt ex eo facto ſignificaretur nobis, quòd in oratione quę ſacrificium quoddam eſt, iuxta illud Oſeę 6. *Reddemus tibi vitulos labiorum noſtrorum,* mens à voce diſcordare nõ debet, vt oratio grata ſit & accepta Deo. Hoc enim feciſſe Dauid manifeſtè oſtenditur, qui ſummâ animi attentione, dicebat: *Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.*

Eccl. 35. Exod. 14. Origen. Petrus Cantor. Pſal. 36. Pſal. 34. Leuit. 1. Figura. Oſea 6.

Non auertas faciem tuam à me, &c. Deum auertere faciem in oratione, non audire eſt, & petitionem non concedere. Vnde Lyranus inquit: Non auertas faciem tuam à me. Repellendo orationem meam: ſicut homo auertit faciem ab eo, quem non vult exaudire. Quapropter Hieremias 5. inquit Deus. *Non eſt anima mea ad populum iſtum, eijciam eos à*

Lyran. Hier. 5.

Idem 18. *facie mea.* Et in eodē Propheta cap. 18. *Dorſum & non faciem*
Prou. 1. *oſtendi eis.* Et manifeſtius Prou. 1. *Quia vocaui & renuiſtis, &*
ego quoque in interitu veſtro ridebo: auertam faciem meam à
vobis: cū venerit repētina calamitas. Aliqua ſolent eſſe oratio-
nis impedimenta, quorum cauſa ſolet Deus faciem ſuam ab
D. Baſil. orante auertere, quæ tangit D. Baſilius, & nos obiter etiam &
ſuccinctè tractabimus. Inquit ergo glorioſus hic ſanctus, Ideo
quandoque petis & non accipis, quia perperam poſtulaſti, vel
Impedimēta varia ne exaudiatur oratio. infideliter, vel non conferentia tibi, vel quia deſiiſti. Primum
impedimentum eſt perperam petere, quod ex duplici capite
poteſt contingere, aut quia petens peccator eſt, & à peccato
ſuo non vult recedere, aut quia id quod petit iniuſtum eſt. Pri-
mum enim impedit, quia vt tradit Diuus Bonauent. de pro-
ceſſu religionis, cap. 13. inter alias cauſas quare orantes non
D. Bona. exaudimur, prima eſt culpæ demeritum. Dicitur enim Iſai. 1.
Iſai. 1. *Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam:* & ſubiun-
gens cauſam, inquit, *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt:*
Simile. vbi per ſanguinem peccatum intelligit. Sicut ſi aliquis homi-
cida qui principem occidiſſet prius quàm ſanguine manuum
ſuarum lauaret ad Regem, ad impetrandam veniam ſe con-
ferret, quod ſummum genus eſſet inuerecundiæ: ſic peccator,
qui priuſquam lauet ſanguinem peccatorum ſuorum, quibus
filium Dei quantum in ſe eſt in anima ſua interfecit, ſi ad oran-
dum & petendum aliquid accedat, abſque dubio confunderetur
Iſai. 59. & pateretur repulſam. In eodem etiam Propheta cap. 59. dicitur:
Ecce non eſt abreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, ne-
que aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat, ſed iniquitates
veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata ve-
ſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Conque-
rebantur enim in capite præcedenti, eò quòd à Babylonica ca-
ptiuitate, non liberaret eos, & allegabant ad hoc propria me-
rita dicentes: *Quare ieiunauimus & non aſpexiſti, humiliaui-*
mus animas noſtras & neſciſti? Quod ſummæ inſipientiæ eſt.
Qui enim petit aliquid à Deo, non debet propria merita, aut
virtutes allegare, ſed potius peccata & demerita confiteri: ſicut
ſtultum eſſet, dum aliquis eleemoſinam petit diuitias ſuas
oſtendere, cùm potius oſtendenda ſint vulnera, & propria mi-
Simile. ſeria propalanda. In hoc Phariſæus errauit, & ideo miſericor-
Luc. 18. diam nō fuit conſequutus: quia iuſtitias ſuas allegabat Luc. 18.
vbi dicitur: *Non ſum ſicut cæteri homines raptores, adulteri, ie-*
iuno bis in Sabbato, &c. Illud enim non eſt miſericordiam pe-
tere, ſed propriis meritis comparare iuſtitiā, & paratum eſſe

appellare

appellare à Deo ſi non conceſſerit, tanquam ab iniuſto iudice. Sed ad rem redeamus. Allegãtes Iudæi propria merita conquerebantur, quòd ab illa captiuitate nõ liberarentur: quibus Deus reſpondet, non fuiſſe in cauſa eius impotentiam, vel ſurditatem, ſed ſua peccata. Quod explicat magis Paraphraſis Chaldaica ſic habens; *Ecce non propter defectum manus à facie Domini non eſtis ſalui, nec quia graue eſt coram eo audire, non ſuſcipitur oratio veſtra, ſed delicta veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra fuerunt in cauſa, quod auerteretur facies maieſtatis eius à vobis vt nõ ſuſciperetur oratio veſtra.* Certiſſimum enim eſt, quòd ſi Deus aliquando nobis poſtulata deneget, non eſt propterea, quòd abreuiata ſit manus eius. *No por ſer corto de manos ni eſcaſo,* ſed propterea quòd peccata noſtra indignos nos fecerunt ſua miſericordia. Si ſpiritualia petimus merita noſtra excedunt: ſi temporalia, vilia in eius oculis reputantur, & ideo aliquando vtrunque peccatori denegat. Refert Seneca Regem Antigonum reſpondiſſe cuidam infimæ fortunæ, ab eo rem parui momenti poſtulanti, non decet Regem dare donum tam exiguum, qui audiens hæc, poſtea petiit ciuitatem cui Rex ipſum non eſſe tanto munere dignum reſpondit: ſic peccator, tam miſerabilis & infimæ notæ apud Deum exiſtimatur, quòd neque cæleſtia meretur, neque temporalia quæ aliquando ei non conferuntur, ſed potius denegantur. Dicitur enim Ioann. 9. *Nos ſcimus, quia peccatores Deus non exaudit.* Sed forſitan aliquis cum Auguſt. arguet: Si peccatores non exaudiret Deus, ergo fruſtra Publicanus oraſſet: *Deus meus propitius eſto mihi peccatori.* Et Chryſoſtom. ſuper Matth. inquit: Omnis qui petit accipit ſiue bonus, ſiue malus. Difficultatem hanc euacuat Petrus de Aliaco, vir quidem literatiſſimus, dicens: quod oratio duplicem habet virtutem, reſpectu futuri profectus: & virtutem merendi, & impetrandi. Habet efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice charitatis, ſicut & quicumque actus meritorius virtutem autẽ impetrandi habet ex radice diuinæ largitatis, quia Deus ideo nos ad petendum inducit, vt liberaliter det. Quare licèt Deus peccatores non exaudiat ex iuſtitia, audit tamen ex miſericordia: & licèt oratio eorum non ſit meritoria, poteſt tamen eſſe impetratiua. Sed ad hoc quod à Deo meritoriè & perfectè exaudiatur, ex corde puro debet procedere, & peccatis, rebúſque terrenis non ſubiecto. Nam ſicut inquit Iſidorus, libr. 3. ethimol. loquens de prima diuiſione muſicæ, vox ducitur cæca: quæ mox vt emiſſa fuerit conticeſcit atque ſuffocatur, & nequaquam longius producitur.

Paraphr. Chald.

Seneca exempl.

Ioan. 9.

D. Aug.

Chryſoſt.

Petrus de Aliaco.

Nota.

D. Iſidor.

Digitized by Google

Simile. ducitur, vt in ſictilibus patet. Fictilia enim inſtrumenta, muſicæ inepta ſunt. Sed vt ad noſtrum propoſitum ſimile hoc applicemus, quæ ſunt vaſa fictilia, niſi corda terrena hominum peccatorum, de quibus dicit Pſalmiſta : *Tanquam vas figuli confringes eos?* Sunt enim corda lutoſa & terrea, quare vox eorum cæca & ſurda eſt, nec auribus Regiæ maieſtatis apta vt ab eis audiatur. Vel ſecundò perperam poſtulare dicitur, qui aliquid iniuſtum à Deo petit. Quare à Deo ſolùm illa quæ rationi conſona ſunt, poſtulari debent. Quod Athenodorus Stoicus intellexit, dicens: *Tunc ſcito te omnibus cupiditatibus eſſe ſolutum, cùm eò perueneris, vt nihil roges, niſi quod poſſes rogare palàm.* Quo loquendi modo ſignificare voluit, quod à Deo optimo maximo, qui iuſtus & rectus eſt, non niſi iuſta & recta ſunt roganda, alioquin ſi ab eo poſtules vt tibi auxilium præſtet ad conſequendam virginem, vel adulterium committendum, manifeſtè Deum tuæ libidinis mediatorem & fautorem facere intentas; ſi ad furtum committendum, Deum furem eſſe vis; ſi vindictam inimici, & quòd illum interficiat, & te iudicem & Deum tortorem facis, vt inquit Auguſtinus: De Vitellio Imperatore legitur: quod cùm amicus eius iniuſtæ petitioni inſiſteret, nec ab eo efflagitare poſſet, cum indignatione dixit, quid mihi ergo eſt amicitia tua, ſi non facis quod rogo? Cui Imperator, imò quid mihi tua, ſi propter te aliquid inhoneſtum facturus ſum? Alluſit enim ad illud Tullianum. Hæc igitur prima lex in amicitia ſanciatur, vt nec rogemus res turpes, nec rogati faciamus. Quod ſi homo iuſtus orationem iniuſtam nō exaudit, quanto magis Deus, qui ipſa eſſentialis iuſtitia eſt? Vnde eſt, quod Baldad Suhites Iob dicebat cap. 8. *Si ad Deum omnipotentem deprecatus fueris, ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtabit & vigilabit ad te:* non ſolum ab eo petit cordis munditiam, ſed etiam rectitudinem intentionis, tanquam conditiones requiſitas ad poſtulata per orationem obtinenda.

Pſal. 2. — *Atheno.* — *Iuſta & honeſta à Deo petenda.* — *D. Aug.* — *Tullius.* — *Iob 8.*

Secundus defectus orationis eſt infideliter petere, id eſt, non confidenter, quia vt inquit Diuus Bernardus, indignus cœleſti benedictione conuincitur, qui Deum dubio quærit affectu: & quia hanc infidelitatem, ſiue inconfidentiam habuerunt diſcipuli. Matth. 16. lunaticum quendam curare non potuerunt, *non potuiſtis*, inquit, *eum curare propter incredulitatem veſtram.* Quare Iacobi 1. *Si quis veſtrum indiget, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, poſtulet autem in fide nihil haſitans. Qui enim haſitat ſimilis eſt fluctui maris,*

D. Bern. — *Matt. 16.* — *Iacobi 1.*

Digitized by Google

maris, qui à vento mouetur & circumfertur: In fide, inquit, *nihil hæſitans*, id eſt, non dubitans de diuina largitate, aut voluntate conferendi quod expedit nobis, ſiquidem verbum illud, *petite & accipietis*, verbum regium eſt ſumma liberalitate plenum, de quo dubitare non licet. Quamuis enim homo poſſit de ſuis demeritis hæſitare, ne forte ſit indignus, ſed de diuina largitate nullatenus dubitare debet. Sed quomodo poterit in oratione ſua fiduciam habere ille, quem propria conſcientia accuſat? Nihil enim eſt, quod magis fiduciam debitam de corde tollat, quàm conſcientiæ remorſus, prima Ioannis tertio: *Si cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, quòd quidquid petierimus accipiemus. Tunc non confundar*, dicebat Dauid Pſalmo quinto, patiendo repulſam & petita non adeptus: *cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Quare inquit Diuus Iſidorus: Non poteſt habere certam fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei pigritat, & quem peccandi recordatio delectat. *Fiducia orationi eſt neceſſaria.* *1. Ioan. 3.* *Pſal. 5.* *D. Iſid.*

Tertium, non conferentia poſtulare. Plerúmque enim à Deo poſtulamus, quæ nobis non expediunt, quia ſaluti ſpirituali & ſaluationi noſtræ aduerſantur, quare non nobis conceduntur. Tu petis à Deo diuitias, quas ſi concederet, tibi forſitan eſſent cauſſæ tuæ damnationis: ille verò ſalutem, quam ſi conſequutus eſſet, Deum offenderet, & ideò vtriſque denegatur. Lachrymatur puerulus, vt pater ei cultellum conferat, infirmus etiam à medico aquam enixè & lamentabiliter poſtulat, & neque huic, neque illi petitio cōceditur, quia huic aqua eſſet nocumento, ille verò gladio ſe percuteret: ſic Deus qui piiſſimus eſt pater, & animarum noſtrarum peritiſſimus Medicus: quandoque temporalia, quæ importunè poſtulamus, nobis denegat, & audire ſe diſſimulat, ne nobis ſint occaſio damnationis. Vnde Auguſt. in lib. ſententiarum Proſperi; Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſariis huius vitæ, miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtile magis nouit Medicus, quàm ægrotus. Et propter hoc Paulus non eſt exauditus, petens ſibi amoueri ſtimulum carnis, quia non expediebat ei. Et Diuus Iſidorus: Sæpe Deus multos non exaudit ad voluntatem, vt audiat ad ſalutem. Sed dices, hunc dicendi modum ego non intelligo, quia videtur inuoluere contraria. Hoc nobis ex Iobi cuiuſdam loci explicatione conſtabit: qui ſic habet, capite 9. *Et cùm inuocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam. In turbine enim conteret me.* Sed quomodo audiuit inuocantem, ſi credit, quod *Vtilia petenda.* *Oſea 5.* *Simile.* *D. Aug.* *D. Iſid.* *Iob 9.* *Audit Deus ad profectū, licèt aliquādo non ad votum.*

quod non audiuit vocem eius? vel quare hoc credit, ſi exauditus eſt? Hoc ſoluit Lyranus, dicens: quod exaudiuit Deus Iob ad profectum, quia calamitas & tribulatio fuit ſibi proficua, ſed credidit, quod non fuit exauditus, quia non exaudiuit eum ad votum; quia non abſtulit ab eo flagella. Sæpenumero id ipſum fratres nobis accidit, qui cùm in aliqua verſamur calamitate, enixè à Deo poſtulamus auxilium vt liberemur, non tamen exaudimur. Sed enim, licèt non ad votum exaudiat nos, exaudit tamen ad profectum: ordinans tribulationes, flagella, infirmitates, & alia præſentis vitæ mala quæ patimur, ad vitæ æternæ ſalutem. Et quia oculis corporalibus hoc non videmus, ideo exauditi non credimus exauditos eſſe. In quo fallimur; quia, vt inquit D. Bonauent. lib. de proceſſu religionis, cap. 13. tanta eſt Dei liberalitas, quòd ſi aliquando negatur nobis vnum quod fortè minus expedit, pro eo datur aliud vtilius & melius: vt Paulo cui ſtimulus carnis non eſt ablatus, vt virtus in infirmitate perficeretur.

Lyranus.

D. Bona. li. de proceſſ. relig.

Vltimum impedimentum eſt perſeuerantiæ in orando defectus. Debemus enim perſeuerare in oratione, & non deficere, quia aliquando differt Deus nobis concedere, quod petimus, vt magis magíſque orationi inſtemus, vt patet de Cananea: cuius filiam etſi à dæmonis vexatione liberare decreuerat, differebat tamen, vt animum mulieris magis accenderet, & vt feruentiùs & perſeueranter exoraret. Sed quod Deus importunè exorari velit, nobis oſtendunt duo loci ſacræ Scripturæ ex D. Luca deſumpti: primus habetur cap. 11. Vbi ponitur quædam parabola de illo qui media nocte venit ad amicum ſuum, & petiit ab eo tres panes, & quos non propter legem amicitiæ, ſaltem propter improbitatem & importunitatem obtinuit. Secundum exemplum habetur, cap. 18. Vbi inducitur quædam vidua, quæ propter ſuam continuam conſtantiam, apud iudicem, qui non reuerebatur Deum neque homines, fuit exaudita. Dixit enim intra ſe iudex, & ſi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſſimo veniens ſuggillet me. Itaque, propter importunitatem & perſeuerantiam, obtinuit ab iniquiſſimo iudice, quod propter iuſtitiam, non fuerat aſſequuta: quanto magis nos à iuſtiſſimo Deo, quidquid petierimus perſeueranter, obtinebimus? Deus perſeueranter exorari præcipit, quia ſemper exorabilis eſt, & ſemper ad beneficia conferenda paratus. In quo quidem à principibus & mundi diuitibus diſtinguitur. Hi enim ſuas ſtatutas

Perſeuerantia in orando.

Luc. 11.

Luc. 18.

Deus ſemper ad miſerendum paratus.

ſtatutas horas habent ad preces exaudiendas, petitiones recipiendas, & elargiendas eleemoſynas. Quinimò & Aſtronomi docent quaſdam eſſe horas aptas ad adeundos Principes, & munera ab eis obtinenda: quod à liberaliſſimo Deo valdè alienum eſt: nulla enim hora infauſta eſt & importuna ad eum deprecandum, aliquos diuites videas, qui conſueuerunt eleemoſynam date pauperi, qui in manè primò eis occurrerit, ſed ſed ſi ſecundus venerit nihil ab eis accipit. De his videtur poſſe verificari illud Oſeæ: *Miſericordia veſtra ſicut nubes matutina, & ſicut ros manè pertranſiens*, quia talis miſericordia arctiſſima eſt, & citò tranſit: at miſericordia Dei cùm ſit infinita, & nullis limitibus coarctetur, ſemper exorari cupit, & ſemper eius liberalitas ad dona nobis conferenda eſt parata: quòd ſi aliquando differt conferre, hoc ideò facit, vt perſeueranter poſtulemus. Si enim homuncio aliquando rogari & obſecrari vult pro beneficio conferendo, quantò magis Deus, qui bonorum noſtrorum non indiget, & omnibus beneficia confert? Seneca lib. 1. de beneficiis. Quis veſtrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut ſemel? Quis non cùm aliquid à ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem abducit? vultum vertit? occupationes ſimulat? Longis ſermonibus & induſtria non inuenientibus rei exitum occaſionem petendi abſtulit, & variis artibus neceſſitates eluſit? In anguſto verò compreſſus, aut negauit, aut diſtulit, aut promiſit, ſed difficulter, ſed ſuperductis ſuperciliis, ſed, malignis, & vix exeuntibus verbis? Quòd ſi homo ſic rogari vult, quantò magis æquum eſt vt Deum feruenter & importunè rogemus? Sicut egregius quidam Orator faciebat, dicens: *Clamabo per diem & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Clamemus igitur & nos, in nocte aduerſitatis, & in die proſperitatis, & licet ſtatim non exaudiamur, non tamen ab oratione deficiamus, vt in hoc exercitio ſancto perſeuerantes, impetremus à liberaliſſimo Deo veniam peccatorum indulgentiam culparum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.

Diſsimile.

Oſeas 6.

Deus differt poſtulata concedere, vt perſeuerãter petamus.

Seneca li. 1. de beneficÿs.

Pſal. 21.

***

CON

Digitized by Google

CONCIO SECVNDA.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum: Quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhæſit os meum, carni meæ.

VIDIMVS in præcedenti ſermone, quomodo Pſaltes hic in ſumma anguſtia & tribulatione conſtitutus, Iſraelitici populi perſonam induens, qui in Babylonica captiuitate erat detentus, humiles ad Deum præces fundebat, pro libertate deprecans, & dicens: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non auertas faciem tuam à me, in quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam.* Quibus verbis etiam adiecit: *In quacumque die innocauero te, velociter exaudi me.* Conſiderauit enim, quòd Deus licèt ſit adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, tamen iuſtis ex cauſis ſolet aliquando auxilium differre, etſi nunquam tardat, facit aliquando moram: vt iuſtis meriti occaſionẽ tribuat, & in dies augeatur eorũ corona, vel aliis reſpectibus ſibi notis. Quare petiit vt velociter audiretur, & abſque vlla mora præſtaretur ſibi auxilium, ad optatam libertatem conſequendam. Et ne videretur temerè, & abſque vlla ratiotione diuinum fauorem & incomparabilem eius miſericordiam limitibus temporis velle circumſcribere, inſtantiæ quam faciebat rationem aſſignat, dicens: *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Quaſi diceret: Tanta eſt humanæ vitæ breuitas, & tanta velocitate peragit curſum, quòd niſi velociter nos adiuues, in miſera hac captiuitate, qua premimur, vita noſtra abſque ſpe vllius remedij conſumetur.

Vbi primò conſiderandum ſe nobis offert, quàm ſapienter à Deo miſericordiam & auxilium poſtulet, propriam miſeriam & imbecilitatem allegando, vitæ, ſcilicet, breuitatem & mortalitatis noſtræ defectum. Nihil enim eſt quod magis ad miſericordiam piiſſima illa Dei noſtri viſcera moueat, quàm propriæ imbecillitatis, & miſeriæ recognitio. Vnde conſuetudo nata eſt illorum, qui diuino afflati ſpiritu aliquid à Deo impetrare

ſtare volunt, non propriam virtutem, non merita, aut aliquid huic ſimile allegare: ſed inſufficientiam, fragilitatem, & impotentiam propriam confiteri. Sic legitur de Abrahamo, quòd cùm Deum alloqueretur circa Sodomorum combuſtionem, cùm pro eis intercedere attentaſſet, ne ciuitates illę iuxta Domini decretum in cineres collaberentur, ante omnia propriam fragilitatem faſſus eſt, dicens: *Loquar ad Dominum meum cùm* *Geneſ.* 18.
ſim puluis & cinis? Quaſi dicat: Cognoſco figmentum meum & vilitatem meam. Sum enim cinis ſterilis, & ad aliquem fructum boni operis producendum impos, ſed non ideò de illius miſericordia diffido, præſertim cùm cineres meæ mortalitatis ipſe ſit aſſumpturus: quin potius inde magnam ſpem illum deprecandi concipio: quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit: & licet in altis habitet, tamen humilia reſpicit in cœlo & in terra, *ſuſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Obiectum enim miſericordiæ aliena miſeria eſt, quæ quantò maior fuerit, maiorem miſericordiæ occaſionem tribuit. Hinc eſt illud quod Pſalmus 102. habetur: *Miſertus eſt Dominus timentibus* *Pſal.* 102.
ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam puluis ſumus. Homo ſicut fænum tanquam flos agri, ſic efflorebit: quoniam ſpiritus pertranſibit in illo & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Itaque, ratio quare miſertus eſt, fuit, quoniam ipſe cognouit figmentum hominis, id eſt, propriam eius fragilitatem & miſeriam, & quòd ſenſus eius proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua: cui expoſitioni Paraphraſis Chaldaica arridet, quæ ſic habet: *Quo-* *Paraphr.*
niam coram eo palàm eſt concupiſcentia praua, quæ in errorem ab- *Chaldaic*
ripit nos, memoratur coram eo, quod ex puluere ſumus. Iacobus *Iacob. de*
de Valentia illud: *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum,* *Valent.*
ad incarnationem retorquet, id eſt, ideò miſertus eſt, quoniam *D. Aug.*
cognoſcere decreuerat figmentum noſtrum, & noſtræ humanæ naturæ fragilitatem per aſſumptionem carnis, recordatus eſt quia puluis ſumus. D. Auguſtinus ſic legit: *Memento quoniam puluis ſumus.* Quaſi vilitas materiæ, & fragilitas compoſitionis noſtræ mortalis, diuinum pectus ad clementiam præſtandam eſſet ſuaſura. Hinc (vt ego ſuſpicor) habuit ortum conſuetudo illa celebratiſſima, & apud Patres veteris teſtamenti frequens: quòd dum in aliqua calamitate verſabantur: vt diuinam Iuſtitiam flecteret, & ad miſericordiam Deum prouocarent, terram ſiue puluerem verſus cœlum proiiciebant & imponebant ſuper capita ſua, miſericordiam implorantes.

Sunt

Sunt ad confirmationem huius rei in Scriptura ſacra loci non perpauci, ex quibus vnum, aut alterum referemus. In lib. Ioſue cap. 7. dicitur, quòd cùm ſtrenuus hic dux miſiſſet milites ſuos contra ciuitatem Hai, in primo congreſſu cum illis habito, fuerunt deuicti, ignominioſè terga vertentes: quod cū Ioſue nunciatum fuiſſet, ſcidit veſtimēta ſua, & pronus cæcidit in terram coram arca Domini vſque ad veſperam, & tam ipſe quàm omnes ſenes Iſraël, *miſerunt puluerem ſuper capita ſua*. Idem de illuſtri illo Mardochæo Reginæ Eſther, Patre adoptiuo fertur. Audito enim quòd conſilio Aman, & iuſſu Regis Aſſueri populus Iſraëliticus morti damnatus eſſet, & certior de hoc factus: ſcidit veſtimenta ſua, *& indutus eſt ſacco, & capiti ſuo cinerem ſparſit*. Quis huiuſmodi ceremoniam non miretur? Quis huius facti rationem non inquiret? Quid enim confert ad Deum placandum, terram, puluerem, & viliſſimum cinerem ſuper caput imponere, & ea verſus cœlum proiicere? Equidem (vt rem aperiam) ſancti iſti viri myſterium incarnationis non ignorabant. Sciebant enim quòd Deus noſtræ miſeriæ compatiens puluerem naturæ humanæ, & cineres noſtræ mortalitatis erat aſſumpturus: quod ex multis Prophetis, præcipuè autem ex Michea diſcere potuerunt. Nam vbi ſanctiſſima verſio noſtra vulgaris habet: *Et in domo pulueris puluere vos conſpergito*, aliqui vertерunt: *Et in domo pulueris, puluere me conſperſi*. Sic enim ab aliquibus citatur huiuſmodi tranſlatio, quamuis ego in nullo originali authentico, ex his quos habui ad manum, repererim. Hoc quidem quod per ſuum Prophetam Deus promiſerat, opere adimpleuit, quando in viſceribus intemeratæ Virginis humanam naturam induens puluerem mortalitatis noſtræ ſuper ſeipſum aſſumpſit. Huius myſterij non ignari ſanctiſſimi illi Patriarchæ, quotieſcunque calamitas aliqua, ſiue periculum imminebat, confugiebant ad puluerem, quem reuerenter capitibus imponebant, quaſi humanitatem Verbi diuini venerantes: proiiciebant illum ſurſum, vt mediante illo puluere, quem inter Deum & ipſos medium futurum eſſe credebant, miſericordiam impetrarent. Quaſi dicerent: Miſerere noſtri Domine & noſtræ miſeriæ benignus compatere, puluis enim ſumus: recordare petimus, quòd puluis aliquando futurus ſis, & noſtram fragilitatem aſſumpturus. Hoc igitur artificio vtens diuinus hic noſter Pſaltes, vt Deum ad miſericordiam inclinaret: naturæ noſtræ fragilitatem, breuitatem vitæ, & temporis fugacitatem, ante oculos proponit, dicens: *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, &c.*

Ioſue 7. · Eſther 2. · Miche. 2.

Præſentis

Præſentis vitæ ſtatum fumo comparat, propterea quòd facilè reſoluitur & euaneſcit: habet apparentiam, ſed non perſiſtentiam, non eſt quid ſolidum, ſed inane: ea enim facilitate qua generatur, corrūpitur & deſinit. Videbis quaſi turrim aut montem magnum fumi vſque ad nubes ſe extollentem, qui flante aura in ictu oculi ſummaq; celeritate diſparet, & conuertitur in nihil. Aptiſſima eſt hæc ſimilitudo ad fragilitatem & breuitatem humanæ vitæ ſignificandam, quæ inſtar nebulæ & fumi, nullam firmitatem aut perſiſtētiam habentis, euaneſcit & tranſit. Circa breuitatē vitæ humanæ longiſſima volumina antiqui Philoſophi necnon Prophetæ, & Doctores ſancti conſcripſerunt, quia in ſumma hac breuitate longa dicendi miniſtratur materia. Quidam ſcintillæ, quæ media nocte inter denſiſſimas obſcuritatis tenebras apparet, dixerunt eſſe ſimilem, quia ſicut ex omni parte tenebræ circundant, & inter eas videtur ſplendidiſſima illa claritatis linea, quæ quàm citiſſimè à tenebris ſuffocatur & perit: ſic vita noſtra quæ eſſe quoddam fulgentiſſimum eſt, & ad momentū apparens, quaſi quibuſdam terminis, à quo, & ad quem non eſſendi, terminatur. Tanta enim breuitate conſtat, quòd non niſi momentaneis rebus comparetur. Euripides comparat vitā gloriæ vnius diei, in quo reprehenditur à Demetrio, nā melius diceret gloriæ vnius momenti eſſe ſimilē: alij bullę comparant, quo prouerbio vtitur Varro in prologo librorū de agri cultura, & Lucianus in Dialogo de Charonte. Pindarus ſomnio vmbræ, Seneca pūcto indiuiſibili. Alij cum animalibus quæ Ephemeri appellātur & in Hipone fluuio producuntur, ſecundū Ariſtot. quorum vita ſpatium vnius diei non trāſgreditur, cōferendam eſſe cenſuerunt. O ſumma vitæ breuitas, quæ termino vnius naturalis diei clauditur, ad matutinum naſcuntur, & ad veſperum exhalāt animā, ita quòd eorū natiuitas, eorundē mortis vigilia appellari poterit. Talis eſt humana vita, tāta eius breuitas, quæ his animalibus iure comparari poteſt. *Quid eſt*, inquit Diuus Iacobus, *vita veſtra? Vapor eſt ad modicū parens.* Et rectè quidem vapori, vel nebulæ comparatur, quæ præſentiā ſolis nobis impedit: quia ſic vita præſens, quàm pluribus impedimento eſſe ſolet, ne ſolem illum iuſtitiæ, Deum, ſcilicet, intueātur. Nebula ſimul ac producitur, & diſſoluitur, quia breuiſſimo durat tempore: ſic vita noſtra, ſtatim ac incipit, etiam deſinere, & ad mortē properare videtur. Sap. cap. 5. *Et nos nati continuò deſinimus eſſe.* Stat enim vera illa Domini ſententia, quæ ſuper Adam, & omnes filios eius lata eſt: *In quacumque*

Vita humana breuitas depingitur. *Simile.*

Euripid. *Demetr.* *Varro.* *Pindar.* *Seneca.* *Ariſtot.* *Iacobi 4.* *Sapien. 5.*

hora comederis,morte morieris. In eadem hora & eodem mo-
mento , quo Adam manum ſuam ad lignum vetitum exten-
Gen.2,
dit , incœpit mori.Nam homo natus, ſtatim tendit ad corru-
ptionem mortis:calor namque naturalis continuò conſumit
humidum radicale,in quo conſiſtit vita, quod vel non reſtau-
ratur per nutrimentum , ſecundum medicos , vel ſecundum
Philoſophos reſtauratur , ſed non ſecundùm æquiualentiam,
Simile.
vt habetur 2.de generatione , & ſic neceſſario tandem ſequi-
tur corruptio:ſicut vinum cui imponitur modicum aquę,con-
uertit illã in ſeipſum,tamẽ efficitur minus forte,& ſi continuò
apponatur, tandẽ vinum corrũpitur & efficitur aqua, ſic nimi-
rũ cùm virtus humana nõ ſimpliciter & omnino per ſumptio-
nẽ alimẽti reſtauretur,neceſſario mors ſequutura eſt. Apud B.
Iobũ quamplurimę extant ſimilitudines & Metaphoræ, qui-
bus celeritas præſentis temporis, & humanæ vitæ breuitas
explicatur,ex quibus vnicam referemus , quæ capite 7. conti-
netur,vbi ſciſſioni telæ , qua textor telã ſolet ſuccindere com-
Iob,7.
paratur. *Dies mei velociores tranſierunt, quàm à texente tela*
ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. Quo etiã dicen-
di modo vſus fuit ſanctus Rex Ezechias cap.38. Iſaiæ, dicens:
Præciſa eſt velut à texente vita mea,dum adhuc ordirer , ſuc-
cidit me. Cõparatur quidẽ telæ vita humana, quia ſicut tela fi-
Iſai.38.
lis componitur,ſic vita diebus. Tela etiã ex delicatiſſimis filis
conſtat,quare ſumma fœlicitate & celeritate ſcinditur? ſic vita
noſtra,licet aliquibus ferrea videatur,tamẽ lanea eſt , quã no-
uacula mortis nullo negotio ſcindit. Non enim fortitudo la-
pidũ fortitudo noſtra, neque caro noſtra ænea eſt,vt in illa fi-
duciã habeamus:ſed eſt lanea,debilis,& fragilis:quæ ea facili-
tate,qua lanæ filũ,reſcinditur. Sed ad breuitatem deueniamus
quò ſpectat quòd in verſione Ionatæ ſic legitur. *Dies mei ve-*
lociores tranſierunt radio textoris, & conſumpti ſunt abſq; vlla
Verſio Ionatæ.
ſpe Elegãs quidẽ eſt metaphora, & ad propoſitũ explicãdum,
aptior inueniri non poteſt.Textorẽ telã ſuã texentẽ mẽte fin-
Vita humana radio textoris comparatur.
gite,qui manibus ac pedibus operi ſuo incũbat,licèt enim ma
nus ac pedes ſumma celeritate & inceſſanter moueat,tamẽ ni-
hil eſt quod velocius radio, in quo fila ſunt inuoluta, mouea-
tur. Vix ab hac manu dimittitur , quando abſque vlla mora
temporis ad aliam tranſit. Heu mihi , inquit Iob , quanta eſt
breuitas vitæ meę,quanta annorum meorum celeritas , quan-
ta temporis præſentis fugacitas , volat irreuocabile tempus:
dies mei velociores trãſierunt, non dico manibus aut pedibus
textoris,licèt velociter & expeditè moueantur, ſed radio, quo
ad

Digitized by Google

ad texendam telam vtitur, qui præ nimia velocitate vix ab humanis oculis in tranſitu ſuo percipitur.

Et quod magis me in admirationem rapit, hoc eſt, quòd cùm tanta ſit humanæ vitæ fragilitas & breuitas, quanta, experientia ipſa docente, quotidie diſcimus, nihilominus tamen, quaſi qui ex letheo biberunt, mortis obliuiſcimur, & nihil magis quam illius memoriam poſteriori manticæ tradidimus. Videmur enim nobiſmetipſis immortalitatem perſuadere, quia ſic viuimus ac ſi nunquam eſſemus morituri. Quod à noſtro primo parente trahit originem, qui poſtquam mortẽ incurrit per trãſgreſſionem præcepti, cùm dictum fuiſſet ei: *In quacumq; hora comederis morte morieris*: & poſt pauca: *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris*, ac ſi omnia hæc vel contẽneret, vel obliuioni traderet, vxorẽ ſuã, quę morti ianuã aperuerat, Euã appellauit, quod nomẽ eſt vitæ. Eua enim idẽ ſignificat quod mater viuentiũ: Sic homo cũ ſentẽtia mortis ſuper eũ lata ſit, nihilominus ſibi vitã promittit, & cũ tot exẽplis de hac deceptione exire poſſet, vix minantẽ ſibi mortẽ, proximã eſſe credit: quare vanitati, luxui, deliciis, & voluptatibus huiuſmodi laxat habenas, quaſi cũ inferno & cũ morte pactũ fecerit. Similis eſt, inquit quidã vir doctus, phrænetico aut amẽti, qui cũ morti iã deſtinatus eſſet, pronũtiata iã ſuper eũ ſentẽtia, pręcone clamãte, & iuſtitiæ miniſtris ſibi hinc inde appropinquãtibus, & ad locũ ſupplicij illũ ducẽtibus: nihilominus gaudẽs & ridens per viã incederet, nullũ triſtitiæ ſignũ oſtẽdens, ſed quò magis ad locũ ſuſpẽdij appropinquat, eò maiorẽ viuẽdi ſpem concipiẽs. Et quis dubitat quin ſuper hominem iuſtiſſima illa mortis ſentẽtia fulminata ſit? *Statutũ eſt*, inquit D. Pau. Heb 9 *hominibus ſemel mori*. Et Pſal. itidem: *Quis eſt homo qui viuit, eruet animã ſuã de manu inferi?* quę ſentẽtia nõ differẽda eſt, ſed tota celeritate complenda: quia in eodem inſtanti in quo homo naſcitur, à miniſtris & executoribus diuinę iuſtitię, quatuor, ſcilicet, elementis, quæ inter ſe contrariãtur apprehenditur, & per viã pręſentis vitæ ducunt illum ad mortem. Et cùm hoc ita ſit, tãta eſt hominis amentia, quòd finis ſui oblitus, vanitati deſeruit, pulchritudine huius mundi delectatur, domos ædificat, diuitias cõparat, & voluptates toto animi conatu perſequitur nec minus de aliquo, quàm de morte cogitat Cui cõuenire poteſt illud Iſa. 36. quod Rabſaces dux exercitus Regis Syrorũ, Regi Ezec. dixit: *Quæ eſt iſta cõfidentia qua cõfidis, aut quo cõſilio rebellare diſponis? Ecce cõfidis ſuper baculũ arundineũ cõfractũ, cui ſi inixus fuerit homo, intrabit manum eius &*

Mortis obliuio.

Qui mortis obliuiſcitur phrenetico ſimilis eſt.

Hebr. 9.
Pſal. 88.

Iſai. 36.
Vita humana fragilitas.

perforabit eam. O homo mortalis, cuius vita fragilis eſt ſuper arundinem baculum, quæ eſt iſta confidentia qua confidis, ita vt mortem nunquam viſurum tibi perſuadeas? Nunquid in diuitiis, in proſperitate, in ſalute, & corporis valetudine, in pulchritudine, & aliis quibus vita præſens ornata eſſe ſolet? Ecce omnia iſta caduca fragilia & peritura ſunt. Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum. Quid enim aliud eſt vita præſens, niſi baculus confractus? Confracta enim manſit per peccatum primi parentis: nam quæ prius futura erat diuturna & firmitatem habens, poſt culpam mortalis, fragilis, & debilis facta, quaſi arundineus baculus confidentem ſibi decipit, & vitam eius perforat. Ita quod vita ipſa gladius eſt & inſtrumentum mortis, & quò magis aliquis vixit, minus ſibi viuendum reſtat, magíſque morti appropinquat. Si hæc homo quotidie cogitaret mentéque reuolueret, non tam effræniter peccaret, & per voluptatum ſemitas ad infernum properaret: quia nihil eſt quod magis ſenſualitatem refrænet, & vitiis lineam & menſuram ponat, quàm continua mortis memoria,
Eccl.7. iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 7. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Non enim dicit, memorare ortum tuum, aut medium vitæ tuæ curſum, ſed nouiſſima tua, id eſt, finem vitæ tuæ. Vna ex abominationibus, quas vidit Propheta
Ezech.8. ta Ezechiel, quando ingreſſus eſt templum, fuit, *ſenes quoſdam dorſa habentes contra templum Domini, & facies ſuas ad orientem, applicãtes ramos ad nares ſuas.* Benè quidem dicitur hæc abominatio, quia abominatio eſt & monſtruoſa quædam ſtultitia, ſene qui verſus occidentem tendunt & properant, facies ſuas ad orientem habere cõuerſas, & ad ortum ſolis adorare. Si iuuenes eſſent, aut pueri, non tam mirandum eſſet, quòd ortum ſuum aſpicerent, & lucem vitæ ſuæ adorarent: at ſenes, qui ab oriente procul receſſerunt, quibus occidens minatur, quibus mors vicinior, quibus ſepulchrum iam apertum & paratum eſt: & quòd adhuc ad orientem conuertantur, hoc maximè eſt deplorandum. Et inde quid ſequitur? quòd dorſa contra templum Domini habent conuerſa, Deum contemnunt, & mandata eius pro nihilo pendunt. Sed quid vltrà? Ramum viridem applicant ad nares ſuas, ſpem longioris vitæ ſibi promittentes, per rami viriditatem ſignificatam: & hinc eſt quod in voluptatibus & vitiis perſeuerãt.
4 Reg.23 De ſancto Rege Ioſia refert ſcriptura ſacra 4. Reg. quòd Ido-
Mortis la quæ anteceſſores ſui fabricauerant, confringere & proſter-
memoria nere iuſſit, & ſuper altare in quo Idolis ſacrificabatur, fecit
quam

quamplurima mortuorum oſſa comburi:vt ſaltem hoc ſpectaculo Idololatræ cõmouerentur, & à ſuis Idololatriis ceſſarent. O quam efficax remedium fratres mei dilectiſſimi hoc eſſet, vt noſtris Idololatriis & ſceleribus finem imponeremus:ſi ſuper altare in quo Idolis ſacrificamus,ſaltem ſemel in die mortuorum oſſa cremaremus.O quàm ſalutiferum hoc eſſet holocauſtum,quàm gratum Deo ſacrificium ! Oſſa quippe hæc ſic cremata & combuſta,ſuper thimiamata & incenſum, & ſuper mundi omnia aromata redolerent. Altare quippe in quo Idolis ſacrificia offerre conſueſcimus, cor noſtrũ eſt,ſicut D.Hier. *D.Hier.* ſuper Ezech.teſtatur,nunc enim idololatriam cõmittit,quãdo neglecto Deo per culpam,voluptatem quærit,& relicto bono incommutabili,commutabile & tranſitorium diligit. Sed remedium ad idololatriam hanc eradicandam nullum efficacius eſſe poterit, quàm in eodem altari quotidie oſſa defunctorum per iugem mortis memoriã comburere. Sic fiet,vt vitia relinquentes,& ſæcularia deſideria abnegantes,ad Deum cõuertamur,illum imitantes, qui conſiderans præſentis vitæ velociſſimum curſum, & eiuſdem fragilitatem, dicebat : *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei , & oſſa mea ſicut cremium aruerũt.*

Hîc ſecundùm Nicolaũ de Lyra tãgit calamitates & genera tormentorum,quæ populus Iſraëliticus, ſub perſecutione Regis Antiochi paſſus eſt. Quia Rex ille impiiſſimus , nolentes relinquere Dei cultũ faciebat frigi in ſartaginibus, & cremari, vt habetur 2.Mach.7.vnde inquit:*Oſſa mea ſicut cremiũ aruerunt*,quia cremium dicitur à cremo,& eſt, quod in patella re- *2.Mac.7.* manet de frixione. Cui conſonat litera B.Auguſt. ſic habens: *B.Aug.* *Et oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt*.Vel ſi hoc de captiuitate Babylonica, ſicut ſuprà dictum eſt, intelligamus , forſitan hoc loquendi modo vſus eſt,ad exaggerãdam tribulationem, quam ſub iſta captiuitate,populus ille patiebatur. Vnde Aquila,referente Theodoreto vertit:*Et oſſa mea ſicut cinis exaruerunt*. *Verſio Aquilæ. Theodor.* Vbi ſummopere conſiderandum eſt, quãtis tribulationibus in hac vita quos Dominus diligit , vexet. Diligebat enim populum illum paternali affectu, ſicut pater filiũ ſuum primogenitum diligere ſolet : tanta amoris teneritudine , quod per Ierem.cap.31.dicit:*Factus ſum Iſraëli pater, & Efrain primogenitus meus*. *Iere.31.* Et in eodem capite paulò pòſt,inquit, *Si filius honorabilis mihi Efrain ſi puer delicatus:quia ex quo locutus ſum de eo,commota ſunt viſcera mea ſuper eum,miſerans miſerebor eius*. *Oſea.11.* Et in Oſea cap.11.habetur : *Puer Iſraël & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum.* *Deus quos diligit vexat.* Ex quibus locis manifeſtè

Digitized by Google

conſtat, quanto amore populum illum proſequebatur: & tamen variis calamitatibus & tribulationibus patiebatur eos vexari: ducebantur captiui, premebantur dura ſeruitute & tyrannide, & ſartaginibus frigebantur, quod aures audire abhorrent: vt hinc diſcamus, non tam odij, aut vindictæ, quàm dilectionis eſſe indicium: quia quos diligit Deus caſtigat, & tribulatione corrigit. Agit de hoc D. Auguſt. ſermone de tempore 104. vbi agens de tranſitu Iordanis per filios Iſraël duce Ioſue, vt ad terram promiſſionis peruenirent, inter alia, hoc ſignificare, inquit, quòd per aquas tribulationis ad beatitudinem nobis promiſſam peruenire debemus. Et ſubdit: *Quoties Domino diſpenſante, tribulari permittimur, vel aliquas aduerſitates contra iuſtitiam ſuſtinemus, patienter & æquanimiter, auxiliante Domino ſufferamus,* propter illud quod Apoſtolus ait: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Roman. 8. *Cùm tribulamur à Domino corripimur, vt non cùm hoc mundo damnemur.* Magis timere debemus, ſi aut nullas aut paruas tribulationes in hoc ſæculo patimur: quia ſi Deus flagellat omnem filium quem recipit, ſine dubio quem non flagellat non recipit. Et concludit hunc ſermonem inſinuans, quomodo Deus adiuuet eos, quos in tribulatione conſtituit. Non te Deus, inquit, ſic ſpectat in agone certantem, vt populus aurigam: clamare enim nouit, adiuuare non nouit: coronæ veniam parare poteſt, vires ſubminiſtrare non poteſt. Hoc enim non Deus: & fortè dum ſpectat plus laborat ſedendo, quàm ille luctando. Deus quando ſpectat certatores ſuos, adiuuat eum inuocantes: nam vox athletæ ipſius eſt, in Pſalm. 93. *Si dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua, Domine, adiuuabat me.* De Vlyſſe refert Homerus, quòd omnia vicit pericula, & innumeros labores ſuperauit, quia Mineruam ſcientiarum Deam ſecum comitem habebat. Quòd ſi creata ſapientia, fictáque Dea, tantam illi virtutem præſtitiſſe dicitur, ad conſequendam laborum victoriam: quantò magis ipſa ſapientia increata, qui verus Deus eſt, & iis quos comitatur virtutem inſuperabilem ac diuinam præſtat? *Clamabit ad me*, inquit, *& ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Agens Beatus Iob de graui ſua tribulatione, cap. 3. inquit: *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt.* Sed percontari libet: quomodo vehementiſſimum tribulationis ſuæ ventum ad dexteram orientis veniſſe fatetur, cum calamitates & tribulationes, potius à parte Aquilonis venire ſoleant? *Fumus*, inquit Iſaias cap. 14. *ab Aquilone*

D. Aug. *Rom. 8.* *Deus adiuuat certatores ſuos.* *Pſal. 93.* *Pſal. 90.* *Iob. 3.* *Dubitatio.* *Iſai. 14.*

lone veniet. Et Hierem. cap. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Et ſponſa cap.4.dicebat. *Surge Aquilo & veni Auſter, & perfla hortum meum.* Vbi alij legunt, *fuge Aquilo:* quia ventus hic, flores exſiccare & diſſipare ſolet. Quomodo ergo Iob inquit, quòd eius tribulatio & calamitas à dextera orientis ſurrexerit, & non potius à ſiniſtra Aquilonis? Huic dubio reſpondet Gilbertus Diui Bernardi diſcipulus ſermone 38. ſuper Cant. dicens: Iure ventum illum dextrum vocauit, qui nihil ei quiuit ſiniſtrum inferre, quinetiam coronæ gloriæ viro iuſto comportauit augmentum, quando virtus proba enituit, & quando prouocata excreuit. Nec diſſonat gloſſa ordinaria, ſic inquiens: Redemptor noſter oriens dicitur: nam quia ab oriente lux ſurgit, rectè òriens dicitur, cuius iuſtitiæ lumine, nox noſtræ iniuſtitiæ illuſtratur. Ad orientis ergo dexteram calamitates ſurgunt, quia hi quoque ad perſecutionem proſiliunt, qui electi ad dexteram futuri credebantur. Diuus Gregorius Nazianzenus, inquit: Antiquos finxiſſe arborem quandam eſſe, quæ morte viueret, quia quantò magis ramos eius incidebant, tantò magis virebat & pullùlabat, foliáque fructus proferebat. Itaque, cum ferro contendebat, & cum morte bellum gerebat. Cui arbori iuſtum comparat, qui tribulatione & laboribus non conſumitur, ſed magis gloria meritorum eius accreſcit, quia vireſcit vulnere virtus, & læſa patientia roboratur. Refert Plinius lib. 16. naturalis hiſtoriæ eſſe aliam arborem nomine Laix, quæ igne non comburitur, quin potius in igne proiectam, ac ſi eſſet lapis, eius flammis reſiſtere: quod expertus eſt Cæſar circa ciuitatem. Larigno, vt refert Cælius 6. lectionum antiquarum. Ibi enim erat turris, ex hoc ligno confecta, cui ignem apponi iuſſit, & cum flammis vndequaque circundaretur, nullum detrimentũ recepit. Non multum eſt diſſimile quod narrat ſacer textus Exod. cap.3. Vidit enim Moyſes arborem, rubum, inquam, qui licèt arderet, non tamen comburebatur, ex quo ſtupefactus & admirans Moyſes, inquit: *Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Viſionem hanc explicat Lyranus, dicens: Per hoc deſignari, quòd labor affligens, per ignem adumbratus, filios Iſraël, in quibus erat humana infirmitas, non conſumeret, nec deleret: & quòd licet in Ægypto patiebantur tribulationem, tamen illa tribulatio in bonum eorum conuertenda erat. Itaque iuſtus arbor quædam eſt, quem tribulationis & perſecutionis flamma circundat & conſumere nititur, attamen eum non lædit, aut comburit,

Ierem.1. *Cant. 4.* *Tribulatio iuſto non nocebit.* *Gilbertus* *Solutio.* *Gloſſa ordina.* *D. Greg. Nazian.* *Arbor vitalis cui iuſtus comparatur.* *Plinius* *arbor Laix.* *Cælius Rodi.* *Exod.3.*

Digitized by Google

quia Deus in illo reſidens, eum ab huiuſmodi flammis liberat & defendit. Et ideò non mirum eſt, ſi Deus ſuos vexari patitur, ſiquidem vexatio non ad malum, ſed ab bonum, non ad laborem, ſed ad requiem, non tam ad pœnam, quàm ad coronam, ordinatur. Huius cœleſtis philoſohpiæ non ignari primi illi Eccleſiæ patres & duces fortiſſimi, qui calicem Domini biberunt, & fidem ſanguine ſuo fundârunt, tanta animi cupiditate, ad mortem quaſi ad ſuauiſſimas epulas inuitati cucurrerunt. Quis enim vnquam tam honoris fuit cupidus, quàm iſti ignominiæ? Quis tanto ſtudio voluptatem, quam iſti laborem appetiit? Quis denique vitam ipſam tanto deſiderio proſequutus eſt, quàm iſti mortem? *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij*, inquit Diuus Lucas: *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* De quibus illud Deuteronomij capite trigeſimo tertio, verificari poteſt: *Inundationem maris quaſi lac ſugent.* Loquitur ibi de quadam gente maritima, & ait, quòd tantus erit ſitis ardor, quòd bibent aquam maris ſalſam, & ad bibendum inutilem, quaſi dulciſſimum eſſet lac. Sed, bone Deus, quænam gens iſta futura eſt tam ſitibunda, tam bibendi cupida, quæ ipſam aquam maris ſalſam, quæ ſitim magis excitat, etiam bibere non contemnat? *Que quando el mar ſale con tormenta, rebueluelo las arenas que eſtan en el abiſmo, y haziendo con ſus olas temblar las firmiſſimas rocas, dexando toda la ſuperficie del agua, llena de eſpeſſa y blanquiſſima eſpuma, que aya ſed tan grande que llegue a beuer deſta agua, y a ethar ſe la a pechos, como ſi fuera leche dulciſſima.* Quæ amabò gens iſta eſt, aut quis tantus ſitis ardor? niſi gens illa apoſtolica quæ in principio naſcentis Eccleſiæ tanta ſiti patiendi pro Chriſto æſtuabat, quòd aquam amariſſimam tormentorum, ludibria & verbera, vincula & carceres, vulnera & opprobria, & denique mortem ipſam, quaſi lac dulciſſimum appetebat.

in Actis.

Deut. 33.

Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Aliqui ex expoſitoribus, inter quos Sanctus Auguſtinus, & Diuus Gregorius hoc ad primum noſtrum parentem referunt: qui percuſſus fuit vt fœnum, falce mortis reſciſſus, quia oblitus fuit comedere panem ſuum, panem, inquam, diuini præcepti, ne de arbore ſcientiæ boni & mali comederet. Homo, inquit Gregorius, qui, ſi in creatoris obedientia perſtitiſſet, poſſet in æternum viuere, propter inobedientiæ culpam, percuſſus eſt mortaliter. Et rectè homo dicitur vt fœnum percuſſus, quia ſicut fœnum in radice ſecatum, ſtatim areſcit & natiuum ſuum virorem perdit: ita omnis homo

D. Aug. & Greg.

mo in Adamo tanquam radice & principio, falce peccati originalis percuſſus, neceſſitatem moriendi contraxit, virorem iuſtitiæ & pulchritudinem gratiæ perdidit. Vnde eſt, quòd Iſaiæ cogitanti quidnam populo prædicaret, vt habetur capite quadrageſimo, voce quodam perſonante de cœlo, dictum eſt: *Clama*, Cui ille: *Quid clamabo?* Et ad eum vox: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri: exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Quaſi diceret: Abſtine pro nunc ab aliis materiis prædicandis, quæ licèt magis ſubtilitatis habeant, habent tamẽ minus ædificationis & fructus. Superſede nunc ab altioribus myſteriis, & memoriæ ſaluberrimæ mortis ſolùm incumbe: clama voce ſonora & magna, quæ ab omnibus mortalibus percipi poſſit: notam fac hominibus hanc veritatem, quòd omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Fœnum enim licèt pulcherrimam apparentiam, & virorem exterius habeat, tamen intus caret virtute & humore, vnde ſi falce reſecetur, ſtatim areſcit, & illam apparentem pulchritudinem perdit: ſic omnis caro fœnum, omnis homo quaſi flos agri. Non enim dicit aliquis, non pauper, & obliuioni mundi traditus, non miſer & afflictus, non ille cui fortuna ſemper aduerſatur, & cui neceſſaria ad vitam degendam denegat, quia hoc non tam eſſet mirandum: ſed omnis caro, omnis homo, quantumuis potens, aut diues, quantumuis beatus & fœlix, qui quidem non eſt niſi parum fœni, quod falce mortis reſecatum, ſtatim percutitur & marceſſit. *No tienen mas de vn verano de vida*, quo tranſacto, quaſi fœnum aridum in ſterquilinium ſepulchri mittentur.

Iſai. 40.

Omnis homo fœno cõfertur.

Diuus Hieronymus verba ad pœnitentiam pertinet affirmat, ita quòd iſte pœnitens loquatur & dicat: *Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum*, ſcilicèt præ macie & ieiunio, *quia oblitus ſum comedere panem meum*, præ nimia ciborum abſtinentia: vnde *& à voce gemitus mei, adhæſit os meum carni meæ*: Sic enim interpretatur Diuus Hieronymus. Non dixit non deſideraui manducare, aut contempſi manducare. In tantum mihi venit memoria peccatorum meorum, & talem pœnitentiam egi, vt etiam obliuiſcerer manducare, deſiderium Dei habens, & ipſum ſolum conſiderans. Diſcant qui agunt pœnitentiam, quomodo debeant eam facere, ita enim exſiccaui memetipſum, vt ſine carne eſſem, & pelles meæ cohærerent oſſibus meis. O quanta confuſio nobis hinc accreſcit fratres: qui cùm quotidie peccemus, & innumera contra diuinam legem flagitia committamus, tamen, vel leuem pœnitẽtiam agere contemnimus,

D. Hier.

Mæror orexim ciborum tollit.

Modus agendæ pœnitentiæ.

ieiunium nos deterret, aſperitas victus & veſtitus diſplicet, eleemoſinam elargiri neſcimus, vigilias & orationem ignoramus, & ab omni pœnali opere ſuperſedemus, & tamen peccatorum veniam conſequi, & beatitudinem adipiſci præſumimus, potiùs quàm ſperamus: quibus tamen verba diuina contradicunt, Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis: omnes ſimul peribitis.* Nunciatum enim fuit Ieſu quandam turrim cecidiſſe, & Galilæos quoſdam occidiſſe, & nunciantibus dixit Dominus. *Quid miramini hoc quaſi nouum quoddam & inauditum, quòd homines peccatores turris oppreſſerit & miſerabiliter perdiderit? niſi pœnitentiam egeritis de peccatis veſtris, omnes vos ſimul peribitis.* Frequenter à Doctoribus pœnitentia naui comparatur, nec incongruè, quia pœnitentia ſecunda tabula poſt naufragium appellari ſolet. Habet etiam nauis, quòd difficilem habet ingreſſum, ſed poſt in medio dilatatur, ſic viam pœnitentiæ & virtutis ingredi, difficile eſt peccatori propter inueteratam peccandi conſuetudinem: at poſtquam ingreſſus fuerit, iam ſpatiatur animus, nec tantam ſentit difficultatem & moleſtiam, quinpopotius ſummam tranquillitatem & dulcedinem ſpiritus. Sed ad rem veniamus. Quis dubitat, quòd vita nauis aut triremis aſpera ſit, & doloris plena, vita abſque vlla conſolatione & voluptate? Vnde Iob, vt huius vitæ miſeriam depingeret, vitæ nauis illam comparauit, *a la vida dela galera. Dies mei,* inquit, *velociores fuerunt curſore, & ſicut naues poma portantes.* In naui enim omnes, licèt inuiti, aſperam & pœnitentem vitam agunt: panis confertur ad menſuram, aquæ fœtidæ ſunt, vinum, aut nullum, aut modicum veſtitus non pretioſus aut delicatus, ſed vulgaris: ſic nimirum verè pœnitens, qui per pœnitentiæ nauium ad portum beatitudinis per mare huius mundi peruenire deſiderat, nautæ vitam degere neceſſe eſt, vt ieiunio & abſtinentiæ incumbat, & ab omni genere vitiorum abſtineat: quia ſicut impoſſibile eſt ſine nauis adminiculo, ad optatum portum peruenire, ſic peccator ſine pœnitentia ad portum miſericordiæ, nunquam perueniet. Quando fugiebat Dauid à facie Abſalon nudis pedibus, & tranſibat Cedron, dicit Scriptura ſacra 2. Reg. cap. 16. quòd *populus, qui ſequebatur eum, incedebat contra viam oliua, quæ reſpicit ad deſertum.* Vbi Hugo myſterium pœnitentiæ adinuenit, dicens: Via oliuæ pœnitentia eſt: per pœnitentiam enim venitur ad miſericordiam, & per hanc viam debent incedere, qui volunt ſequi Dauid, id eſt Chriſtum. De qua via dicitur Iſai. 30. *Hæc eſt via, ambulate per eam, & ne declinetis neque ad dexteram neque*

Luc. 13.

Pœnitentia cur naui comparetur.

Iob 9.

2. Reg. 16.

Hugo.

Iſai. 30.

Digitized by Google

neque ad ſiniſtram. Ad dexteram ambulare in via pœnitentiæ, eſt pœnitentiam relaxare, ad ſiniſtram verò, nimis ſe affligere. Oliua radicem habet amaram, ſed ex ea prouenit oleum dulce, vnde Hieronym. ſuper Marcum, oleum de amaritudine radicis ſurgit in pabulum luminis, in medelam vulneris, in refectionem eſurientis. Oliua exterius in cortice amaritudinem habet, ſed intus in fructu habet dulcedinem: ſic pœnitentia amara, ſed fructus eius dulcis, ſecundum illud Hebr. 12. *Omnis quidem diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Vnde ſicut ſpes fructus percipiendi, agricolam reddit inſenſibilem ad labores hyemis perferendum, ſic ſpes futuræ beatitudinis, quæ fructus eſt debitus pœnitentiæ, deberet nos excitare ad ipſam agendam, & carnem noſtram macerandam, quia, *qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Cui conſonat dictum admirabile D. Hieronymus, Amaritudinem, inquit, radicis, dulcedo pomi compenſat, pericula maris, ſpes lucri delectat, dolorem medicinæ, ſpes ſalutis mitigat, qui deſiderat nucleum nucem frangat: ſimiliter ille qui vult adhærere Deo, pœnitentiam agat. *Hebr. 12.* *D. Hier.*

Sed iam vltimum vale noſtræ concioni demus, ne conſuetos terminos tranſgredi videamur, aduertendo, quàm opportuno tempore, pœnitentiam ſuam pſaltes recenſeat. Poſtquam enim ſuperiori verſu, de vitæ breuitate diſſeruit, & de eius fragilitate & inconſtantia, nunc de pœnitentia agit: quia nimirum conſideratio breuitatis & fragilitatis vitæ noſtræ ſolet homines multoties ad pœnitentiam inducere. Vnde eſt, quod inquit Leonardus de Vtino, in ſuo libro de legibus, ſermone de pœnitentia, quòd Adam licèt tranſgreſſus fuerit diuinum mandatum, tamen noluit facere pœnitentiam de peccato ſuo, ſed permanſit obſtinatus, vſque ad mortem filij ſui Abel. Quando enim vidit, ad pedes ſuos iuuenem Abel interfectum, ſanguine proprio cruentatum, colorem illum natiuum in pallorem conuerſum, & quaſi in ſpeculo quodam, mortis deformitatem contemplatus eſt, tunc ex timore mortis concepto, ad pœnitentiam animum ſuum induxit, tantoque dolore flagrauit, quòd ſecundùm aliquorum opinionem (vt refert Strabo) perpetuam caſtitatem vouerit, & à carnis voluptatibus perpetuò abſtinere decreuit: quòd & perfeciſſet, niſi per Angelum contrarium ſibi innueretur. Et inquit D. Methodius & Ioſephus, quòd tantum dolorem concepit ex morte filij ſui, quòd per centum continuos annos, cum plorauerit. Et crediderim *Leonard. de Vtino.* *Nota.* *Adam caſtitatẽ vouit.* *Strabo.* *D. Meth. & Ioſephus.*

Digitized by Google

derim ego, magis cauſam, quæ fuit peccatum, quam ipſam mortem fleuiſſe. Itaque mortis conſideratio cauſa extitit ſui fletus. Hûc etiam ſpectat quod dicebat Iob ſui vaticinij cap. 10. *Paucitas dierum meorum finietur breui, dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.* Ibi enim iam non eſt locus pœnitẽtiæ, & lachrymæ infructuoſæ ſunt, & ſine vtilitate aliqua effunduntur. De Rege etiam Ezechia legitur, quòd cùm nunciatum fuiſſet ſibi ab Iſaia, in craſtinum moriturum eſſe: ſtatim faciem ſuam conuerterit ad parietem & amarè peccatum ſuum fleuerit. Erat enim domus Regia templo contigua, & forſitan in cubili feneſtram habebat, ex qua propitiatorium ſiue arcam Domini cernere potuit. Et cùm mortem ſibi inſtare videret, conuertit faciem ſuam ad parietem, vbi templi erat feneſtra ad exorandum Dominum, & peccata ſua deflendum. Et inter alia dicebat: *Domine, ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me & viuificabis me, ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Quaſi diceret: O Domine, ſi vita humana talis eſt, ſi tam fragilis, tam vitrea, & ad corruptionem procliuis: ſi tantis miſeriis & calamitatibus ſubiecta, ſicut per præſentem infirmitatem ſum expertus: corripe me, & ſcelera mea caſtiga in præſenti, vt me reſuſcites & viuifices in futuro, quia in pace amaritudo mea. Quando enim mortis magis eram oblitus, quando maiorem ſecuritatem promittebat vita, tunc accidit mihi infirmitas, tunc in lectulum incidi, mors mihi minata eſt. Solet namque ſæpenumero hoc contingere, quòd mors quaſi ex inſidiis in occurſum exeat, & dum non ſperatur, in ianuis nos expectet. Quare vigilare & orare ſemper nobis conuenit. Non enim fruſtrà Chriſtus Redemptor noſter & humanæ vitæ reparator furi eam comparauit, dicens: *Quia ſi ſciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam: ideò & vos eſtote parati.* Solet enim fur ad domum deprædandam horam illam obſeruare, quę maiorem ſecuritatem promittit, quando omnes domus habitatores ſomno ſunt conſepulti: ſic nimirum mors, eos aliquando inuadit, qui omnino illius obliuiſcuntur. Quare, fratres mei chariſſimi, ſanctum hunc Regem & nos imitemur. Mortales ſumus, fragiles, vaſa lutea portantes, in quibus theſaurum animæ noſtræ, quæ immortalis eſt, abſconditur: omnes per primi noſtri parentis præuaricationem ad mortem damnati ſumus, nec ſententia differtur: quin potius mors & vita æquo paſſu currunt,

Iob 10.

4. Reg. 20 & Iſa. 30.

Domus Ezech. templo contigua.

Luc. 12.

Mors vbique præ foribus, ideò nobis vigilandum.

Digitized by Google

runt,quia ipſum viuere,mori prolongatum eſt. Omnes enim morimur, & quaſi aquæ dilabimur: ad Deum ergo confugiamus,peccata noſtra deflentes,& ab eo poſtulantes, vt hîc miſericorditer corrigamur & emendemur, vt ab æterna damnatione liberi,gratiam & gloriam conſequi mereamur.

CONCIO TERTIA.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: Et factus ſum ſicut nicticorax in domicilio.
Vigilaui,& factus ſum ſicut paſſer,ſolitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me,aduerſum me iurabant.
Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.
A facie iræ indignationis tuæ: Quia eleuans alliſiſti me.

CONSVETVDO eſt ſacræ Scripturæ non mediocriter frequens,vti metaphoris & ſimilitudinibus, ad ruditatem noſtram edocendam,& intellectum humanum variis ignorantiæ tenebris irretitum ratione peccati contractis, illuſtrandum,vt ex his quæ nouit animus (vt D.Greg.verba vſurpem) ſurgat ad incognita,quæ non nouit;*vt inuiſibilia Dei* ſecundùm D.Paulum, *à creatura mundi* (hominem, ſcilicet, qui per antonomaſiam & excellentiam hoc nomine gaudet) *per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur.* Hoc eſt,quod promiſerat Eccleſiæ ſuæ in Canticis, dicens: *Murenulas aureas faciemus tibi, ſponſa, vermiculatas argento.* Vbi alia tranſlatio habet: *Similitudines aureas faciemus tibi.* Sunt enim aureæ ſimilitudines illæ, quibus plerumque vtuntur Prophetæ & Patriarchæ in Scriptura ſacra, & quibus vſus eſt ipſe Deus homo, æterna, inquam, Dei ſapientia cùm Euangelium ſuum hominibus prædicauit, qui paſſim his aureis ſimilitudinibus & comparationibus, ſponſæ ſuæ Eccleſiæ aures adornauit: magna cum paruis,terrena cum cœleſtibus, & humana cum diuinis comparãdo.Per Iſa.cap.66.cùm de fauoribus, quos Eccleſia ab ipſo Deo receptura erat, ageret, inquit; *Ad vbera portamini, &*

Deus ſimilitudinibus & metaphoris vſus eſt.
D.Greg.
Rom.1.
Cant.1.
Nota.
Iſa.66.

ſuper

Digitized by Google

ſuper genua mea blandientur vobis, &c. ita ego conſolabor vos. Vbi comparat ſe Deus matri filio ſuo blandienti: quem vt loqui doceat puerorum more eum alloquitur: & cùm iam mulier ætatis ſit prouectæ, & adultæ, tamen more infantis ſe habet.
Simile. Sic Deus cùm infinitas ſit ſapientia & altiori ſtilo poſſet loqui, eo inquam, quo vtitur ad edocendas naturas Angelicas, tamen vt noſtrā ruditatem informare poſſet, ſapientiam ſuam temperauit: ſimilitudinibus rerum ſenſibilium vtens, vt homo cuius cognitio incipit à ſenſu, per hæc ſibi nota, ad cognitionem cœleſtium faciliùs peruenire poſſet. Diſputat de hac materia
D. Thom. S. Thomas 1. parte. quæſt. 1. artic. 9. vbi inquirit: Vtrum conueniens fuerit ſacram Scripturam vti metaphoris, & partem affirmatiuam determinat, quia Deus omnibus prouidet, ſecundùm quod competit eorum naturæ, ſed naturale eſt homini, vt per ſenſibilia ad intelligibilia veniat: quia omnis noſtra cognitio ſecundùm Philoſophum, à ſenſu ortum habet, quare condecens fuit quod ſpiritualia in ſacra Scriptura, ſub corporalium metaphoris nobis traderentur. Et hoc eſt quod
D. Dion. dicit Dionyſ. 1. cap. cœleſtis hierarchiæ. Impoſſibile eſt nobis aliter lucere diuinum radium: niſi varietate velaminum ſacrorum circumuelatum.

Licet Cōcionatoribus Hierogliphicis & ſententijs Philoſophorum vti. Ex his ſequitur, quòd cùm Philoſophorum ſententiæ & apophthegmata, & ea quæ Hierogliphico ſermone ab eis accepimus pro maiori parte, ſimilitudinibus naturalium & ſenſibilium conſtent ad intellectum illuſtrandum, voluntatem alliciendam, moreſque componendos ordinentur: non eſt cur illis ad explicationem doctrinæ ſacræ, dum tamen modus debitus ſeruetur, vti non poſſimus. Locum illum Cantic. 7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs,* Origenes explicuit de Scri-
Cant. 7. ptura ſacra, quam, inquit, Doctores ſancti, cùm ipſa aceruus
Orig. tritici ſit, ex quo cibus miniſtratur animæ, liliis & floſculis
D. Hier. philoſophicarum ſententiarum ornauerunt. Et hinc eſt quod Diuus Hieronymus inquit, epiſt. ad Magnum Oratorem vrbis Romæ, ſcilicet quod Doctores antiqui in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis, ſuos reſperſerunt libros, vt neſcias quid in illis prius admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam ſcripturarum. Et in Prouerb. capite 9. inquit Sa-
Prouer. 9. lomon, quòd *poſtquam ſapientia ædificauit domum & excidit columnas ſeptē, propoſuit menſam & miſcuit vinum,* id eſt, poſtquam ædificauit Eccleſiam ſuper ſeptem dona Spiritus ſancti fundatam, & menſam verbi Dei cum vino ſpiritualis intelligentiæ in ea collocauit, miſit ancillas ſuas per vniuerſum orbem, vt vocarent

Digitized by Google

vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis, per quas ancillas Doctor ſanctus, 1.parte, quæſt.1.artic.5. ſcientias ſæculares intelligit, quæ miniſtræ & ancillæ Scripturæ ſacræ appellantur, cùm ad ipſam explicandam non mediocriter conducant. Hûc ſpectat quod in Deuteron. præcipiebat Dominus, ſcilicet, quod ſi aliquis ex filiis Iſraël, ſeruam aliquam aut captiuam bello captam, vellet ſibi ducere in vxorem, id ſibi liceret, ſed quibuſdam prius præhabitis ceremoniis, ſcilicet reſciſſis vnguibus & tonſo capite. Scientiæ ſæculares & Philoſophorum, ſiue Poëtarum ſententiæ, ancillæ quidem ſunt Theologiæ Scripturæque ſacræ captiuæ, quas iure bellico Doctores Eccleſiæ, à Philoſophis, qui eas ab ipſius Scripturæ fontibus furati fuerant, tanquam hæreditario iure ſibi debitas, ſurripuerunt: quare tonſis prius & reſciſſis vnguibus, id eſt, omni ſuperfluo & prophano (ſi quid habuerint admixtum) reſciſſo & ablato, bene licebit viro Chriſtiano & religioſo tam in Concionibus quotidianis, quàm in Scripturæ ſacræ expoſitione, abſque vitio & repræhenſione illis vti. *S.Thom.* *Deut.12.*

Eſt & aliud argumentum ad proteruos aliquos reuincendos de ſtudio Scripturæ ſacræ plus nimio, ſibi arrogantes, quibus antiquorum Philoſophorum placita & dicta, non ſine magna ſubtilitate ingenij adinuenta, moleſta ſunt, & Chriſtianis auribus interdicta eſſe iudicant: eſt quidem ineluctabile argumentum, quod ſubterfugere nullatenus poterunt: quod & ipſa Scriptura ſacra, ab ipſorum Philoſophorum, ne dicam Poëtarum dictis, non omninò abſtinet, ſed ſecundùm ſubiectam materiam de qua fit diſputatio, Ethnicorum aliquando ſententias exerit, & vt Paulum taceam, qui dum cum Philoſophis Athenis verba ageret, Epimenidem Poëtam in medium adducit: & in Areopago aram Dei ignoti intuens, ſacramẽtum veræ deitatis, & incarnationis, hinc arrepta occaſione, illis prædicat, vt taceam etiam viſionem Hierem. cap. 1 vbi dicit *ſe videre virgam vigilantem*, qui loquendi modus Hieroglíphicus eſt, vt D. Cyrillo Alexandrino, tractatu contra Iulianum placet: quia per virgam vigilantem, quæ ſceptrum quoddam erat erectum deſuper oculum apertum habens, principem & rectorem ſignificabant Ægyptij, vt pertranſeam ſilentio, quamplurima etiam loca Scripturæ, ad librum Iob deueniamus: vbi non ſolùm ſimilitudines & metaphoras naturalium rerum, tam animalium terreſtrium, quàm volatiliũ, paſſim inuenies: verùm & Philoſophorum dogmata in medium adducuntur, & quod magis mirari deberes Poëtarum fabulæ & figmenta *D. Paul. Philoſophos citat.* *Hier.1.* *D.Cyril. Alexan.*

Digitized by Google

Iob 21. tanguntur. Dicit enim capite 21. de impio agens, qui in præſenti vita proſperatur, ſed in futura cruciabitur: *Ipſe ad ſepulchra deducetur & in congerie mortuorum vigilabit*: Et ſtatim ſubdit: *Dulcis fuit glareis Cocithi*, id eſt, *Fueles ſabroſo aquel bocado*, vel vt prouerbialiter dicitur *tal para qual.* Quod quidem vt aduertit D.Greg.Lyranus, & Hugo Poëticum eſt: quia Cocithus fingitur infernalis fluuius, in quo cruciantur impiorum animæ, & de ſuis ſceleribus meritas pœnas recipiunt, & ideò interpretatur luctus infirmantium. Glareæ autem ſunt lapilli qui trahuntur à flumine, innuit ergo quòd ſuarum voluptatum dulcedine trahuntur. Sed quid immoror in re manifeſtiſſima probanda, aut quid aliorum prophetarum exempla inquiro? Ecce Pſaltes noſter in præſentiarum ſimilitudinibus vtitur, & nō ſine magna dicēdi proprietate, hierogliphico quodam ſermone, ſeipſum tribus auibus comparat, pelicano, inquam, nicticoraci, & ſolitario, quæ quidem aues triſtitiæ ſymbolum ſunt ſecundum Theodoretum & Auguſtinum: aut ſolitudinis ſecundùm alios, eo quòd vitam ſemper ſolitariā agant, vnde inquit: *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis, & ſicut Nicticorax in domicilio: vigilaui & factus ſum ſicut Paſſer ſolitarius in tecto.*

D.Greg. Lyranus.

Quamplurima ſunt in præſentia notatu digna. Primum quod pœnitens hic, populum Iſraëliticum repræſentans, in captiuitate Babylonica conſtitutum, comparat ſe pelicano ſolitudinis, nicticoraci, & ſolitario: quia dum ſe à propria patria exulem conſiderat, etiam ipſa Babylonia (aliàs opulentiſſima & populoſiſſima ciuitas) ſolitudo & exiliū ſibi videbatur, omniſque conſolatio & voluptas, ab oculis eius erat abſcondita. Non ſecus homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, vt ciuis eſſet cœleſtis, & ad Angelorum conſortium admittendus: dum conſiderat ſeipſum in hoc exilio, & miſerabili vita conſtitutum, & à ſuprema illa fœlicitate pulſum, voluptatem aut ſolatium captare neſcit, omne gaudij genus abhorret, & ſe ſolum, & omni conſolatione deſtitutum, iudicat, ex quo ſequitur quòd vita præſens, nimis longa & importuna ei videtur. Sanctus Propheta Helias cùm per deſertum pergeret, ad montem Dei Oreb, ex longo itinere feſſus, ſubter iuniperum ſedit, & nimio dolore affectus, petiuit animæ ſuæ vt moreretur. *Sufficit mihi Domine*, dicebat, *tolle animam meam neque enim melior ſum quàm Patres mei?* 3.Regum 19. Mortem fugiebat, & mortem, inquirebat, fugiebat de manu mulieris, & deſiderabat eam de manu Dei, quia deſiderium moriendi, ex deſiderio Dei procedebat. B. etiam Iob tanto videndi Deum, & redeundi ad

Vita præſens iuſtis moleſta.

3.Reg. 19.

di ad patriam cæleſtem amore flagrabat, quod poſtquam c.7. innumerabiles huius exilij, miſerias recenſuit, concludit dicens: *Quapropter ſuſpendium elegit anima mea, & mortem oſſa mea. Deſperaui, nequaquã vltra iam viuam.* Paraphraſis Chaldaica hoc magis explicat dicens: *Elegit ſuffocationem anima mea, & mortem magis quam ſuſtentationem mei ipſius*, id eſt, tantæ ſunt præſentis vitæ moleſtiæ, quòd quancumque mortem, & quantumuis vilem & ignominioſam eligerem, potius quàm vltra viuere, quia iam vitæ ſpem perdidit, nec vltra viuere cupio. Propheta regius, etſi in ſummo dignitatis gradu conſtitutus erat, tamen peregrinationem ſuam deflebat dicẽs: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Pſal. 119. Quantò magis impius & peccator de breuitate præſentis temporis dolet, tantò magis iuſtus lætatur & gaudet, & prolongationem eius luget nec mirum, quia hic ad præmium, ille ad ſupplicium, hic ad coronam, ille ad ignominiam properat. Duos homines fingite per eandem viam incedentes, & pari paſſu ambulantes, quorum alter ad ſuſpendium & ſupplicium ducitur, alter verò ad palmam & coronam obtinendam: non eſt dubium quin ille, qui ducitur ad mortem, iter breuiſſimum beſtia cui inſidet velox, & tẽpus ſui itineris velocius videatur: at ille qui ad coronã ducitur, omnia tarda eſſe iudicat, & tempus quod plus ſolito ſpatioſum tendat, arguit. Sic peccator, qui ad ſupplicium inferni deſtinatus eſt, vitæ curſum quòd breuiſſimus ſit, & citò tranſeat, vehementer dolet: at iuſtus cui æternæ vitæ palma parata eſt, vitam hanc mortalem, & ſi breuem, tamen longam & importunam eſſe iudicat, & exilium ſuum prorogari dolet. Quando filij Iſrael ducti ſunt captiui in Babyloniam, exilium ſuum conſiderantes, nequaquam dolorem aut lachrymas temperare poterant: porrò Babylonij vt patriam ſuam obliuioni traderent, inſtrumenta muſica illis offerebant, ſuadentes vt canerent, vt ſuauitate muſicæ, aliquantùm dolorem ſuum lenirent, quibus ipſi è contrario reſpondebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena? Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.* Sic nos cũ in exilio huius mundi verſemur, à ſuprema noſtra fœlicitate remoti, non exiguam dolendi & flendi occaſionem habemus: vnde Babylonij .i. Dæmones aduerſatij noſtri, omni ſtudio dolorem noſtrum ſuſpendere conantur, & memoriam

Iob 7.

Paraphr. Chaldai.

Pſal. 119.

Simile.

Pios tædet hic diu viuere, at impios delectat longa vita.

Hugo.

illius ſupremę Hieruſalem de cordibus noſtris delere,quapropter lætitiæ inſtrumenta nobis offerunt, voluptates, inquam, & carnalia vitia, quibus animus ſuſpendatur, nec cœleſtis patriæ recordetur. Sed quid illi dicebant Babyloniis lætitiam ſuadentibus,& obliuionem Hieruſalem procurantibus? *Si oblitus fuero tui Hieruſalem obliuioni detur dextera mea, Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui : ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.* Sed percontari nunc libet, quare in principio lætitiæ veſtræ Hieruſalem proponitis,& in mente, illius pulcherrimæ ciuitatis ideam componitis? Nimirum, vt memoria Hieruſalem præſentiam Babylonis ſuperaret, vt conſideratio fœlicitatis antiquæ, præſentem miſeriã magis detegeret, vt amiſſa libertas captiuitatem ad memoriam reduceret, vt vera illa Hieruſalem gaudia, lætitiam & voluptatem à Babyloniis oblatam faceret ſpernere. O anima quæ aſtutitia Dæmonis peregrinaris à Domino, & ſuprema & beata illa Hieruſalem exulas, quàm efficax remedium tibi offertur, quod æmulari poſſis, vt præſentis vitæ gaudia pro nihilo pendas, præſentis exilij & captiuitatis memor. Propone ob oculos mentis, Hieruſalem illam cœleſtem in principio lętitiæ tibi oblatam. Quando caro blanditur, quando mundus vel diabolus voluptatibus ſuis te ineſcare & decipere intentat, gaudia ſupremæ illius ciuitatis mente concipe, æternam illam fœlicitatem, cùm momentanea & caduca huius vitæ confer,& ſtatim his ſpretis, ad illorum adeptionem aſpirabis, quia ſi conſideremus, vt inquit D. Gregorius, quæ & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cœlo, vileſcunt animo omnia quæ habentur in terris.

Pſal. 136.

Memoria cœleſtium terrena contemnere facit.

D. Greg. homil. 37

Secundo nota, quòd licèt in medio populiſſimæ ciuitatis Babylonis ſcilicet, habitaret iſte pœnitens, tamen tam ſolitariam vitam agebat, ac ſi in ſolitudinibus vitam degeret, quare pelicano ſolitudinis ſe comparat, & nicticoraci, quæ auis eſt nocturna ſolitudinem diligens. Poteſt enim aliquis, licèt in rebus ciuilibus occupatus, in medio vrbis vitam degere ſolitariam, & aliquando contemplationi vacare. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ,* dicebat Rex quidam, qui in gubernatione regni ſui erat præoccupatus. Columba enim & ſi domi ædificet,& procreationi filiorũ incũbat, tamen velociſſimas habet alas quibus interdũ ad deſerta & ſolitudines ſe recipit: nõ ſecus viri ſancti & iuſti, qui neceſſitate cõpulſi rebus ſecularibus aſſiſtunt, alas habent contemplationis quibus aliquando ab omnibus ſe expediunt, vt cum Deo de ſalute animæ ſuæ agant.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò nota cum D.Greg.pelicanum ſymbolum eſſe peccatoris,quia auis eſt diligẽ ſolitudinem,in qua venenatis animalibus veſcitur.Naſcitur autem ſecũdũ aliquos circa Nilum Ægypti, per quam peccator deſignatur, qui in deſerto huius mundi corde habitans,ærumnoſis huius vitę captus illecebris, veneno delectatur diabolicæ perſuaſionis. Quid enim aliud ſunt omnes quas mundus offer voluptates, niſi venena mortifera,quæ guſtata ſtatim mortem afferunt? B. Ioannes euangeliſta Apocal.17.vidit mulierem quandam nomine Babylon per quam mundum intelligit,ſuper beſtiam inſidentem, auro purpura,& pretioſis veſtibus ornatã,& aureum poculum omnibus propinãtem,quod quidem licèt in vaſe aureo incluſum tamen venenum erat, quod bibentibus mortem miſerabilem conferebat. Voluptas enim & mundi gaudium, falſáque eius proſperitas & lætitia, quibus ſuos allicit:licèt foris aurea videantur,intus tamen veneno peccati ſunt plena,& quanto magis guſtui carnis dulci videntur:tantomagis animæ ſunt inſipida & amara.Vnde Salomõ in prouerbiis inquit:*Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum in vitro ſplenduerit color eius, ſubitò enim mordebit vt coluber,& vt regulus venena diffundet.* Comparatur igitur pelicano peccator, eò quòd rebus his venenoſis veſcitur.Tradit Hugo aliam pelicani proprietatem in qua peccator verè pœnitẽs,illum imitari debet.Fertur enim de illo quòd pullos ſuos occidit,&poſtea lugens tribus diebus ſanguine quem proprio roſtro effundit,illos viuificat:ſic peccator qui pelicano crudelior in ſe ipſum ſęuiens,opera ſua per peccatum mortificat &occidit:vt autem ad vitam ea reuocare poſſit, neceſſe eſt vt lachrymis contritionis, ſe ipſum per pœnitentiam percutiendo, viuificet. Paſſim in Scriptura ſacra fit mentio de Idolo Moloch, & eius cultus prohibetur. Leuit.20. dicitur: *Siquis dederit de ſemine ſuo Idolo Molech, morte moriatur.* Et in Hieremia cap. 23. conqueritur Dominus de populo ſuo, *quòd ſacrificarent filios ſuos & filias Moloch.* Ritus autem colendi hoc idolum, traditur à Lyrano ſuper caput 18.Leuitici quia erat mos idololatrarum, vt dicunt Hebræi, Idolum cupreum facere ad formam hominis interius concauum &in illa concauitate fiebat ignis,quouſque idolum eſſet quaſi ignitum:&tunc ponebatur puer qui offerebatur,inter brachia idoli, & ſacerdos tympana percutiens tantum ſonum faciebat:quod vox pueri morientis audiri non poterat, ne parentes compaterentur, ſed magis crederent animam acceptam à Diis, in quiete & ſine dolore degere.

Pelicanus peccatoris ſymbolũ.

Prou.23.

Exemplum naturale.

Peccator opera ſua perdit.

Idolum Moloc.

Leui.20.

Hier.23.

Lyranus.

Aſtutia & crudelitas Dæmonis.

 Iam

Iam aliquem me audire videor in hos idololatras incandeſcentem, & animum eorum barbarum & ferocem arguentem, qui proprios filios, tam immaniter Dæmoni ſacrificabant: ſed videte an aliquo modo peccatorum crudelitas maior ſit, qui filios ſuos, non carnis ſed ſpiritus, non corporis ſed mentis, opera, inquam, omnia in gratia facta, vita æterna meritoria, per peccatum mortale occidunt, quia niſi per pœnitētiam viuificentur omnia pereunt & in nihilum rediguntur. Idololatræ Moſoch, filios ſuos Deo, licèt ficto, ſacrificare credebāt: at tu dilecte ſciens & prudens (licet imprudenter ſatis) diabolo opera tua & merita offers. Sacerdos idoli, ne miſeri patres puerum conclamantem audirent, aut ei compaterentur, inſtrumentis muſicis magnum ſtrepitum faciebant: ſic diabolus ne tu ſyndereſim conſcientiæ reclamantem exaudias, voluptatibus & deliciis huius ſæculi, quaſi quibuſdam muſicis inſtrumentis, te ſuſpendit, ô ſummam peccatoris dementiam, qui omnia ſua opera tanto labore acquiſita propter breuiſſimam voluptatem perdere non veretur. Quis non miretur peccatoris, vel temeritatem, vel ſtultitiam, vel vtrumque pariter? temeritatis namque conuincitur, ſiquidem pro rebus tam parui momenti periculo æternæ damnationis ſe exponit, ſtultitiæ verò, quia ſalutis ſuæ prodigus, omnium bonorum ſpiritualium quæ per totius vitæ ſpatium acquiſiuit in inſtanti iacturam facit. Cui competunt verba illa, quæ de Ephrain Propheta Oſeas olim cecinit, *Factus eſt Ephrain quaſi columba ſeducta non habens cor.* Stat enim ſtultitia columbæ vt obſeruat D. Hieron in hoc, quòd cæteræ aues pro pullis pugnant, & eos roſtro & vnguibus à ſurripientibus defendunt, ſola columba cæteris auibus in hoc inſipiētior, ablatos pullos non dolet, nec requirit Non abſimilis eſt peccatoris væcordia & ſtultitia, qui cùm per peccatum mortale omnibus ſuis meritis & operibus rectè factis orbetur, tamen id omnino non ſentit, & tantæ rei iacturam pro nihilo pendit: cùm potius ſanguineis lachrymis deplorandum eſſet illi: qui erga proprios filios cum pelicano occidiſti, cum eo ſolitudinem dilige, & oculorum tuorum lachrymis illos per pœnitentiam viuifica, redeunt enim ad vitam per pœnitentiam, opera, quæ per peccatum mortificata fuerunt.

Peccator opera ſua diabolo ſacrificat

Lyranus.

Peccator virtutū iacturam nō dolet, vti nec columba pullorū.

Sed quia de pelicano ſolitudinis, & de ſolitario hîc fit mentio: operæpretium erit, antequam hinc demigramus in laudem vitæ ſolitariæ & eremiticæ, nonnihil dicere. Tanta porrò eſt huius inſtituti excellentia: quòd D. Chryſoſtom. tractatum quendam

Habetur Tomo. 5. D. Chryſ.

quendam compoſuerit, in quo vitam monaſticã & ſolitariam
agentem, cum rege comparat, & illius conditionem & ſortem *Vita ſolitaria encomia.*
fœliciorem determinat: quia ſi Rex ciuitatibus & hominibus
dominatur, ſolitarius dominatur ſibi ipſi & ſuis affectibus,
quod multo maiori facinori aſcribi debet. Seneca etiam con- *Seneca.*
tra Ciceronem determinat, quod vita ſolitaria dignior haben-
da eſt quàm publica, & quod maiorem vtilitatem Græciæ at-
tulit Cleantis & Zenonis otium, & mundi contemptus, quàm
plurimorum ducum tam belli quàm pacis, debita adminiſtra-
tio, ſicut libro quem de vita beata & de tranquillitate vitæ
ſcripſit rationibus comprobat. Vnde eſt, quod inter gentiles
luminis ſupernaturalis expertes ſola ratione naturali ducti,
quamplurimi extiterunt: qui publico viuendi inſtituto dere-
licto, & magnis imperiis neglectis, à tumultibus & inquietu-
dinibus ciuitatis ſeparati, vitam agreſtem & ſolitariam ſunt *Nota.*
amplexi. Quòd exiſtimo diuina prouidentia diſponẽte, & ani-
mos eorum interius aliquali lumine illuſtrãte hoc contigiſſe: *Simile.*
vt nobis quibus cœleſtia bona parata ſunt, eſſet exemplo. Nã
ſicut in terra ſterili & inculta mineralia creantur & ibi argen-
tum, & alia pretioſa metalla, ad vtilitatem hominũ creata ſunt
à Deo: ſic in terra ſterili paganorum & Gentilium, multoties
diuitias moralium virtutũ, quas imitaremur, voluit ipſe Deus
recondere. Ex quo ſequitur quod non abs re erit, ſi vnum aut
alterum Gentilium & Philoſophorum exemplum in medium
adducamus. Pericles inter Græcos multis nominibus celebra- *Pericles, contẽpſit ducatũ.*
tus, cùm Athenienſibus imperitaret, vanitatem vitæ præſentis,
& humanorum fluctuum inconſtantiam conſiderans, amore
vitæ ſolitariæ affectus Athenienſium ducatum contempſit, &
quaſi de aliquo naufragio euaſiſſet, ad portum ſolitudinis ſe
contulit, & in remota & exigua caſa vitam quietam degebat,
vbi titulum hũc deſcripſit: *Inueni portũ, ſpes & fortuna valete.* *Mundi contemptus.*
Sententia quidem magis animo voluenda, quam verbis expli-
canda. Sentiebat enim hic Gentilis, quòd mundus nihil aliud
eſt, niſi tempeſtuoſum quoddã mare, vndis & vorticibus ple-
nũ, vbi Sirtes Sirenes, Scillæ, & Charibdes, vbi naufragia for-
tunæ & tempeſtates, & innumera alia pericula reperiuntur: vi-
tã autem ſolitaria & contemplationi dedita, portus eſt ſecu-
riſſimus, vbi omnibus curis, quibus cor humanũ angi ſolet, fi-
nis optatus aliquo modo ponitur. Imperator Diocletianus *Diocletianus renuit imperium.*
poſt multas res bene geſtas in imperij adminiſtratione, poſt
multas victorias de inimicis reportatas poſt ſuperbũ illud Ro-
mæ ædificiũ peractũ, quod Thermas appellatur, quod cũ ſeptẽ

mundi miraculis conferri poteſt; vltroneus & nullo cogente, imperio renuntiauit,& ad paruam villulam circa Solonam Liburniæ ciuitatem,ſe contulit, vbi à mundi tumultu ſeparatus, lætus aliquandiu vixit,qui dicere ſolebat,nunquam ſolem tam iucundum & ſplendidum intuitum fuiſſe, quàm poſt imperij & oneris renunciationem,ſicut referunt Eutropius & Pomponius Lætus.Dicebat etiam Imperatori condolendum,agricolę verò inuidendum fore.Cui cùm Romani legatos miſiſſent, vt iterum imperij coronam ei offerrent, inueniſſentque eum in horto ſuo lactucas colligentem, nequaquam id accepturum reſpondit, ſed quòd volebat illis lactucis cum tranquillitate veſci, quas ipſemet plantauerat. Sed ad Philoſophos deueniamus. Zenon, vt refert Plutarchus libro de tranquillitate animæ,cùm prius mercaturam exerceret,nauis in qua omnes eius diuitiæ erant, in tempeſtate quadam iacturam fecit; quam libenti animo ſe tuliſſe affirmauit, vt quietius ſtudio Philoſophię & contemplationi,vitæque ſolitariæ,operam nauare poſſet.Dicebatque,vt Apollonius Tyrius refert, nunquam ſe fœliciori vento nauigâſſe, quàm cùm nauis eius ſubmerſa eſt: quia tempeſtas illa ſuæ tranquillitatis extitit cauſa.Interrogatus Apollo Pytheus:vtrum in mundo eſſet fœlicior & beatior Gige aliquis, qui Rex erat potentiſſimus & diuitiis affluens:reſpondit, vt Valerius ait,quod Aglao Pſophidius beatior illo erat.Erat autem Aglao pauper Agricola, qui totum vitæ ſuæ curriculum in domo paupercula & agreſti in regno Arcadiæ conſumpſerat, paupertate ſua contentus,cuius meminit Plinius 7.naturalis hiſtoriæ.

Eutropius Pōponius. Lætus. *Plutarchus. lib. de tranquil.* *Apollonius. Tyrius.* *Valerius. l.7.c.1.* *Plinius.*

Sed vt humanis dimiſſis ad diuina nos conferamus,ex Scriptura ſacra liquido conſtat,ſolitariam vitam,& à conuerſatione hominum ſemotam, Deo eſſe pergratam. Abraham enim præcepit, vt egrederetur de terra ſua, & cognatione ſua, & de domo patris ſui, & pergeret in terram, quam ipſi oſtenſurus erat,quam tamen ſtatim ei non oſtendit,vt intelligatur ſolùm in hoc prætendiſſe peregrinationem eius, & ab Idololatris Chaldeis illum ſeiungere, ne forte ab eis deceptus,ad Idololatriam declinaret:quia iam ſemel vt dicunt Hebræi, eum cogere voluerunt ad idololatrandum, & quia facere renuit: coniectus eſt in ignem, à quo virtute diuina ereptus fuit. Quod videtur confirmare,vt inquit Burgenſis,Scriptura ſacra, nam capite decimo quinto, dicitur: *Ego ſum Dominus: qui eduxi te de Hur Chaldeorum:* quaſi ipſum Dominus liberaſſet ab igne,quem colere noluit vt Deum. Hur enim Chaldeorum incendium ſiue

Gen.12. *Paulus Burgēſis.* *Chaldei voluerūt cogere Abrahā ad idololatriam.*

ſiue ignis interpretatur. Et Rabi Moyſes, vt traditur ab eodem Paulo in libro directorium perplexorum parte tertia narrat, quod in quodam libro de agricultura Ægyptiaca, ſcilicèt Idolorum, continetur: quod quidam vir nomine Abram, diſceptabat publicè cum Idolorum cultoribus, aſſerens quod non erat ignis colendus vt Deus: & quod Rex timens, ne populum auerteret ab illa cultura incarcerauit eum, & ſpoliatum de terra ſua eiecit. Præcepit igitur Deus Abraham, vt de illa terra egrediatur, & de cognatione ſua, & domo patris ſui, vbi idololatria vigebat: ne illa contaminaretur, quia nimis periculoſum erat inter illos idololatras vitam degere. Et præcepit, vt peregrinetur in terra, & vitam ſolitariam ab occaſionibus ſeparatam degat: ſic quippe mundus præſens, Hur Chald. ſiue incendium quoddam eſt, vbi innumeri ſunt idololatræ, qui ipſum mundum tãquam Deum adorant & venerantur, quod ſi aliquis ipſum colere & adorare contempſerit, ab omnibus mundanis irridetur, cruciatur, & affligitur: quare ne ab occaſionibus ſuperemur, fugam attipere, & eum deſerere neceſſe eſt. Et aduerte circa prædictum exemplum, quòd quando Deus Abrahæ præcepit, vt de terra ſua egrederetur, iam diu egreſſus fuerat: vbi probè expoſitores aduertunt: quomodo ergo ei præcipitur ſecundò quod egrediatur? Dupliciter reſpondetur. Primò, cum Strabone, quòd quamuis egreſſus fuerat corpore, non tamen mente & voluntate, quia habebat animum iterum reuertendi. Competit hoc, proh dolor, quamplurimis religioſis, qui licèt mundum relinquant, & egrediantur de terra & cognatione ſua, ſed non mente & voluntate, ſed corpore ſolùm, & habent animum promptum iterum reuertendi ad mundum, & ad ea quæ dimiſerunt. Vnde Diuus Bernardus ſuis nouitiis dicebat: Dimittite corpora in ſæculo, & corda ad religionem adducite. Secundò cum Lyrano, quòd licèt egreſſus iam eſſet, ſed ad huc propinquus erat, & non longè fuerat progreſſus. Vnde præcipitur ei, vt longius recedat ab ea, quia litera Hebræa ſic habet. *Vade tibi terra tua*, id eſt, longè à terra tua. Ex quo habemus non ſat eſſe mundum relinquere, & eius pericula fugere, niſi longè ab eo ſeparemur. Aliqui enim ſunt qui mundum derelinquere videntur, ſed non longè fugiunt ab eo, quia per dilectionem in mundo habitant, & mundi vanitatem amplexantur. Hi enim licèt non in mundo, prope mundum ſunt, & in occaſione reuertendi ad ipſum. Quibus illud Geneſis dici poteſt: *Ne ſtes in omnem circa regionem, in montem ſaluum te fac.* Fugite ſi ſaluari vultis, non ſolum à mundo, ſed

Mũdi pericula.

Hur Caldaeorum quid.

Nota.

Dubitatio.

Strabonis ſolutio.

Mundus nõ ſolum corpore, ſed mente relinquẽdus.

D. Bern.

Secunda ſolutio.

Lyranus.

Procul à mũdo fugere oportet.

Gen. 19.

Digitized by Google

ab omni regione mundo propinqua, à terminis & confinibus eius, ab omni eo, quòd ſapit mundum, & terrenæ conuerſationis ſpeciem habet. *Fratres nolite diligere mundum, neque ea quæ ſunt in mundo: ſi quis enim amicus fuerit huius mundi, inimicus Dei conſtituitur.* Deus enim & mundus inimici ſunt, neque in vnum conuenire poſſunt: quia diuerſa ſequuntur ſtudia, & contraria dogmata docent: vnde non poteſt aliquis ſub vtriuſque vexillo militare. Sed percontari libet, quare mundus odio habendus ſit? Nunquid malus eſt mundus, vel à malo Deo vt Manichei ſentiebant factus? Abſit vt tale quid credamus. *Omnia,* inquit Diuus Ioannes, *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Tanta enim eſt mundi pulchritudo & perfectio, vt aſſerat ſanctus Thomas, quòd perfectior creari non potuerit, & Thales Philoſophus, vnus ex ſeptem quos Græcia iactat ſapientibus, ſolitus erat dicere, vt tradit Laertius, quòd ex omnibus huius vitæ rebus, intellectus erat velocior, fortior neceſſitas, ſapientior tempus, pulchrior mundus. Si ergo mundus malus non eſt, ſi tanta eſt eius pulchritudo & perfectio, quare inimicus Dei aſſeritur & eum fugere, ſuademur? Sed attende, quòd mundus non tam pro materiali hac machina ſummo ingenio & artificio elaborata, quàm pro vitiis & peccatis, & pro corruptis moribus ſumitur. Sicut enim materialis mundus ex quatuor elementis conſtat, ſic hîc de quo loquimur, ſuis etiam elementis componitur, illis quippe, de quibus Diuus Ioannes in ſua Canonica inquit: *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Ecce elementa quibus conſtat, & quibus mortales omneis inficit. Mundus hic odio habendus eſt, quia vanitate plenus, quia rebus mortiferis, animæque nociuis conſtat. At mundus materialis licèt diligendus quatenus à Deo conſtitutus, tamen fugiendus, quia plenus laqueis & periculis, vbi plerique irretiuntur & illaqueantur. Quare ab Iſaia dicitur: *Formido, & fouea, & laqueus ſuper te qui habitator es terræ. Et erit qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, & qui explicuerit ſe de fouea, tenebitur laqueo.* Fugiendus etiam eſt propter illius inconſtantiam & viciſſitudinem, *por las bueltas y tumbos que tiene,* quem modò ſuper rotam exaltat, mane miſerabiliter deiicit & præcipitat, quos enim magis ſubleuat, maiori ruina prolabi ſinit. *A nadie da la mano para ſubir, que no le da del pie para caer.* Et hoc eſt illud Ioannis prima Canon. capite quinto. *Mundus totus in maligno poſitus eſt,* id eſt, *eſta ſobre falſo, es engañoſo,* & ei non eſt fidendum, quia minatur ruinam:

1. Ioan. 2. — *Dubitatio.* — *Ioan. 1.* — *Gen. 1.* — *D. Thom. 1. part. q. 25. art. 6. ad 3.* — *Laertius.* — *Duplex mundus in Scriptura ſacra.* — *1. Ioan. 2.* — *Iſai. 24.* — *1. Ioan. 5.*

ruinam:& ideo ab eo fugiendum. Si enim à tempeſtuoſo mari ad portum confugimus, ſi nauim perforatam per rimulas aquam recipientem, ſi denique ædificium malè fundatum & ruinam minitans fugimus, quare mundum non fugiemus? in quo tantò maiora verſantur pericula, quantò ſpiritalia damna corporalibus ſunt præferenda. Perditio enim mundanorum filo ſuſpenditur quia inter peccatum mortale & infernum ſolum ruinoſus vitæ paries intereſt. Quanta ſit vitæ monaſticæ & ſolitariæ ſecuritas, perbellè & eleganter depingitur in libro Iob.c.39.ſub his verbis: *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis: contemnit multitudinem ciuitatis & clamorem exactoris non audit.* Per onagrum, quem hîc depingit Propheta Diuus Gregorius in ſuis commentariis ſolitarium & ruris cultorem intelligit, quem ſequitur Petrus Carbonellus, vir vtique verè pius & doctus, cuius extant ſuper Iob eruditiſſima commentaria manu ſcripta, quæ ego reperi in bibliotheca inſignis conuentus ſancti Ioannis Regum, vbi dum hæc ſciberem ſacræ Theologiæ legendæ operam dabam. Inquit ergo, quòd per onagrum in deſertis morantem, ſolitarius non incongruè intelligitur, ille inquam, qui liber à ſecularibus curis deuotioni & contemplationi vacat. Qui enim in ſæculo vitam degunt, non liberi, ſed ſerui appellandi ſunt: Deſeruiunt enim mundo, qui dura ſeruitute eos premit nec tribuit eis requiem die ac nocte, quare vita eorum non libertatis, ſed ſeruitutis, non otij, ſed laboris, & inquietudinis exiſtimanda eſt. Ille ſolum beatus cenſeri debet, qui ab omnibus mundi curis & cupiditatum ſuarum laqueis ſolutus, procul à ſæculi tumultibus & periculis, vitam tranſigit, iuxta illud Horatianum: *Horatius.*

Beatus ille qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.

Idem eſt ſolutus omni fœnore cum eo quod dicit Propheta. *Quis dimiſit onagrum liberum?* Et ſubdit deinde: *Et vincula eius quis rupit?* Hæc vincula (vt dicit Hugo) ſunt ambitio honorum, amor parentum, cura carnis: quibus multi ligati & præpediti currere poſt Dominum concupiſcunt, ſed perficere expeditè non poſſunt: quia his vinculis detinentur. *Cui dedi,* inquit, *in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis.* Perpulchrè ſolitudo terra ſalſuginis dicitur, quia in ſolitudine degentes, & à ſæculi vanitatibus remoti, cum nullam

in rebus mundanis & caducis voluptatem capiant, aut nullam in eis conſolationem reperiant, magis æternorum, in dies in eis ardor & ſitis accenditur. Quare cùm ad cœleſtia totis votis aſpirent contemnunt multitudinem ciuitatis, & omnem mundi gloriam pro nihilo pendunt. Vnde non exaudient vocem exactoris. Per exactorem Diuus Gregorius Diabolum intelligit: qui ſemel in paradiſo homini malæ perſuaſionis numum contulit, & quotidie ab eo huius debiti exigere reatum quærit, & clamores eius non audire, eſt tentationibus eius, minimè conſentire. Poſſumus etiam per exactorem mundum ipſum intelligere, qui crudelis eſt exactor. O quanta exigit, quàm dura & importabilia ab his qui in illo habitant, nolo in illis recenſendis commorari: ipſi mundani ſæculo deſeruientes ſibi ipſis ſint teſtes huius veritatis. Fatebuntur quidem, quod vix ea quæ exigit poſſunt perſoluere. Exigit faſtum & arrogantiam, exigit magnam clientum & famulorum familiam, veſtitum non vulgarem ſed precioſum, menſam non parcam, ſed lautiſſimam, exquiſitiſſimis epulis abundantem, & alia huiuſmodi, quæ ſine diuitiis comparari non poſſunt, diuitię autem, non ſine magno labore comparantur. Beatus ergo ſolitarius, & qui in omnibus mundi cupiditatibus renuntiat, quia hic vocem huius importuni exactoris non audit.

Quòd ſi aliquis mihi dicat: nunquid omnes mundum deſerturi ſumus? Nunquid omnes Cartuſiani, vel eremi cultores futuri? Ad hoc dico, quòd in ipſo mundo, extra mundum eſſe poſſumus. Licèt habitemus corpore in mundo, mente tamen poſſumus eſſe in cœlo, ſicut erat ille qui dicebat: *Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.* Sicut erat etiam iſte pœnitens, qui quamuis in medio Babylonis, ciuitate populoſiſſima, tamen quaſi paſſer ſolitarius eſſe dicitur: quia multitudinem vitabat, ſolitudinem inquirebat, & contemplationi vacabat. *Vigilaui,* inquit, *& factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Non ſolùm pelicano ſe comparat, qui in ſolitudine degit, & conuerſationem fugit, & noctuæ quæ in parietibus ruinoſis, & deſertis nidum conſtruit, ſed etiam ſolitario in tecto, qui licèt in vrbibus & populis, vbi tumultus & gentium multitudo inhabitat, tamen ſolitarius eſt, & inter tumultuantem populum, vitam remotam & ſolitariam agit. Sic quippe homines ſæculares, quibus vitæ inſtitutum, clientum turba, & filiorum familia impedimento eſt ne mundum deſerant, poſſunt in ipſo mundo vitam ſolitariam

Philip. 3.

In ipſo mūdi medio extra mundum eſſe poſſumus: mēte & voluntate.

Digitized by Google

riam & contemplatiuam agere : ſi tamen ab occupationibus & negotiis ſecularibus aliquandiu feriati, Deo & orationi vacare velint. Dauid enim Rex erat, & in gubernatione regni, & rebus bellicis adminiſtrandis valdè occupatus : qui tamen dicebat : *Quis dabit mihi pennas ſicut columba, & volabo & requieſcam? Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Pennas columbæ petit, quia ſunt columbæ domeſticæ, quæ licet domi habitent, & procreationi pullorum incumbãt: tamen velociſſimas pennas habent quibus in altum volant, & quandoque ad deſerta feruntur. Sic Rex iſte ſanctus faciebat, qui licèt Regni occupationibus præpeditus, tamen ſpiritualibus pennis, à ſecularibus negotiis ſe expediens, vitæ ſolitariæ & quietæ, altiſſimæq; contemplationi, horis ſtatutis vacabat. Vtinam mundi Principes & magnates, quorum regimini Reipublicæ cura commiſſa eſt, hoc imitarentur exemplum, quòd ex omnibus horis, quas in ludis, voluptatibus, murmurationibus, & aliis vanitatibus, tempus inaniter conterunt, vel vnam quotidie eligerent, ad vacandum Deo & rebus ſpiritualibus incumbendum: forſitan non tam effrænatè & licentiosè viuerent, neque omni timore Dei poſtpoſito, pauperes opprimerent, iuſtitiam peruerterent, ſubditorum bona ſurriperent, & omni vitiorum genere afficerentur : eſſet enim breuiſſima illa particula temporis, totius vitæ correctio, & tantorum malorum remedium. Neque obſtaret vitam ſecularem agere, dum tamen pennæ columbinæ contemplationis non deficerent. De ſancto Daniele refert Scriptura ſacra, quòd cùm Babylone eſſet captiuus, ingreſſus cubiculum ſuum, apertáque feneſtra, quæ contra Hieruſalem reſpiciebat, genuflexus, & expanſis manibus Deum ter in die exorabat. Claudebat feneſtram, quæ reſpiciebat Babylonem, ne ſatrapæ Perſarum & Medorum orationem eius impedirent, & aperiebat illam, quæ reſpiciebat Hieruſalem, vt memoria illius templi, in quo Deus colebatur, oratio eſſet feruentior ac deuotior. Sic tu, dilecte, licèt in Babylonica captiuitate huius mundi ſis captiuus, & variis negotiis & occupationibus vitæ ſecularis, quaſi catenis ferreis & compedibus præpeditus, potes tamen in medio Babylonis, oratorium conſtruere, & Deũ exorare. Aperi feneſtram verſus Hieruſalem cœleſtem aſpicientem. *No ſea todo abrir ventanas azia Babylonia.* Omne enim ſtudium mundanorum conſiſtit, in aperiendis feneſtris verſus ipſum mundum : ex vna feneſtra diuitias adorant, ex alia dignitates & honores contemplantur, ex alia mundana gaudia, & voluptatum illecebras ſpectant,

Pſal. 54.

Contemplatio.

Dan. 6.

Digitized by Google

ſpectant, & infatigabili ſiti perquirunt: at feneſtram quæ Hieruſalem reſpicit, vnde bona cœleſtia conſideranda ſunt, ſemper habent clauſam. Aperi, aperi ô homo hanc feneſtram, & bona cœleſtia ineffabileſque diuitias, quas Deus diligentibus ſe præparauit contemplare. Ne intuearis Babylonem, & mundum hunc fallacem, ne falſa ſua apparentia te decipiat: ſed oculos contemplationis, ad ſupernam illam patriam conuerte, quæ viſio pacis appellatur, vbi vera pax & tranquillitas animi conſiſtit: aſſimilare paſſeri ſolitario, qui licèt in tectis ædificiorum ciuitatis habitet, tamen vitam ſolitariam agit dulciſſimè modulatur, & ſuauiſſimo cantu homines recreat, & creatorem ſuum inceſſanter laudat.

Theodor. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, &c. Theodoretus ſic explicat hunc paſſum. Ridiculus hoſtibus factus ſum, & ego qui fœlix & illuſtris eram, deteſtatio factus ſum his qui olim me admirabantur. Improperabant enim populo Iſraëlitico, in Babylonia detento, & conuiciabantur ei, illum blaſphemando, non ſolum Babylonij, ſed & illi, qui quondam amicitia illum proſequebantur, & facta eius laudare ſolebant: nunc autem quia *cinerem tanquam panem manducabat, & potum ſuum cum fletu miſcebat*, id eſt, quia in ſumma anguſtia & miſeria erat conſtitutus, à facie iræ indignationis Dei: qui eleuans eum in miſeriarum abyſſum deiecit, omnes illi improperabãt contumeliis afficientes, & coniurationem contra illum facientes. Vel aliter hoc exponatur. Tota die exprobrabant mihi inimici mei & irridebant me. Quare? *quia cinerem tanquam panem manducabam & potum meum cum fletu miſcebam à facie iræ indignationis tuæ*, id eſt, quia aſperam pœnitentiam agebam, peccata mea deflens: factus ſum illis in parabolam & deriſum tota die.

Lingua nemini parcit. Lingua namque nemini parcit: neque iuſto, neque peccatori, neque tranſgreſſori, neque pœnitenti. *Poſuerunt in cœlum os ſuum*, inquit Pſalmiſta: *& lingua eorum tranſiuit in terram*: quia neque terrenis, neque cœleſtibus hominibus parcit. *Pſal. 72.* Si mundum ſequeris, te prophanum & perditum appellabit, ſi illum fugis, hypocritam, ſi ſplendidè epularis & precioſis induaris veſtibus, prodigum, ſi ab his abſtineas, auarum dicet: ſi omnibus conuerſabilem te præbeas ſcurram, ſi hominum conuerſationem fugias ſtolidum & ſtultum affirmabit.

Detractor contemnendus. Ex quo ſequitur, quod ſalubrius remedium contra hanc linguarum peſtem, eſt aures obturare, & detractorum verbis nihil moueri. *Valer.* Refert Valerius, quod cùm Diogeni nunciaſſet amicus, dicens: *Te amici cuncti vituperant*, reſpon

reſpondit? *Oportet ſapientiam, ab inſipientibus feriri: eſſe enim meliorem indicat mala lingua, quem carpit.* Quare Seneca de remediis fortuitorum dicit: Malè de te opinantur homines, ſed mali. Mouerer, ſi de me Maximus, ſi Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi alter Cato, ſi Scipiones duo iſta loquerentur: mouerer ſi hoc iudicio facerent, nunc autem morbo faciunt. De Tito etiam Tatio fertur, maledicenti ſibi Metello reſpondiſſe: Facilè eſt in me dicere, cùm non ſim reſponſurus, tu didiciſti maledicere, & ego conſcientia teſte didici maledicta contemnere: & ſicut tu linguæ tuæ, ſic ego aurium mearum ſum Dominus. Et rectè quidem, quia ille verè aurium ſuarum Dominus appellari poteſt, qui detractionibus & contumeliis non mouetur, & omnia maledicta contemnit. Sic quippè faciebat ille, qui dicebat: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Et alibi: *Factus ſum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Quod dupliciter explicatur: Primo, tanquam vas perditum, quod ex omni parte confractum eſt, & nulli vſui aptum, niſi ad immunditias recipiendas, ſic illi ſuis linguis venenatis, immunditiis me replebant: nunc adulterum, nunc homicidam, nunc hominem vilem appellantes. Secundò, tanquam vas perditum, id eſt, confractum & rimulis plenum, quod nihil in ſe retinere valet, ſic ex omnibus iniuriis, blaſphemiis & conuitiis, quæ aduerſum me loquebantur, tanquam ſi vas confractum eſſem, nihil in pectore ad vindictam retinebam, ſed propter Dei amorem obliuioni mandabam. Diſcatis hinc, clariſſimi, detractionibus non conturbari, & exprobrationibus & iniuriis non commoueri, cum vulgi os nemini parcat, neminem illæſum abire permittat. Quod ſi fiat non mediocris remuneratio in cœlo nos expectabit, dicente Pſalmiſta: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Tanta enim, & tam grauis eſt linguæ plaga & perſecutio, quòd ſolus Deus poteſt iuſtum ab illa protegere & defendere, conferendo illi in præſenti patientiam & gratiam, & in futuro protectionem & gloriam.

Seneca.

Pſal. 37.

Pſal. 30.

Duæ expoſitiones.

Pſal. 30.

*

CON

CONCIO QVARTA.

Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: Et ego ſicut fœnum arui.

Tu autem, Domine, in æternum permanes: Et memoriale tuum in generatione & generationem.

Tu exurgens, Domine, miſereberis Sion: Quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſerebuntur.

REDIT pœnitens hic, ad mortis conſiderationem, omnibus peccatorum ſuorum pœnitentiam agentibus valdè vtilem, nimiſque neceſſariam, quia nullum remedium contra peccata efficacius eſſe poteſt, ad ſenſualitatem refrænandam, & inordinatos eius motus ſedandos & componendos, quàm continua mortis meditatio. Nullus enim homo tã effrænis & indomitus eſſe poteſt, quem facies mortis non deterreat, & cuius conſideratio quæ amariſſima eſt, timidum, morigeratum, ac diſcretum, non faciat. Hinc eſt, quod Deus qui ingenium hominis, naturæque noſtræ libertatem probè nouerat, quæ ad peccandum eſt procliuis, & ad diuina tranſgredienda præcepta, nimis audax & præceps: vt illi timorem incuteret, præceptumque de non guſtando Paradiſi ligno obſeruare cogeret: non inferno, purgatorio, aut iudicio, ſed morte illum minatur, quaſi remedium hoc & antidotum, cęteris omnibus eſſet efficacius. *De ligno ſcientiæ boni & mali quod eſt in medio Paradiſi, ne comedas: in quacumque enim hora comederis morte morieris.* Hoc eodem medio vti ſolet Deus ad peccatores conuértendos, vt dimiſſis flagitiis & peccatis, ad pedes illius, vinctis poſt terga manibus prouoluantur, & diuinam eius miſericordiam humiliter implorent. Patet enim de Rege Achab impio, qui, vt vineam Naboth vi ſibi vſurparet, eum lapidare fecit: cui tamen cùm per Heliam minaretur Dominus, timore mortis perterritus, peccatorum ſuorum egit pœnitentiam, & ad Deum conuerſus eſt, ſicut 3. Reg. narrat hiſtoria. Rex etiam Antiochus, qui tot flagitia commiſerat, & tot mala fecerat in Hieruſalem, cùm diuina virtute percuteretur,

Gen. 2. *3. Reg. 21.*

ſicut

ſicut 2. Machab. narratur, & mortem ſibi videret inſtare, ad Deum conuerſus eſt, & magna lachrymarum copia perfuſa, ab eo veniam petiit, quàm tamen conſecutus non eſt, quia pœnitentia illa vera non erat, ſed ficta, nec tam pro Dei offenſis commiſſis, quàm pro morte ſibi inſtante dolebat. Hûc ſpectat Pſalm. 89. qui incipit: *Domine refugium factus eſt nobis.* Cuius tanta eſt difficultas, quòd Diuus Cyprianus ad Auguſtinum miſit, eius explicationem expoſcens. In hoc Pſalmo, poſtquam illius auctor, miſeriam hominis, eiuſque mortalitatem quam per peccatum incurrit proponit, à Deo optimo maximo auxilium implorans: ſtatim Deum inducit ad pœnitentiam hominem prouocantem, quem finem vt aſſequatur, breuitatem vitæ eius, multis ſimilitudinibus ob oculos ponit: *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis à generatione in progenie.* Tu Domine à principio ſæculi, noſtrum refugium factus es, humanam naturam ex nihil creando, & ad vitam æternam dirigendo, & hoc à generatio in generationem, id eſt, à principio mundi vſque ad finem, in quocumque ſtatu, vel in quacumque lege: *Priuſquam montes fierent aut formaretur terra, &c.* Nec mirum, quòd à generatione & generationem poſſis eſſe noſtrum refugium, quia tu æternus es Deus, omninò fine & principio carens, nulliſque temporis limitibus circumſcriptus: in quo à Diis Gentium diſtingueris, qui cùm homines fuerint ab æterno eſſe non potuerunt: *Ne auertas hominem in humilitatem*, id eſt, naturam humanam: quæ per culpam valdè humiliata fuit, facta morti obnoxia, ne deſeras, & ab ea vultum & auxilium tuum ne auertas. Hebraica veritas ſic habet: *Auertiſti hominem in humiliatione, & dixiſti, conuertimini, ſeu reuertimini filij hominum.* Quod exponit Abenhazar Hebræus de neceſſitate moriendi, quam incurrit primus homo per peccatum, & eſt ſenſus: Auertiſti hominem, id eſt, Adam, in quo virtualiter omnes eramus in humiliatione & abiectione. Hoc quidem contingit quando mortalis factus, è paradiſo fuit eiectus: cui dictum fuit Geneſ. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & hoc eſt, reuertimini filij hominum, id eſt, in terram de qua formati eſtis. Sic enim interpretantur Theodoretus & Folengius: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Hîc breuitatem humanæ vitæ deſcribit. Quia ſi vita noſtra æternitati conferatur, licèt per mille annos duraret, eſſet quaſi dies heſterna quæ præteriit, cuius nullum iam reperitur veſtigium, & quaſi cuſtodia in nocte.

2. Mac. 9.

Pſal. 89.

Abenhazar Rabinus.

Gen. 3.

D. Hier. Titelm. Foleng.

D. Hier. ſuper Matthæum. Secundùm D. Hieronymum ſuper illud Matth. 4. *Venit ad eos quarta vigilia noctis*, ſtationes & vigiliæ militares, in trium horarum ſpatium diuiduntur: ſic, quòd quælibet vigilia, vel cuſtodia, continet tres horas: quia nox diſtinguebatur, quoad cuſtodias militum, in quatuor partes, quarum quælibet dicebatur vna vigilia: vnde quælibet cuſtodia, aut vigilia, ad ſummum, tres horas continebat. *Vigiliæ militares noctium.* Quadrat metaphora humanæ vitæ. Primò, quia plena eſt, obſcuritate & ignorantiæ tenebris. *Breuitas vitæ humanæ.* Secundò, quia iuxta illud Iob capite ſeptimo: *Vita hominis militia eſt ſuper terram*, cuius tanta breuitas eſt, quòd non ſolùm diei heſternæ, ſed tribus horis nocturnæ vigiliæ, eam comparat. *D. Hier. verſio.* Sed adhuc magis breuiatur ſecundùm verſionem Diui Hieronymi, quæ ſic habet: *Percutiente te eos vt ſomnium erunt.* *Felix.* Felix vertit: *Rapuiſti eos vt impetus aquarum, ſomnus ſunt.* En quibus rebus comparatur vita humana, rapido nimirum amni, & fluuio, repentinæ nimborum præcipitationi, ac demum ſomno, vt eius breuitas nobis manifeſta fiat. Vnde quidam Græcorum vmbræ ſomnum eam appellauit, & Euripides apud *Plato.* Platonem, Dialogo qui Gorgias appellatur, vitam noſtram non vitam, ſed potius mortem appellandam eſſe putauit: *Quis nouit* (aiebat ille) *vtrum viuere, mori quidem ſit, mori autem viuere?* Quòd ſi vita tam fragilis, tam caduca & breuis eſt, quare in illa confiditis? *Conuertimini filij hominum*, inquit Deus, *Paraphr. Chaldai.* *quare in peccatis & voluptatibus vitam degitis?* Quare præſentia diligitis, & æternorum obliuiſcimini? Sed Paraphraſis Chaldaïca hoc magis exprimit, quæ ſic habet. *Conuertens hominem de peccato ſuo vſque ad mortem: & dicens, reuertimini filij hominum.* Quaſi diceret: Hoc vnum inter alia memoria, ſcilicet mortis, vos deberet, ô mortales filij Adæ deterrere, & à peccatis veſtris conuertere. *Quare nõ ſtatim homines reſurgunt.* Et hæc eſt ratio, vt ego arbitror, quare diſpoſuit Deus glorioſus, quòd homines non ſtatim, vt moriuntur, reſurgerent, ſed expectarent vſque ad reſurrectionem generalem, & corpora in ſepulchro reſeruarentur, corruptioni & vermibus obnoxia: nimirum, vt obliuioni noſtræ mederetur, & haberet homo præ oculis, quod ad Dei timorem & mortis memoriam, eum poſſet excitare. *Simile.* Sicut cùm aliquis facinoroſus homo morti damnatur, inſuper & quod membra eius diuidantur & ſuſpendantur in biuiis. Hoc enim eo animo fit, vt alij per viam prætereuntes, videntes eum, & rigorem iuſtitiæ ad memoriam reuocantes, timeant quid ſimile deinceps perpetrare. Sic Deus optimus maximus voluit & decreuit, quòd ad inuicem anima à cor-

po re

pore in morte ſeparetur, & quòd corpus quaſi confuſioni expoſitum, iaceat in ſepulchro, *que eſte alli a la verguença para eſcarmiento*: vt omnes filij Adæ imaginem mortis præ oculis ſemper habentes, à vitiis retrahantur. Hinc haberi poteſt intelligentia facti illius ſaluatoris, quod habetur Matthæi 21. quando ficulneam maledixit, eo quòd cùm foliis eſſet ornata fructum tamen nullum habebat, mirantibus Apoſtolis quòd ſic aruiſſet ficulnea. Res quidem admiratione digna fuit, quod arborem illam foliis virentem, Deus ſic maledixiſſet, propterea quòd fructus non haberet, cùm tamen tunc, tempus fructuum non eſſet: quod alius Euãgeliſta non tacuit. *Quare Domine magis in ficulneam, quàm in alias arbores illi propinquas excandeſcis & indignaris?* Aduertite obſecro. Quando perſonã aliquã (alioquin magnæ auctoritatis & prudentiæ) propter aliquã leuem occaſionem nimis iraſci cernitis, ſtatim iudicatis quòd ira illa veſtutior eſt, & aliã occaſionem habuit. *Yo ſeguro que fulano no lo ha de agora.* Sic in præſentia D. Athanaſius, inquit, non propter illam leuem occaſionem, Deus ficulneæ maledixit, antiquior enim fuit indignationis ſuæ occaſio. Fuit namque ficulnea aliquo modo pœnæ mortis, quam Adam propter peccatum incurrerat diſſimulatrix: cum foliis illius cooperuit ſe. Cùm enim Adamus, nudum & iuſtitiæ originalis ſpoliatum ſe cerneret, ad ficulneam accurrit, & foliis eius nuditatem ſuam confuſibilem cooperuit, in quam per peccatum incurrerat: & ideo ficulneam maledixit. Non enim vult Dominus eſſe aliquod velamen, quod ab oculis noſtris, miſerias & pœnalitates, in quas per peccatum deuenimus, abſcondat, ſed quod ſemper eas habeamus præſentes & manifeſtas. Præcipua autem illarum eſt mors: cuius memoria nunquam à mentibus noſtris deberet excidere. Per Ezechielem cap. 7. vt populum rebellem ab idololatria Deus auocaret, promittit, dicens: *Ecce inducam ſuper vos gladium, & deijciam interfectos veſtros ante idola veſtra, & dabo cadauera filiorum Iſrael, ante faciem ſimulachrorum veſtrorum, & diſpergam oſſa veſtra, circa aras veſtras, in omnibus habitationibus veſtris.* Et ſubdit illico: *& ſcietis quia ego ſum Dominus.* O efficaciſſimum remedium ad hominem durum & pertinacem refrænandum. Promittit enim quòd circa aras in quibus ſacrificare diis ſuis ſolebant oſſa mortuorum miſſurus ſit, vt memoriã mortis ad mentem reuocãtes, reſipiſcãt, & ad meliorem mentem redeãt, Deúmque ſuũ cognoſcãt. Vis igitur peccator dure & proterue, qui Deum non cognoſcis, qui bibis quaſi aquã peccatum, qui

Matt. 21.

Quare Deus Ficulneam maledixerit.

Simile.

Nota.

Ezech. 7.

Memoria mortis à peccatis retrahit.

Digitized by Google

maieſtatem Dei ſpernis,qui nomen eius blaſphemas, & mandata illius pro nihilo pẽdis,vis inquã,ad illius cognitionem & obedientiã peruenire? vitã in timore degere,& à vitiis omnino cauere? hoc remedio vtere, quod efficaciſſimum fore non dubito. Cor tuum in quo quaſi in ara dæmonibus ſacrificia offerre ſolebas,cadaueribus,cinere,&mortuorum oſſibus per iugem mortis meditationem imple: & ſic fiet, quòd creatorem timeas,vitia fugias,peccatorum pœniteas,& ad Deum per veram cordis contritionem conuertaris. *Quia*,vt inquit Seneca Epiſt.25 *nihil æquè tibi proficiet,ad temperantiam omnium rerum, quantum frequens meditatio breuis æui*, *& hoc incerti*: Nãque,vt D.Hieron.inquit in prologo bibliæ, facile contemnit omnia,qui ſe cogitat moriturũ. Probè nouerat efficaciam huius remedij Regalis Propheta, cùm de quibuſdam peccatoribus agens Pſal.54.dicebat: *Veniat mors ſuper illos,& deſcendant in infernum viuentes*: *quoniam nequitia in habitaculis eorum*,vel vt habet Paraphraſtes: *Regnant enim nequitia in habitaculis eorum.* Sed quidnam iſta imprecatio ſignificat, qua optat illis, vt veniat ſuper eos mors,& viuentes adhuc,ad inferna deſcendant? Audi doctorem Incognitum ad iſta tibi reſpondentem. Mors ſuper illum venit,qui iugiter illam in corde meditatur,illi in infernum viui deſcendunt, qui hic viuentes, mentem inclinant ad ipſum meditandum. Cùm ergo propheta noſter,vim huius remedij non ignoraret, perſonam hominis pœnitentis induens, de fragilitate humanæ naturæ & breuitate noſtræ vitæ, cuius conſideratio, ad pœnitentiam ſolet inducere, non ſemel ſed multoties in hoc Pſalmo, agit, quare & nunc dicit: *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt*,&c.

Seneca epiſt.25. *D.Hier.* *Pſal. 54.* *Doct. In.*

Tu autem Domine in æternum permanes, &c. Non incongruè poſtquam vanitatem humanę vitæ tetigit,nunc de æternitate Dei agit, vt ex iuxtá poſitione vtriuſque,magis vanitas vitæ noſtræ detegatur. Vita enim noſtra ſi cum æternitate Dei comparetur non vita, ſed vmbra vitæ dicenda erit. *Dies mei*,inquit,*ſicut vmbra declinauerunt.* Vmbra hoc peculiare habet,quòd quantô maior eſt, tanto occaſui & nocti fit propinquior:ſic vitæ noſtræ contigit:quantò enim magis aliquis vixit,tantô minus ei viuendum reſtat. Nihil vmbra fugacius in quo etiam vita noſtra illi aſſimilatur, quæ fugit velut vmbra & nunquam in eodem ſtatu permanet, Iob 14. & in illa malorum confeſſione,quæ habetur Sapient. 2. inter alia dicitur:*Vmbra tranſitus eſt tempus vitæ noſtra*, & cap.5. *Ecce omnia tranſierunt ſicut vmbra*, Potiſſima autem ratio (ni fallor) quare

Simile. *Vita fugacitas.* *Iob 14.* *Sap.2. & 5.*

Digitized by Google

quare vita humana vmbræ comparatur; hæc eſt, quòd in vmbra eſt apparentia corporis, non exiſtentia: ſic vita præſens, bonorum vmbram & imaginem habet, non bona diuturna & perſiſtentia: diuitiis, honoribus, & voluptatibus abundat: tamen omnia hæc nihil niſi fallacem vmbram referunt. Promittunt ſatietatem, & conferunt egeſtatem, promittunt beatitudinem, & conferunt ſolicitudinẽ: ſunt quidem non vera, ſed fallacia, non ſolida, ſed apparentia. Quapropter Eccleſ. 34. dicitur. *Quaſi qui apprehendit vmbram, & ſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia.* Hinc intelligetis, quid in illa vmbra horologij Regis Ezechiæ adumbratum fuerit, ſicut habetur, in Iſaia 38. Cùm enim conuertiſſet faciem ſuam ad parietem templi, & amarè fleuiſſet peccatum ſuum, certificatus fuit per prophetam quòd non moreretur, ſed quòd per quindecim annos, prolongaretur vita eius, in cuius ſignum vmbra horologij, decem lineis reuerſa eſt. Non enim intelligendum eſt quod ſolare corpus per gradus ſuos retroceſſerit in cœlo ſed ſolum vmbra in horologio (quam opinionem veriorem eſſe exiſtimo) vt vel ex hoc appareat, humanam vitam nihil aliud eſſe, quàm vmbram vitæ. Datur illi ſignum vitæ non in ſole, ſed in vmbra, non in luce, ſed in tenebris: quià non veram vitam, ſed vmbram vitæ, non lucentem, ſed tenebroſam habemus: ſi cum ſplendidiſſima illa æternitatis vita conferatur, quæ ſine fine duratura eſt: quam ſi ante oculos mentis noſtræ haberemus, proculdubio omnem mundanam gloriam contemneremus. Sicut enim quando homo habet ſolem præ oculis & ante faciem ſuã, tunc à tergo vmbrã projicit, quando verò ſol eſt à tergo, tunc vmbrã ante oculos ſuos habet: ita, quod ſol & vmbra in eodẽ loco non ſe cõpatiuntur: non ſecus eſt, de rebus his mundanis & tranſitoriis, quæ quidem nil aliud ſunt niſi vmbra & Deo noſtro, iuſtitiæ vero ſole, ſentiendum eſt. Qui enim in Deũ æternáq; eius bona figit oculos, facilè vmbras delectationũ mundanarũ poſthabet & contẽnit & quaſi à tergo omnia projicit: at illi qui Deũ à tergo habẽt, bonorũq; cœleſtiũ obliuiſcũtur, delectationes mũdanas amplectũtur, eáſq; præ oculis ſemper habẽt: cũ tamẽ vmbræ ſint verã exiſtentiã nõ habẽtes.

Eccl. 34.

Pſal. 38.

Vita noſtra vmbra.

Paulus Burg. ſuper 4. c. 2. Reg.

Simile.

Sed age iam, vmbrã hanc mundanarũ rerũ prætereuntes, ad æternã illam lucẽ perueniamus, & de diuturnitate eius aliquid diſputemus. *Tu aũt Domine*, inquit Dauid, *in æternũ permanes: & memoriale tuũ in generatione & generationẽ.* Quãtũ abſimilis noſtri, qnullũ defectũ pateris, tẽpori nõ ſubes, neq; termino

Digitized by Google

aliquo durationis circumſcriberis,ſed perpetuo vigore & fortitudine perſeueras:apud te enim nulla reperitur träſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, quemadmodum apud omnes creaturas reperitur. Ægyptij Deum ipſum ſignificare volentes, per hierogliphicum circuli intelligebant, quia figura circularis,caret principio & fine. Cui alluſit Empedocles dicens: *Deus eſt ſphæra incomprehenſibilis cuius centrum eſt vbique, circumferentia nuſquam.* Perſæ cùm Iouem cœli Dominum dicerent,ſacrificia illi facere putabant, vbi excelſam ſpeculam conſcendiſſent, Iouémque cœli circulum nuncupaſſent, quaſi ſempiternum & infinitum illum compellantes. Ad idem ſpectat, quod Philolaus aſſeuerat, Deum per numerum ſeptenarium ſolere intelligi, nimirum, quia ea eſt huius numeri prærogatiua,vt ipſe ſibi ſimilis alter ab aliis ſit. Eſt enim numerus hic ſine motu,quia nihil patitur. Nam alij numeri partim generant non geniti,partim generantur, cùm minimè generent, alij vtrumque munus obeunt, ſolus ſeptenarius, vtriuſque conditionis eſt expers; vnitas quippe à nullo prorſus genita, numeros omnes parit,octo verò generantur abs quatuor,nullum autem generat, qui ſit infrà denarium, at quaternarius & generatur,à binario bis ſumpto,& generat octonarium, ſolus ſeptenarius ſingularis & immobilis,& ideo per illum antiquitas Deum intelligebat,qui nulli mutationi ſubiectus eſt. Hoc quidem Platonem non latuit, ſic namque inquit in Thimæo: *Et quidem fateri oportet eſſe ſpeciem, quæ ſemper eadem ſit ſine ortu atque interitu, quæ neque accipiat quicquam aliunde, nec ipſa procedat ad aliud quicquam, ſenſúque corporis nullo percipiatur,atque hoc eſt quod ad ſolam intelligentiam pertinet,eiúſque intentionis eſt proprium*, Hactenus Plato. Ex quo forſitan Boëtius carmen illud deſumpſit quod habetur metro 9. libr. 3. de conſolatione:

Jacob. 1. — *Philol.* — *Dei æternitas.* — *Plato in Thimæo.*

Tu qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum celiq; Sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, ſtabiliſq; manes dans cuncta moueri.

Pſal. 101. Potuit & hoc ex noſtro Pſalm. 101. deſumere,habetur enim paulò inferius: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarũ ſunt cœli, ipſi peribunt tu autem permanes & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent*, vbi Pſalterium Romanum habet,& omnia ſicut veſtimentum veteraſcent vt referatur ad cœlum & terrã, & quidquid cœlorum ambitu continetur. Nihil enim eſt præter Deum quod ſub ſole permaneat. *Præterit figura huius mundi*, inquit D. Paulus, mundum hunc figuram appellat,

1. Cor. 7.

appellat, quia ea facilitate omnia conſumuntur qua figura in ſpeculo repreſentata deletur, vel fortè appellat eum figuram, quia eſſe permanens non habet, ſed vanam quandam repræſentationem citò perituram. Sicut quando oſtenditur populo aliquarum rerum imago & pictura, quod ſermone hiſpano appellatur, *rètablo*, oſtenduntur ibi paſtores, oues, arietes, Reges Chriſtum adorantes, cameli, & equi: ſed per tranſennã & curſim, vix oculis tibi præſentatur imago, quando ſtatim tranſijt & diſparuit: ſic, inquit, tranſit mundi huius figura, omnis quippe pulchritudo eius, in ictu oculi diſparet, & nullã habet conſiſtentiam. Inducit Ariſtot. in poëtria fabulã cuiuſdam Poëtæ, palatium regium deſertum plorantis & alloquentis, in hunc modum. Domus egregia compungor ad lachrymas, tuam inſpiciens ſolitudinem; at illa, inquit, contremuit compaſſa mihi propter lachrymarum multitudinem, cui inquio: Vbi quæſo ſunt qui quondam in te habitauerunt, & iucundam vitam cum ſecuritate, & temporis amœnitate duxerunt? At illa, temporales, inquit, exiſtentes, temporaliter tranſierunt cum tempore, & me quoque ſub ſorte temporis tranſituram dimiſerunt. res namque nullæ ſtabiles, quæ cum fluxu huius temporis fluxibiles fluunt. Vulpes tanta aſtutia & calliditate à natura eſt prædita, quod in aliquibus videatur ratiocinatione & diſcurſu vti, vt obſeruauit Plutarchus, de qua naturales referunt, quòd paludoſam aliquam regionem peragratura, ſiue per niuem tranſitura, prius aure ad terram admota, explorat ſoli firmitatem: quod ſi ſub glacie audiat aquam defluentem & currentem, timet, neque progredi audet. Vtinam nos huius animantis in hoc prudentiam & ſagacitatem imitaremur. Cui enim potius, mundana & tranſitoria huius vitæ, quàm copioſiſſimo amni aquarum decurrentium comparem, quæ perpetuo fluxu ad interitum properat? Et quidem de nobis, vt alia taceam, quædam mulier ſapiẽs dixit, *Omnes morimur & quaſi aqua dilabimur.* Auſculta obſecro diligenter, & audies murmur aquarum tranſeuntium, modò tranſit vnus rex ad mortem, modò vnus comes, modò epiſcopus, modò diues, modò pauper, omnes enim infatigabili curſu, ad vnam metam properamus; tranſit mundus & concupiſcentia eius, & nihil eſt quod permaneat ſub ſole, quare ſtultum eſt, rebus labilibus & caducis fidere. Diuus Auguſtinus hunc locum exponens, ait: Ecce mundus tranſit & concupiſcentia eius, quid vis ergo, vtrum amare temporalia, & tranſire cum tempore, an Chriſtum amare & in æternum viuere? Rerum temporalium fluuius tranſit, ſed tanquam

Simile. *Ariſtot.* *Nota.* *Exẽplum naturale* *Plutarc.* *Primum* *Pierius.* *Holcoth.* *2.Reg.14* *1.Ioan.2.* *D.Aug.*

Simile. iuxta fluuium, arbor nata eſt Dominus Ieſus Chriſtus, raperis in præceps,tene lignum,voluit te amor mundi,teneChriſtum. Vtitur metaphorica loquutione. Quando enim aliquis ab impetu aquarum rapitur, & per medium fluuium, non ſine magno vitæ periculo defertur,ſi aliquod lignum ſtabile& firmum offenderit, illud totis viribus apprehendit, & complectitur, & ſic periculum illud euadit. Omnia quæ ſunt in hoc mundo inſtabilia ſunt,& ad interitum properant, mundus ipſe ſuo curſu omnia ſecum rapit, nihil præter Deum ſtabile eſt & firmum, quem ſi apprehenderis,ſaluus eris:quare poſtquam vates inſtabilitatem vitæ humanæ depinxit, per apoſtrophem, ad Deum ſe conuertens, inquit:*Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem.*

Iuxta interpretationẽ Caſſiod. & Haimonis. *Tu exurgens Domine miſereberis Sion,&c.* Hic per Sion,Eccleſiam intelligit:per miſericordiam verò,gratiam incarnationis, quæ ſumma miſericordiarum fuit. Tu Domine qui æternus es & nullis limitibus circumſcriptus, qui hominem in principio mundi creaſti,noſtri miſertus es,& opus tuum quod plaſmaueras,reparaſti. Ad quem enim magis quàm ad te ipſum,qui plaſ-*Simile.*mator es naturæ noſtræ, reparatio ſpectaret? Si imago aliqua deletur & deformatur, non ad alium niſi ad ipſum opificem, reſtauratio eius ſpectat.Homo eſt imago Dei, quia ad imaginem & ſimilitudinem eius creatus,hæc imago per culpam deleta fuit,quare ab ipſo opifice Deo reparanda erat. Quomodo enim ferre potuiſſet Dei verbum imaginem quam ſibi fecerat ſpecioſam,inſpecioſam & deformen permanere? hoc enim ab *Irene. lib. 3. contra hæreſ.* omni ratione alienum erat.Vnde eſt,quod Iren.l.3. in hæreſes. c.20.inquit. Et quia non erat poſſibile eum hominẽ, qui ſemel victus fuerat,& eliſus per inobedientiam, replaſmare, & obtinere brauium victoriæ,iterum autem impoſſibile erat,vt ſalutem perciperet, qui ſub peccato ceciderat:vtraque operatus eſt filius,verbumDei exiſtens à patre deſcendens,diſpenſationem *Prudentius.* conſumans ſalutis noſtræ.Cecinit & hoc Prudentius,dicens,

Stragem ſed iſtam non tulit
Chriſtus,cadentum gentium
Impunè,ne forſan ſui
Patris periret fabrica.

Sed quare conuenientius fuerit,quod perſona filij,magis quàm patris aut ſpiritus ſancti, naturam noſtram per carnis aſſumptionem repararet de hoc diſputant Doctores ſcholaſtici, præſertim Alexand. 3.parte membro.5.art.1.vbi adducit D.Anſelmum. lib. cur Deus homo, qui inquit, quod Homo apperiit

diuinam

Digitized by Google

diuinam ſimilitudinem, quæ ad filium ſpectat, qui vero imago & ſimilitudo patris eſt, ideo magis ad filium quàm ad patrem aut Spiritum ſanctum, culpæ vindicta aut indulgentia pertinebat. Antiquitus, quando haſtiludium celebrabatur, qui certamini ſe exponebant, & ludum ſuſtentabant, ſcuta ſua in loco certamini dedicato collocabant, tunc miles aut eques adueniens haſtæ extremitate aliquod ſcutorum illorum tangebat: & continuò illius Dominus, cuius ſcutum tangebatur, ſumebat arma, & ad certamen ſe præparabat. Similitudine hac materiali, vtcumque intelligi poterit, quare magis diuinum Verbum, quàm aliæ perſonæ humanam naturam induerit. Sunt quidem in diuina eſſentia tres perſonæ, Pater, Filius, & ſpiritus ſanctus, perfectione & dignitate æquales, habent tria attributa quæ ſunt quaſi inſignia, & ſcuta eorum: inſigne Patris eſt potentia, inſigne Filij ſapientia, & Spiritus ſancti bonitas: primus angelus in cœlo Empyreo tetigit ſcutum & inſigne patris quando plenus arrogantia dixit: *In cælum conſcendam ſuper aſtra cæli, ſimilis ero altiſſimo*, ſcilicèt in potentia: vnde ſi eius caſus reparabilis fuiſſet, reparatio eius ad patrem pertinebat: at Homo in paradiſo, tetigit ſcutum filij, ſapientiam videlicet, *Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*, quare ad filium eius reparatio pertinebat. *Induere*, inquit Iſai. *fortitudinem brachium Domini.* Brachium namque Filius dicitur iuxta illud, *Fecit potentiam in brachio ſuo*, qui indutus eſt fortitudinem, ad principem huius mundi debellandum, quando noſtram naturam humanam induit, in qua ipſum deuicit & ſuperauit. Adumbratum fuit myſterium hoc in vate Oſea. c. 2. vbi naturam humanam, à conſpectu Dei fugientem inducens, dominus ipſe loquitur, in hunc modum, quaſi qui ſpem de eius reditu concepit. *Ecce ego lactabo eam, & loquar ad cor eius.* Rupertus expendens hunc locum, ait: lactari hic idem ſignificat quod dulciter foueri, &, Diuus Hieronymus exponit: *lactabo eam*, id eſt, blandiaretur ei, ſed quomodo lactaturus erat, niſi per aſſumptionem carnis, naturæ noſtræ humanæ innumera beneficia tribuendo? Mulier enim quando filium lactat illum amplectitur: ſic Deus naturam noſtram humanam amplexus, eam lactauit. Vatablus vertit *pelliciam eam.* Sed Septuaginta habent: *Seducam eam*, ſed nunquid Deus aliquem ſeducit? O ſeductio diuina in bonum hominis ordinata. Fuit quidem incarnatio Verbi ſeductio quædam cœleſtis, non qua hominem deciperet, ſed qua illum attraheret, non vi, ſed amore, non funibus aut catenis, ſed fauoribus & beneficiis. Similitudo quædam naturalis Sargi

Iſai. 14. *Geneſ. 3.* *Iſai. 51.* *Luca 1.* *Oſeas. 2.* *Rupert.* *Vatablus.* *Septuag.* *Nota.*

Ælianus *Opianus.* piſcis hoc nobis explicat. Sargus, vt refert Ælianus lib. 11. cap. 19. & Opianus libro 4. hominem odit & fugit, capram verò irrationali quodam amore proſequitur. Et ſi eius in littore paſcentis, vmbra in mari viſa fuerit adnatat libenter lætúſque exilit, & attingere eam, miro quodam modo geſtit. Quare piſcator, vt ſargum decipiat & comprehendat, pelle capræ induitur, & ad litus rete manu tenens accedit. Sargus verò capram eſſe exiſtimans, ſtatim accurit: piſcator quidem iacto rete illum capit. *Ecce ego,* inquit Deus, *ſeducam eam.* Audite ſeductionem Dei: Fugerat homo à diuino conſpectu, illúmque maximopere timebat, nil amabat niſi carnem, nihil niſi humanum appetebat. Quare Deus pellibus naturæ noſtræ mortalis induitur, & naturam humanam per incarnationem aſſumpſit, vt hominem ea piſcari, & ad ſe attrahere per amorem poſſet. *D. Bern.* Propter hoc inquit Bernardus, verbum carne veſtiri voluit, vt homines, qui nihil niſi carnalia ſapiebant, miras in hac carne inuenirent delicias.

Vnum hîc obſeruatione dignum eſt, quòd cum Propheta de hoc myſterio agit, inquit: *Tu exurgens Domine miſereberis Sion.* Tu exurgens, inquit. Quaſi dicat: Nemo alius præter te, hoc munus poteſt exequi, neque Angelus, neque Propheta, neque Sanctus. Non quia non poſſet Deus cuiuſcumque Angeli acceptare merita aut cuiuſcumque Prophetæ ſatisfactionem: *Scotus in 3.* poſſet quidem vt Scotus habet in 3. diſt. 20. quæſt. vnica, aliquis purus homo, ſi fuiſſet conceptus ſine peccato, opera Spiritus *Poſſet D. alicuius hominis puri merita acceptare pro redēptione.* ſancti ſicut fuit Chriſtus & Deus dediſſet ſibi ſummam gratiam, quam potuiſſet recipere, ſicut & Chriſto dedit, ſine meritis præcedentibus: talis quidem genus humanum poſſet redimere, & pro eo ſatisfacere, neque hoc eſt denegandum: tamen hoc eſt de potentia Dei abſoluta, non ſecundum ordinem ab eo præfixum, ſecundum quem ordinatum eſt, quod non ab alio, niſi ab ipſo Deo homo redimeretur. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Anſelmus, lib. cur Deus homo, cùm aſſerit ne- *D. Anſel.* ceſſarium fuiſſe, hominem, per Deum hominem reparari. *De-* *Hebr. 2.* *cebat enim*, inquit, D. Paulus ad Hebræos c. 2. *propter quē omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Decentia autem in hoc conſiſtit, quia ſi aliquis Angelus, aut forte propheta, vel Sanctus, hominem redimeret. iam non idem eſſet *Anſel. & Alexan.* Creator & Redemptor: & ſicut habet Anſelmus & Alexander, homo non reſtitueretur ad priſtinam dignitatem, nam qui prius ſoli Deo ſubdebatur, iam Angelis eſſet inferior & redemptori

Digitized by Google

ptori ſuo ſubditus. Vnde eſt quod Iſai. inquit capite ſexageſimo tertio. Nam vbi lectio noſtra habet: *Non eſt tribulatus, & Angelus faciei eius ſaluabit eos, in dilectione ſua & indulgentia ſua, ipſe redemit eos:* Lectio Septuaginta habet: *Non legatus neque Angelus, ſed ipſe Dominus ſaluauit eos, eò quòd diligeret eos.* Quem locum Hilarius in Pſal. 52. Tertulia. aduerſus Marcionem. libr. 4. c. 36. Athanaſius de fide vnitatis & Trinitatis, lib. 1. & Theodoretus in illa Cant. verba. *Nepos meus candidus & rubicundus*, de redemptione quę per Chriſtum Dominum facta eſt, interpretantur. Quaſi diceret. Cùm poſſet ad remedium genus humanum Angelum aut legatum aliquem mittere, non tamen hoc alicui commiſit, ſed ipſe de cœlo deſcendens, per ſe ipſum hoc mundus præſtitit. O ſumma magnificentia & liberalitas Dei noſtri, ô incompræhenſibilis amor, verè omnes mentis noſtræ vires ſuperans: vt ſeruum redimeret, ipſe Dominus occidi voluit, & vt nobis miſericordiam & charitatem oſtenderet, tam crudeliter & miſericorditer comprehendi paſſus eſt, illudi, flagellari, in cruce ſuſpendi, & tandem mori, vt nos viliſſimos terræ vermiculos à morte æterna liberaret. Iuſtè quidem Propheta immenſam hanc charitatem admirans inquit: *Tu exurgens Domine miſereberis Sion, &c.*

Septuag. *Hilari.* *Tertul.* *Athanaſ.* *Theodor.*

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terra eius miſerebuntur. Suppoſito quòd hîc per Sion Eccleſiam intelligat, non erit difficile ſcire, quid per lapides & terram ipſius Sion ſit intelligendum. Sunt enim lapides iſtius Sion ſancti fideles omnes, qui mediante fide & charitate, ad hoc ædificium pertinent: & ideo lapides appellantur, Gregor. 8. Moral. capite trigeſimo ſexto. Lapidum nomine in ſacra Scriptura homines deſignantur, ſicut ſanctæ Eccleſiæ per Iſaiam dicitur: *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos.* Quem locum Euſebius Cæſarienſis Eccleſiaſtic. hiſtoriæ libro 10. de Eccleſiæ ædificatione per Chriſtum facta explicat. Ædificata enim eſt ex lapidibus pretioſis, virtute, iuſtitia, & ſanctitate ſplendentibus. Iſti ergo lapides placuerunt ſeruis Dei, illis, inquam, ſapientiſſimis architectis & primis ædificatoribus ſanctis Apoſtolis, per quorum manus Eccleſia Dei ædificata eſt & conſtructa. O quantùm Apoſtoli ſancti in fabrica hac erigenda elaborarunt; quanta perpeſſi ſunt, quot labores, perſecutiones, & tormenta, ſuſtinuerunt. Placuit enim illis huius Sion terra, placuerunt lapides viui, & reliquæ aliæ partes, ex quibus fabricanda erat: ita vt huius ædificij ſpiritualis erigendi

Per lapides Sion, quid intelligendum. *Greg. in moral.* *Iſai. 54.* *Euſebius. Cæſari.*

Digitized by Google

gratia,nec labores fugerent, nec tyrannorum perſecutiones timerent, nec ſanguini, aut ipſi morti parcerent: tantum huius ædificij lapides illis placuerunt. Sed vnum hîc obſerua iuxta iſtos lapides quòd quotieſcumque de illis in Scriptura ſacra fit mentio non ſimpliciter lapides,ſed pretioſi eſſe dicuntur.Apocalyp.vigeſimo primo,vbi pictura quædam huius ſanctæ ciuitatis,Diui Ioanni fuit oſtenſa, dicitur:quòd *fundamenta ciuitatis erant ex lapidibus pretioſis. Fundamentum primum iaſpis,* &c. *Apoc.* 21.

Quòd ſi fundamenta erant ex iaſpide & ſaphiris, vt ibi dicitur, quid de parietibus, mœnibus,& turribus,iudicandum eſt? Solent enim fundamenta ex rudioribus lapidibus fabricari. Et in Zacharia capite nono, dicitur: *Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius;* idem per lapides ſanctos,quod pretioſos intelligens. Quo loquendi modo,nihil aliud (vt exiſtimo) diuinus ſpiritus nobis innuit, niſi quales Eccleſiæ lapides futuri eſſent. Lapides, inquam, non qualeſcumque ſed pretioſi & ſancti. Hæc enim differentia inter lapides pretioſos & alios ordinarios reperitur, quòd iſti non ſemper expoliuntur, ſed aliquando ſicut exciduntur à terra, ſic in ædificio collocantur: at pretioſi lapides, expoliuntur ſemper, & quantò pretioſiores ſunt, tantò magis conteruntur, & attenuantur. Et hæc eſt præcipua ratio, quare iuſti & ſancti tot tribulationes in vita hac præſenti patiuntur: Nimirum,quia lapides pretioſi ſunt, & in magno pretio habiti,quaſi qui in illa ſuprema Hieruſalem ſunt collocandi, quare hic debent expoliri & dolari tunſionibus, preſſuris, & martyriis,vt digni habeantur, qui in ſuprema illa fabrica collocentur. *Zach.* 9. *Simile.* *Iuſti quare laboribus vexantur.*

Admiratione dignum eſt, quod de templo illo, ſuperbiſſimâque Salomonis fabrica Scriptura ſacra commemoratio tertio,Regum, capite ſexto, inquit enim in hunc modum: *Domus autem cùm ædificaretur ex lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt, & malleus,& ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.* Hoc enim non mediocrem difficultatem mentibus noſtris offert. Nam ſi ædificata eſt domus illa ex lapidibus dolatis & ſectis quomodo tam ſilenter ædificari potuit, quod ictus mallei, aut ſecuris, non audirentur? Reſpondent huic difficultati aliqui, inter quos Lyranus, quòd templum illud, tali artificio ædificatum eſt: quòd lapides ex quibus conſtruebatur, antequam ad templum adducerentur, iam erant dolati & ſecti: ita quod nulla re eſſet opus, niſi vt per manus artificum diſponerentur; abſque vllo inſtrumentorum ſtrepitu. *Vmbram futurorum habebat lex,* inquit *3. Reg.* 6. *Dubium.* *Lyranus.* *Solutio.*

inquit D.Paulus. Et rectè ſanè,quia omnia quæ continebantur
in lege & Prophetis,vmbra quædam erant & typus Euangeli- *Hebr.11.*
cæ veritatis: quapropter Moyſes quando de monte deſcendebat legem manibus ſuis ferens, eodem velo quo faciem ſuam velauit, tabulas etiam legis lapideas velatas adducebat: vt innueretur hoc facto, legem illam non lucentem, non claram, & manifeſtam,ſed vmbraticam fuiſſe,quæ ſub verborum cortice & obſcuritatum velamine myſteria fidei in lege Euangelica adimplenda,ſignificabat. Quare Sponſa ad hoc reſpiciens
dicebat Cantic.2. *Sub vmbra illius quem deſiderauerant ſedi, &* *Cant.2.*
fructus eius dulcis gutturi meo. Sedebat Synagoga illa ſub vmbra Chriſti,cuius deſiderio flagrabat, quia quidquid myſterij in ea gerebatur, Chriſti vmbra erat: Sed ad propoſitum redeamus: Quid aliud templum illud materiale adumbrabat,niſi cœleſte illud ædificium Hieruſalem ſupernæ lapidibus viuis ædificandum? In illo enim fœliciſſimo templo, nullus ſtrepitus audiri debet, nullus ibi gemitus auditur, nullus dolor aut
labor exiſtit: omnia requies, omnia pax & fœlicitas. *Et iam* *Apoc.21.*
non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, prima abierunt. Vnde requiritur, quod pretioſi lapides ibi collocandi, in hac vita patentur. Hîc quippe ſunt tunſiones, ictus, preſſuræ, hîc debemus cum Chriſto perſecutionem pati, ſi volumus poſteà cum illo regnare. Si enim patimur pro Chriſto, fiet vt facti hîc lapides viui per gratiam, collocemur in cœlo per gloriam.

CONCIO QVINTA.

Et timebunt Gentes nomen tuum, Domine: & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit precem eorum.

TACTA in ſuperiori verſu Eccleſiæ mentione, quæ per Chriſtum in ſtatu legis gratię erat ædificanda: par erat, vt de Gentibus in præſenti memoriam ageret: ſiquidem Eccleſia Dei ſancta in ſuo gremio gentes erat admiſſura. Vnde cùm de

de lapidibus quibus ædificanda erat verba faceret: nunc ſubdit: *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.* Pertinebat enim ad Dei gloriam quòd Eccleſia per eum fabricanda, per totum terrarum orbem diffunderetur, & quòd non ſolùm ex Iudæis, vt Synagoga intra Paleſtinæ terminos incluſa, ſed etiam ex gentibus conſtaret: quod quidem myſterium licèt in lege veteri fuerit adumbratum, tamen nunquam fuit apertè cognitum aut manifeſtum, quouſque tandem Chriſtus Dominus illud opere compleuit. Affirmat hoc Diuus Paulus ad Epheſios tertio, *ſacramentum*, inquit, *quod alijs generationibus non eſt agnitum, filijs hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius & Prophetis in ſpiritu, gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto Ieſu per Euangelium.* Nemo enim abſque particulari reuelatione cognouit Gentiles ad Euangelij diuitias eſſe admittendos. Quare Diuus Petrus, vt refertur Actorum decimo, oſtendit hoc ignoráſſe. Nam licèt viſionem illam admirabilem in cœlo vidiſſet, cùm eſſet in mentis exceſſu, ſcilicèt, cœlum apertam & deſcendens velut quoddam linteum de ipſo cœlo, in quo erant animalia immunda & venenoſa, ſerpentes, inquam, viperæ, & dracones, & alia huius generis, & vocem de cœlo audiſſet præcipientem ſibi de illis comedere: quod ſignificabat Gentiles & Idololatras ad Eccleſiam eſſe admittendos, tamen myſterium hoc non intellexit, quoaduſque viri illi Gentiles qui miſſi erant à Cornelio introierunt, baptiſmum quærentes. Et tunc Diuus Petrus ait: *In veritate comperi quòd non ſit acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.*

Gentium ad Eccleſiam vocatio. *Epheſ. 3.* *Act. 10.*

Licèt hoc myſterium non fuerit agnitum & manifeſtum, vt viſum eſt, fuit nihilominus per Prophetas adumbratum. Longum eſſet & importunum, & quod tempus ac vires excederet, omnia Scripturæ ſanctæ loca, in quibus de vocatione gentium agitur in medium proferre, & ideò, vnum aut alterum ſolum proferam. In libro Daniel. capite tertio, memoriæ mandatum eſt. Quòd cum Rex Nabuchodonoſor tres illos pueros in fornacem ignis conieciſſet, cùm ignis non combureret, miraculo ſtupefactus, ad oſtium fornacis acceſſit, & cùm quatuor viros vidiſſet inter flammas quaſi inter medium roris ambulantes, nouitate rei motus, exclamare cœpit: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos & ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* In his verbis myſterium reperit Diuus Hieronymus, Neſcio,

Gentium vocatio. *Dan. 3.* *D. Hier.*

Neſcio, inquit, quomodo Rex impius & idololatra, hæc verba proferre potuerit? Nunquid Filium Dei aliquando viderat? quomodo ergo inquit, quòd quartus ſimilis eſt filio Dei? Reſpondet, verba illa ſignificâſſe futurum eſſe tempus, in quo Gentilium Regum oculi erant illuminandi per fidem, vt filium Dei videre & cognoſcere poſſent. Huic D. Hieronymus dubitationi etiam reſpondet Hippolitus Epiſcopus Romanus, qui inquit: Dic mihi Nabuchodonoſor, quando vidiſti Filium Dei, vt hunc Dei Filium confitereris? Quis cor tuum pupugit, vt hæc verba poſſes edere. Sed quando ſcriptum eſt, *Cor Regis in manu Domini*, hæc eſt manus Domini vt cognoſcens eum in camino, ipſum prædicaret, & gloria extolleret, in quo præmonſtratur nationes eum eſſe agnituras. Significatum fuit etiam hoc in Ezechiele, capite 37. cui præcepit Deus vt ſumeret duas virgas, & quod in vna deſcriberet tribum Iuda, in alia verò Ioſeph lignum Ephraim, & quod illas ſimul iungeret, ita quod in manu eius vnà eſſent. Erat enim tribus Iuda populus fidelis: populus autem Ephrain, idololatra. In quo ſignificabatur, quod ex his duobus populis, ex Gentili, inquã, & Iudaïco, vna Eccleſia & vna Reſpublica leges amoris ſtabilita, erat conſtituenda per Chriſtum: *Ipſe eſt pax noſtra*, inquit Diuus Paulus, *qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens*. Epheſios 2. Soluit enim Chriſtus parietem legis antiquæ, quæ hos duos populos, inter ſe diuidebat, & loco illius legem nobis Euangelicam dedit, & ſic ex duobus populis vnus conſtitutus eſt. Refert Diuus Auguſtinus ſe vidiſſe magnetem tantæ virtutis, quòd cùm ſibi iuxta ponerentur annulli magnæ catenæ, magnes ſibi attraxit primum annulum, & ille primus ſecundum, & ſecundus tertium, & ſic de aliis: donec magna catena confecta eſt. Deus magnes eſt omnium rerum, quia finis omnium, & omnia ad ſe trahit ſua virtute: primus annulus diuinitati aſſumptus fuit humanitas: *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti*: & in virtute huius humanitatis Deo vnitæ, omnes homines inter ſe vinculo charitatis vniti fuêre. Fuit expreſſa huius myſterij figura candelabrum illud aureum Zachariæ quod ſibi oſtenſum fuit, capite 4. vbi inquit: *Et ecce cãdelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud, & ſeptem infuſoria luminis, quæ erant ſuper caput ipſius, & duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius.* Per candelabrum aureum, humanitatem Chriſti intellige, quæ tota aurea erat ab omni ſcoria peccati aliena. Lampas ſuper caput eius diuinitatem carni coniunctam

D. Hier.

Vide hac in Leone Caſt. ſuper cap. 6. Iſai.

Ezec. 37.

Epheſ. 2.

D. Aug. De ciuit. lib. vlt.

Eccleſia ex Iudæis, & gentibus conſtans.

Pſal. 64.

Zach 4.

Figura.

iunctam oſtendebat: quo tropo vſus eſt cùm de ſeipſo inquit: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum.* Septem lucernæ cum infuſoriis, imaginem ſeptem donorum Spiritus ſancti gerebant, & duæ oliuæ quarum altera à dextris, altera verò à ſiniſtris plantata erat, duo populi Gentilicus & Iudaïcus intelligebantur, qui mediante Chriſto inter ſe connectuntur. Ex his haberi poteſt vera intelligentia illorum verborum quæ habentur Canticorum ſeptimo: vbi ſponſa ſponſum ſuum dilectum alloquens, inquit: *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè ſurgamus ad vineas: videamus ſi floruit vinea, ſi flores parturiunt.* Inuitat ſponſum vt egrediens ciuitatem, ad villas & agros ſe conferat & ibi commoretur: vt videat ſi agri qui olim ſteriles fuêre in hyeme antiquæ legis, iam adueniente verè legis gratiæ virere & fructificare incipiant. Appellat Gentilitatem agrum, pagum, villam. Non enim vallo ſiue muro diuinæ legis circumſepta erat. Aduertit Vatablus ſuper Marcum, circa illud quod de Cyreneo refertur, qui crucem Domini baiulabat conductus, quòd iſte Gentilis erat, in quo ſignificabatur, quòd Gentilitas rebellem ceruicem cruci Domini & fidei eius aliquando eſſet præſtitura. De quo tamen dicitur, *quòd erat vir de pago*, id eſt, non erat ciuis. Vnde, inquit, fit, quòd omnes illi qui ad ciuitatem Eccleſiæ & cœlorum regnum non pertinent, pagani appellantur. Quid ergo aliud eſt ſponſam tam anxiè ab ſponſo ſuo obſecrare, quod egrediatur in agrum, & commoretur in villis, & exeat extra ciuitatem ad capiendos fructus, niſi vt Gentilitati ſe communicet, & eam dignam ſua præſentia faciat? Et rationem ſuæ petitionis ſubdens, inquit: *Mandragoræ dederunt odorem ſuum*, quid hac ratione intendat, ex duabus proprietatibus huius herbæ intelligitur: habent primò mandragoræ, quòd amorem conciliant, ad veneficia conficienda deſeruiunt: quare Magi eas dæmonas vel genogeonas appellârunt, alij circeas à Circe venefica. Coraſtes Diamon, Pythagoras Anthiphormon. Allegat ergo ſponſa quòd mandragoræ dederunt odorem ſuum, ſponſum ſuum vocans, vt innuat fuiſſe opus ſummæ charitatis, quòd Deus Gentilitati voluerit ſe communicare ad procreandos ex ea liberos, qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt: iuxta illud Iſaiæ 54. *Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem & hinni quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habebat virum.* Quem locum Auguſtinus de conſenſu Euangeliſta libro 1. capite 31. Proſper. de prædictionibus

Matth. 5. Luc. 8. Cant. 7. Nota. Vatablus ſuper Marcum. Gentiles dicuntur pagani, quare. Mandragoræ proprietates. Ioan. 1. Iſai. 54. D. Aug. Proſper.

ctionibus Dei, parte 3. promiſſione 32. & Iuſtinus Martyr in Apolog. 2. pro Chriſtianis, de Eccleſia quę coaluit ex Gẽtibus, interpretatur. Secunda proprietas mãdragorę eſt, quòd inebriat & ſomnum generat: vnde ortum eſt prouerbium, mandragoram bibiſti, & Lucianus in Thimone inquit, tanquam ſub mandragora dormis, & inter alias Demoſthenis laudes illud quoque dicitur, ſolitos Athenienſes ab eo excitari tanquam ex mandragora dormientes. Nouiſſimum eſt quod refert Iulius Frontinus de ſtratagematis, capite 2. de Annibale: qui miſſus à Carthaginenſibus contra Aphros, qui rebellauerant, non ignarus ille gentem eſſe vini auidam, magnam vini quantitatem cum mandragora permiſcuit: mox leui cum eis commiſſo prælio, ex induſtria fugit, relictis intra caſtra quibuſdam ſarcinis, & eo vino quod mandragoris miſcuerat, cumque Barbari occupatis caſtris, gaudio effuſi, vinum bibiſſent, iacerentque proſtrati defunctorum in modum, reuerſus Annibal nullo negotio eos trucidauit. Inquit ergo ſponſa, *veni, dilecte mi, egrediamur in Gentilitatis agrum, & noli commorari, quia mandragoræ iam dederunt odorem ſuum.* Mandragoræ mentionem facit cùm de eius agit aduentu: vt inſinuet, quòd ſi venit in mundum, ſi naſci voluit, ſi pati, ſi mori, ſi Gentibus per fidem communicari, totũ hoc quaſi ex amoris ebrietate proceſſit. Agens igitur Propheta de ædificatione Eccleſiæ, Gentium non oblitus, inquit: *Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.*

Iuſtinus martyr. *Lucian.* *Iul. Frõt.* *Incarnatio ex amore proceſſit.*

Vbi ſecundum noſtram vulgatam dicitur: *Et omnes Reges terræ gloriam tuam*, veritas Hebraïca habet, *maieſtatem tuam.* Fuit enim effectus incarnationis Dominicæ, & prædicationis eius, quòd omnes mundi potentes & orbis Monarchæ illum timerent, & majeſtatem eius venerarentur. Viſa enim gloria miraculorum eius, & claritate ſuæ doctrinæ, contempto vano Deorum cultu, ad vnius veri Dei cognitionem, & timorem peruenerunt: Sicut patet de Conſtantino Imperatore per beatum Siluestrum baptizato, & Regæ Franciæ conuerſo per beatum Remigium, & aliis. Conſtat hoc ex vaticinio Iſaiæ capite 45. vbi poſt illa verba: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, quæ communiter à Patribus Eccleſiæ de incarnatione Chriſti intelliguntur, paucis interpoſitis verbis, ſubdit: *Labor Ægypti, & negociatio Æthiopiæ & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent.* Quæ verba, licèt non deſint qui exiſtiment intelligenda eſſe de Cyro Perſarum Rege, tamen D. Hieronymus in commen

Iſai. 45. *D. Hier.*

Epiphan. *Euſebius.* commentariis, Epiphanius, lib.2.contra Noëtianos, & Euſebius lib.5.demonſtrationum Euãgelicarum, quamplurimique alij Patres de Chriſto eſſe intelligenda, non minus quàm pro aris & focis (quod aiunt) pugnant. Per laborem Ægypti, negociationem Ethiopiæ & Seboin, Gentilitatem intelligit, quæ prædicatione Apoſtolorum ad fidem conuerſa eſt: per viros autem ſublimes, Imperatores & Reges, qui ſupplices ad pedes Apoſtolorum prouoluebantur. Illi enim, qui prius toto orbi formidabiles erant & terribiles, qui tanquam feroces leones & inſatiabiles lupi, humanum ſanguinem vbique terrarum abſque miſeratione fundebant: in manſuetiſſimos agnos commutati, ad Chriſtum ſupplices veniebant. Contemplabatur hoc *Pſal.103.* Regius Pſaltes ſub literæ cortice Pſal.103. dicens: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Ac ſi diceret. Infinita ſapientia tua Domine in mundi gubernatione, & rerum viciſſitudine mirabiliter ſplendet. Tu occidente Sole, tenebras ſuper vniuerſæ terræ faciem ſpargis, ex quibus cauſatur nox: in ipſa leones voraces, & alia ferociſſima animalia, quæ ex rapto viuunt, ex antris ſuis, ad victum & prædam inquirendum egrediũtur, quæ per ſyluas & nemora diſcurrentia, fami ſuæ prouident: at exoriente Sole, aufugiũt omnia, & ad cauernas ex quibus egreſſa fuerant, conuertuntur. Hæc, licèt literaliter de ordine huius vniuerſi dicta ſint: ſpiritualiter tamen, de Chriſto vero iuſtitiæ Sole poſſunt intelligi cum Do- *Doctor. Incogn.* ctore Incognito, qui partim hanc interpretationem ſequitur. Poſuit igitur Deus tenebras, quando per tranſgreſſionem primorum parentum, nox peccati vbique Gentium diffuſa eſt, & ignorantiæ tenebris homo fuit irretitus. In hac obſcuriſſima nocte, mundi Principes & tyranni, quaſi leones crudeliſſi- *Lux Euãgelica tenebras mundi repellit.* mi in homines ſæuiebant, & in mutua vulnera irruebant, humanum ſanguinem more ferarum ſitientes. Contra Babylonios Perſæ, contra Perſas Macedonij, contra Macedonios Romani. O quantùm humani ſanguinis à ſæuiſſimis his leonibus effuſum eſt. At oriente Sole, naſcente Deo in carne, & claritate ſuæ doctrinæ, tenebras ignorantiæ fugante: animalia hæc ſæuiſſima fugata ſunt, & ab effuſione humani ſanguinis *Pierius.* ceſſauerunt. De leone fertur, vt tradit Pierius, libro 1. quod ignem vel lucem valde reformidat: quare nihil efficacius eſſe *Homerus.* poteſt ad ferociam eius edomandam: quod Homerus teſtatur eo carmine.

Arden

Digitized by Google

Ardenteſq; faces, quas quamuis ſæuiat, horret.

Et hinc eſt, quòd Sacerdotes Ægyptij, cùm alicuius hominis crudelis furorem iam edomitum & ſuperatum ſignificare volebant pingebãt leonem, & ante oculos eius facem ardentem. Quis luce clarius non videat quãta erat hominum ferocitas, quanta principum & tyrannorum crudelitas antè Chriſti aduentum? Erant enim hi tyrãni nihil aliud niſi voraciſſimi leones, qui in mediis obſcuriſſimæ noctis tenebris rugiẽtes prædam inſequebantur: at exoriente ſole, manſueſcere cæperunt, & humano ſanguini parcere: quinimo ex ferociſſimis leonibus, in agnos manſuetiſſimos ſunt conuerſi. Cui alludit veritas Hebraica quæ loco illius verbi: *Et in cubilibus ſuis collocabuntur*, habet. *Et in cubilia ſua recubãt.* Alia litera, *Et in mandris ſuis accubabunt. Echarſean a dormir en los apriſcos de las oueias en que ſolian hazer preſa.* Tanta erit eorum manſuetudo, quod inter ipſas, tanquam agni mites recumbent. Quis non videt hoc miraculum, in luce Euangelij iam completum eſſe? Nonne leones erant ferociſſimi, Romani illi Imperatores qui Chriſtianorum ſanguinem ſitiebant? qui gregi Chriſti inſidiabantur? & tamen aliqui eorum, vt Conſtantinus magnus, Veſpaſianus, & Titus, in ouium caulis, ſcilicet, Eccleſia ſancta, ferocitate depoſita, manſueti & humiles quieuerunt? An non tibi Paulus leo rugiens videtur, cùm proficiſceretur Damaſcum adhuc ſpirãs minarum & cædis in diſcipulos Domini? & tamen viſa luce cœlitus miſſa, & audita Chriſti voce repentè in agnum commutatus eſt. Etenim Eccleſia ſancta eſt ouium mandra, & caula gregum, in qua ingreſſi ferociſſimi & indomiti leones, ſubitò manſueſcunt, & in mitiſſimas oues conuertuntur. Eſt arca illa Noe quam cùm ingreſſi eſſent leones, & tigrides, repente omnem ferociam amittebant, ſtabantque omnes domeſtici & manſueti, ad Noe ora conuerſi, illumque reuerentes. Sic nimirum Gentilium principes, mundíque tyranni, quàm primum Eccleſiam ſunt ingreſſi antiquam crudelitatem amiſerunt, & Chriſti manſuetudinem induentes, nomen Domini ſunt reueriti: *Et timebunt*, inquit Pſalmiſta, *nomen tuum, Domine, & omnes reges terræ maieſtatem tuam.*

Veritas Hebraic. Nota.

Decet enim principes & mundi potentes, Deum timere, maieſtatémque eius formidare, quia cùm nullum reformidet in terra, ſi Deum in cœlis non timerent, in magna inconuenientia prorueerent: eſſéntque de numero eorum de quibus Iob 21. loquitur; *Qui dicunt Deo recede à nobis, ſcientiã viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei? &*

Principes Deũ timere decet. Iob 21.

Digitized by Google

quid nobis prodeſt ſi orauerimus eum? Ne igitur mundi potentes in ſuperbiam elati, contra Deũ ſe extollant, timore & reuerentia illis opus eſt. *Et nunc reges intelligite*, inquit Dauid, *erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Vbi dicitur apprehendite diſciplinam, Fælix vertit, *Oſculamini filium.* Solent enim principes & magnates, quando hæres & regni ſucceſſor ſuſcipitur, in ſignum obedientiæ, & ſubiectionis, fidelitatíſque ſeruandæ manũ eius oſculari, & ad hoc alludens, inquit, *Oſculamini filium*, Chriſtum ſcilicet, vniuerſorum hæredẽ cœli terrarúmque principem, debitam ſeruitutem & obedientiam in omnibus illi præſtantes. Si enim hoc mundi nobiles, ſæcularéſque Domini aduerterent, mentéque reuoluerent, non tam abſolutè, & effrænatè viuerent, quaſi qui exiſtimẽt, omnia ſibi licere, nihílque illis prohibitũ. Non enim tam impunè pauperes opprimerent, & ſibi ſubditos vſque ad ſanguinis effuſionẽ expilarent: non tot iniuſtitias in illos, abſque vllo Dei timore paſſim perpetrarent. Reum ſaluant, innocentẽ condemnant, diuitibus parcunt, pauperes afficiunt ſupplicio: onera grauia illis imponunt, vectigalia machinantur, & nouos modos excoriandi illos, quotidiè inquirunt. Sed væ illis, quia non impunè hoc facient, cùm habeant Deum in cælo ſupremũ Dominum, ſed tẽpus erit cùm debitas pœnas luent de omnibus his ſtrictiſſimã rationẽ reddituri. Micheas 3. illis minatur dicens: *Audite principes Iacob, duces domus Iſrael, Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium? Qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violẽter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt.* Quid clarius dici poterat: aut quid formidabilius excogitari? Depingit enim viuis coloribus, quod in his calamitoſis temporibus experientia nos docet: vbi potentes & nobiles, qui ſubditorum refugium eſſe debent, illos excoriant: & mille modis diuexant. Abutuntur (quod valdè dolendum eſt) poteſtate ſibi tradita, & quia in ſummo dignitatis gradu conſtituti ſunt, omnia ſibi licere arbitrantur: Quaſi imperij præcellentia, & claritatis dignitas, ad legẽ Dei tranſgrediendã, licentiam eis contuliſſet, & ab omni virtutum officio feciſſet exẽptos. Sunt quamplurimi, qui Dionyſij ſenioris Siracuſanorum tyranni filiũ imitantur, & illius opinionẽ ſequuntur: qui cum à patre corriperetur, quòd Syracuſani cuiuſdã viri vxori vim intuliſſet, atque inter alia dice-

Pſal. 2.

Verſio Fælicis.

Simile.

Mich. 3.

Tyrannorum pœna.

Fulgen. lib. 7.

ret,ſi vnquã audiuiſſet à ſe rem ſimilẽ factã fuiſſe: filius ita ei reſpondit: hoc accidit,quod nunquã patrem regẽ habuiſti. At vnus hic regis filius multos habet intẽperantiæ ſuę ſectatores, qui nobilitatis occaſione eò ſolum quod nobiles ſint,quod diuites, quod in dignitate cõſtituti,& nullum ſuperiorẽ habeãt: omnia ſe poſſe & licitè poſſe iudicant, cùm tamen in maxima potentia,minima licẽtia eſſe debeat. Quapropter principes & mundi potentes,timore Domini indigẽt,qui quaſi frę nũ ſit,& ſuæ poteſtatis correctio. *Et timebunt Gentes*,inquit Dauid,*nomen tuum Domine*, *& omnes Reges terræ, maieſtatem tuam*.

Condecens etiã eſt quod mundi principes maieſtatem Dei reuereantur,& timeant,legíque eius ſubiiciantur,quia legiſlatores terræ ſunt,& qui aliis imperare debent. Quare ratio ipſa poſtulat,vt qui volũt ad vnguẽ in omnibus obediri, ſupremo omniũ Domino & legiſlatori obediant. Et hæc pręcipua cauſa fuit quare Chriſtus Redẽptor noſter, cũ adhuc puerulus eſſet, legi circumſionis obedire voluit cũ illi ſubiectus non eſſet: vt diſcerent Chriſtiani principes diuinæ legi ſubjici. Fundaturus Dominus nouã legẽ iuxta illud Hier. 31. *Dabo legẽ meam in viſceribus eorum*,legẽ non ſoluit,ſed exactiſſimè adimplet,vt principibus & legiſlatoribus exẽplo eſſet, quomodo legi obedire debeant. Hinc eſt quod Iſai dicebat: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ*. Dominatorem agnum petit, quod rariſſimè in mundo inuenitur. Quamplurimos dominatores inuenias,ſed non dominatores agnos: qui imperare ſciant & obedire. Imperare cum leone nemo eſt qui neſciat: ſed obedire cum agno,ferè nullus. Emitte ergo Domine filium tuum vnigenitũ verum legiſlatorẽ,qui dominari & obedire ſciat,& vtrũq; munus perfectiſſimè exequatur, vt reges doceat, quomodo diuinis legibus parere debeãt. Alioqui (vt inquit ſapiẽs) *potentes potenter tormenta ſuſtinebunt*, quod in Saule primo populi Iſraelitici rege intueri licet,in quẽ Deus tã acriter animaduertit,regnóq; priuauit: cùm tamen mitius cũ Dauide,qui etiã peccauit,actũ fuerit. Electus fuit Saul à Deo, & tã celeriter reprobatus,vt iudices ad hoc ſolum fuiſſe electũ vt reprobaretur ſicut contingit in monumẽtis,quæ in memoriã ſepulturę Domini,hebdomada ſancta,erigũtur vel in tumulis regũ, quãdo in eorũ exequiis fiũt, quę vix perfecta & cõpleta ſunt quãdo repẽte deſtruũtur,totaq; eorũ machina diſſoluitur. Nõ ſecus qui Saul reprobationẽ repentinã conſiderauerit, iudicabit forſitã,ad hoc ſolum eleuatũ fuiſſe, & ad faſtigium regalis dignitatis aſſumptum, vt inde validius elideretur: eò ſolum

Hier. 31.
Iſai. 26.
Sapien. 6.

Digitized by Google

quod Regi Agag, & aliquibus arietibus ex victoria Amalech pepercerit. At Dauid grauiora peccata commiſit, & tamen non fuit depoſitus, neque tam acriter punitus Quid ergo? quare Domine tam diſſimili pondere & menſura, vtriuſque Regis delictum meritis & ponderas? Aduertite, quod ſunt peccata hominum, & ſunt peccata Regum. Peccata hominũ, quæ ex quadam fragilitate humana procedunt, neque directè ſubiectioni & obedientiæ Deo debitæ opponuntur, quale fuit peccatum Dauid: quod non ex inobedientia proceſſit, ſed potius ex humana quadam paſſione. Alia ſunt peccata propria Regum, quæ ex elatione quadam mentis, & contumaci inobedientia ortum habent. Nolunt enim alicui ſubiici, neque ſuperiorem recognoſcere ſuper terram, ſed tanquam filiũ onagri (vt inquit Iob) liberos ſe natos putant. Et huiuſmodi fuit peccatum Saul, fuit enim peccatum inobedientiæ quia præceptum Dei de demoliendo Amalech non cuſtodiuit, & ideo Dauidem qui quaſi homo peccauit humaniter correxit: at Saulem qui quaſi Rex, tanquam Regem rebellem dura manu puniuit, fœdéq; depoſuit. Exẽplo magis hoc explicemus. Sculptor, ſiue artifex figuram quandam fingit, quæ omnium aliarum exemplar futura eſt. *Ha de ſer molde de todas las demas por donde ſe han de hazer*, quare ſummo ſtudio & cura illam conſtituit, ne vel minimum habeat defectum, aut vitium, in aliis verò figuris, quæ ab exemplari exeunt, non tantã curam adhibet, *no ſe remira tanto en ellas.* Et ratio eſt, quia defectus in exemplari quaſi naturalis eſt, & quem neceſſario omnes figuræ quæ ad exemplare fiunt, contrahent: at ſi defectus in aliqua particulari imagine ſit, non tantum refert, quia alias non inficit. Saul fuit primus Rex Iſraël, & quaſi omnium aliorum Regum exẽplar. *Fue la eſtampa de todos los de mas, y quando la eſtampa eſta errada, no tienne otro remedio ſine quebralla*, Ideo fuit de Regno depoſitus. Sed quod de Saule dicimus reſpectu Regum, de quocúmque Rege intelligere poſſumus reſpectu ſubditorum. Eſt enim Rex totius populi exemplar, quem omnes alij imitari debent. *Es la fuente de dõde manam coſtumbres para los demas.* Quare legi Dei obſequentiſſimus eſſe debet, maieſtatémque ipſius ſummè timore & venerari. Timeant Deum potentes ſicut timeri ipſi volunt, Deo obediant, ſicut ipſi obediri cupiũt, legem eius obſeruent, ſicut leges ſuas obſeruare faciunt. Hanc Regum & potentum obedientiam, & Eccleſiam viſuram fore promittit Dauid, dicens: *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, &c.*

Quia

Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua. Vide prophetiæ & fidei effectum. Enixè enim poſtulabat vt Sion ſancta ædificaretur, dicens: *Tu exurgens Domine miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus*; & iam Siõ ædificata eſt, & Eccleſia ſancta ex viuis lapidibus erecta. Non enim dicit de futuro ædificabit Dominus Sion, ſed de præterito, quaſi iam ędificata ſit. Vnde vertit Fœlix Pariſienſis: *ædificauit Dominus Sion, viſus eſt in gloria ſua.* Quis hic non aduertat myſterium? Quando iecit fundamenta, quando erexit parietes, quando ſuas ædes Dominus fabricauit? Siquidem modò rogabat Propheta vt ad hoc faſtigium erigendum, primam manum admoueret. O mirabilis fidei effectus, quæ etiam res abſentes, præſentes facit, & ea quæ nondum aduenerunt, iam præteriiſſe cenſeat. Nondum ædificata eſt Eccleſia, & iam cernuntur templa, miráque rerum pulchritudine & dignitate latè patēt religionis inſignia. Hinc eſt, quòd naſus ſponſæ turri comparatur. *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Naſus olfaciendi organum eſt, quo mediante, res quæ non videntur præſentiri ſolent, & cognoſci. Virtus illa qua media ſpõſa res ocultiſſimas cognoſcit, & ſuſpicatur, fides eſt, quia fides eſt argumentum rerum non apparentium, & hæc non incongruè turri comparatur, quæ contra Damaſcum aſpiciebat, ſed ſumma dicendi proprietate. Ex alta nãque illa turri quæ in monte Libano ſita erat, quamplurimæ prouinciæ & remotiſſimæ ciuitates ſpeculabantur, quæ alioqui videri non poterant: ſic quippe Prophetæ ex eminentiſſima fidei ſpecula, quãplurima myſteria à noſtris ſenſibus remotiſſima intuebantur: quę licèt nondum accidiſſent, tamen propter prophetię certitudinē iam præteriiſſe cenſebãtur.

Fide i virtus, quæ futura præſentia facit.

Fœlix.

Cant. 7.

Fides turri Libani cur comparetur.

Vide etiam ex hoc loco claritatem miraculorum Chriſti. *Ædificauit*, inquit, *Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.* quod Titelmanus noſter ſic explicat. In gloria ſignorũ & prodigiorũ admirabiliũ, quæ illo in tēpore per ædificatores Sion glorioſè operabitur, agnoſcetur ipſe, & manifeſtabitur mũdo. Cui fauet veritas Hebraica ſic habens: Cõſeruabis Sion Domine, cùm apparebis cum poteſtate tua. Apparuit enim Deus in mundo cũ poteſtate ſua, quãdo tot mirabilia operatus eſt, quæ nemo alius niſi Deus operari potuit. Vnde Ioan. c. 10. habetur. *Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipſa teſtimoniũ perhibēt de me.* Fuit enim claritas & poteſtas miraculorũ Chriſti teſtimoniũ nõ euidēs, aut ſcientificũ diuinitatis eius, ſicut aliqui dicũt, quos impugnat Durãdus, in prologo, ſent. diſt. 2. quæſt. 1.

Chriſti miracula.

Titelma.

Veritas Hebraic.

Ioan. 10.

Durand.

ſed ſaltem efficax & veriſſimum, cui fidem adhibere par erat: quia tot miracula tamque mirabilia, niſi in teſtimonium veritatis fieri non potuerunt, cùm Deus teſtis mendax eſſe non poſſit. Quare Ricardus 1. de Trin. cap. 2. audacter, inquit: Domine, ſi error eſt, à te decepti ſumus: nam tantis ſignis confirmata ſunt, quæ non niſi per te fieri potuerunt.

Ricard.

Sed iam obiectio illa communis aures meas pulſare videtur, Prophetæ & Patriarchæ etiam ſimilia miracula fecerunt, ſicut Helias qui ignem de cœlo deſcendere fecit, & Heliſæus, qui mortuum ſuſcitauit, & Ioſue qui ſolem in medio curſu ſtare fecit: ſed miracula hæc in illis non fuerunt diuinitatis indicia, ergo neque in Chriſto. Ad hoc Sanctus Thomas & communiter Doctores reſpondent hoc inter miracula Prophetarum, & Chriſti ſeruatoris noſtri intereſſe: quòd miracula Chriſti propria fiebant virtute, habuit enim anima Chriſti omnipotentiam circa omnes creaturas, quatenus diuinitati erat vnita, qua mediante, virtute propria & non alia, miracula operabatur. Quod ſi Iudæi ex miraculis non cognouerunt eſſe Deum, hoc ex inuidia & cæcitate eorum proceſſit, quia excæcauit illos malitia eorum, de quibus, inquit Sanctus Thomas, illud Iob intelligitur 11. *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Sancti verò non propria: ſed aliena virtute, nempe Dei, miracula faciebant. Et inde eſt quod non imperando vt Chriſtus, ſed obſecrando. Non enim miraculorum erant auctores, ſed inſtrumenta, quibus auctor principalis vtebatur. Quis namque plura miracula quàm Moyſes fecit? qui virga ſua totam Ægyptum tranſuertit & commouit, omnia in orbem agitabat, mare terram, ventos, flumina, ranas, culices, tenebras? *Todo lo traya al retortero,* & nihilominus inſtrumentum ſolum erat & Dei miniſter. *No era el author del retablo ſino faraute que le monſtraua con aquella varilla.* Dixit hoc (& benè quidem) Iſaias ſexageſimo tertio, cùm de illa victoria maris rubri verba faceret. *Qui eduxit ad dexteram Moyſem brachio maieſtatis ſuæ.* Videbatur enim Moyſes quaſi brachio Domini & virtute eius mare pertranſire. Vbi Septuaginta ſic vertunt. *Qui eduxit dextera Moyſem brachiũ gloriæ ſuæ.* In hoc inſinuans quòd Moyſes non fuerit, in operandis miraculis, niſi Dei inſtrumentum & organũ ſuæ potentiæ: & quod non Moyſi, ſed ipſi Deo gloria illorum miraculorum debebatur. Itaque, ſi Prophetæ, Patriarchæ, aut Sancti miracula facere, ſed non tanquam principales auctores, ſed tanquam Dei inſtrumenta: gloria autem operis non inſtrumento, ſed perſonæ tribuitur. In hoc ergo Iudæi

S. Thom. 3. p. q. 43. art. 4.

S. Thom. 3. p. q. 47. art. 5.

Iob 11.

Iſai. 63.

Septuag. viri.

Nota.

Iudæi Chriſtum cognoſcere potuerunt, quòd opera quæ ipſe fecit, non obſecrando vt alij, ſed impetrando fecit & tanquam principalis auctor. Quando aliquis congregationem religioſorum ingreditur, in quo cognoſcere poterit, quis nam illorum ſit prior, aut præfectus, cùm omnes eodem habitu exterius ſint induti? Difficile enim eſt inter illos diſtinguere: at ſi aliquem illorum aduertat aliis imperantem: tu ſede hìc, tu illìc ſta, ille verò libros illos ad concinendum paret: tunc quidem iudicat illum eſſe guardianum aut priorem, cui omnes alij ad nutum obediunt. Sic Chriſtus Redemptor noſter, qui habitu inuentus vt homo, mundum hunc eſt ingreſſus, difficile quidem agnoſci potuit, imò hoc erat naturaliter impoſſibile, quia *verè erat Deus abſconditus*, vt inquit Iſaias: At vidimus, quòd licèt carne mortali indutus, tamen omnes creaturæ ei ad nutum obediebant Angeli, Dæmones, Homines, terra, mare, & venti: ſignum ergo erat, quòd Dominus eſſet magnæ huius fabricæ ac per conſequens verus Deus. Quare (vt inquit Dauid) ab illis quorũ oculi inuidia & liuore non cæcutiebant viſus eſt in maieſtate, ſiue poteſtate ſua, quia in claritate miraculorum cognitus eſt.

Simile.

Iſai.45.

Reddunt etiam verba hæc rationem, quare Deum gentes timuerint & venerati fuerint, ſcilicet, quia viſus eſt in maieſtate ſua, quia cognitus in poteſtate miraculorum. Ille enim Deum non timet: qui illum non cognoſcit: qui verò cognoſcit illum vt par eſt: & timet, & veneratur, & diligit. Iſaiæ capit.17. dicitur: *In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi eius ad ſanctum Iſraël reſpicient, & non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus eius, & quæ operati ſunt digiti eius, & non reſpicient lucos & delubra.* Qui enim ſanctum Iſrael verè cognoſcit, & ad Deum mentis oculos conuertit, mox idola omnia, quæ prius adorabat: conterit, delicias huius ſæculi contemnit, voluptates poſt habet, & fallacia mundi gaudia pro nihilo pendit: inclinaturque ad factorem ſuum, debitum illi timorem & honorem præſtando. Iob etiam dicebat capit. 42. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te: idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Aliud eſt Deum audire, & aliud illum videre: multi Deum audiunt, qui tamen diſſimulant, & ad voces eius obſurdeſcunt: at cùm intuentur præſentem, illum reuerentur & timent. Sic pueris contingere ſolet, quando in foro ludentes ſedent. Licet enim dicant puero, quòd pater illum expectet, quòd fremat, quod flagellum paret, non mouetur, neque à ludo deſiſtit: at quãdo pater aduenit, illúmq; oculis ſuis præſentẽ videt, ſtatim

Qui Deũ cognoſcit facilè voluptates contẽnit.

Iſai.17.

Iob.42.

Simile.

Digitized by Google

rubore perfunditur, timore afficitur & reuerentia, ludumque continuò dimittit. Non ſecus nobis contingit, qui quamuis voces Dei audiamus, qui per Prophetas ſuos non ceſſat vocare
Hier.3. nos ad pœnitentiam, per Hieremiam cap. 3. *Conuertimini filij re-*
Iſai.21. *uertentes, & ſanabo auerſiones veſtras.* Et per Iſaiam cap. 21. *Conuertimini & venite*: tamen ad has voces aures noſtras ſicut ſerpentes obturamus: at quando Deus ſe præſentem facit, & ſuper nos vultum ſuum illuminat, tunc illuminati, ad eum accurrimus, illúmque timentes reueremur. Ratio enim propter quàm Gentes nomen Domini timuerunt, idoliſque contemptis ad eum conuerſæ ſunt, ea eſt: *quia ædificauit Dominus Sion, & viſus eſt in maieſtate ſua.*

Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum. Id-
Opus incarnationis, non cadit ſub merito. circo Dominus decreuit ædificare Sion, & videri in maieſtate ſua permiſſus eſt, non quidem propter naturæ noſtræ merita, ſed quia ex oratione humilium, & eorum precibus, ex miſericordia ſua magna ad hoc motus eſt. Opus namque incarnationis & redemptionis adeò excellens fuit, quòd non potuit cadere ſub noſtris meritis. Sicut enim non poteſt aliquis mereri primam gratiam, cùm principium ſit totius meriti: ſic non potuerunt homines mereri Chriſtum, quia omne meritum ab
Cant.1. illo pendet. Ad hunc ſenſum intelligenda exiſtimo verba illa ſponſæ, quæ habentur Cantic. 1. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo,*
Sine Chriſto non eſt meritum. *nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* Nardus herba quædam parua & humilis eſt rigidique ſaporis, odorifera tamen, magnæque fragrantiæ: & fatetur ſponſa aduertiſſe: quòd nunquam herba hæc odorem ſuum communicabat, niſi quando cum ſponſo ſuo ad menſam accumbebat. In quo inſinuare voluit, quòd nulla virtus eſt, quantumuis ex natura ſua ſuauis & perfecta, quæ ſine Chriſto grata eſſe poſſit, aut alicuius valoris, *Qui gra-*
Eph.1. *tificauit nos*, inquit D. Paulus, ad Epheſios 1. *in dilecto filio ſuo.* Decreuit enim & ſtatuit vt nullius opus ſibi gratum eſſet, aut acceptum, niſi per Chriſtum. Vnde manifeſtum fit, quòd ſi ipſe
Iſai.41. & incarnatio eius, noſtri meriti principium eſt: neutrum mereri poſſumus. Hûc etiam ſpectat illud Iſaiæ cap. 41. *Quis ſuſcitauit ab oriente iuſtum, vocauit eum vt ſequeretur ſe?* Quem locum Origenes in Iſaiam, Cyrillus, Procopius, & Theodoretus, de Chriſto interpretantur: qui per antonomaſiam iuſtus eſſe di-
Septuag. citur. Cui interpretationi fauet verſio Septuaginta interpretum, quæ ſic habet. *Quis ſuſcitauit ab oriente iuſtitiam, vocauit*
Origen. *eam ad pedes ſuos?* Quod explicat Origenes, vocauit eam ad incarnationem, vt haberet pedes & ambularet. Inquirit ergo

Propheta,

Digitized by Google

Propheta, quis ſuſcitauit ab oriente iuſtum? Quis enim tam ſanctus eſſe poteſt, qui ſuis meritis Chriſtum ſuſcitare valeat ab oriente diuini luminis,& illum quaſi cogere ſuis operibus, vt à ſummo cœlo ad vſque terras deſcendat? Quaſi dicat. Nemo quantumuis ſanctus, quantumuis iuſtus, & Deo gratus, hoc poterit mereri: quia opus hoc ſub merito non cadit. Superexcellit enim omnem naturæ noſtræ facultatem.

At,licet incarnationem abſolutè loquendo ſancti patres non meruerint,meruerunt tamen accelerationem eius.Congruum enim fuit quòd propter eorum preces & merita Deus vnigeniti filij ſui aduentum accelararet.Quod videtur petiuiſſe Iſai. cap.64.illis verbis:*Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes.*Id eſt, abſque vlla temporis mora.Quando aliquis dux ex arce egreditur,ad inimicos debellandos, vel vt amico periclitanti auxilium ferat,ſolet per murum aſcendere,quod dirumpere illum appellatur,*quebrantar el muro*, ne,ſi per portam exire velit ambagibus immoretur, & à ſpe auxilij ferendi defraudetur. Sic petit Dauid, vt cœlos dirumpat, neque expectet per portam meritorum noſtrorum egredi, quia illa omnino clauſa eſt:ſed cœlos dirumpens, curſum ſuum acceleret ad inimicos ſuos debellandos, & miſero homini ſuccurrendum. Aduertit hoc D.Gregor.lib.13.Moral.cap.21. ſuper illo verbo Iob 17. *Vbi eſt nunc præſtolatio mea,*dicens: Quæ eſſe poteſt præſtolatio iuſtorum,niſi iuſtus iuſtificans Deus,qui ad preces humani generis ſponte deſcenderet, & captiuos mortuos, iuſtitiæ ſuæ virtute liberaret.Huius enim præſentiam ſancti patres, minimè ceſſabant intenta cogitatione præſtolari, quam quandoque venturam eſſe nouerant:ſed venire citius quærebant. Vnde non ait, vnde eſt præſtolatio mea, ſed ait, vbi eſt nunc præſtolatio mea, vt oſtendat, quia quem quandoque venturum nouerat ipſum venire citius quærebat.Vulgare eſt quod de vnicorni ad hoc propoſitum à ſanctis patribus referri ſolet, ſed non à noſtro propoſito diſſonum,cùm de Chriſto Redemptore noſtro per Dauidem dicatur: *Et dilectus quemadmodum filius vnicornium.*Eſt natura huius animalis,vt apud D.Gregorium,videre eſt 3.Moral.cap.13.Et apud Pierium titulo Rhinoceros, quod cùm animal ferociſſimum ſit, licèt venatores illum magnis clamoribus inſequantur, tamen capi non patitur, niſi in ſinu alicuius virginis, ibi enim omni ferocitate depoſita, manſueſcit,& apprehenditur,Sic ſancti patres in veteri teſtamento celebres, ſuis clamoribus & ſuſpiriis diuinum hunc vnicornem inſequebantur, vt aduentum ſuum non differret, qui in

Sācti patres meruerūt incarnationis accelerationē. *D. Bona. in 3. ſent.* *Iſai.64.* *Simile.* *D. Greg.* *Iob 17.* *Pſal. 18.* *D. Greg.* *Pierius.* *Virgo Maria meruit præcipuè accelerationē incarnationis.*

Digitized by Google

gremio intemeratæ virginis manſuefactus, paſſibilis & mortalis fuit inuentus. Quare accelerationis ſuæ ratio, ſacratiſſimæ huic virgini potiſſimè attribuenda eſt, quàm profunda ſua humilitate, ardentiſſima charitate, & puriſſima virginitate, meruit. Quod manifeſtè verba illa Cant. oſtendunt. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Verba ſunt vnigeni filij Dei ad virginem, quaſi qui manu in altum ſublata, ea quæ verſus illam oppoſita, virtutum eius pulchritudinem ferre non valeret: ſed ſtatim raptus & extra ſe propè conſtitutus, aduentum ſuum acceleraret. O virgo glorioſiſſima, cuius tanta fuit pulchritudo, tam excellens virtus, quod Deum ab alta cœlorum ſede ad noſtræ carnis humilitatem auolare fecerint, quàm verè de ore ſacro tuo verba illa proferuntur? *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quid enim aliud hoc eſt? niſi quod Dauid multis retro ſeculis vaticinatus fuerat. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* Humilis enim fuit Virgo hæc glorioſa ſuper omnes creaturas, ideo Deus preces eius non ſpreuit, quinimo orationem eius audiuit, quæ continuis lachrymis & gemitibus mundi redemptionem poſtulabat, & ex ea carnem aſſumere, & paſſibilis naſci dignatus eſt. Oremus igitur dilectiſſimi Deum, in his quæ ad ſalutem animæ noſtræ pertinent corde humili, mente pura, & charitate perfecta: & ſic fiet, vt conſequamur in præſenti gratiam: & in futuro gloriam.

Cant. 6. *Luc. 1.*

CONCIO SEXTA.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo in terram aſpexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt ſolueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hieruſalem.

NEMO

NEMO eſt qui dubitet, veterem illam legem vmbram & typum legis gratiæ fuiſſe. Vaticinia omnia antiqua prædictioneſque, & quidquid in lege illa geſtum eſt, ad ætatem noſtram refertur. Quare congruum maximeque decens fuit, vt ſumma cura, & diligentia omnia illa typis mandarentur. Fuit enim vetus tempus illud Patrum, quædam futurarum rerum vmbra & imago, ad veritatem Euangelicam ordinata. Et quemadmodum architectus templum aliquod ſiue domum ædificaturus prius illud in pariete, vel papiro carbone delineat, *primero haze vn borrador y vna traza*, quàm fabricam ipſam conſtruere incipiat: ſic Deus conſtructurus Eccleſiam prius illam in Synagoga & eius geſtis voluit depingere & adumbrare, iuxta illud ad Hebr. 10. *Lex vmbram habet futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*, Quod explicat D. Chryſoſtomus in hunc modum, id eſt, vmbram habet veri ſacrificij, & redemptionis per Chriſtum, non autem viuam rerum imaginem & expreſſam veritatem. Vnde ſicut adueniente Sole, vmbræ ceſſant & fugiunt: ſic adueniente Chriſto iuſtificationis noſtræ Sole, omnia illa legalia ceſſauerunt. Quod videtur innuere ſponſa ſub illis verbis, quæ cap. 2. Cant. habentur: *Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Delectabatur quidem Deus, & quaſi paſcebatur ante eius aduentum, inter lilia & flores figurarum & ſacrificiorum veteris inſtrumenti (flores enim erant qui virtualiter in ſe fructum continebant gratiæ) quomodo læta gaudet ſponſa: at paſcebatur ſolùm, donec aſpiraret dies Euangelij, & vmbræ figurarum inclinarentur: quia lex illa non perpetuò erat duratura. Adumbrata fuit Synagoga in Agar, quam propter inobedientiam Abraham cum filio ſuo de domo eiecit, quæ cùm in ſolitudine erraret, aqua defecit ei. Sic miſera Synagoga propter contumacem inobedientiam de domo Dei eſt eiecta, quæ erat in ſolitudine, quia à Chriſto qui de ſeipſo inquit: *Ego ſum via*, deuiauit, cui deficit aqua gratiæ & doctrinæ; loco cuius Eccleſia Gentium introducta eſt, vt diuitiis ſupercœleſtibus ditaretur. Quod & in illa benedictione, quæ habetur Geneſis 9. ſignificabatur: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Ex Iaphet deſcendunt Gentiles, & ex Sem Iudæi, & quoniam Gentilitas multò maior futura erat, quàm populus Iudaïcus, voluit Deus, vt per Iaphet ſignificaretur. Significat enim Iaphet latitudinem: quare innuit his verbis, quod reiecto Iſraële, ſcriptura & vera

Lex antiqua vmbra & typus gratiæ.

Hebr. 10

D. Chryſ.

Cant 2.

Gen. 21. *Figura.*

Gen. 9. *Figura.*

Digitized by Google

vera Dei cognitio in gentibus remanſura erat. Et ita hunc lo-
Euripid. cum Eucherius interpretatur. Quid enim fuit Moyſem pro-
Exod.32. pter populi idololatriam tabulas legis in petra confringere,
Figura. niſi in typo,& figura nobis oſtendere, quòd lex illa in Chri-
Sibilla. ſto angulari petra, erat finienda? Quod & Sibilla Libica,cu-
Eurip. ius meminit Euripides in Lamiæ proœmio, & Lactantius
Lactant. 4.libr. diuinarum inſtitutionum, cecinit & prædixit, ſic in-
Simile. quiens: *Ecce dies venient, & illuminabit Dominus denſa tenebrarum, & ſoluetur nexus Synagogæ.* Quid clariùs dici potuit? Soluetur, inquit, nexus Synagogæ. Quando ædificium
Legalia ceſſaſſe. aliquod conſtruitur, quamplurimæ machinæ eriguntur,ſuper quibus ædificium quouſque perficiatur, fundetur ne corruat: quæ machinæ cimbriæ vulgo appellantur, fiunt inſuper & tabulata ex lignis & tabulis funibus connexa: at poſtquam fabrica ſtabilita & conſtructa eſt, omnia tabulata ſoluuntur, & omnes machinæ ſuperpoſitæ ad terram proſternuntur: ſic nimirum antiqua illa lex cum omnibus ſuis ſacrificiis, ritibus,& ceremoniis, quaſi machina quædam erat & cimbria(vt ita loquar) ſuper quam Eccleſiæ faſtigium erat erigendum:at poſtquam in Eccleſia ædificata eſt, omnia illa ceſſauerunt factáque ſunt mortifera.

Hinc colligitur, quod cùm vetus illa lex, noſtræ legis Euangelicæ typus fuerit & vmbra, & hæc ad veritatem per illam ſignificatam ordinentur, quod omnia, quæ in lege ſcripta fuerunt per Prophetas, magis ad nos quam ad populum illum pertineant: *Omnia enim quæ ſcripta ſunt,* inquit Diuus
Cant.1. Paulus, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Et Sponſus Eccleſiam alloquens, inquit: *Similitudines aureas faciemus tibi ſponſa.* Sic namque legit Origenes. Quidnam ſunt ſimilitudines aureæ quæ Eccleſiæ factæ ſunt; niſi veteris teſtamenti figuræ & metaphoræ, quibus Prophetæ paſſim vtuntur? His enim velut quibuſdam ornamentis aures Eccleſiæ adornantur, quando Scriptura ſacra fidelibus proponitur, & prædi-
Doctor Incogn. Pſal.77. cantur credenda. Ad hunc ſenſum explicat Doctor Incognitus verba illa Pſalm. 77. *Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filijs ſuis, vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei.* Per filios, quorum gratia, beneficia, populo illi exhibita ſcribi iuben-
Origenes ſuper Cant. tur,filios Euangelicos intelligit & per generationem alteram generationem ex gentibus pro maiori parte collectam. Tractat hoc argumentum Origenes ſuper Cant. homil.2.vbi inquit,

quid,hoc autem factum indicat Paulus, cùm inquit : Hæc autem in figura contingebant illis, ſcripta autem ſunt propter nos,in quo finis ſæculorum deuenit. Sed ad rem deueniamus: poſtquam ſuperius Pſalmiſta ſub typo Hieroſolymitani templi reædificãdi, de ædificio ſpirituali Eccleſiæ ex Gentibus erigendo egerat, vbi Deus in majeſtate ſua per miraculorum claritatem & omnipotentiæ ſuæ oſtenſionem, erat videndus, cùm omnia hæc ad ſtatum gratiæ pertineant, ſubdit nunc: *Scribantur hæc in generatione altera.* Siue vt vertit ex Hebræo D.Hieron.*pro generatione nouiſſima,& populus,qui creabitur laudabit Dominum.* *D.Hier. ex Hebr.*

Scribantur hæc, &c. quaſi dicat: Populus hic ingratiſſimus eſt, neque Deo debitas gratias pro tot beneficiis refert, quare ſcribantur hæc pro generatione altera quæ futura eſt: vt populus qui conſurget ex ea,debitas mihi gratias agat. Sicut non patitur Deus aliquando opus noſtrum ſine remuneratione eſſe : ita neque,beneficium ſine gratiarum actione,quare ab ingratis beneficia ſolet auferre, vt aliis conferat, qui gratias illi tribuant. *Auferetur à vobis regnum Dei,*dictum fuit Iudæis, & *dabitur Genti facienti fructus eius.* Fuit enim populus ille Iudaïcus ingratiſſimus, & ideò regnum Dei ab eo fuit ablatum. Verba illa quibus in eos per Iſaiam inuehitur capite 1.ad ingratitudinem pertinent : *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognouit.* Comparat Iudæos cum animalibus ſtolidioribus,& quæ minus inter omnia, beneficia recognoſcunt : & hæc, inquit, grata fuerunt, & poſſeſſorem ſuum agnouerunt,quod adimpletum eſt iuxta Chryſoſt.in natiuitate Chriſti : at populus meus ingratiſſimus,& his animalibus inſipientior,me Deum ſuum non agnouit.Hac eadem ingratitudinis nota aduruntur per Pſalmiſtam Pſalmo 77.Qui poſtquam beneficium latæ legi recenſuit cum omnibus aliis mirabilibus, quæ in illo Pſalmo continentur,ſubdit. *Et obliti ſunt benefactorum eius, & mirabilium eius quæ oſtendit eis*, obliuio illa ingratitudinem maximam ſignificat. Sicut Seneca libro 2.de beneficiis latè probat, vbi diſputationem longiſſimam de hac materia cum Eburtio amico ſuo habet. Qui Eburtius cùm tales non ingratos,ſed oblitos vocaret,tanquam ea res ingratum excuſet,quæ facit, ipſe contra probat, quod obliuio peſſima ingratitudinis ſpecies ſit, vnde ſic diſtinguit de ingratis, ingratus eſt, qui beneficia ſe accepiſſe denegat quæ accepit, ingratus eſt ille qui diſſimulat, ingratus eſt qui

Odibilis Deo ingratitudo. *Matt. 21.* *Iſai.1.* *Chryſoſt.* *Pſal.77.* *Seneca lib.2.de beneficiis.*

Digitized by Google

qui non reddit: ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Quod probat, quia alij qui ſunt memores beneficiorum, licèt non reddant: ſentiunt tamen in animo ſe eſſe debitores, & poſſunt ex facili occaſione ad reddendum induci: vt ergo Iudæos maximæ ingratitudinis notaret, inquit: *obliti ſunt benefactorum eius.*

Aptiſſimus hic locus eſt ad aliquid de gratiarum actione, & de ingratitudine ſibi oppoſita agendum. Eſt enim gratiarum actio naturalis, vnde inuitamur ab ipſa natura, ad mutuam beneficentiam & gratitudinem. *Simile.* Sicut enim conchę hauſtum prius maris humorem euomũt, ita & illi qui beneficium acceperunt, illud refundunt in auctores. Terra ſi bene culta, ſtercorata, & apto tempore ſemine cõſperſa fuerit, tanto vberiorem fructum dabit. *Simile.* Et bruta domeſtica tantò maiorem referunt vtilitatem, quantò non eis defuerint pabula, & quęcumque fuerint eis ad victum neceſſaria, quod ſi irrationales creaturæ tributa Dominis ſuis pendunt, & acceptum agnoſcunt beneficium, quantò magis nos in Deum bonorum omnium auctorem gratos eſſe conuenit, alioquin *ſpes ingrati,* vt dicitur *Sap.16.* Sap.16. *tanquam hibernalis pruina tabeſcet.*

Hinc fit, quod ſancti illi Patres veteris teſtamenti cùm beneficium aliquod à Deo recipiebant, ſtatim vel verbis, vel operibus gratias illi pro accepto beneficio referebant. *Gen.12.* Geneſis cap.12. cùm promiſiſſet Deus Abrahæ, quod ſemini illius terram illam Chanaam eſſet daturus: ſtatim ſubdit ſacra Scriptura, quòd *in gratiarum actionem ædificauit ibi altare Domino.* *Gen.28.* Iacob etiam, vt refertur Geneſ.28. in eodem loco vbi viſio illa ſibi monſtrata fuit, quando ſcalam vidit vſque ad cœlum pertingentem, & Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes, *erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper.* Alia litera habet: *Pro incarnatione.* *Tulit lapidem & poſuit in ſtatuam.* Non aliquod Idolum intelligas. Cùm hoc in lege prohibitum fuerit, ſed exiſtimo lapidem illum eleuatum & erectum ſtatuam appellari, quia ſicut ſtatua aut idolum facit nos deuenire in cognitionem rei illius quam repræſentat: ſic lapis ille erectus incarnationem Verbi Dei, quæ in illo loco fuerat ei promiſſa, repræſentabat, & in illius cognitionem & beneficij memoriam ducebat. Et ideò locus ille domus Dei ab eo appellatur, non quidem quia ibi fuerit templum ædificatum, ſed quia ibi frequenter pro hoc beneficio, gratias Deo agebat. Erexit ergo illum lapidem quaſi promiſſionis teſtem, vt illum ſemper tanti beneficij admoneret. Nati ſunt Ioſeph in Ægypto duo filij, vt habetur

betur Geneſis capite 41. quorum alterum vocauit Manaſſem, qui obliuio interpretatur, dicens: *Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum*, alterum vocauit Efrain, dicens: *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Filios quos ſemper præſentes habiturus erat nominibus beneficia referentibus inſigniuit, vt beneficia ipſa ab eius memoria nulla poſſet delere obliuio. Viſis enim filiis ſtatim beneficij recordabatur, & pro illo gratias Deo agebat. Gen. 41.

Quod ſi ſancti illi Patres tam gratum animum pro beneficiis acceptis oſtendebant, quid nobis facere conuenit, quibus maiora collata ſunt beneficia? pro quibus Deus ipſe ſanguinem ſuum in cruce pendens fudit, vt filij Dei nominentur & ſimus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſumus? Certè beneficiorum magnitudo vires noſtras ſuperat, neque pro illis debitas Deo gratias exoluere poſſumus. Sed & hoc cognoſcere grati animi indicium eſt. Vnde Dauid fatebatur: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vbi ab verbum ex Hebræo ſic verti poteſt, vt Titelmanus adnotauit: *Cuncta retributiones eius ſuper me.* Quaſi dicat: Obruor, quaſi immenſis & innumeris eius beneficiis: excedunt enim facultatem virium mearum, vt pro eis debitas Deo gratias exoluere poſſim. Hoc ipſum Chriſtianus animus coram diuina majeſtate genuflexus, quotidie fateri debet. Quid retribuam tibi Domine pro innumeris tuis beneficiis? qui me de nihilo creaſti, & ad imaginem tuam feciſti, qui cum morti propter originale peccatum & alia quæ ipſe commiſiſſem eſſem addictus, me tuo precioſiſſimo ſanguine redemiſti, & pro me acerbiſſimam mortem tuliſti? qui me ad agnitionem veritatis Euangelicæ venire voluiſti, & luce Euangelica illuſtraſti? O quantum grato animo Deus delectatur, nihil enim illi iucundius aut gratius eſſe poteſt, ſicut nihil ingrato deteſtabilius. Qui Lunæ perſimilis eſt, quæ cùm beneficium lucis à Sole recipiat illi ſemper ex aduerſo opponitur, lumen eius obſcurat & eclypſat: ſic ingratus in Deum inſurgit, & gloriam illi debitam perſoluere contemnit. At gratus animus valdè Deo placet & in delitiis habetur, Leuitici ſexto præcipiebat Deus: *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies.* Quod præceptum ſi de altari & igne materiali intelligatur, fortaſſis alicui ſuperuacaneum videbitur, cùm ſacrificia & holocauſta non ſemper, ſed ſtatutis horis offerantur, præſertim cùm Hebræorum ſit traditio quòd

Pſal. 115. Titelm. Simile. Leuit. 6.

Digitized by Google

In corde noſtro ſẽper ardere debet ignis diuini amoris. quòd ignis ille inextinguibilis erat. Ad quid ergo ligna erant ſubiicienda? Quidquid de litera ſit ad ſpiritum nos conuertamus. Altare in quo ignis diuini amoris ardere debet ſemper, cor noſtrum eſt, vt ergo ignis iſte non extinguatur, ligna ſubiicienda ſunt, Dei ſcilicet beneficia, quorum conſideratio cor noſtrum valdè accendit, iuxta illud Pſalmiſtæ. *Et in meditatione mea exardeſcet ignis*, hoc namque ſacrificium gratiſſimum
Pſal.38. Deo eſt, in tantùm quod dicat Hermes Triſmegiſtus libro qui
Hermes Triſmeg. Logoſtelios dicitur circa finem, quod non eſt conueniens Deo thus vel myrrham incendere & ſic eum adorare, ſi non gra-
D.Aug. tias agentes adoremus, & D. Auguſt. in Epiſt. ad Marcellinum ſcripta, inquit: quod nihil melius decere poſſumus, quàm Deo gratias. Quid, inquit, melius vel animo geramus, vel ore proferamus, vel calamo ſcribamus, quàm Deo gratias?

Vel hoc vnum inter, alia ad gratitudinem animi, deberet nos inducere: quòd ſicut ab ingratis aufert Deus ſua dona & beneficia: ſic è conuerſo gratis maiora confert. Vnde eſt quod inquit Diuus Auguſtinus in meditationibus, & refertur à Diuo
D.Aug. Bonauentura l.4. pharetræ, capite 31. Gratias agamus de acce-
D.Bona. ptis, & quod nondum accepimus, eo ipſo quod de acceptis in-
D.Bern. grati non ſumus, nos accepturos eſſe confidamus, & Bernard.
Eccl.c.1. ſuper Pſalmum, Qui habitat. Confitenti humiliter, & deuotè gratias agenti, non immeritò ampliora beneficia promittuntur, nam *qui fidelis inuenitur in modico, iure conſtituitur ſuper multa, ad locum enim vnde exeunt flumina gratiarum, reuertuntur, vt iterum fluant*. Pſalmus, 102. qui incipit: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius*, ſic inſcribitur: *Pſalmus ipſi Dauid*, quaſi dicat, nihil magis illi expedire, quàm retributiones & beneficia Dei non obliuiſci, ſed illa ſemper in memoria habere, vt propter gratiarum actionem, maiora ſemper illi conferantur. Narrat Solinus de mirabilibus mundi referẽte Holcoth ſuper ſapientiam, lectione 19.5. quòd in Aleſa regione eſt fons quietus qui ſcaturit ſemper, & intra riuos ſuos manens, niſi ad cantum citharæ vel tibiæ: quia ſtatim ad ſonitum melodiæ intumeſcit, & alueum ſuum excedit. Deus fons perennis bonitatis eſt: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Fons hic gratiarum, manare nunquam deſinit, ſed perpetuò fluxu in ſuas creaturas per beneficiorum communicationem diffunditur: qui tamen tantùm gratiarum actione & læta beneficiorum memoria delectatur, quòd mirum in modum exuberat, & maiora ſemper beneficia gratis communicat.

Sed

Sed quid mirum fratres, quod aliquando Deus temporalibus beneficiis nos priuet, ſalutem auferat, & fructus terræ deneget, cùm illius largitati ingratiſſimi ſimus? qui hæc eadem quæ ad diligendum eum deberent nos prouocare, inſtrumenta facimus & arma ad illum offerendum: ſicut ingratus ille populus quem eduxit Dominus de Ægypto, qui ex auro Æpyptiorum, quod illis Deus conceſſerat, cum illis diſpenſando vt ab Ægyptiis ſurriperent, idolũ fecerunt ad idololatrandum, & mutauerũt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Salus enim nobis cõceditur ad ſeruiendum Deo, diuitiæ ad vitæ neceſſaria, pauperibúſque ſubueniendum, honores & magiſtratus ad iuſtitiam admiuiſtrãdam, & ex his omnibus idolum fabricamus, & armis quæ à Deo accepimus, illi bellum inferimus, hæc eadem in offenſam eius ordinando. Quare nobis dictum eſſe videtur illud Oſeæ 2. *Ego dedi eis frumentum & vinum & oleum, & argentum multiplicaui eis, & aurũ qua fecerunt Baal.* Ne ergo ingratitudinis arguamur, diuitias & quidquid aliud, ſiue ſpirituale, ſiue temporale de manu Dei accepimus, in eius gratiam expendamus & adminiſtremus, ad memoriam beneficia nobis collata quotidie reuocando. Ideo namque mirabilia quæ patribus fecit ſcribi voluit, & perpetuæ memoriæ mandari, ne obliuioni traderentur, vt hinc diſcamus beneficiorum eius non obliuiſci, ſed pro omnibus inceſſabiles gratias illi agere. *Scribantur hæc*, inquit, *pro generatione futura, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Oſea 2.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, &c. Hoc verborũ ſchemate incarnationem Verbi Dei ſignificat iuxta ſanctorum patrum interpretationem, quia tunc humaniter & benigniter de cœlo diuinitatis ſuæ in terram noſtræ mortalitatis aſpexit, ad noſtras miſerias ſubleuandas, quando naturam noſtram, paſſibilem aſſumere dignatus eſt. Quæ aſſumptio viſio iure optimo appellatur: Quia viſio ſecundum Philoſophum, non fit extra mittendo, ſed intra mittendo, non enim oculus ab obiectum, ſed obiectum ad oculum trahitur. Sic fuit incarnatio, quod non Deus extra ſe exiit, ſed potius naturã noſtrã per aſſumptionem ad ſe traxit. Oculi Dei & eorum reſpicere ferè ſemper in ſcriptura ſacra miſericordiã ſignificant. Habẽt enim oculi cum miſericordia quaſi neceſſitudinem, quandam, vnde aiebat Iob. *Nunquid oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo & tu vides?* quaſi diceret; Si oculi carnei aut humani tibi eſſent, non mirum, quod labores & afflictiones meas cernens

Incarnatio. *Philoſop.* *Per viſũ Dei omnia bona ſignificãtur.*

Digitized by Google

mihi opem non ferres, neque ad miſericordiam flecteteris: at oculi carnei tibi nõ ſunt, ſed diuini, qui ſtatim viſa miſeria, ad compaſſionẽ mouentur: quare ergo viſis tot calamitatibus & afflictionibus, ad miſericordiã non moueris? In Daniele. c. 10. dicitur de Deo inter alia, quòd *oculi eius quaſi lampas ardens.* Lampas ſine oleo ardere non poteſt, oleo accenditur & oleo fouetur: ſic diuinæ illius maieſtatis oculi, oleo miſericordiæ valdè delectantur. Nihil illis iucundius, aut naturalius, quã ad miſerendum reſpicere. Quare Dauid dicebat, Pſal. 118. *Aſpice in me, & miſerere mei.* Sciebat enim quod vnũ ad aliud conſequi ſolet. *Porque el mirar de Dios, ſuele ſer lance cierto de ſu miſericordia.* Vidit Deus afflictionem populi ſui quam in Ægypto patiebatur, & ſtatim ad miſericordiam motus eſt: vidit hominem ſedentem in Teloneo Matthæum nomine, & eum ad Apoſtolatũ vocauit: vidit hominem cæcum à natiuitate, & illum à cæcitate ſua curauit: vidit Petrum & aſpexit illum, & egreſſus foras fleuit amarè. Quod ſi oculi Dei miſericordiæ nota ſunt, & inter omnia miſericordiæ opera incarnatio culmen obtinet, rectè per ipſius Dei intuitum ſignificatur, cùm dicitur. *Reſpexit Dominus de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit*, &c. Hoc autem amplius confirmari poteſt, ex viſione quadam mirabili Zachariæ oſtenſa. Poſtquam illi incarnationem verbi Deus promiſit, ſub illis verbis: *Ecce enim ego adducam ſeruum meum Orientem*: vt myſterij huius ſymbolum aliquod illi oſtenderet, lapidem coram eo præſentauit, ſuper quem ſeptem erant oculi: & cùm difficile videretur oculos illos ſeptem in lapide duriſſimo collocare, quaſi difficultati reſpondens, ſubdit: *Ecce ego celabo ſculpturam eius.* Quaſi dicat: Ego cuius potentiæ omnia obediunt, cuius ſapientiæ nihil difficile, ero huius rei artifex. Et ſeptem iſtos oculos in duriſſimo hoc lapide collocabo. Suppoſito quod ſuperius diximus, quòd in hoc loco de incarnatione Verbi agitur, non difficile erit viſionis huius Sacramentum explicare. Per lapidem humanitas Chriſti intelligitur: eſt enim lapis ille abſciſſus de monte ſine manibus, de quo Danielis. 2. agitur, de quo etiam Iſai. capit. 28. inquit. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem probatum pretioſum*, & Pſalm. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, factus eſt in caput anguli.* Per ſeptem verò oculos. D. Gregorius ſapientiam increatam intelligit. Verbum ſcilicet Dei: & inter Ægyptios, per oculum Deum intelligebant (vt inquit Orus Apollo.) Eſt enim

Deus

[Margin notes: Dan. 10. — Pſal. 118. — Exo. c. 2. — Math. 9. — Io. 9. — Math. 26 — Zach. c. 3. — Dan. 2. — Iſa. 28. — Pſal. 117. — D. Greg. — Orus Apollo.]

Digitized by Google

Deus immortalitatis oculus, qui omnia intuetur & contemplatur, neque eſt aliquid, quod eius intuitum poſſit effugere. Quin & ſeptenarius numerus, ſi Philolao credimus (vt ſuperiùs dixiſſe memini) hierogliphicum Dei eſt, & quia Prophtæ numerum hunc Deo dicatum agnoſcebant, multoties in efficiẽdis miraculis, hoc numero vtebantur, quaſi profitentes, quòd non in propria virtute, ſed Dei illa efficiebant. Septies, præcipitur Ioſue, vt cum omni multitudine exercitus ciuitatem Hierico in ſeptem diebus circumeat, vt muri Hiericuntini corruant. Septies præcepit Helias famulo ſuo, vt verſus mare aſpiceret tempore ſiccitatis magnæ, vt contemplaretur, an aliquod pluuiæ eſſet ſignum: ſepties denique Naaman præcipitur in Iordane lauari, vt à lepra ſua mundus euaderet. Non ob aliud, vt exiſtimo, niſi quia numerus ille ſeptenarius, diuinitatis erat ſymbolum. Quid ergo ſeptem oculi ſuper vnam petram, niſi diuinitas ſuper humanitatem adumbrabat? Quod ſi oculi ſuper lapidem, Deum hominem factum ſignificat, reſpicere aut videre Dei, Deum ipſum incarnari & hominem fieri, proculdubio ſignificabit. Et hinc luce clarius conſtat, quare Abrahamus montem illum, in quo filium ſuum ſacrificare iuſſus eſt, montem viſionis ſiue montem in quo Dominus videbit, appellauit: nimirum quia in illo facto, quãdo loco filij arietem iugulauit: intellexit, quod Deus homo factus, in illo eodem loco, pro ſalute hominum erat moriturus: quod ſummum opus miſericordiæ fuit, & ideo videre Dei illud appellat, ad hoc enim, *Deus de excelſo ſancto ſuo aſpicit, vt hominem redimat & noſtri miſereatur.*

Septenarius numerus Deum ſignificat. *Philol.* *Ioſue.* *3. Reg.*

Vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios, &c. Ad hoc enim reſpexit de excelſo ſanctuario ſuper filios hominum, non vt veniret & iudicaret & perderet, ſed vt vinctis, & in mortis carceribus detentis opem ferret, & ianuam aperiret, copioſamque redemptionem conferret, ſicut illa Iſaiæ verba demonſtrant. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit me ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam & clauſis apertionem.* Pro eo quod in vulgari legitur *ad annunciandum manſuetis.* 70. legunt: *ad euangelizandum pauperibus*, poteſt etiam verti *ad euangelizandum humilibus.* Prædicabat enim Chriſtus coram humilibus & pauperibus libentius quàm coram ſuperbis & diuitibus: quare neque coram Herode miracula facere, neque coram Pilato loqui, aut de veritate prædicare voluit. Vt enim mercator prudens, non vult

Iſai. c. 61. *70. viri.* *Simile.*

Digitized by Google

otioſis & vanè curioſis merces ſuas oſtendere, ſed iis quos intelligit eſſe illas empturos, ſic Chriſtus apud eos concionabatur libenter,& faciebat miracula,quos videbat, eſſe ex his vtilitatem accepturos. Quare cùm verba Dei audimus non vana curioſitate, ſed ſumma deuotione, & humilitate, vt fructũ ex illis reportemus, debemus audire. *Vt mederer contritis corde.* Non omnibus medela promittitur,ſed verè contritis corde,id eſt, ſuorũ peccatorum, & criminum verũ dolorẽ habentibus. Quid enim proficit Chriſtus, quid ſanguinis eius fuſio, ſacramentorum medela,peccatori impœnitẽti?certè nihil. Neceſſe eſt cor noſtrũ per pœnitentiã conteri, vt medela ſui ſanguinis nobis applicata proficiat.Ezech. 9.dicitur:*Tranſi per mediã ciuitatem in medio Hieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentiũ ſuper cũctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius, & ſtatim iuſſit illi:vt his ſeruatis, cæteros interficeret.* Tau litera ex eius figura, crucẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti & paſſionẽ eius exprimit, quæ illis ſolum & ſalutẽ imprimitur, qui peccata ſua & aliena deflent, & ſic ab æternæ mortis faucibus eripiuntur:Cùm domus aliqua incendio flagrat,qui eam volunt à flammis eripere, ad aquas ſtatim confugiunt:ſic nos videntes animas noſtras flammis impiarũ cupiditatum flagrantes ad lachrymas decurrere debemus.Cordis contritio & pœnitentia commiſſi ſceleris ſacrificium aliquando nuncupatur.Inquit enim Pſalmiſta: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Sed dices quomodo contritio cordis ſacrificium dicitur,ſi quidem ſacrificium,& holocauſtum igne accenditur & crematur:contritio verò aqua contritionis fouetur & lachrymis deuotionis ſuſtentatur? O mirabile ſacrificium! ô inauditum miraculum!Quis non miretur ſi Ethnã cum Nilo,ignem cum aqua admiſceri cerneret? Mirabile quidem eſt hoc, lachrymarum ſacrificium in quo ignis charitatis, cum aqua lachrymarũ admiſcetur.Sicut in ſacrificio Heliæ de quo 3. Reg: 18. ſuper quod magnam aquarum copiam infundi iuſſit, vt euidentius eſſet miraculum, quod neque aqua ignem extingueret; neque ignis aquã exureret. Eſt in Gallia fons quidam frigidiſſimus,qui vt teſtatur Baptiſta Fulgoſius,cum aquis aliquando flammas ignis diffundit. Hoc circa cõtriti cordis fontem adimpletum cernimus, ex quo aqua lachrymarum cum charitatis igne admixta,promanat.Flagrat cor ardore charitatis, & per oculorum riuos magnam lachymarum copiam diffundit.Inquit inſuper Propheta:*Vt prædicarem captiuis indulgentiam,*

Simile.

Pſal. 50.

3.Reg.18.

Exemplum naturale.

Baptiſta Fulgoſius.

gentiam; & clauſis apertionem. 70. Sic habent, *& cæcis viſum.* Peccator namque qui vinculis peccatorum delectatur: cum illa rumpere poſſit, conuincitur eſſe cæcus: alioquin ſi cæcus non eſſet, duriſſima diaboli vincula ferre non poſſet. Rex Nabuchodonoſor qui diaboli figuram tenet in ſcriptura, prius Sedechiam luminibus priuauit, & ſtatim ferro onuſtum in Babilonicam captiuitatẽ duxit: ſic diabolus animam noſtram excæcat, & poſtea in captiuitatem redigit, ne miſeram ſeruitutem ſentiens, vincula ſua diſcindat. *4. Reg. 25. Peccator captiuus.*

Sed dices, quare peccata, voluptates & vitia, cùm ſuauia & dulcia nobis videantur, vincula & compedes dicuntur? Huic dubitationi reſpondet Diuinus ille Plato, qui muſa Attica appellatus fuit ab antiquis propter ſummam eius eloquentiam, & in dicendo ſuauitatem. 9. libr. de Republica, qui ex ſacris literis ſimilitudinem hanc videtur mutuatus. Ibi enim cùm dixiſſet, *nihil aliud eſſe peccare, quàm collo ſibi vincula circumdare, & ſe dedere captum aut prauis cupiditatibus, aut hoſti fœdiſſimo*, ſubjicit fabulam illam Eriphiſes, quæ ob torquem aureum Amphiaraum maritum prodidit. Illa, inquit, tunc, cùm maritum vendidit, ſe quoque captiuam vendidit, & collo ſuo aurea quidem, ſed tamen vincula, circumdedit, ita tu quoties, inquit, in te admittis crimen aliquod, nequiſſimo hoſti te prodis miſerum, aut annulo, collo reuincto, aut longo fune. Si quis, inquit, vt acciperet aurum, filium aut filiam, immaniſſimis & peſſimis in miſeram ſeruitutem venderet, an non crudeliſſimus eſſet, & ſtultiſſimus? quid? tu non ſtultior multo, & ſtolidior? qui partem tui diuiniſſimam, hoc eſt animam impientiſſimo & impuriſſimo domino vendis, vt expleas tuas libidines? non es inſanus miſer, miſeris modis, qui circundatis collo vinculis animam tuam in miſeram ſeruitutem hoſti tuo tradis? nec te illius miſereſcit, quis te miſerior? hæc Plato. Quare rectè peccatoribus Iſai. cap. 5. comminatur æternam damnationem, dicens: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis, & quaſi in vinculis plauſtri peccatum*: vbi Septuaginta edidere, *Væ qui trahitis peccata quaſi funiculo longo. Andays arraſtrando con vueſtros peccados.* Et quaſi iugi loro vitulæ iniquitatis. Quod adhuc magis explicat Ambroſij lectio ſuper illud Pſalm. 108. in illa verba; *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Qui legit, *vt loro iugi vitula iniquitatis.* Vitulum indomitum plauſtro, loris aut vinculis alligatum conſiderate, qui dum iugum à ſe excutere curat, ſe ipſum conterit & dilacerat, *Plato. Fabula. Simile. Iſai. 5. Septuag. Interpr. D. Amb. ſuper Pſ. 108. Simile.*

& in præcipitia proiicit, quouſque tandem conteritur & perit, ſic namque peccator duriſſimis peccatorum vinculis & conſtrictus, oneréque flagitiorum depreſſus, de peccato in peccatum prolabitur, quouſque ad inferni baratrum infœlix perueniat. Chriſtus ergo Redemptor noſter videns vniuerſum genus humanum peccatorum vinculis conſtrictum, miſericordia motus, venit in mundum, prædicare captiuis remiſſionem & clauſis apertionem carceris. Vnde Irenæus lib. 3. c. 10. Remiſſionem dabat his qui à peccatis capti erant. Soluebat enim eos vinculis, de quibus Salomon. *Reſtibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.*

Irenæus. *Prou. 5.*

Sed quis hîc non aduertat, quòd peccatores filios interemptorum appellat? *Vt ſolueret, inquit, filios interemptorum.* Hebræa habens: *Vt ſolueret filios mortis,* id eſt, mortuos. Peccator mortuus appellatur, quia caret gratia, quæ eſt vita animæ, Quod in Adamo primo noſtro parente patet, cui dictum fuit: *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris,* qui tamen non illico ſecundum corpus mortuus eſt, ſed mortuus eſt ſecundum animam per peccatum, quia diuinum mandatum fuit tranſgreſſus. Colligitur hoc ex Apoc. c. 21. vbi de animabus damnatorum agens, inquit Ioannes: *Erunt in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Vbi peccatum prima animæ mors appellatur, damnatio verò ſecunda: ex quo ſequitur: quantum vnuſquiſque noſtrum peccatum fugere deberet. Sicut enim naturaliter mortem refugimus, ſic & peccatum refugere deberemus, tanquam animæ noſtræ gladium. *Quaſi à facie colubri,* inquit Salomon, *fuge peccatum, & ſi acceſſeris ad eum, mordebit te* (vt aliqui vertunt) *Dentes leonis, dentes eius interficientes animas hominum.* Quis hæc audiens fratres non timeat, & ab omni genere peccati non abſtineat, quaſi à romphea bis acuta? Pro eo quod nos legimus, *Iraſcimini & nolite peccare.* Alij ex Hebræo vertunt: *Contremiſcite & nolite peccare.* Quibus verbis, non ſolùm peccati fugam, ſed etiam horrorem ac trepidationem fugæ, & pauorem quem ex peccati aſpectu concipere debemus Propheta adiungit. O quantum peccati horrorem conceperat D. Anſelmus, qui dicebat: Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem horrorem, & neceſſario vni eorum deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem. Mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm ſorde pollutus, cœlorum regna tenere, ideo igitur (vt ad rem deueniamus) peccatum comparatur morti, vt vel ſic illud fugiamus. *Vt ſolueret, inquit, filios interemptorum*

Peccator mortuus dicitur. *Apoc. 21.* *Peccatũ fugiendũ.* *Eccl. 21.* *Pſal. 4.* *Nota.* *D. Anſel.* *Anſelm.* *Diſsimile.*

ptorum, vel filios mortis, ſiue mortuos, quod idem eſt.

Vt annuncient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hieruſalem. Per Sion & Hieruſalem Eccleſia Catholica intelligitur, in qua omnium operum Dei gloria & laus eſt prædicanda. In omnibus Dei operibus vtilitas eſt & gloria, vtilitatem nobis liberaliter confert, ſed ea conditione, quod demus illi gloriam, & laudes pro collatis beneficiis illi referamus. *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Formaui mihi, inquit, non quia illo indigeam, ſed ad id ſolùm, vt propter mirabilia quæ fecero, laudem meam narret, & gloriam meam decantet. Rex Dauid vix aliquod beneficium de manu Dei acceperat, aut victoriam de inimicis reportauerat, quando citharam accipiens pſalmos & hymnos Deo canebat. Pſal. 39. ſic inquit: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Forſitan hic gratias agit Deo pro eo quod à profundo pelago peccatorum ſuorum fuit ereptus. Vnde Felix Pariſienſis vertit: *Et exaltauit me de puteo ſtrepitus,* vt per puteum ſtrepitus infernum intelligat, vbi ſtrepitus tormentorum & ſtridor dentium auditur. *Et ſtatuit ſupra petram pedes meos,* id eſt, in loco tuto collocauit, vbi nihil mihi eſſet timendum: *& immiſit in os meum canticum nouum carmen Deo noſtro,* id eſt, nouam mihi materiam ſuppeditauit celebrandæ prouidentiæ, ac miſericordiæ ſuæ: ſic nos vtique pro vniuerſis donis & beneficiis, quæ quotidie à ſumma Dei liberalitate nobis conceduntur, inceſſanter gratias agamus.

Omnia Deus facit propter ſuam gloriam.

Iſai. 43.

Pſal. 39.

Et licèt omnia beneficia Dei digna ſint gratiarum actione, illud in primis ad memoriam reuocandum eſt, quo nos de miſera peccatorum ſeruitute per mortẽ ſuam liberauit. Hoc enim maximum fuit amoris opus, ad quod omnia alia referuntur: & ideo magis ad memoriam reuocandum. In Cant. Sponſam alloquens Dominus, inquit: *Sub arbore malo ſuſcitaui te amica mea. Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Sub arbore malo, id eſt, ſimili arbori malo, in medio paradiſi exiſtenti, quæ arbor ſcientiæ dicebatur, id eſt, in cruce ſuſcitaui te meo ſanguine. Ibi corrupta eſt mater tua, id eſt, Eua falſis Dæmonis promiſſionibus decepta. In gratiam ergo tanti beneficij nihil aliud peto, niſi quod illius habeas memoriam, & me ſemper præſentem habeas interius & exterius, in corpore & corde: ne labe aliqua fidem qua mihi es conſtricta commacules, aut amorem imminuas, quo me hactenus es proſecuta. Et eo modo quo

Cant. 8.

Gen. 3.

Simile.

quis annulum ſignatorium ob recordationem inſerit digitis, quos & faciliime & ſæpiſſimè videt, eodẽ me tibi eſſe propoſitum cupio. Si tanta lætitia perfuſi ſunt Hebræi ex Babylonica captiuitate redeuntes, támque immenſas gratias egerũt pro libertate ſua, quid nos pro libertate, non corporum, ſed animorum, non carnis, ſed ſpiritus, non temporali, ſed æterna, agere tenebimur? Cecinit hoc Dauid Pſal. 125. dicens: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion facti ſumus ſicut conſolati: tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* Vbi nos legimus, *facti ſumus, ſicut conſolati*, in Hebræo eſt, *facti ſumus ſicut ſomniantes.* Quod ſic interpretatur Flaminius, id eſt, tãta erat lætitiæ magnitudo, eáque res tam nobis inopinata contigerat, vt ſomniare nos putaremûs, non re ipſa tanta voluptate ac iucũditate potiri. *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum*, id eſt, tunc laudes Deo ſumma exultatione decantauimus propter tantum beneficium acceptũ. Quod confirmat Paraphraſis Chaldaica, quæ loco illius, *facti ſumus ſicut conſolati*, vertit, *erimus ſicut infirmi qui conualuerunt.* Infirmus enim qui conualuit, & ſalutem iam aſſequutus eſt, ſtatim per gratiarũ actionem ad Deum ſe conuertit. O incomparabilis Deus omnium bonorum noſtrorum auctor, de cuius largiſſima manu tot tantáque beneficia accepimus: quas tibi Domine referemus gratias, qui nec referre beneficia ipſa ſufficimus? Tu enim de cœlo in terram aſpexiſti, humanam noſtram naturam aſſumẽdo, vt nos de domo carceris educeres, & de vinculis peccatorum ſolueres. Tu nos de perpetuæ mortis eripuiſti caſſibus, & in regnum filij dilectionis tuæ tranſtuliſti, & pro viliſſimis vermibus ſanguinem tuum in cruce fudiſti: maiora ſunt hæc beneficia, quàm quæ humano eloquio referri poſſint, fatemur noſtris viribus imparia eſſe, facultatémque animæ noſtræ incomparabiliter excedere. O memoria, omni memoria digna, ô beneficium ſingulare nulli obliuioni tradendũ, adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Si oblitus fuero tui Domine, obliuioni detur dextera mea. Non ſimus fratres mei chariſſimi tot beneficiorum ingrati, ſed ad memoriam per ſingulos dies illa reuocantes, ingentes gratias Deo noſtro pro illis agamus, & ſic fiet vt conſequamur in præſenti gratiam, & in futuro gloriam.

Pſal. 125.

Flamin.

CON

Digitized by Google

CONCIO SEPTIMA.

In conueniendo populos in vnum: & reges vt ſeruiant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nunciâ mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione & generationem anni tui.

OSTENSO iam ſuperioribus carminibus huius Pſalmi, quod ex Gẽtibus, & Iudæis Eccleſia vna ædificanda erat, quæ laudes Domino, pro acceptis beneficiis perpetuò decantaret, nunc quando hæc futura ſint aperit, dicens: *In conueniendo populos in vnum, & Reges vt ſeruiant Domino.* Quod clarius vertit D. Hier. Cùm congregati fuerint populi ſimul, & regna, vt ſeruiant Domino. Ad hoc enim diuerſa regna & diuerſarum gentium nationes, in vnum ſunt congregatæ, vt vno ore, vnoque animo Deum honorificarent, illíque deſeruirent. Quod iuxta votum Deo reſpondit in primitiua Eccleſia, *quando omniũ erat cor vnum & anima vna,* vt in Actis Apoſtolorum habetur. Hoc eſt quod Hier. Propheta vaticinatus fuerat: *& dabo eis cor vnum & viam vnam, vt timeant me vniuerſis diebus.* Et in Ezech. c. 11. literis mandatur: *Et dabo eis cor nouum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum.* Eodem ſpectat illud Oſeæ c. 1. *Congregabuntur filij Iſraël & filij Iuda pariter, & ponẽt ſibi caput vnum.* Per filios Iſraël & Iuda, populum Iudaicum & Gentilem, iuxta interpretationem patrum intelligit, qui in vnum per Chriſti mortem congregati ſunt: & addit, pariter, vt animorum & cordium vnitatem ſignificet. Vt enim Eccleſiam ſuam ſtabilem & firmam Chriſtus fundaret, eam vnitate voluntatum & animorum ſtabiliuit: quia vnitas hęc ſpiritualis, fortitudo eſt, & ſtabilitas omniũ rerum: Vnde eſt illud Boëtij lib. 4. de conſolatione Philoſophiæ. Noſti ne igitur quod omne quod eſt, tamdiu manere atque ſubſiſtere quandiu ſit vnum, ſed interire atque diſſolui pariter, quando vnum eſſe deſierit. Quod vtique comprobauit factũ Sciluri Scithæ, vt refert Eraſmus in ſuis apophthegmatibus lib. 5. Ille enim octoginta liberos maſculos habens: morti iam propinquus, faſciculum iaculorum ſingulis porrexit, iuſſitque rumpere, quod cum ſinguli recuſaſſent, eo

D. Hier. verſio.

Hier. 32.

Ezec. 11.

Oſeæ 1.

Vnitas & concordia animorum.

Boëtius.

Eraſmus in Apophtegm.

quòd videretur impoſſibile, ipſe ſingula iacula exemit, atq; ita confregit omnia, filióſque his verbis admonuit. Si concordes eritis, validi inuictique manebitis; contrà, ſi diſſidiis & ſeditione diſtrahemini imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Refert idem Eraſmus de Iſaco Sophiſta, quod Lacedemoniis periclitantibus, ac de ciuitate mœnibus cingenda conſultantibus, Homericum carmen recitauit:

Idē Eraſ.

Scutum haſit ſcuto, galea galea, atque viro vir.

Et adiecit. Sic mihi ſtate Lacedemonij, & muris cincti ſumus. Chriſtus ergo Eccleſiam ſtabilem & firmam, & quaſi caſtrorum aciem ordinatam fundaturus terribilem eam in vnitate animorum inſtituit. Vnde Matt. ait: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* vnitas enim animorum in charitate & dilectione conſiſtit, quia amor virtus vnitiua eſt, & glutinũ quoddam voluntatum. Quare D. Paulus dicebat: *Fratres obſecro vos vt dignè ambuletis in vocatione qua vocati eſtis, ſupportantes inuicem, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtra.* Vocationem noſtram appellat, qua vocati ſumus, vt nos inuicem diligamus, ſicut membra eiuſdem corporis ſe ſe diligunt. Pedes enim totius corporis machinam & pondus ſuſtinent, oculi pedibus lumen præſtant, manus cæteris membris præbent auxilium, & brachium pro defenſione ſui capitis periculo ſe exponere non dubitat. Sic enim nos cum eiuſdem corporis myſtici ſimus membra, alterutrum diligere debemus, ad inuicemque ſupportare. Ad hoc enim vocati ſumus, quod ſi ad inuicem non diligimus, vocationi noſtræ non reſpondemus. Et quod hæc fuerit vocatio noſtra ex eo conſtare poterit: nam cùm primum princeps ille pacis, qui nos vocauit ad fidem, mundum eſt ingreſſus, pacem per miniſtros & præcones ſuos prædicauit. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus* audiebatur. Et Dauid multo ante de eo cecinerat Pſal. 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna,* id eſt, toto tempore quo Eccleſia duratura eſt, quæ per lunam ibi ſignificatur. Inquit enim Greg. 17. Moral. c. 8. Quid per lunam niſi cuncta ſimul deſignatur Eccleſia? Quod præſagiebat vniuerſalis illa pax, quæ toto orbi tempore natiuitatis Chriſti data eſt, quando vaticinium illud Iſaiæ adimpletum exiſtimo, quod habetur capite ſecundo. *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falſes, non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltra ad pralium.* Et huius ſententiæ ſunt Euſebius de præparatione Euangelica, libro primo, c. 2. & Theodoretus in ſuis

Matt. 5. *Epheſ. 4.* *Simile.* *Luc. 2.* *Pſal. 71.* *D. Greg.* *Iſai. 2.* *Euſeb.* *Theodor.*

in ſuis ſuper Iſaiam commentariis. Tertullianus verò libro 3. aduerſus Marcionem ad pacem qua tenemur illam extendit. Et concident, inquit, machæras ſuas in aratra animorum nocentium,& linguarum infeſtarum, & omnes malitiæ ingenia conuertent in ſtudia modeſtiæ,& pacis, & non accipiet Gens contra Gentem machæram, vtique diſcordiæ, & non diſcent amplius bellare, inimicitias perficere. Ex quo inferre poſſumus fratres, quantum qui Euangelicam perfectionem profeſſi ſumus, ad pacis fœdera teneamur. Cùm ad hoc venerit Chriſtus, vt Iſaiæ capite 57. habetur: *Creati, inquit, fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè, pacem ei qui propè. Impij autem quaſi mare feruens.* Appellat pacem fructum labiorum, quia iratus homo ſtatim excandeſcit, & contra illum cui iraſcitur in verba iniurioſa prorumpit, & maledictis laceſſit. Impij verò huiuſmodi pacem non ſeruant, quin potius ſunt quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt, ſed hûc illûcque fluctuat, & ſine intermiſſione agitatur. Homo iratus mare quoddam eſt furibundum, in quo nulla pax, nulla quies, ſed ſumma animi perturbatio reperitur. Sed quemadmodum maris fluctus magni, & fremitu ſuo mare & terram perterrētes, cùm terram attingunt franguntur, & in littore in lutum conuerſi, pedibus tranſeuntium conculcantur: ſic potentes & huius ſæculi diuites, ſua tyrannide & potentia frequenter terram perterrent: at cùm ſepulchrum attigerint contemnentur, & pro nihilo potentia eorum habebitur, & hoc eſt quod ſubdit: *& redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* Quare vtraque manu conſilium illud Pſalmiſtæ Pſalm. 33. eſſet accipiendum: *Inquire pacem, & perſequere eam.* Idem enim ſtudium quod in perſequendo inimico apponere ſolemus, in perſequenda pace deberemus apponere. Si enim pax ab antiquis veluti Numen quoddam celebratur, qui fieri poteſt, vt Chriſti cultores, illam ſine ſcelere nefario contemnant? Refert Blondus libro 2. de Roma inſtaurata, fuiſſe quondam Romæ in monte Palatino, templum concordiæ dicatur, quod templum ſentit Suetonius, fuiſſe à Tiberio Imperatore conſtructum: tametſi alij contendant fuiſſe à Liuia Germanici matre ædificatum. Et propè montem Palatinum, vbi quondam via quæ ſacra dicebatur erat, fuit à Veſpaſiano Imperatore inſtauratum templum pacis, cuius ruinæ hodie apparent, oſtendentes ampliſſimi ædificij apparatum. De hoc templo D. Hieronymus in commentariis Ioëlis, inquit, Veſpaſianus & Titus Romæ templo pacis ædificato vaſa templi Hieroſolymitani, & vniuerſa donaria in delubro

Tertul. *Pacis cōmendatio.* *Iſai. 57.* *Simile.* *Pſal. 33.* *Blondus.* *templum pacis.* *Sueton.* *D. Hier.*

delubro illius conſtituerunt:quæ Græca & Romana narrat hiſtoria. Si igitur Gentiles tanto ſtudio pacem colebant quaſi numen aliquod in illa profitentes:quanto magis nos eam colere debemus,qui legem pacis & amoris colere gloriamur? Ad hoc enim Chriſtus Redemptor noſter duos populos in vnum collegit, & regna terræ per charitatem ſociauit: vt omnes vnanimes Deo ſeruirent, & concordes laudes illi dicerent. Quod &
Sophon.3. Sophonias Propheta,cap. 3. ſui vaticinij expreſſis verbis explicuit,dicens:*Tunc reddam populis labium electum,vt inuocent omnes nomen Domini, & ſeruient ei humero vno.* Loquitur de tempore ſui aduentus,vt ex literæ contextu manifeſtiſſimè patet,& promittit, quod tunc futurum eſt omnibus fidelibus labium electum,ſiue lingua vna vt Paraphra. Chaldeus vertit. Quod quidem cæci Hebræi ad tempus ſui Meſſiæ referunt, quando habebunt (vt ipſi dicunt) Hieruſalem auream, & omnes nationes ſubiectas,& vnum idioma in toto orbe terrarum,ſicut fuit ante confuſionem linguarum, quando erat vniuerſa terra labij
Gen.11. vnius, Geneſ. 11. Sed hæc ridicula ſunt & ſtultiſſima ſomnia, quare per *labium electum*,ſiue *labium vnum*, iuxta ſanctorum patrum interpretationem,vnius veræ fidei confeſſionem intelligere debemus. Nam in aduentu Chriſti ceſſauit idololatria,& toto terrarum orbe vnius veri Dei confeſſio recepta eſt. Vnde in Paraphraſi Chaldaica ſic habetur: *Conuertam in omnes gentes locutionem vnam electam.vt precentur omnes in nomine Domini.* Et ſtatim ſubdit:*Et ſeruient ei humero vno.* Quo verbo, & ſuauitatem legis Euangelicæ, & animorum concordiam mihi ſignificaſſe videtur. Suauitatem legis, quia humero vno, non duobus. Pro quo Septuaginta vertunt: *Vt ſeruiant ei ſub iugo vno.* In quo legem Euangelicam ab illa Moſaïca diſtinguere
Act.15. videtur. Illa enim grauis erat & obſeruatu difficilis. Sicut B. Petrus palam confeſſus eſt,cùm inquit, tantum fuiſſe illius pondus,quod neque ipſe,neque illius patres potuerint portare. At
Matt. 11. iugum Chriſti ſuauiſſimum eſt,& leue. Sicut & ipſe Matth. 11. confitetur: *Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris,iugum enim meum ſuaue eſt.* Tanta enim ſuauitate & leuitate conſtat,quod humero vno portari poſſit. Significat etiam,vt diximus animorum concordiam, ſumpta metaphora ab his qui ſimul humeros ſupponunt, ad onus aliquod portandum. Omnes enim vnanimes & concordes ad portandum iugum fidei in prædicatione Chriſti & Apoſtolorum conuenerunt. Quare inquit Pſaltes: *In conueniendo populos in vnum, & Reges,vt ſeruiant Domino.*

Reſpon

Digitized by Google

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ. Neque enim à ſpe ſua fruſtratus fuit, quin potius res pro votis illi reſpondit, quia populus ille ab eo electus. Eccleſia, ſcilicet, in primordiis ſuis, præcellenti ſanctitate fulgebat, & mira virtute erat prædita, ardentiſſimaque charitate adornata: licèt paulatim & ſenſim, ab illo ſplendore virtutum, & ſanctitatis gloria, aliquantulum deciderit. Vbi namque eſt illa martyrum conſtantia, & charitatis ardor, quibus tanquam ad epulas inuitati, ad martyria & ſanguinem decurrebant? Vbi Apoſtolorum paupertas, & mundi contemptus, quo terrena omnia vt ſtercora reputabant, vt lucrifacerent Chriſtum? Vbi confeſſorum indefeſſa conſtantia, qua per viam mandatorum Dei incedebat? Proh dolor, quàm rara virtus hiſce noſtris tẽporibus infidelibus reperitur, quàm pauci ſunt, qui toto mentis affectu Deum diligant, & debitum illi præſtent obſequium: *Omnes inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti: *Attenuabitur*, inquit Iſaias, *gloria Iacob, & pinguedo carnis eius marceſcet, & erit ſicut congregans in meſſe, quod reſtiterit, & brachium eius ſpicas leget, & erit ſicut quærens ſpicas in valle Raphain.* Quem locum licèt Procopius. Euſebius, & Diuus Hieronymus in gloria & Sacerdotio Iſraëlis intelligant, quæ in morte Chriſti attenuata ſunt, & elanguerunt cùm omnem vim amiſerint, & licèt hic ſit literalis ſenſus: tamen aliquo modo de Catholicæ Eccleſiæ gloria intelligi poſſunt hæc verba, quæ cùm ab illo antiquo charitatis feruore & ſplendore ſanctitatis aliquantulum exciderit, attenuata eſſe dicitur. Quare factus eſt Dominus, ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit, & ſicut quærens ſpicas in valle Raphain. Qui enim principaliter in agro metit, ſolet magnos manipulos meſſis colligere: at, qui tranſacta iam meſſe, ſpicas colligit, parum colligit. De hoc ergo conqueritur Deus, quod pauciſſimi ſunt in mundo qui ad eius manus perueniãt, reſpectu illorum quos Diabolus ſibi colligit, quòd non ſine ſanguineis lachrymis eſſet proferendum. Quia non reſpondemus ei, in via virtutis ſuæ, in via, inquam, mandatorum ſuorum, ſicut priſci illi Eccleſiæ Patres reſpondebant. Reſpondemus enim fide, ſed non operibus, quæ quidem reſponſio inſufficiens eſt. Reſponſio hæc, inquit Diuus Gregorius, non voce æſtimatur, ſed opere. Non enim reſpondent Domino qui vocati peruersè viuunt, qui poſt illud diuinum ſemen in terra rationabili ſuſceptum, ſpinas peruerſitatis, aut tribulos producunt nequitiæ, ſe qui in omni bono ſe aptantes, & de ſua

Pſal.13. *Iſai.17.* *Simile.* *D.Greg.*

Digitized by Google

ſua vocatione gratias Deo referunt, & fructum Deo centeſimum, vel ſexageſimum, aut etiam triceſimum, in cordis innocentia ferunt. Hæc fuit populi Iſraëlitici perditio, ideò ab eo regnum Dei fuit ablatum, & datum Genti facienti fructus eius, quia nimirum ſolùm cæremoniis, ſacrificiis & exteriori cultu Deo reſpondebat, ſed non ſanctitate & iuſtitia. Vnde per Iſaiam de vinea Iſraëlitica per manus eius plantata agens, inquit: *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruſcas.* Septuaginta tradiderunt: *Fecit ſpinas*, quod ad ſpineam coronam refert Tertullianus in libro aduerſus Iudæos, capite de claritate Gentium, & Cyprianus in expoſitione Symboli. Alij *vuas fœtedas* vertunt, vt oſtendatur quàm abominabilis fuerit Deo fructus illius vineæ, ex ſolo exteriori cultu conſiſtens. Quod verba illa Oſeæ confirmant, quæ habentur capite decimo: *Vitis frondoſa Iſraël, vitis frondoſa, fructus adæquatus datus eſt ei.* Hebræa habent: *Fructus inanis & vacuus.* Erat enim populus ille quaſi frondoſa vitis. *Como vna vid fanfarrona*, plena foliis & pampinis, tamen abſque vllo iuſtitiæ fructu. Extrinſeco virebat nitore, ſed intrinſeca virtute carebat, ceremoniis & ſacrificiis abundans, ſanctitate tamen & virtute carens, & ideò eradicata fuit & deſtructa. Quare fratres in alieno capite experimentum ſumentes, non ſola iuſtitia exteriori contenti ſimus, Miſſas & Conciones audiendo, Eccleſias frequentando, & cætera omnia quæ ad exteriorem cultum pertinent admittendo, quin potius charitatem, iuſtitiam, & interiorem animi virtutem amplectamur, in qua vera religio conſiſtit. Quid enim proderit ſi verbis tantùm exterius vocationi reſpondeamus, ſi operibus non reſpondemus? Quid verbo tenus obedire, ſi factis quaſi rebelles contradicimus? Apud Matthæum capite vigeſimo primo, refellit Dominus Phariſæorum ingenium, quorum iuſtitia in Solis verbis ſita erat, parabola quadam, quæ vtinam & inobedientiam noſtram non taxaret, qui verbis Deo obſequimur, ſed factis obſequi contemnimus: *Homo quidam*, inquit, *habuit duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili vade hodie operare in vinea mea, ille autem reſpondens, ait, nolo. Poſteà pœnitentia motus abijt: Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter, at ille reſpondens, ait: eo domine, & non iuit.* Qua parabola propoſita interrogauit illos: *Quis ex vobis videretur vobis voluntatem patris feciſſe?* Qui reſponderunt: *Primus.* Et tunc ſubintulit: *Amen dico vobis, quod publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Significauit Dominus hac parabola Phariſæos poſteriori filio eſſe perſimiles

Septuag. viri.

Opera neceſſaria.

Matt. 21.

perſimiles: qui licèt verbis & cæremoniis Deo exterius reſponderent, ſed non factis. Priorem verò populo Gentilico, peccatoribus per prædicationem Ioannis, & Apoſtolorum conuerſis: qui licèt in peccatis & inobedientia vixiſſent, tamen pœnitentia ducti conuerſi ſunt, & voluntatem Dei adimpleruut. At nos Phariſæis etiam ſimiles videmur, qui ſolùm verbis & exterioribus rebus Deo obedimus, ea quæ ad exteriorem Chriſtianitatis cultum pertinent adimplentes, cùm tamen ſint non pauci qui operibus contradicant, & cùm Curios ſimulent, Baccanalia viuunt. Sunt enim quaſi filiis Agareni ad fidem conuerſi, qui in foro Franciſcus appellatur, domi autem Mahometus, filia domi Axa, in platea verò Catherina. *Son Chriſtianos de complimento, o por mejor dezir, de miente complido.* Contigit enim illis quod Iudicibus, qui cùm regales literas accipiunt eas ore exoſculantur, capitique imponentes, ſe ad obediendum paratos eſſe profitentur, ſed quantum ad executionem, appellant, vel ſupplicant: ſic Euangelium Chriſti ore tenus profitentur, ſed opere exequi nolunt. Debemus ergo non verbis ſolùm, ſed operibus, ſed iuſtitia, & virtute Deo reſpondere. Sic namque Eccleſia in ſuis primordiis reſpondit, de qua dicitur: *Reſpondit ei in via virtutis ſuæ.*

Simile.

Simile.

Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Exiſtimo hanc vocem Dauidis eſſe, per apoſtrophen ad Deum ſe conuertentis, qui cùm de Eccleſiæ fortitudine, & aliis virtutibus, quibus Deo reſpondit verba faceret, exemplo eius accenſus, & ad ſimilia perferenda animatus, petit: *vt paucitatem dierum vitæq; breuitatem illi annunciet:* vt breuitate vitæ inſpecta facilius aduerſa quæque toleret, & proſpera ac delectabilia contemnat. Qui enim breuitatem præſentis vitæ conſiderat, nec blanditiis attrahitur, nec laboribus & cruciatibus terretur. Hæc namque conſideratio glorioſos martyres ad mundi voluptates contemnendas, & carnificum ac tyrannorum crudelitatem paruipendendam, fortes effecit? *Quouſque* (dicebant ſancti Martyres, quos ſub throno Dei Ioannes Euangeliſta vidit) *non vindicas ſanguinem noſtrum Deus noſter.* Et audierunt diuinum reſponſum: *Adhuc expectate modicum tempus donec impleatur numerus fratrum veſtrorum.* Modicum tempus appellat diuinum Oraculum, ſpatium præſentis vitæ. Nulla maior conſolatio afflictis, & perſecutionem patiētibus eſſe poteſt, quàm cōſiderare præſentis vitæ breuitatem, quæ citiſſimè finienda eſt, ac cum illa labores finem ſunt habituri. Vnus ex

Apoc. 6.

ſeptem

2.Mac.7. ſeptem fratribus Machabæis, qui pro Patriis legibus interfecti fuêre, inter cruciatus & verbera, in hæc verba prorupit: *Fratres mei modico nunc dolore ſuſtentato, ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt, tu verò iudicio Dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues.* Modicum dolorem appellat aliàs grauiſſimum, quia citò erat
Iſai.26. finiendus. Iſaiæ vigeſimo ſexto, populum alloquens, inquit: *Vade popule meus intra cubicula tua, & claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.* Deſumpta eſt metaphora ab eis, qui vrgente procella & tempeſtate domi ſe continent, donec tranſacta tempeſtate, tranquillitas adueniat. Vult Deus hac translatione ſuos conſolari & exortari ad patientiam, ne cadant animo, ſed afflictiones toleranter ferant. Et ideò, inquit, modicum & ad momentum calamitatem duraturam. Id etiam eſt quod Diuum Paulum conſolabatur, 2. Corinthiorum 4. *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue, tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Refert breuitatem pœnæ cum præmij æternitate, vt leuior appareat. Hinc eſt quod Dauid in medio perſecutionum & calamitatum, breuitatem vitæ præſentis ad memoriam reuocabat, vt conſideratione hac tolerabiliores redderentur. Et hoc eſt argumentum Pſalm. 38. *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me.* Loquitur de Semei qui maledictis eum laceſſit. *Obmutui, & non aperui os meum, ſed ſilui à bonis,* id eſt, vſque adeò inimici conuitia tuli ſilentio, vt linguam à bonis verbis ſimiliter ac malis prohiberem. *Et dolor meus renouatus eſt.* Hebraicè habetur: *Exaſperabatur dolor meus,* id eſt, ſilentium magis dolorē augebat: *Vnde concaluit cor meum intra me, & meditando opprobria hæc & conuitia ignis incendebatur. Quare locutus ſum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt: vt ſciam quid deſit mihi. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Hebraicè habetur: *Ecce tu conſtituiſti dies meos palmi longitudine, & ætas mea tanquam nihilum eſt coram te.* Sed ad quid ô Rex ſancte cùm de perſecutionibus tuis agis, ad breuitatem vitæ ſubitò ſermonem transfers? Nimirum quia nihil eſt, quòd labores & calamitates huius vitæ leuiores reddat, quàm eiuſdem vitæ breuitas conſiderata, & mortis memoria. Cùm ergò de laboribus naſcentis Eccleſiæ in præſenti ageret Pſalmiſta, dicens: Quòd reſpondit Eccleſia in via virtutis ſuæ duriſſima pro Chriſto perferendo, vt ſe ad ſimilia toleranda

Margin notes: 2.Cor.4. — *Præſens tribulatio breuis eſt.* — Pſal.38.

Digitized by Google

toleranda excitaret. petit,inquiens: ***Paucitatem,Domine,dierum meorum nuncia mihi.***

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum,&c.Obſecro Domine, ſi quidem anni tui ſunt æterni, ne reuoces me in medio vitæ meæ curſu, priuſquam ad metam conſtitutam perueniam. Hæc eadem fuit Ezechiæ oratio apud Iſai.38.quæ incipit:***Ego dixi in dimidio dierũ meorum, vadam ad portas inferi.*** Septuaginta habent:***In excelſo dierum meorum***, id eſt, in maiori vigore & robore vitæ meæ rapior, ad ſepulchrúmque ducor.***Quæſiui reſiduum annorum meorum.***Vatablus vertit: ***Priuatus ſum reſiduo annorum meorum. Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium***,id eſt,iam cõmoriar, non potero eius templũ adire,& illum viſere, neq; habitatorẽ quietis,id eſt, hominẽ quietè & pacificè in hoc mundo habitantẽ, vel aliter & melius ad mentémq; Sanctorũ patrum. Non videbo Chriſtum in lege promiſſum habitatorẽ quietis, id eſt, quãuis habitatorem mundi, ſed quietum & beatum. Dolebat enim Ezech.ſecundũ D.Hier. Auguſtin. & Ioſephum,li.10.c.3. eò quòd hæredem non relinquebat, ex quo Meſſias naſci poſſet. Quare ſubdit,***Generatio mea ablata eſt***,&c.Id eſt,in me finitur propagatio mea,quemadmodum tabernaculum, & tentorium paſtorum,cum aliò migrant, conuoluitur & complicatur:ſic ego ex hac vita migro, & generatio mea conuoluetur, cum ſine filiis diſcedã. Et quidẽ aptiſſima eſt tabernaculi ſimilitudo,quia,vt ait Iſichius in Leuit. li.6.in fine,citans hũc locum,præſenti ſeculo quaſi tabernaculo vtimur, quòd tempus vitæ ſit breuiſſimum:& ideo vitam, quam conuolutam & ablatam conqueritur, tabernaculum paſtorum appellat, quod nunquam fixum eſt diutius, ſed frequenter mutatur. Addit præterea, ***Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer ſuccidit me.*** Quaſi diceret:Veluti textor,ſi telam quam exorſus eſt texere, antequam ad finem perueniat reſecaret:ſic vita mea in medio curſu præciſa eſt.Ad eundem modum orat nunc Dauid,dicens:***Ne reuoces me,Domine,in dimidio dierum meorũ, antequam ad vltimũ vitæ meæ terminum perueniam.***

Iſa.38. *Septuag. interpre.* *Vatablus.* *D. Hier. Auguſt. & Ioſephus.* *Iſichius in Leui.* *Pſal.54.*

Vbi obſeruandum eſt,quòd ſolet Deus aliquando propter demerita & peccata hominum vitam illis abreuiare. Dicitur enim Pſal.54. ***Viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos.***Et Iob.c.15.de peccatore agens,inquit: ***Antequã dies eius impleantur peribit,& manus eius areſcet, lædetur quaſi vinea in primo flore.***Solet nãq; Deus peccatores,de quibus nulla pœnitentiæ ſpes habetur, præpropera & immatura morte mul-

Iob 15. *Deus abreuiat vitã peccatoribus obſtinatis.*

Digitized by Google

ctare. *Suele lleuarlo en agraz*, quando mortis magis obliuiſci videbantur: & tanquam ab indignis & ingratis halitum vitæ

Gen.6. Nota. repetere. Geneſ.6. Propter hominum peccata deleuit aquis diluuij omnem animam viuam, dicens: *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Et conſtituens tempus quo duraturus erat mundus, inquit: *Erúntque dies illius centum viginti annorum.* Super quæ verba Strabo inquit: Ante diluuium

Strab. centum & viginti anni homini ad agendam pœnitentiã conceſſi fuerunt, ſed quia in malitia perſeuerauerũt ante præfixum terminum centeſimo anno deleti ſunt. Explicat ad hoc propo-

Titel. ſitum Titelmanus verba illa Pſal.57. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viuentes, ſic in irã abſorbet eos.* Rhamnus genus quoddam eſt ſpinarum, quæ poſtquam creſcunt, ſunt veluti acutiſſimæ acus. Et cùm ſanctus Dauid ait, quod *antequã teneræ ſpinæ indureſcant, eas furor Domini conſumet & abſorbet*, perinde eſt ac ſi diceret: quòd Deus ſceleratis hominibus vitam breuiaturus eſt, ne deteriores fiant.

Paraphr. Chald. Quod confirmat Paraphraſis Chaldaica, quæ ſic habet. *Prius quàm impij teneri dureſcant ſicut ſpina, donec ſunt ſicut herba, tempeſtate & turbine deſtruet eos.* Quot enim in medio iuuentutis flore, quando vigebat ætas, & virgo naturalis robuſtior videbatur, quaſi poma cruda quæ vi ex arboribus auelluntur, ex hoc mundo, non ſine magna, & ipſorum triſtitia, & omnium admiratione, reſecantur: non ob aliud, niſi quia peccata ſua nolunt derelinquere, læduntur enim in primo flore, antequam ad maiorem duritiem perueniant. In quo miſericorditer & benigniter cum illis actum eſt, ne peccata peccatis addentes, grauius in inferno crucientur. Loco eius quod in

Gen.6. D. Hier. Nota. Oleaſt. vulgari legitur Geneſ.6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Hieronymus in lib. hebraicarum quæſtionum dicit, in Hebræo haberi: *Non iudicabit ſpiritus meus homines iſtos in ſempiternum, quia caro ſunt.* Quæ verba Oleaſter, vir vtique doctus & eruditione linguarũ præditus, ſic interpretatur. Quia fragilis eſt in homine conditio, non eos ad æternos, ſeruabo cruciatus, ſed hîc illis reſtituam quod merentur. Ex magna enim miſericordia Dei prouenit, quando aliquis in peccatis obſtinatus eſt, nec aliqua de eius conuerſione ſpes habetur: quod eum amplius non expectet, ſed illum de medio tollat, *ne iram in die vindictæ*, iuxta D. Pauli ſentẽtiam, *ſibi theſaurizet.* Qui amicum ſuum ludentem chartis pictis,

Simile. & iacturam pecuniarum facientem videt, conſiderans, quod ſi ludus diutius protrahatur, omnem pecuniã eſt amiſſurus, ſolet

lucernam

Digitized by Google

lucernam extinguere,vt ludendi finē faciat. In quo magnum illi confert beneficiū, ne quod ſupererat pecuniarum amittat. Non ſecus Deus, videns magnam peccatorum, quam faciunt iacturam:amittunt enim tempus quod pretioſiſſimum quidem eſt,inſuper & gratiā & ſupercœleſtia auxilia quibus in malum abutuntur,diuinis beneficiis minimè reſpondentes : quare lucernam vitæ de medio tollit:ne ſi illis longior viuendi curſus concedatur,in maiorem eorum damnationem cedat. Quando verò peccator obſtinatus non eſt, ſed de ſuis peccatis debitam ſatisfactionem facere intendit longiorem illi vitam ad pœnitendum liberaliſſimus Dominus concedere ſolet, quare orat Propheta noſter,dicens: *Ne reuoces me*,&c.

Sed dubitabis forſitan,quomodo Dauid vitæ longitudinem in præſentia poſtulet, cū viri perfecti potius vitæ diuturnitate grauentur,& illius prolongationē moleſtè ferant; Aiebat enim Helias ſub vmbra iuniperi plorans & ſedens *Sufficit mihi, Domine,tolle animā meā, neque enim melior ſum quàm omnes patres mei*. Patientiſſimus ille Iob mortē non ſemel deſiderabat, dicebat enim cap.7. *Nūquid mare ego ſum,aut cetus,quia circundediſti me carcere?* Carcerē corpus appellat, in quo anima quaſi quibuſdam compedibus vincta detinetur. Et paulò inferius, *Elegit ſuſpendiū anima mea & mortem vita mea, deſperaui,nequaquam vltra iam viuam*. D etiam Paulus aiebat: *Cupio diſſolui & eſſe cū Chriſto*. Sed & ipſe Dauid huiuſmodi deſiderium oſtēdebat Pſal.119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt,habitaui cum habitantibus Cedar*. Et Pſal.38. Notum fac mihi Domine finem meum,& numerū dierum meorū, vt ſciam quid deſit mihi:quomodo ergo nunc tam inſtanter longitudinem vitæ à Deo poſtulat? Aduerte,quod licet ſancti ardentiſſimo videndi Deum deſiderio teneantur, tamen quia ad hunc finem niſi per bona opera in gratia facta peruenire non poſſunt: hinc fit,quod præſentē vitam,quā ſibi habent exoſam deſiderent,& à Deo poſtulent, vt magis magíſque in Dei ſeruitio exerceātur. Quod adnotauit D. Greg. dicēs. Per dimidium dierū imperfectionē vitæ accipimus, in qua ſe fidelis quiſque nō reuocari de mūdi huius exorat exilio, ne ſi in die exitus ſui tranſitoriæ adhuc vitæ amore, occupatus fuerit:ad illā æternitatis vitam,tranſire minus poſſit. Itaque,tunc aliquis *non in dimidio dierum* ſed in vltimo vitæ ſuæ termino reuocatur,quando per viam mandatorum Dei incedens ad vltimam perfectionis metā peruenit. Cui expoſitioni cōſonat Hebraica veritas, quæ ſic habet: *Ne tollas me in medio curſu ætatis meæ.*

3.Reg.19.

Iob 7.

Philip.1.

Pſal.119.

Pſal.38.

Cur ſancti aliquā do vitam hanc ſibi protrahi orent.

D.Greg. ſuper hūc Pſal.

Veritas Hebr.

Digitized by Google

Perfectio vitæ noſtræ, quæ ad beatitudinem comparandam
1.*Cor.* 9. neceſſaria eſt, curſus à D. Paulo appellari ſolet. *Fratres neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus*
2 *Tim.*4. *accipit brauium, ſic currite vt comprehendatis.* Et de ſe ipſo verum ait: *Bonum certamẽ, certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita mihi eſt corona iuſtitiæ.* Curſus ergo ad brauium & coronam neceſſarius, perfectio vitæ noſtræ eſt, quæ in charitate & bonis operibus conſiſtens, ad ſalutem eſt requiſita. Quare ille *in dimidio dierum tollitur*, qui ad hāc perfectionem in Chriſto nondum peruenit: ille vero ad vltimam ſenectutem vitam protraxit, qui quamuis morte præuẽ-
Vita Dei ſeruitio debet expendi. tus ſit & in breui conſummatus, tamẽ expleuit tempora multa, virtutem & iuſtitiam amplectendo. Ex quo elicimus fratres, ad quid vita diuturna deſideranda eſt. Non vt libidini ſeruiamus & voluptati carnis indulgeamus, non vt auaritiæ, aut ambitioni, quibus anima fœdatur, operam demus: ſed vt Deo ſeruiamus & debitam de peccatis noſtris ſatisfactionem, antequam ex hac vita migremus, facere poſſimus. Vnde aiebat Iob 10.
*Iob.*10. exiſtimans morti iam appropinquare: *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meũ, antequã vadam & non reuertar.* Ille qui mortem tam ardenter optabat, modò aliquantulum vitæ à Deo poſtulat, vt poſſit peccata ſua plangere, & in virtutibus exerceri. Et Rex Ezechias in ſuo cantico dicebat, *Domi-*
*Iſa.*38. *ne, ſaluum me fac, & Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini*: indignus enim vita exiſtimandus eſt, qui non in diuinis laudibus, ſed potiùs in vitiis & peccatis malè viuẽdo ſe exercet. Quare dicebat Dauid Pſal. 58.
Pſal 58. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*, id eſt, quidquid in me virium, roboris, ſalutis, aut vitæ fuerit, tibi reſeruabo, Domine, quia de manu tua accepi, & tibi accepta referenda eſſe cognoſco. Act 9. dicitur de Thabita, quòd erat plena operibus
*Act.*9. bonis & eleemoſynis quas faciebat (quod vtinã de vno quoq; noſtrũ verè dici poſſet) & cum defuncta eſſet, rogabant quidã diſcipuli Petrum, quòd excitaret eam, & vt illum magis inclinarent, circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes quas faciebat illis. Quaſi dicerent, in hoc enim exercebatur viuens, & ad hoc nunc mortua cùm ſit, vitã illi exoptamus, vt in miſericordiæ operibus exerceatur. O clemẽtiſſime Deus, quomodo vitã nobis concedis? quomodo non potius à nobis eã repetis, qui tam nequiter & inaniter eã conſumimus? Trãſigimus enim vitę noſtrę curſum in vanitatibus & vitiis, carni & luxuriæ indulgentes, & opus Dei

reſpi

Digitized by Google

non reſpicimus, neq; ea quæ Ieſu Chriſti ſunt, quęrimus. Vtinã mihi feruor ille Prophetæ Iſaiæ adeſſet, vt cum illo hodie exclamare poſſem, & dicere: *Quare appenditis argentum & non in panibus? laborem veſtrum & non in ſaturitate?* Argentum eſt tempus vitæ præſentis & pretioſum aurum, quo æternam fælicitatem emere poſſumus: & tamen argentum hoc expendimus, non in panibus, ſed in rebus inutilibus. Nónne fatuus ac demens iudicandus eſſet homo, qui cùm fame periret, nec haberet niſi vnicum argenteum, illum in emenda pluma ad ornandum pileum expenderet? O homo ſtulte & inſipiens nónne tibi conſultius eſſet panem emere ad reficiendam famem? Id ipſum filiis huius ſeculi qui mundi vanitates ſequuntur, dicere poſſumus. Quare ſtulti & dementes appenditis tempus, rem quidem pretioſiſſimam, ſed non in panibus? non in neceſſariis ad ſalutem, quin potius in rebus inanibus & ſuperuacaneis, quę vobis ad ſalutem nihil proderunt: quæritis enim mendacium, & vanitatem diligitis, & de rebus ad ſalutem animæ pertinentibus cura vobis nulla eſt. *Redite ergo preuaricatores ad cor, & ſtulti aliquando ſapite:* nam vita quidem pręſens à ſanctis deſideratur, non vt viuant, aut voluptati vacent, ſed vt ſeſe ſanctitati & virtuti tradant, & ad veræ perfectionis culmen perueniant. *Ne reuoces me*, inquit Dauid, *in dimidio dierum meorum.*

Iſai. 55.

Simile.

Pſal. 93.

In generatione & generationem anni tui. Hoc vnum animaduerſione dignum eſt circa hæc verba, quod & D. Gregor. adnotauit, ſcilicet, quòd durationem noſtram diebus metitur, dicens: *paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, durationem verò Dei, annis: *in generatione*, inquit, *& generationem anni tui.* Vt hinc diſcamus quanta differentia ſit inter ſpatium præſentis vitæ, & futuræ. Vita namque præſens breuiſſima eſt, & ſtrictis limitibus coarctata; futura verò æterna, & nulla temporum ſucceſſione finienda. Fefellit namque Origenem ſua opinio, qui exiſtimauit beatitudinem in qua fœlicitas noſtra conſiſtit æternam non eſſe, ſed quaſdam alternationes poſuit (vt ſentiunt Beatus Auguſtinus, & Theophilus Alexandrinus) beatitudinis ad miſeriam, & miſeriæ ad beatitudinem: ita vt tranſactis aliquot annorum curriculis, animas beatas, dicat iterum in corpora mortalia reuerti, & in eis corporis moleſtias pati, & inde iterum ad beatitudinem euocari, & à beatitudine rurſum ad miſeriam deflecti. Quod quàm ſtultum ſit vel ex hoc apparet: nam quomodo animæ illæ beatæ eſſe poſſent, quæ de ſua beatitudine non ſunt

D. Greg.

Vita præſens cum æternitate cõfertur.

Carpitur Orig.

D. Aug.

Theoph.

Beatitudo æterna

ſecuræ? Si enim fœlicitas illarum aliquando deſitura eſt, ergo ſemper cum metu eſſent amittendi illam, quod cum beatitu-
Sap.5. dine ſtare non poteſt. Quare Sapient. dicitur: *Iuſti autem in perpetuum viuent & apud Dominum eſt merces eorum.* Quod ſi beatorum vita in videndo Deum conſiſtit, iuxta illud Saluatoris: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*: ſi aliquando ab hac viſione
Dan. 12. priuarentur iam eorum vita perpetua non eſſet. Danielis etiam 12. capite, ſic habetur: *Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro, & multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper, qui autem docti fuerint fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quid clarius de æternitate præmij dici potuit? Quod ſi anni quibus in illa patria futuri ſumus æterni ſunt, dies verò præſentis vitæ breues & pauci: quanta dementia eſt, pro hac vita, futuram commutare, quæ æterna eſt,
Pſal.61. & finem neſcitura? *Mendaces*, aiebat Dauid, *filij hominum in ſtateris*, quod quidem propterea dicit, quod corruptam habeant ſedem iudicij, inſtabilia namque eligunt pro ſtabilibus, mala pro bonis, temporalia pro æternis. Vtinam caduca hæc & temporalia recta bilance appenderentur, & in alia æterna & perpetua gaudia collocarentur, luce clarius appareret, quòd præ atena maris hæc pretioſiora & amabiliora ſunt. Appenderat
Rom.8. vtraque D. Paulus, qui dicebat. *Non ſunt condignæ paſsiones huius*
Auguſt. libr. de lib. arbit. *ſæculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quare D. Aug. de libero arbitrio inquit: Tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc eſt incommutabilis veritatis atque ſapientiæ, vt etiam ſi non liceret in ea amplius viuere, quàm vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ, pleni deliciis & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoque contemnerentur: Non enim falſo aut
Pſal.83. paruo affectu dictum eſt: *Quoniam melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Contemnamus ergo voluptates & delicias perituras & vaniſſimas huius ſeculi, & bona illa cœleſtia per æternitatem duratura, toto mentis affectu diligamus: vt conſequentes hîc gratiam, peruenire valeamus ad gloriam, &c.

***

CONCIO OCTAVA.

Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filij ſeruorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

SICVT nihil clarius & manifeſtius quàm Deum eſſe, quod creaturæ omnes teſtantur, & natura ipſa proclamat: ſic nihil obſcurius aut difficilius, quàm quid Deus ipſe ſit, inueſtigare & cognoſcere: quia cognitio hæc vires noſtras ſuperat & facultatem intellectus creati in infinitum excedit, propter improportionem quæ inter obiectum & potentiam verſatur. Quare à Propheta Iſai. c. 45. Deus abſconditus appellatur. *Vere,* inquit, *tu es Deus abſconditus ſanctus Iſraël.* De quo etiam Dauid Pſalmus 17. cecinit, quòd *poſuit tenebras latibulum ſuum.* Et licèt Diuus Paulus affirmet de illo, quòd *lucem inhabitat inacceſſibilem:* non tamen hæc inter ſe diſſident, vt Theodoretus & Theod. Antiochenus exiſtimant. Quod enim ille tenebras, hic inacceſſibilem lucem appellat: quod quidem ſignificat, inquit Flaminius, nullam mentis aciem eſſe tam acutam aut perſpicacem, quæ Deum poſſit intueri, eiuſque naturam, nulla ratione aut cogitatione comprehendi poſſe. Intellexit probè hoc Philoſophus ille Simonides, quem, cùm Hiero tyrannus interrogaret, quid Deus eſſet: ad illum definiendum certum temporis terminum poſtulauit, quo expleto, terminum ipſum duplicatum expoſcit, & ſic deinceps ſemper longiora tempora poſtulabat. Hiero autem ira correptus exiſtimans ab illo eſſe deluſum, in eum inuehitur. Ad quem Simonides, noli exiſtimare, ô Hiero, me tibi illudere voluiſſe: ſed tanta eſt Dei magnitudo & ſublimitas, quòd quantô magis illum conſidero, tantô minus illum intelligo. Eodem ſpectant verba illa Iob, quæ habentur, capite vigeſimo tertio. *Si ad orientem iero non apparet, ſi ad occidentem non intelligam eum, ſi ad ſiniſtrā quid agam? non apprehendam eum; ſi me vertam ad dexteram, non*

Iſai. 45.
Pſal. 17.
Flaminius.
Simonides Phil.
Iob 23.

videbo illum. Communior modus cognoſcendi creatorem eſt per creaturas, iuxta illud Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Et illud Diui Pauli ad Romanos. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Inquit ergo Iob, Si per veſtigia creaturarum Deus inueſtigari ſolet: inter creaturas ſol ad orientem exiſtens, & planetæ è conuerſo, ab occidente in orientem motum ſuum peragentes, Polus arcticus & antarticus qui ad dexteram & ſiniſtram exiſtunt multitudine ſtellarum vigentes, principem locum obtinent: at omnia hæc, non ſunt ſufficientia motiua ad Deum perfectè inueniendum. Nam ſi me vertam ad orientem, id eſt, ad conſiderationem ſolis qui ab oriente in occidentem tendit, non apparet: ſi verò me conuertam ad occidentem ad contemplationem planetarum, vel certè ad polos mundi, illum apprehendere non potero. Quid ergo faciam, vt Deum poſſim cognoſcere? Hoc quidem de cognitione perfecta, aut de cognitione quid eſt, debet intelligi: hæc enim per creaturas haberi non poteſt, ſed per fidem & reuelationem. Quare ſecundum mentem Auguſt. 18. de ciuitate c. 38. ante omnes Philoſophos Græcos, vel Barbaros Prophetæ ſancti præceſſerunt, qui tam verbo quàm ſcripto, Dei notitiam docuerunt, & ideò Deum eſſe ſtatim à principio mundi, per Adam & filios ſuos extitit prædicatum. At licet perfectam cognitionem per creaturas habere non poſſimus, negare tamen non poſſumus, quòd aliqualem habeamus, ſaltem quæ ſufficiat ad probandum Deum eſſe, & oſtendenda aliqua eius attributa, quæ in ipſis creaturis tanquam in ſpeculis ſplendidiſſimis apparent, iuxta illud Diui Pauli, *videmus nunc in ænigmate per ſpeculum.* Quare D. Damaſcenus 2. ſententiarum cap. tertio dixit: Cognitio exiſtendi Deum, nobis naturaliter inſerta eſt: quamuis non ingenij naturalis inueſtigatione, ſed potius diuina reuelatione, Dei notitia hominibus fuerit communicata. Ecce quomodo fateatur quòd cognitio Dei naturaliter ſit nobis inſita, quia naturaliter per cognitionem creaturarum ad eam poſſumus peruenire. De Phidia ſummo ſculptore fertur, vt videre eſt apud Valerium lib. 8. cap. 15. quod cùm Mineruam miro artificio effinxiſſet, clypeo illius effigiem ſuam incluſit, qua conuulſa tota operis colligatio ſolueretur. Sic mihi feciſſe videtur Deus, qui cùm mundum hunc fabricaſſet tot partibus & creaturis conſtantem, in ipſis creaturis, veſtigium quoddam ſui ipſius impreſſit, quo inſpecto in eius cognitionem poſſemus deuenire. Et hinc eſt quod Lactantius Firmianus lib. 1. de fal

Sap. 13. *Roma. 1.* *D. Aug.* *Deũ eſſe eſt per ſe notum.* *1. Cor. 13.* *Damaſc.* *Val. lib. 8. cap. 15.* *Lactant.*

de falſa religione, capite ſecundo, inquit: Nemo eſt enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos ſuos in cœlum tollens, tametſi neſciat, cuius Dei prouidentia regatur hoc omne quod cernitur, aliquam tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione. Corroborat hoc Gregorius Nazianzenus oratione ſecunda de Theolog. eleganti ſimilitudine. Quemadmodum enim quiſpiam citharam pulcherrimè conſtructam & elaboratam conſpiciens, eiúſque concinnitatem & conſtitutionem, aut etiam citharæ cantum audiens: nihil aliud quàm ipſum citharæ conditorem, atque citharœdum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamſi de facie ipſi ignotum: eodem quoque modo nobis, is, qui res vniuerſas procreauit, eáſque mouet, atque conſeruat, ſeſe declarat, etiam ſi animis noſtris ingeniiſque comprehendi nequeat. Hinc fit, quòd *cùm cœli gloriam Dei enarrent, & opera manuum eius annunciet firmamentum,* iuxta Prophetæ dictum: & in hoc ſeculo dum in mortali carne viuimus, non faciem Dei, ſed poſteriora eius cum Moyſe videre nobis concedatur. Mos eſt ſacræ ſcripturæ cùm de Deo agit, de eius æternitate, magnitudine, aut gloria: ab ipſis creaturis cognitionem petere: vt ex his quæ animus nouit, ſurgat ad incognita quæ non nouit. Moyſes in principio Geneſeos cupiens aliqualem Dei notitiam mundo tradere, à creaturis auſpicatus eſt, inquiens: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Diuus Ioannes Euangeliſta de Verbo agens, vt perſuaderet eſſe Deum, inquit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Sic etiam Dauid in præſentia, probare volens quod ſuperius dixerat, ſcilicet, quòd Deus ſit æternus, *& anni illius in generatione & generationem duraturi*: ſtatim ad creaturas ſe contulit, dicens: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Quare ſi anni tui cœlorum reuolutionibus non ſubiiciuntur, cùm tu ipſe cœlos fundaueris, ac per conſequens prior fueris: ſequitur, quòd anni tui non tempori, ſed æternitati ſubiaceant.

Greg. Nazianzenus. *Simile.* *Pſal. 18.* *Exod. 33.* *Geneſ. 1.* *Io. cap. 1.*

Verba hæc non ſolùm Dei æternitatem, ſed & mundi initium & incœptionem probant. Fuerunt enim aliqui Philoſophi, qui mundum hunc non habuiſſe initium, ſed fuiſſe ab æterno crediderunt: inter quos Ariſt. principalior habetur: ſed horum ſententia, vt inquit Alexander Alenſis. 1. part. quæſt. 14. membro primo, reprobanda eſt tanquam fidei inimica, cùm in lege & Prophetis contrarium inueniatur. Dicitur enim Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cœlum & terrram.* Et Prouer. 8.

Mundi initium. *Alexād. Alenſis 1. parte.* *Gen. 1.*

*Prou.*8. *Ioan.* 17. inquit Sapien. *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret, nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Et Ioannis 17. *Clarifica me pater claritate quam habui apud te, priuſquam mundus fieret.*

Quod ſi mundus hic non ab æterno, vt videmus, ſed in temporis initio fuit creatus: manifeſtiſſimè conſtat, quòd non propter ſe ipſum illum creauerit Deus: Non enim illo indigebat, cùm per æternitatem perfectus, & glorioſus, ſicut modò eſt, ſine illo, fuerit: ſed propter hominem quem vniuerſorum fecit Dominum, omniaque ſub pedibus eius ſubiecit. Quod *Lactantius.* pulchrè & eloquenter tractat Lactantius libro ſeptimo, de diuino præmio capite quinto, vbi inquit: Quòd planius argumentum proferri poteſt, & mundum hominis, & hominem ſua cauſa Deum feciſſe, quàm quòd ex omnibus animantibus ſolus ita formatus eſt, vt oculi eius ad cœlum erecti, facies ad Deum ſpectans, vultus cum ſuo parente communis ſit, vt videatur hominem Deus, quaſi porrecta manu, alleuatum ex humo, ad contemplationem ſui excitaſſe? Et libro 2. de origine erroris hæc verba profert. Denique ſanctæ literæ docent hominem fuiſſe vltimum Dei opus: & ſic inductum fuiſſe in hunc mundum, quaſi in domum iam paratam, & inſtructam. Illius *Ouidius. lib.* 1. *Metamorph.* enim cauſa facta ſunt omnia. Illud etiam Poëtæ fatentur. Ouidius perfecto iam mundo, & vniuerſis animalibus figuratis, hoc addidit:

Sanctius his animal, mentiſque capacius alta
Deerat adhuc: & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt.

Et exiſtimo hominem poſtremum fuiſſe creatum, omniaque ſub eius dominio poſita, vt ex hoc intelligeret, quòd pro omnibus gratias Deo agere, illúmque perpetuò laudare *Simile.* & colere teneretur. Sicut enim populus aliquis, ex agreſtibus & ruſticis hominibus conſtans, legationem Regi, aut domino ſuo facturus: peritiorem, & eloquentiorem eligeret ad hoc munus obeundum qui pro omnibus loqueretur: ſic Deus ex omnibus mundanæ Reipublicæ creaturis elegit hominem, qui pro omnibus loqueretur, gratiáſque creatori ſuo redderet, eſſetque quaſi omnium interpres & lingua. Mundus hic tam in diuinis quàm humanis literis templum *Iſai.*6. appellari ſolet. Dicitur enim Iſaiæ capite ſexto, *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum.* Vbi *templum* pro mundo accipitur, qui

maie

majeſtate & gloria Dei, plenum eſt, cùm omnes creaturæ, eius gloriam prædicent & annuntient. Quod confirmat Septuaginta virorum tranſlatio, quæ ſic habet: *Et plena domus erat gloria eius.* Eſt enim mundus hic magna domus, quam homini ad habitandum ædificauit, cuius tanta eſt pulchritudo & perfectio, quòd templum etiam appellari conſueuit. Sic enim à Tullio, Seneca, Philone, & Lælio appellatur. Ex quo Macrobius ſuper ſomnium Scipionis, libro primo, capite quarto, eleganter deducit, quod quicumque in templo hoc viuimus, ſanctè victuri ſumus, & quod ad id ſtrictiſſimis tenemur vinculis. *Sciat*, inquit, *quiſquis in vſum templi huius inducitur ritu ſibi viuendum Sacerdotis.* Sed quodnam munus eſt Sacerdotis templum aliquod inhabitantis? Profectò non aliud, quàm Deo pro acceptis beneficiis quotidie ſacrificia laudis afferre & pro viribus illum laudare. Hoc eſt officium cuiuſcumque hominis ratione vtentis, ſpecioſiſſimum mundi huius templum inhabitantis, Deum colere, illumque perpetuò pro tot beneficii acceptis collaudare. Hoc officio fungebatur Dauid, qui poſtquam Pſalm. 103. omnes creaturas ad diuinas laudes inuitauit, concludit, dicens: *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi, pſallam Deo meo quandiu ſum: iucundum ſit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.* Quæ verba expendens Flaminius, inquit: Vir ſanctus ex tantarum rerum contemplatione, ad cultum & venerationem Dei mirabiliter accenſus, profitetur: ſe totam vitam conſumpturum in canendis & celebrandis laudibus Dei: Et Pſalm. 70. vbi inquit: *Multa feciſti tu Domine mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Diuus Hieronymus vertit: *Et cogitationes tuas pro nobis.* Pro nobis enim fuerunt cogitationes Dei, quando hoc mundi opificium conſtruxit, cùm ad habitationem noſtram illud fabricauerit. Vnde ad nos gratiarum actio pro tam immenſo beneficio ſpectat. Ipſe enim cùm æternus ſit & per æternitatem ſine illo fuerit, eo non indigebat neque modo indiget, cùm ſine illo eſſe poſſit. Et ad hunc ſenſum non incongruè verba hæc Dauidica explicari poſſunt, cùm inquit: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt tu autem permanes*, id eſt, licet ipſi periiſſent, tu verò ſemper idem permanebis, eriſque ſemper idem, & anni tui non paſſiunt deficere.

Septuag. *Macrob.* *Pſal. 103.* *Flamin.* *Pſal. 70.* *D. Hier. verſio.*

Ipſi peribunt, tu autem permanes. Non mediocriter delectatur fidelis animus verba hæc audiens, & conſonantiam quam cum his faciunt, quæ in nouo inſtrumento ſcripta reperiuntur.

conſi

Digitized by Google

Clemens Alex. conſiderans. Vnde Clemens Alexandrinus Stromatωn libr. 7. hunc canonem Scripturæ interpretandæ traditum per manus à maioribus ſcribit, vt ſit ſcopus Scripturæ interpreti, vt vetus teſtamentum nouo concordet. Quod ſignificatum fuit à Domino, cùm dixit: *Matt.15.* *Omnis ſcriba doctus in regno cælorum profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Quo ſuppoſito, vide quanta ſit Scripturæ ſacræ conſonantia. Inquit Dauid, de cœlo terraque agens. Hæc *omnia peribunt, tu autem permanens, & omnia ſicut veſtimentum veteraſcent.* *Iſai.65.* Cui conſonat Iſai. capit. 65. dicens: *Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam, & iam non erunt in memoria priora, neque aſcendent ſuper cor alicuius.* Quem locum *D. Atha.* Diuus Athanaſius libro 1. de fide vnius Trinitatis, de inſtauratione mundi interpretatur. Sed attende nunc, quam rectè cum his quæ in nouo teſtamento ſcripta reperimus cohereant. Ait *Apoc.21.* enim Ioannes Apocalyp. 21. *Vidi cælum nouum & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abijt, & mare iam non eſt.* Et *2. Petr. 3.* Diuus Petrus in 2. Epiſtola, capite 3. *Aduenıet dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Quæ verba de purificatione huius mundi ſancti Doctores interpre- *Magiſt. in 4. diſt. 48.* tantur. Nam cùm hic mundus iuxta Magiſtrum ſentent. in 4. diſtinct. 48. capite 1. non niſi in hominis obſequium conditus fuerit, conſentaneum eſt, diuinæque prouidentiæ condecens, vt humano genere perpurgato & per gloriam innouato, mundus quoque luſtretur & purgetur. Et obſerua, quòd dum audis cœlos ſoluendos, vel apud Dauidem perituros legis: *D. Aug.* cœlorum nomine (vt 20. de ciuitate adnotauit Auguſtinus) non ipſi ſupremi orbes qui incorruptibiles ſunt, ſed ventoſi aëreique cœli intelliguntur, qui ſimul cum ipſa terra purificandi ſunt à cogitatione, quàm ex peccatis hominum contraxerunt. Sicut enim temporibus Noë, cùm terra omnis contaminata eſſet hominum peccatis, eam aquis diluuij purificauit: ſic in die iudicij igne validiſſimo perpurgabit, vt creaturæ quæ per peccata contamitatæ ſunt, ſuo antiquo nitori reſtituantur. Hoc ſignificare videntur verba illa Diui Pauli ad *Rom.8.* Romanos octauo: *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Dicitur omnis creatura corporalis vanitati ſubiecta non ſpon- *Origen.* te, ſed inuita propter eum qui ſubiecit eam, iuxta Origenis interpretationem: quia creaturæ omnes homini ad culpam &

vanita

Digitized by Google

vanitatem deſeruiunt. Lux Solis ei deſeruit vt ea videat,quæ videre non licet, quæque ad peccandum alliciant, obſcuritas noctis ei deſeruit, vt impunè & liberiùs facinora ſua perpetret, elementa ei ſeruiunt, quia fructus ei proferunt, quibus ad ambitionem & luxum vtitur. Ab hac ergo ſeruitute creatura in fine mundi liberanda eſt,& ab infectione quam ex his rebus contraxit per ignem purificanda.

Sed bone Deus,quis non hîc videat quanta ſit peccati malitia,quanta eius turpitudo, quòd non ſolùm hominem illud perpetrantem, verùm & totum orbem deturbare valeat, ita vt purgatione indigeat? Dicitur enim Hieremiæ capite tertio: *Polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis.* Quaſi diceret: Non ſolùm teipſam peccato Idololatriæ poluiſti, verùm & tota terra ex peccati contagio manſit infecta & contaminata. De eodem peccato Idololatriæ agit Ezechiel capite decimoſexto,& inquit: *Et ædificaſti tibi lupanar,& feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum.* Non incongruè peccatum proſtitutioni & delectationi carnali comparat, quia licèt alia ſint grauiora, ſed hæc magis inficiunt: quia & animam,& corpus. Conſiderate obſecro mulierem meretricem in lupanari exiſtentem, omniq́ue proſtitutioni expoſitam, ad quamcumque turpitudinem paratam, quæ corpus ſuum nulli cuiuſcumque conditionis denegat:quàm contaminata mulier iſta iudicatur,quàm abominabilis, non ſolùm Deo, ſed & hominibus. Non huic abſimilis eſt peccatrix anima, quæ contaminatur per culpam,& ad omne peccatum quantumuis graue parata eſt. Ea enim non ſolùm Deo, verùm & Angelis abominabilis eſt, hominibuſq́ue deberet eſſe: cuius abominatio non ipſam ſolùm, verùm & creaturas, quibus vtitur coinquinat & inficit. Leuitici capite ſexto, cùm de holocauſto & hoſtia pro peccato ageret Moyſes, inquit: *Qui tetigerit carnes eius, ſanctificabitur, ſi de ſanguine eius veſtis fuerit aſparſa, lauabitur, vas autem fictile in quo cocta eſt hoſtia confringitur. Quòd ſi vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua.* Deus ſancte, quàm viuis coloribus hîc depicta eſt peccati turpitudo & fœditas, non ſolùm ipſum peccatum inficit, ſed & hoſtia quæ pro illo offertur. Vnde qui tetigerit eam, ſanctificari iubetur, & veſtis aliqua ſanguinis guttula coinquinata,lauari: & quòd magis me in admirationem rapit, vas in quo caro illius oblationis decocta eſt, iubetur confringi: vt ex hoc intelligas, Chri

Peccatum omnia inficit.

Hiere.3.

Ezec.16.

Simile.

Leuit.6.

Nota.

Digitized by Google

Chriſtiane, quanto odio Dominus peccatum proſequatur, quod vas in quo oblatio eius cocta eſt, ſtatim perire iubeat & confringi. Admonet enim locus iſte quàm viſcoſa res ſit culpa, vt nullo modo à vaſe teſteo poſſit defricari, & ideò conteri iubetur. Sed væ nobis qui vaſa teſtea ſumus & lutea, & tot peccata abſque vllo timore perpetramus, totque abominationes committimus. Quid de nobis ſperari debet, niſi condemnatio & interitus, & quòd tanquam vaſa figuli confringamur: ſi pœnitentiam non egerimus? Siquidem cœlos ipſos propter deformitatem & maculam ex noſtris peccatis contractam in fine mundi Deus conteret, & per ignem purificabit, dicente Dauide: *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur.* Mutabuntur quidem, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad perfectionem & ſtatum.

Elementorum mutatio qualis.

Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Filij ſeruorum tuorum habitabunt, &c. His verbis ſimul & æternitatem Dei & noſtri præmij immortalitatem deſcribit. Conſiſtit enim beatitudo noſtra vltimaque fœlicitas in ipſo Deo, non in rebus his corruptibilibus & caducis, quare licèt omnia defectura ſint finemque habitura: tamen noſtra fœlicitas, noſtrorumque laborum præmium deficere nunquam poterit, quia in illo conſiſtit, qui idem ſemper eſt, nullaque apud eum tranſmutatio reperitur. Verba ſunt hæc magnæ fiduciæ, quibus mens noſtra & ad diuinas promiſſiones incitatur, & ad ſperandum non in rebus temporalibus corruptioni & interitui obnoxiis, ſed in ſolo Deo qui æternus & incommutabilis eſt, allicitur. Cùm mitteret Deus Moyſem in Ægyptum ad filios Iſraël legatione quadam ab eo quæſiuit. Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius, ſcilicet, qui me miſit, quid dicam eis? Cui reſpondit Deus: *Ego ſum qui ſum. Sic dices filijs Iſraël. Qui eſt, miſit me ad vos.* In Hebræo habetur: *Ero qui ero, ſic dices filijs Iſraël, erit miſit me ad vos.* Intendebat meo videri his verbis Hebræorum animos excitare, vt in ipſo ſpem ſuã & confidentiã reponerent, nec de egreſſu ex Ægypto dubitarent, & ideò inquit: *Sum qui ſum, vel ero qui ero*, id eſt, Sum ille Deus, cuius eſſe independens eſt, nullis temporum limitibus circumſcriptum, ſed ſemper idem & eodem modo abſque vlla mutatione permanens. Cæteri Dij Gentium & Idola quæ ſibi fabricârunt, ſicut tempore inceperunt, ita quoque tempore finientur, iuxta illud Deuteronomij 32. *Noui recentes quæ venerunt, quos non coluerunt Patres eorum: at ego verus Deus ſicut nunquam incœpi, ita nunquam deſinam*

Eſſe Dei æternum.

Exod. 3.

Deut. 32.

Iſai. 43.

deſinam, quia ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit: quare in me confidite, quia ero qui ero. Tengor por nombre el que ſere, el que fuy, y el que ſoy, vt ex hoc intelligatis quòd in promiſſionibus implendis non mutabor, licèt huc vſque diſſimulare videar. Ad idem eſt illud Iſaiæ capite vigeſimo ſexto: *Sperastis in Domino, in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* Reddit rationem quare iuſtos in æterna tabernacula introducat, & inquit: *Quia ſperaſtis in Domino, &c.* Hebraicè ſic habetur: *In Deo Dei*, vel *de Deo petra ſæculorum ſiue æternitatum.* Erit ergo ſenſus, recipiemini ô iuſti in æterna tabernacula, & mercede veſtra non defraudabimini, quia ſperaſtis in Filio, qui Deus Dei, vel Deus de Deo appellatur, quia genitus à Patre, qui petra æternitatum dicitur, cùm æternus ſit nulliq́ue mutationi obnoxius. Non enim ſperaſtis in Principibus, neque in filiis hominum in quibus non eſt ſalus: quorum ſpiritus exibit in illa die, & peribunt omnes cogitationes eorum. Non ſperaſtis in homine, neque poſuiſtis brachium carneum ſpem veſtram, neque in incerto diuitiarum, aut voluptatum huius ſæculi, ſed ſperaſtis in Deo de Deo, petra æternitatum, id eſt, in Chriſto Filio Dei, qui æternus eſt, & omnipotentia firmior. Petræ namque, Altiſſimiq́ue montium ſcopuli tempori ſubiiciuntur, & ideò vi ipſius temporis conuelli poſſunt: at Chriſtus petra æternitatum eſt incommutabilis & indeficiens, quare qui in eo ſperant, non confundentur, neque à ſpe ſua fruſtrabuntur. Deos ſuos antiquitas ex cupreſſo conficere ſolebat, propter materiæ perpetuitatem. Cupreſſum enim, neque cariem, neque vetuſtatem ſentire tradunt. Vnde ſimulachrum Iouis in arce, ex condita vrbe Roma, ſexcenteſimo ſexageſimo primo anno dicatum, tempore adhuc ſuo durare, Plinius atteſtatur. Qui quidem anni erant circiter ducenti. Sed cæcam Gentilitatem miſſam faciamus. Verè Deus noſter cipreſſinus eſt (vt ita mihi fari liceat) verè incommutabilis & æternus, & verè in eo totius noſtræ fœlicitatis fiducia reponenda, cùm de ipſo Regalis citharœdus canat: *Tu autem dem ipſe es, & anni tui non deficient.* Quapropter, *filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.*

Iſai. 26.

Quare Dij ex cupreſſo effigiebãtur.

Plinius.

In Hebræo ſic legitur: *Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum, & conſiſtent tecum.* Filij ſeruorum Dei, iuſti appellantur, qui filij ſpirituales ſunt Prophetarum, & Apoſtolorum, quos per verbum prædicationis genuerunt, iuxta modum loquendi Apoſtoli, 1. Corinth. 4. *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Illi, inquam, qui parentes ſuos in virtute & iuſtitia

1. Cor. 4.

Digitized by Google

1.Cor.4. iuſtitia imitantur, iuxta verbum eiuſdem Apoſtoli: *Imitatores mei eſtote ſicut filij chariſsimi, & ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit vos.* Hi enim filij ſeruorum Dei æterno æuo perſeuerabunt, habitabúntque (vt filij ſolent) in paternis ædibus, & in amœniſſimis Paradiſi receſſibus, vbi ſine fine delectabuntur. Vox enim illa, *conſiſtère*: iuſti ſecuritatem & perpetuam requiem ſignificat. Iuſtus enim, qui in præſenti vita tot patitur labores, tot perſecutionibus affligitur, in futura vita ab his omnibus liber, tecum ſine fine conſiſtet. Geneſ.26. quædam huius rei nobis vmbra proponitur in puteis illis quos

Figura. Iſaac in Geraris fodere fecit. Primum, pro quo cum Palæſtinis rixatus eſt, calumniam appellauit. Secundum, inimicitiam. Tertium verò, pro quo non fuit iurgium aut contradictio, vocauit latitudinem, dicens: *Nunc dilatauit nos Dominus.* Certè facto hoc innuitur, quod vt poſſimus deuenire ad puteum illum, & fontem aquæ viuæ, vbi vera ſatietas, vera quies, & æterna reperitur: prius per inimicitias, iurgia, & labores tranſeundum nobis eſt. Poſt labores autem æterna requies in Deo nobis promittitur. Omnia hæc, hoc vno verbo comprehendit Propheta, dicens: *Semen eorum conſiſtet tecum:* nam in ſolo Deo, eiuſque viſione beatifica noſtra, ſumma fœlicitas conſiſtit.

Pſal.72. *Quid mihi eſt in cælo*, aiebat Dauid, *& à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* O verba omni meditatione digna, & à noſtris mentibus nunquam excidenda! *Quid mihi eſt*, inquit, *in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Quid eſt quod tanti faciam quanti te? quod mihi præter te placere queat? quod te mihi irato non deteſter? non auerſer? Quid? nulla me ſatiat creatura, ſiue in cœlis ea ſit, ſiue in terris. Omnia quippè inferior à me eſſe puto, cùm à te & ad te creatum me eſſe cognoſco, tuæque beatitudinis capacem: Aliqui ex Hebræo vertunt: *Quanta mihi oro repoſita ſunt in cælis?* Nam quæ in terra ſunt, cùm tibi comparo, contemno. Vtinam & nos fratres hæc eadem animo volueremus, quantà quamque mirabilia ſunt quæ nobis in cœlo promittuntur: vileſcerent quidem

Gregor. homil.37. animo (vt Gregorius inquit) omnia quæ habentur in terris, quia terrena ſubſtantia ſupernæ fœlicitati comparata, pondus eſt non ſubſidium. Quanta exiſtimatis futura ſunt bona, quanti facienda gloria, quæ tanto precio empta fuit? Hoc eſt D. Pe-

1.Petr.5. tri non ſpernendum argumentum, 1.cap.5. *Seniores obſecro vos ego conſenior, tanquam teſtis Chriſti paſsionum, & eiuſdem, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ conſors.* Non enim vulgarè emphaſim habent

habent hæc verba, perinde enim eſt, ac ſi diceret: Rogo vos fratres, vt magno ſtudio ſalutis veſtræ curam geratis. Rogo, inquam, velut teſtis laborum & afflictionum Chriſti, hoc eſt, ſummi & incõparabilis pretij, quo à diaboli poteſtate redempti eſtis, & tanquam is qui probè norit, quanta ſit illa fœlicitas quæ tali prætio empta fuit, cùm in Thabor teſtis oculatus fuerim Beatitudo, inquit Boetius, 3. de cõſolatione, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Et D. Auguſtinus, inquit, quòd beatus eſt qui habet quidquid vult. Sed quid mirum cùm beatus Deum ipſum habeat illóque fruatur? Quid non habet, qui Deum habet, omnia in ſe ipſo habentem? Cùm Moyſes à Deo peteret, vt oſtenderet illi ſuam gloriam Exodi 33. reſpondit, illi: *Ego oſtendam tibi omne bonum*, quòd & oſtendit illi, non quidem per faciem, ſed à tergo, cùm tranſiret ante eum: quia ſi per faciem Deum vidiſſet, non raptim & per modum tranſeuntis, abſque dubio beatus eſſet. Dicitur autem Deus omne bonum, non ſolùm quia fons eſt omnis bonitatis, & in quo omnia bona eminẽter continentur, ſed etiam quia eſt omne bonum noſtrum, quod ſolum ſufficit voluntatem noſtram ſatiare, quo habito nullo alio bono indigemus. Vnde Caſſiodorus ſuper illud Pſal. 33. *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, inquit: Dũ diligimus Deum omnia in ipſo reperimus. Vnus eſt qui quæritur, ſed in quo omnia continentur. Hoc idem B. Auguſt. ſuper Pſal. 36. Aurum quod tibi eſt, non poteſt tibi eſſe argentum, vinum quod tibi eſt, non poteſt tibi eſſe panis: Deus autem tuus totum tibi eſt. Manducabis eum ne eſurias, bibes eum ne ſitias, totum habebis, totum habebit, quia tu & ille vnum eritis. Videtis ergo fratres, vt Deus ſit omnia, & qui Deũ habet, omnia quę mens nòſtra per diuerſa diſtracta deſiderare poteſt in illo vno poſſidebit. O lucrũ mirabile, ô ſingulare compendiũ. Quid quęris anima mea, cũ per creaturas ſolicita & fatigata percurris? An ſalutẽ? an vitã? an diuitias? an voluptates, vel honores inquiris? Fruſtra fatigaris, quia omnia hæc appetitũ ſatiare non ſufficiunt: quia licet bona ſint, ſed non omne bonũ in ſe continent, cuius tu capax es. Quapropter ad illũ perge qui fons bonitatis eſt, & omne bonũ tibi poteſt oſtendere: de quo humilis ille Franciſcus in extaſi aiebat: Deus meus & omnia, Deus meus & omnia. Ad quem ſi acceſſeris communicabit tibi omne bonum, hîc per gratiam & in futuro per gloriam.

Beatit. Boet. D. Aug. Exod. 33. Moſes vidit Deũ raptim & per modũ trãſeuntis. Omne bonũ eſt in Deo eminenter nõ formaliter. Caſſiod. D. Aug.

SVPER PSALMVM SEXTVM POENI- TENTIALIVM.

CONCIO PRIMA.

De profundis clamaui ad te Domine: Domine, exaudi vocem meam.

TITVLVS huius Pſalmi, quem Deo diſponente interpretaturi ſumus, ſic habet: *Canticũ graduum.* Qui titulus non eſt huius Pſalmi peculiaris, ſed omniũ quindecim, qui graduales appellantur. Et licèt à diuerſis auctoribus, & propter diuerſos fines (quod modò non diſputamus) fuerint compoſiti: ſunt tamen à Synagogæ patribus inſtituti, vt in aſcenſu quindecim graduum, quibus conſtabat templi aſcenſus canerentur, quotieſcumque ſummus ſacerdos ad ſacra facienda, ſancta ſanctorum aſcendebat.

Canticũ graduũ, ſeu Pſ.15. gradual. cur ſic dicti.

Sed cum (atteſtante D. Paulo) *quidquid in illo populo agebatur, in figura illis contingebat, quia lex illa antiqua, nihil ad perfectum adduxit, ſed erat tantum futurorum bonorum typus & vmbra*: quis vel mediocris intellectus hæc attendens, non intelligat aſcenſum illum templi, fuiſſe vmbraticum & typicum, nihílque aliud ſignificare, quàm ſupremę noſtræ beatitudinis fœliciſſimum aſcenſum, qui de virtute in virtutem procedit, quouſque tandem videatur Deus Deorũ in Sion? Quod luce ipſa clariùs demonſtrant verba illa quæ habẽtur Pſal. 121. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri, in atriis tuis Hieruſalem. Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum.* Ex conditionibus iſtius fœliciſſimæ ciuitatis, qualis illa ſit facilè habere poſſumus. Nõ enim in ciuitate aliqua terrena quãtumuis fœlici, ſed in cœleſti, huiuſmodi conditiones reperiuntur prima quod ſit bonorum mutua communicatio, cùm inquit, *cuius participatio eius in idipſum.* Hoc (vt inquit gloſſa) de nulla mundi ciuitate dici poteſt, quia hic habent homines diuiſa bona & deficientia, ibi verò bonum quod fuerit ſingulorum, erit omnium. Secunda, quòd ſit continua gratiatum

1. Cor. 10.

Hebr. 1.

Pſal. 121.

Conditiones cœleſtis Hieruſalem.

tiarum redditio. In illis verbis: *Illuc enim aſcenderunt tribus Domini, ad confitendum nomini Domini.* Tertia conditio eſt, bonorum ciuium exaltatio, iuxta illud quod dicitur: *Illic ſederunt ſedes in iudicio*, ſiue *conſtitutæ ſunt ſedes ad iudicium*, vt ex Hebræo vertunt aliqui. Quæ conditio in ciuitate terrena pro maiori parte non obſeruatur, quia frequenter indigni ſupra digniores ſedes collocantur. Suppoſito ergo cum Diuo Auguſtino, & Doctore Incognito, quod de ſuprema illa ciuitate loquatur: iam ad Pſalmi declarationem accedamus. *Lætatus ſum*, inquit, *in his quæ dicta ſunt mihi.* Quæ nam ſunt, ô Propheta ſancte, quæ nunciata ſunt tibi, quibus tanto gaudio & exultatione afficeris? Nunciatum eſt mihi, quòd in domum domini ibimus, vbi ſine fine habitaturi ſumus. Sed à quibus nuntiatum? Reſpondet Auguſtinus huic dubitationi, dicens: quòd à Prophetis, ab Apoſtolis: quia omnes illi prædicatione ſua, ſpem æternæ vitæ nobis promiſerunt. Et quis eſt adeò ſtupidus, qui non lætetur, inenarrabilíque afficiatur gaudio, dum de ore Prophetarum & Apoſtolorum, qui mentiri non poſſunt, audit: quòd ſupremæ illius Hieruſalem, quæ ſurſum eſt matris noſtræ, futurus eſt inhabitator? De illa quippe dicitur: *Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia. Elegi, abiectus eſſe in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, id eſt, elegi minor eſſe in illa cœleſti curia, quàm in tabernaculis impiorum & magnatum domibus maior & dignior. Aliqui vertunt ex Hebræo: *Malo oſtiarius eſſe domus Dei mei, quàm verſari in tabernaculis impiorum.* Oſtiarius enim domus Regiæ, licet non ſemper Regis vultum præſentem habeat, ſicut cubicularij qui vulgò vocantur, *los dela llaue dorada*: tamen aliquoties illum videt, ſaltem quando domum ingreditur & egreditur: ſic præſtat Deum, vel ad momentum videre, quàm in domibus magnatum & principum, huius ſæculi habitare. Alij verò vertunt: *Elegi ad limen morari domus Dei mei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Limen domus Dei, purgatorium appellatur, ibi namque animæ quaſi ad limen domus Dei, petentes eleemoſynam commorantur, cuius ſors fœlicior exiſtimanda eſt, quàm eorum qui in hoc mundo, etiam ſi in domibus Regum exiſtant, vitam degunt: quia certam ſpem ſuæ beatitudinis habent. Quare ſequitur: *Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Hieruſalem.* Qui enim eſt in purgatorio in atriis cœli iam habet pedes. *Y a eſta en los lumbrales del cielo.* Aut per pedes animæ affectus

D. Aug. *Doct. In.* *Auguſt.* *Pſal. 83.* *Purgatorium limen domus Dei.*

& per atria æternam gloriam intellige: quia quamuis hîc peregrinemur à Domino, & habitemus corpore, mente tamen in cœlis habitare poſſumus, iuxta illud Apoſtoli Philippen.3.
Philip.3. *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Et iuxta illud Pſal. 83.
Pſal. 83. *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum*, Veruntamen de qua Hieruſalem loquatur Propheta, vt nemini dubium ſubire poſſit ſtatim aperit, dicens: *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum.* Non enim loquor de Hieroſolyma illa terrena manibus hominum fabricata, quæ Dominum occiſura eſt (non enim magnũ æſtimo ciuitatem rebellem & ſacrilegam inhabitare) loquor de ciuitate illa cœleſti, *cuius participatio eius in idipſum.* Hieronymus & Fœlix vertunt: *Cuius participatio eius ſimul.* Bona enim ac iucunda, quæ in ciuitatibus terrenis ſolent contingere, & quibus ciues perfruuntur, non ſimul, ſed ſucceſſiuè illis contingunt. Hodie fiunt ſpectacula, cras tauri agitantur, & altera die celebrantur nuptię: at participatio illius fœliciſſimę ciuitatis ſimul eſt, quia in vno Deo bona omnia ſimul participant, & de illorum viſione delectantur. Alij ſic vertunt: *Quæ coniuncta eſt ſibi ipſi ſimul.* Ita quòd omnes ciues huius ciuitatis, quam mente contemplabatur ad inuicem in vno Deo per charitatem copulentur. In ædificiis namque corporalibus, hic lapis cum illo proximo ſibi copulatur, non autem cum cæteris ab eo diſtantibus: longè verò aliter hic contingit, vbi ineffabili modo ſinguli ſingulis proximi ſunt, & copulati. Habent enim ſinguli cum omnibus ineffabilem, & incomprehenſibilem communionem atque participationem, ídque per vnum illud ſummum bonum, in quo ad inuicem connectuntur. Patet igitur ſatis ex dictis, quomodo templum illud Moyſaicum, æterni templi, & cœleſtis beatitudinis, figuram geſſerit: ac per conſequens, gradus quibus aſcendebatur, virtutum quibus ad cœlum aſcendendum eſt.

D. Hier. & Felix.

Diſſimile

Idem prorſus ſignificabant ſex illi gradus, quibus ad thronum Salomonis aſcendebatur, ſecundum Hugonis placitũ in ſua gloſſa, vt habetur in lib. 3. Regũ. Ad thronum nãque illum gloriæ, in quo verus Salomõ inhabitat, non niſi per certos gradus poſſumus aſcendere. Huc etiam ſpectat Iacobæa illa ſcala quam dormiens fortis ille ſupplantator vidit, per quam Angelos aſpexit aſcendẽtes; Dominúmque ſcalę ſummitati innixũ: vt vel ex hoc diſcamus, quòd neque Angelis, ſupremiſq; illis ſpiritibus conceditur ad ſupremam fœlicitatem, ſine meritorum;

Hugo Card. 3. Reg. 10. Gen. 28.

rum,ac virtutum gradibus aſcendere. Quare B.Benedictus diſcipulos ſuo docens, ſcalam quandam humilitatis eis oſtendebat,per quam apud ſeipſos deſcendentes, ad Deum poſſent aſcēdere.Iuxta illud Seruatoris,Luc.18.*Qui ſe humiliat exaltabitur.*Scalam hanc duodecim humilitatis gradibus compactam eſſe aſſerebat,quos tamen enarrare non vacat. D. Ben. Luc. 18.

Hinc liquido conſtat furorem eſſe mentis, & cæcitatem maximam, intendere ad illam ſupremam fœlicitatem, vltimúmque finem noſtrum peruenire, & non per gradus, qui à Deo conſtituti ſunt. Hæc fuit tota Diaboli perditio, qui ad optatum finem,non tamen per media peruenire voluit. Abac. 3. *Contriti ſunt montes ſeculi, incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Quem locum Diuus Bernard. de malis Angelis explicat, ſuper Pſalm. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi.Quiſo ſubir el primer Angel trepando al cielo,ſin paſſar por el medio, y deſpeñoſe.* Et hoc eſt contriti ſuut ab itineribus æternitatis eius. Sicut enim ſcintillæ à ſilice percuſſo prodeuntes,illæ quidem quæ ſuperius eleuantur,ſtatim extinguuntur & pereunt,quæ verò humiliantur,& verſus terram feruntur, conſeruantur, & viuunt: ſic contigit Angelis. Illi qui humiliauerunt ſemetipſos & media neceſſaria amplexati ſunt, hi quidem gloriam ſunt conſequuti, qui verò in ſuperbiam elati propriis meriti præmium conſequi voluerunt in infernum præcipitati ſunt.In hac eadem dementia,proh dolor,nos eſſe video.Omnes enim naturaliter beatitudinem appetimus, & nemo eſt tam excors, qui beatus eſſe nolit, tamen media à Deo prę ordinata ad hunc finem comparandum,amplecti nolumus. Volumus enim per ſaltum in cœlum aſcendere, quod quidem nulli conceditur, ſed per gradus conſtitutos à Deo. Sunt enim gradus legis obſeruatio, humilitas,patientia,manſuetudo,miſeratio ad pauperes,& alia miſericordię opera,quibus cœlica ſcala conſtituitur.Propheta Amos.c.9.ſui vaticinij, de Deo agens,inquit: *Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit.*Deus enim,ſecundùm B. Hieron. interpretationem, quotidie aſcenſionem ad cœlum ædificat,qui credentes de terris ad cœlum eleuat, quia nullus propriis meritis ad cœlum poſſet aſcendere, niſi illum Deus propria ſua virtute eleuaret,& hęc eleuatio ædificatio dicitur. Nam quemadmodum qui domum aliquam ædificat, ſcalam conſtruit qua ad faſtigium domus perueniat: ſic nimirum Deus ſcalam meritorū,& virtutum,qua ad cœlum aſcendere poſſimus.Vnde ſubdit,*faſciculū ſuū ſuper terrā fundauit.*

Abac. 3. D. Bern. Merita ad gloriā requiri. Amos 9. D. Hier. Simile.

Vbi Paraphraſis Chaldaica habet: *Eccleſia decorauit*, ſcilicet virtutum & meritorum ornamentis. Itaque, quicumque voluerit aſcenſionem ſuam in cœlo eſſe bene fundatam, debet in terra faſciculum virtutum prius colligere & fundare. Egregiè hoc

Pſal. 83. cecinit Regius vates, Pſalmus octageſimus tertius, dicens: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quem poſuit.* Cuius eſt auxilium abs te,

Lyranus. inquit, quia vt hîc adnotauit Lyranus, fœlicitatem æternam nemo ſine ſpeciali Dei auxilio poteſt adipiſci, ſicut in Conci-

Conciliũ Viennenſe. lio Viennenſi ſub Clemente quinto determinatum eſt. Ille ergo cuius auxilium eſt à Deo, diſponit aſcenſiones in corde ſuo, id eſt, virtutum gradus, per quos ad cœlum aſcenditur: Et hoc in valle hac lachrymarum: nam in hac præſenti vita opera facienda ſunt meritoria, quibus aſcenſionem ad cœlum mereamur.

Verſio D. Hier. D. Hieronymus, ſic vertit. *Beatus homo cuius tu es fortitudo, ſemita in corde eius, tranſeuntes per vallem fletus fontem ponent eam.* Semitæ quibus ad cœlum peruenitur, virtutes ſunt, operaque ſtudioſa in charitate facta. Beatus ergo ille, qui in corde ſuo has ſemitas ſemper habet, & nunquam de illius mente

Theodor. excidunt. Hi enim quibus ſemitæ cœli in corde ſunt, tranſeuntes per vallem fletus, fontem ponent eam. Theodoretus hæc verba expendens, quæ difficillima ſunt, aſſerit: hanc locutionem figuratam eſſe. Nam vallis lachrymarum (inquit) appellatur, locus ille, in quo Angelus apparuit populo, & eius tranſgreſſionem redarguit. Iudic. cap. 1. Vbi tanta fuit lachrymarum profuſio, quod propterea locus ille, locus lachrymarum, vel locus flentium, fuerit appellatus. Quare iuxta figuratam locutionem locus pœnitentiæ, & compunctionis, vallis lachrymarum appellabitur. Beati ergo qui cùm in animo aſcenſum cæli habeant, prius per pœnitentiam & contritionem tranſeunt, ex qua fons copioſiſſimus lachrymarum emanare ſolet. Elegans quidem expoſitio, & quæ nobis ſufficere videbatur:

Chald. Paraphr. ſed quia Paraphraſis Chaldaica rem magis exaggerat, eam referre non grauabor. Inquit enim, *Peccatores qui tranſeunt per profundum Gehennæ, flentes fletu, ſicut fontem ponent illud.* Perpulchra hyperbole, qua vix in libris Poëtarum, aut maior, aut elegantior reperiri poterit. Significat enim his verbis, quòd peccator qui Deum offendit, & aſcenſiones ſiue ſemitas, quæ ducunt in cœlum, in corde ſuo diſponit, tanta vi lachrymarum peccata ſua deflere debet, vt mente tranſiens per ſtagnum ignis, ſibi in inferno paratum, lachrymis omnino extinguat, & in lachrymarum fontem conuertat. Sed

hacte

hactenus de titulo, iam ad Pſalmum ipſum conuertamus ſermonem.

De profundis clamaui ad te Domine. Materia ſiue argumentum huius Pſalmi eſt, deprecatio populi in dura Babylonica ſeruitute detenti, qua Dominum precatur, peccata, ſuæ captiuitatis cauſam, recognoſcens: ſed confidens de diuina miſericordia, ſuppliciter poſtulat, à dura ſeruitute & tyrannide liberari. Inquit enim, non ſine magno cordis dolore, ex intimis viſceribus verba proferens: *De profundis clamaui ad te Domine.* Non enim clamo ex ſuperficie oris (ſicut aliqui clamare ſolent, de quibus Iſaias: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*) quin potius ex profundo cordis, ex ſpiritu contribulato, & corde contrito, de profundo etiam calamitatum mearum quibus obruor, & penè iam ſum immerſus. Quare mi Domine, exaudi orationem meam, & ferre mihi auxilium ne differas. Appellat hic pœnitens quiſquis ille eſt, qui voce totius populi loquitur, appellat, inquam, captiuitatem miſeriarum profundum, & rectè quidem, quia inter omnia mala, quæ homini in hac vita poſſunt contingere, captiuitas & ſeruitus, ſummam arcem tenere videtur. Vnde quàmplurimos videas, qui mortem ipſam tolerabiliorem ſeruitute iudicârunt. Et vt extera Gentilium exempla taceam: Catonem, videlicet, Vticenſem, M. Brutum, Marcum Antonium, & Hannibalem Carthaginenſem, plurimoſque alios, qui manus hoſtium fugientes, manibus mortis ſe tradere elegerunt; ſolum referam Saulem, regníque ſui ſucceſſorem & æmulum Dauidem. Ille enim cùm fractus bello in montibus Gelboë cæcidiſſet, ne ad hoſtium perueniret manus, manus proprias in ſeipſum conuertit, & diſtricto gladio ſibi mortem aſciuit: hic verò, cùm libera ſibi daretur optio, vt ex fame, bello, aut peſte, vnum eligeret, cùm poſſet belligerator inclytus, ſtrænuuſque dux, qui Goliath proprio enſe peremerat, totque de hoſtibus victorias reportauerat, bellũ eligere: timens tamen miſeram ſeruitutem, ſi in manus inimicorum incidiſſet, maluit peſtem, ac per conſequẽs mortem acceptare. Sed quid immoror, cùm captiuitas ipſa, mors in Scriptura ſacra appelletur? Propheta Baruc cum populo captiuo agens, ſic inquit: *Quid eſt Iſraël, quòd in terra inimicorum es? Deputatus es cum mortuis ſempiternis.* Huc etiam ſpectat viſio illa Ezechielis, quæ habetur cap. 37. Vidit enim campum plenum cadaueribus, oſſibúſque mortuorum, quæ ad vnam Prophetæ vocem reuixerunt. Quam quidem viſionem, licèt Paulus Burgenſis de generali reſurrectione intelligendam exiſtimet:

Pſalmi argumẽtum.

Iſai. 29.

Captiuitas miſeriarũ profundum.

2. Reg. 1.

2. Reg. 24.

Baruc 3.

Exec. 37.

Paulus Burg.

D. Hiero. & Lyra. tamen Beatus Hieronimus & Lyranus de filiis Iſraël in Babylonica captiuitate detentis interpretantur: quia captiuitas ipſa, mors eſt. Et ſubdit Hieron. Educti ſunt de ſepulchris captiuitatis, & vinculis, quibus in ſeruitute Babylonica tenebantur aſtricti.

Quod ſi corporalis captiuitas, fratres, tantum deploranda eſt, ſi tam miſera, ſi culmen miſeriarum tenet, ſi cum ipſa morte, putridiſque ſepulchris conferenda: quid de ſpirituali captiuitate erit ſentiendum? Quid de animæ noſtræ ſeruitute, quam per peccatum incurrimus? Hæc eſt vera mors, & vera captiuitas, pro qua ſummis precibus exorandus eſt Deus. Etenim quod peccatum ſit animæ captiuitas, apertè teſtatur ſcriptura ſacra. Prouerbior. quinto dicitur: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Et capite decimo, de inſipiente illo adoleſcentulo agens, qui falſis meretricis promiſſionibus fidem præbens, inſequebatur illam, inquit: *Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens,* ſiue vt Septuaginta habent. *Tanquam canis ad vincula, & neſcit quod ad vincula ſtultus trahatur.* Peccator namque victima diaboli eſt, & canis illius vinculis conſtrictus, qui illi ſeruit ad nutum. D. Auguſtinus expendens verba illa Pſal. 67. *Qui educit vinctos in fortitudine ſimiliter eos qui exaſperant* (ſiue amaricantes vt ipſe legit) *qui habitant in ſepulchris,* ſic inquit: Soluit gratia vincula peccatorum, quibus impediebantur, ne ambularent in via præceptorum. Sed quis non attendat, quòd exiſtentes & habitantes in peccatorum ſepulchris, amaricantes appellat? vt ex hoc intelligas, quòd licet peccatum prima facie videatur dulce, poſteriora tamen eius ſunt velut abſynthium, amara. Et hinc eſt, quòd lacti comparatur voluptas. *Si te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis,* inquit Salomon. Nimirum, quia lac, licèt dulce ſit, tamen citiſſimè aceſcit. Educit ergo Deus vinctos, & non quomodocumque, ſed in fortitudine. Solet captiuus quando ex aliqua longa captiuitate educitur, ex catenis & vinculis ferreis quibus conſtringebatur debilis, claudus, & penè ad arma ſumenda inutilis exire: at Deus educit vinctos in magna fortitudine, vt poſſint contra diabolum, & vitia arma gerere. Talis, inquit Theodoretus, fuit Matthæus, talis Iacobus Alphei, & talis Zacheus, qui à peccati vinculis liberati, valdè viriliter contra eum, qui eos vinxit bellum ſuſceperunt. Hugo ſuper illud Iſaiæ capite ſexageſimo primo, *vt prædicarem captiuis indulgentiam,* ſic inquit: Captiui ſunt, qui pedes affectionum habent compeditos illecebris, & voluptatibus, qui voluntatem

Peccatū captiuitas eſt.
Prou. 5.
Prou. 10.
D. Aug.
Voluptas lacti comparatur.
Prou. 1.
Nota.
D. Theo.
Hugo.

ſuam

ſuam imperio diaboli ſubiecerunt, à quo captiui tenentur. Sunt enim peccata noſtra funes, quibus ligamur, vincula quibus conſtringimur, crudeliſſimique compedes, quibus præpediti, neque ad vnum paſſum per viam mandatorum Dei poſſumus incedere. Refert D. Ioannes c. 2. feciſſe Dominum Ieſum, flagellum ex funibus, quo peccatores quoſdam in templo ementes, & vendentes, non ſine magna, & auctoritate ipſius, & omnium admiratione, eiecit. Quod quidem vacaſſe myſterio non eſt exiſtimandum. Significat enim quod ex vinculis peccatorum, quibus multoties conſtringimur, conficit Deus flagellum ad nos ipſos puniendum, quia cùm peccatum pœna peccati ſit, cùm peccamus in Deum, noſtris eiſdem peccatis flagellamur. Quod ſi adhuc vmbram huius veritatis intueri deſideras, audi quid Nazareo illi fortiſſimo, Samſoni, inquam, cùm Dalila acciderit. Cùm enim Dalilam deperiret, illique ſe tradidiſſet, ſimulque & arcanum ſui pectoris reſeraſſet, capillos capitis illi abraſit, quod futuræ captiuitatis fuit præſagium. Abraſio enim capillorum ſeruitutis fuit ſymbolum. Vnde eſt illud Soſiæ Amphitruonis ſerui apud Latinum comicum: *Vt hodie abraſo capite, caluus accipiam pileum*, vt apud Pierium reperies. Abradere ergo capillos Samſoni fuit ſuæ captiuitatis prognoſticum. Quare à Philiſtæis captus, luminibuſque priuatus, in vincula & carcerem fuit coniectus. O Chriſte vitæ reparator, & quis mentis compos, niſi omnino ſit à ratione alienus, qui in hoc fortiſſimo Samſone peccatoris imaginem non videat? Quid nomine Dalilæ, niſi turpis voluptas intelligitur? Quid nomine Philiſtinorum, niſi animi impetus? Cùm ſe quilibet homo voluptati tradit, & ſceleribus coinquinat, mox diabolus oculos eius aufert, & peccatorum vinculis conſtringit in miſeramque ſeruitutem huius tyranni redigitur, vbi ſubſannatur, illuditur, & quaſi ad molam in orbem perpetuò agere compellitur, iuxta illud Dauidicum, *In circuitu impij ambulant.* Cùm ergo peccator, ad tam vilem ſtatum miſerandamque ſeruitutem deuenerit: nullum aliud remedium ſibi ſupereſt quàm ad Deum tanquam ad ſacram anchoram confugere, & ſummis præcordiis, *con veras del alma* clamare & dicere. *De profundis clamaui ad te, Domine.*

Ioan. 2.

Iudic. 16.

Pierius libro 32. tit. de coma.

Pſal. 11.

Magna (vt tradunt) eſt prudentia Scaurus, per quem callidum captiuitatis declinatorem ſignificari tradunt. Is (vt inquit Ouidius eo volumine quod Halieuticon inſcribitur) ſi naſſis incluſus fuerit, non fronte erumpit, nec infeſtis viminibus caput inſerit, ſed auerſus caudæ ictibus crebris fores laxat, atque ita

Ouidius.

Exẽplum naturale.

Digitized by Google

retrorſum erumpit, eum ſimul ac caudam extra naſſam protulerit, à ſociis mordicus apprehenſa cauda foras extrahi, ſi verò protulerit caput, adeſſe qui cauda ſua porrecta, anſam effugiendi præbeat. Peccator per conſenſum in rete diaboli cadit.
Iob.18. Iuxta illud Iob 18. *Immiſit in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta eius laqueo.* Vt ergo retia hæc effugiat, retrorſum per peccatorum deteſtationem debet ambulare, cui præſto adeſt Deus ad ferendam ſibi opem, ſi tamen ipſe poſtulauerit: *cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.*

Nam quis eſt rationis capax, qui ad Dominum contemnat clamare, cùm in profundo miſeriarum & periculorum huius ſæculi, quaſi in mari quodam procellis vndique, & vndis redundante, ſit conſtitutus? niſi fortè ad illud profundum venerit,
Prou. 18. de quo Prouerb. 18. dicitur: *Peccator cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Contemnit non ſolùm Deum, ſed & animam ſuam, pro tam vili pretio Dæmoni commutando. Contemnit inſuper propriam ſalutem, de illa deſperando: quia
Iob 14. *non credit,* vt inquit Iob capite decimo quarto, *quod de tenebris reuerti poſſit ad lucem, circonſpectans vndique gladium.* Qui enim ex vna parte gladium diuinæ vltionis, ex alia ramum ſuæ miſericordiæ circumſpicit, facilè peccatorum ſuorum veniam conſequi ſperat: at qui vndique circumſpectat gladium, & ad miſericordiam non attendit, impoſſibile iudicat, de tenebris ad lucem regredi, de culpa ad gratiam, de peccato ad veniam: at nos qui infinitam Dei miſericordiam probè nouimus, quanto calamitatum & laborum tempeſtas magis inualuerit, tanto magis in eo debemus ſperare. Sit nobis infractæ ſpei exem-
Ionæ 2. plum Ionas, de quo legitur capite ſecundo, ſui libri: quod cùm à nautis in mare deiiceretur, & eum marina belua deuoraret, cùm eſſet non ſolùm in profundo maris, verùm & in profundis ceti viſceribus, ad Dominum clamauit: præſumpſit enim de diuina potentia, & in miſericordia eius ſperauit, & credidit poſſibile eſſe Deo à profundo pelagi, à tempeſtate ingruente, à ventorum impetu, & beluæ faucibus eum liberare. Vnde ſpe ſalutis concepta, reuoluit ſe intra immanis piſcis præcordia: & ex ventre beluæ oratorium conficiens, flexis genibus, manibuſque, ad cœlum expanſis, ad Deum clamauit, dicens: *De ventre ceti clamaui ad te, Domine.* Quaſi diceret cum citharœdo noſtro: *De profundis clamaui ad te, Domine, Domine exaudi vocem meam.* Et cùm oratio humiliantis ſe penetret nubes, ſic oratio eius, non ſolùm nubes, verùm piſcis

viſcera,

Digitized by Google

viſcera, profunda maris, aquarum multitudinem, altitudinem cœlorum, & ipſas Dei aures penetrauit, & ſic beſtia ſoſpitem & illæſum ad aridam illum euomit. Memorabile quidem exemplum, & dignum quod noſtris memoriis inſcribatur. Quod enim aliud refugium habebit, qui in mediis mundi huius tempeſtatibus hùc illùcque rapitur, inter tot ſirtes, tot monſtra, tot pericula, vbi non vna, ſed innumerabiles ſunt infernales beſtiæ, quæ tanquam mõſtra horrifica animas deglutire quærunt, quod, inquam, aliud refugium habemus, niſi ad Dominum crebris ſuſpiriis clamare, eiuſque diuinum auxilium implorare. Cùm ignoramus quid agere debeamus, dicebat ſanctus Rex Ioſaphat: *Ad te ſunt Domine, oculi noſtri, ne pereamus.* Et Dauid Pſalm.119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Quòd ſi nos in profundo peccatorum exiſtentes ad Dominum clamare contemnimus: verè id ipſum eſt, ad ſummum profundum deueniſſe. Vnde D. Auguſtinus ait: Valdè in profundo ſunt peccatores, qui nec clamant de profundo. Et poſt pauca. Deinde hòc ſolent homines dicere: Iam quoniam multa feci, & damnatio imminet, hoc perdo quod non facio quicquid poſſum: quomodo ſolent homines deſperati dicere: ſic me occiſurus eſt Iudex pro decem homicidiis, quomodo pro quinque, quomodo pro vno: quare, quidquid mihi iam occurrerit non facio? Et hoc eſt quod dicitur: *Peccator cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Hi nimirum viam Cain infœliciſſimi hominis ſequuntur, qui de miſericordia Dei deſperauit, dicens: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Magna quidem eſt, ô Cain, iniquitas tua, ſed non tanta, quòd diuina miſericordia ſit maior. Mereretur quidem peccatum tuum veniam, ſi tu diuinam clementiam imploraſſes: at quod non meretur veniam, eſt peſſima iſta tua cogitatio & opinio qua iniquitatem tuam diuina clementia ſuperiorem iudicaſti. In hac hæreſi etiam fuit Iudas, qui conſiderans impiam proditionem, & deſperans de diuina pietate, laqueo ſe ſuſpẽdit. De quo ait B. Auguſtinus lib.1. de ciuit. cap.17. quòd peccauit magis deſperando de miſericordia Dei, quàm ipſum vendendo. Iudæ factum, inquit, meritò deteſtamur, eumque veritas iudicat cum ſe laqueo ſuſpendit ſceleratæ illius traditionis, auxiſſe potius, quàm expiaſſe commiſſum, quoniam de Dei miſericordia deſperando, exitiabiliter pœnitens, nullum ſibi ſalubris pœnitentiæ locum reliquit. Et Leo Papa in eundem, inquit: Sceleratior omnibus, ô Iuda, & infœlicior extitiſti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum

2. Par. 20
Pſal. 119.
Auguſt.
Gen. c. 4.
Auguſt.
Deſperatio Iudæ grauius peccatum quã Chriſti Domini ſui proditio.

Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum, Eandem viam
Ezec. 33. ſequuti videntur, qui apud Ezechielem capite trigeſimo tertio, dicebant: *Iniquitates noſtræ & peccata noſtra ſuper nos ſunt, &*
Hier. 2. *in ipſis nos tabeſcimus, quomodo ergo viuere poterimus?* Et Hieremiæ 2. eadem vox habetur. *Deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus.* Sed ad Ezechielem reuertamur. Quàm inſulſa ratio: *Iniquitates noſtræ ſuper nos ſunt, quomodo ergo viuere poterimus?* Quaſi Deus vellet mortem peccatoris, & non magis quòd conuertatur & viuat. Longè aliter de miſericordia Dei iudicabat, qui hanc eandem rationem, ad impetrandam miſericordiam allegabat.
Pſal. 38. Pſalmo trigeſimo octauo, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* &c. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Ac ſi diceret: Non me latet quòd iniquitates meæ caput meum ſunt ſupergreſſæ, & velut graue pondus ſupra me conſtitutæ: grauiora ſunt peccata mea quàm ferendo ſim aptus: tamen certò ſcio, quòd miſericordiam tuam ſupergredi non poterunt, & ideo non deſpero de venia. Cùm ergo fuerimus in profundo peccatorum immerſi, non diffidamus, ſed cum Propheta clamemus. *De profundis clamaui ad te Domine.*

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Petit à Deo vt aures attentas ſupplicationibus præſtet; quia ſolet Deus à Peccatoribus aures ſuas auertere. Et ideo ſubdit: *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Quaſi dicat: Obſecro Domine noli attendere ad peccata noſtra, quæ nobis impedimento eſſe ſolent, ne exaudiamur: ſed ſint, quæſo aures tuæ attentæ ad vocem quærimoniarum mearum. Non habet oratio crudeliorem inimicum quàm peccatum. Vnde cùm aliquid à Deo petimus, debemus non ponere obicem, ſed à noſtris peccatis reſipiſcere: quia nihil magis obſtat quominus orationes noſtræ audiantur, quàm peccatum
Iona 2. ipſum. *Qui cuſtodiunt vanitates fruſtra miſericordiam ſuam de-*
Lyranus. *relinquent.* Vbi Lyranus, id eſt, reddunt ſe indignos miſericordia diuina, pro vanitatibus ſuis ſequendis. Ad hoc enim quòd oratio noſtra vſque ad aures diuinas perueniat, neceſſe eſt, quod orans prius vanitates peccatorum relinquat. *Derelinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas, & con-*
Ioel. 1. *uertatur ad Dominum, & miſerebitur eius,* aiebat Ioel: Quid obſecro ſunt ſæculi voluptates, quid carnales concupiſcentiæ, quid denique omne momentaneum, quod delectat, niſi vanitas? Hæc ergo omnia derelinquat, qui à Domino vult impetrare

petrare miſericordiam. Paulus Burgenſis adnotauit in Hebrȩo, ſic legi: Qui cuſtodiunt vanitates fruſtra miſericordiam ſuam derelinquunt, Gentiles carpens, qui Deos ſuos vaniſſimos colunt. Hi enim miſericordiam Dei derelinquunt propter vanam ſuam religionem. Non ſecus qui idola ſuæ voluntatis in corde venerantur, fruſtrà miſericordiam Dei implorant. Vnde fratres abiicite prius idola peccatorum de cordibus veſtris, proſternite idolum ſuperbiæ, auaritiæ, gulæ, aut fortè vindictæ, pereant ſtatuæ quas Diabolus in arce cordis fabricauit, mundentur corda noſtra ab omni vitio, & clamemus, non ſummis labiis, ſed ex profundo corde & imò pectore, & inueniemus aures Dei noſtri attentas, ſicque fiet, vt nobis præſtet auxilium & gratiam, & tandem gloriam. *Paulus Burgenſ.*

CONCIO SECVNDA.

Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

INTER omnia Dei attributa, quæ tanquam ſplendidiſſima aſtra firmamenti, & tanquam fulgentiſſimæ gemmæ in auro diuinæ eſſentiæ celatæ & ſculptæ, nitent, & miro modo ſplendent, diuina miſericordia & clementia, qua peccatores ad veniam benigniſſimè recipit, cæteris aliis longè fulgentior eſt. Hæc eſt quæ Deum reddit propitium ad condonandum, & peccatorem audacem ad petendum. Nam ſi apud Deum non eſſet miſericordia: omninò peccatori via ſalutis eſſet intercluſa. Quia ſecundùm Paulina verba, ***non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalua nos fecit.*** Quod quidem euidenti argumento comprobari poteſt: quia inquit Pſaltes: ***Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas,*** id eſt, miſericordia, & iuſtitia. Itaque, adhuc nulla alia via nobis innotuit, qua ad ſupremam fœlicitatē perueniri poſſit, quàm per iuſtitiā aut miſericordiam. Per viam iuſtitiæ ſolus Chriſtus inceſſit, quia gloriam quam meruit ſibi aut nobis, meruit per viam iuſtitiæ, ſibi quidē gloriam ſui corporis, nobis autem gloriam & gratiam: ac per viam miſe

Miſericodia diuina excellentia & laus.
Ad Tit. 3.
Pſal. 24.

miſericordiæ, quæ magis trita eſt, omnes nos incedimus; quia cùm ſimus natura filij iræ, & nemo mundus ſit, & abſque ſorde, neque infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram, ſecundùm tranſlationem Septuaginta. Indigemus quidem diuina miſericordia, & gratia iuſtificante, vt ſaluari poſſimus. Adumbratum fuit hoc, in Salomonis templo, 3 Reg. 6. vbi in ingreſſu oraculi fecit duo oſtiola de lignis oliuarum. Eſt enim oliua miſericordiæ ſymbolum, quare ſignificabatur hoc facto, quòd non niſi per miſericordiæ oſtium cœlum poſſumus ingredi. Hinc eſt, quòd cùm Deus noſter, ſit Deus ſaluos faciendi, & voluntate antecedente (quod aiunt Theologi) velit ſummopereque deſideret omnes homines ſaluos fieri, licèt miſericordia & ira ab eo citò proximent. *Aunque tenga a mano la juſticia como la miſericordia*: tamen magis de miſericordia quam de iuſtitia gloriatur. Exiſtimat enim magnam ſibi comparare gloriam, cùm miſericordiam ſuam circa aliquem peccatorem exercet, & inſtar Titi, qui illum diem perdidiſſe affirmabat, in quo nulli beneficium contuliſſe: ſic tempus illud inaniter & fruſtrà (vt ita loquamur) elapſum eſſe putat, in quo miſericordiæ beneficium hominibus non confert. Reges Ægyptiorum (vt refert Valerianus Pierius) ſceptro vtebantur, quod à parte inferiori pedem Hipopotami, ſeu Equifluuialis, animalis quidem crudeliſſimi, haberet inſculptum, à parte verò ſuperiori, caput ciconiæ, quæ pietatis ſemper & miſericordiæ inſigne fuit: vt ex hoc admoneretur princeps, quòd pietas impietati & crudelitati miſericordia anteponenda eſt: quia conditio Principis licèt ex dulci & amaro conſtare debeat, *ha de ſer agradulce*, tamen dulcedo amaritudini præponi debet. Sic etiam ſummus ille cœlorum Rex, licèt miſericordia & iuſtitia ſit præditus: tamen ſemper miſericordia ſuper exaltat iudicium, & miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Tantùm Deus occaſionibus miſericordiæ ſibi oblatis delectatur, quòd gloriam ſuam & delicias exiſtimat, peccatoribus parcere & indulgere. Vnde Iſaias inquit: *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti, nunquid glorificatus es?* Quaſi diceret: Hoc tuum gaudium eſt, hæc tua gloriatio genti indulgere, & peccatoribus parcere, peperciſti eis Domine, neque de peccatis eorum vltus es, nunquid iam es glorificatus & gaudens? O ſancte Deus & immortalis, quàm ſuauis eſt ſpiritus tuus, quis te totis viſceribus non diliget? quis tuam miſericordiam non magnificabit? quæ tanta eſt, quod non delectaris in perditionibus noſtris, quin potius ſalutem & conuerſionem noſtram ardenter ſitis.

Iob 25. *3. Reg. 6.* *Miſericordia cœli ianua.* *Eccl. 5.* *Pierius lib. 17.* *Pietas impietati præferenda.* *Iſai. 26.*

Hinc

Hinc fit, quòd cùm Deus magis ad miſerendum, quàm ad puniendum ſit inclinatus, non eſt præceps, neque celer in ſuis vindictis, quin potius lento procedit greſſu. Non numerata pecunia, quod aiunt punit, *no ſe paga de contado*, ſed patienter expectat, vt ad eum peccatores conuertantur, ſuamque frænat iuſtitiam, ne ſtatim contra peccatores procedat. Iſaiæ 49. vbi nos legimus: *Laude mea infrenabo te ne intereas.* Alij vertunt: *Ob laudem meam infrenabo tibi iram meam.* Alij verò: *Frenum iniiciam mihi tui cauſa, ne te omninò excidam.* Alij: *Obturabo nares,* quod idem eſt, *Hare que no ſe me hincchem las narices.* Itaque, ita Dei licèt magna ſit & terribilis, ſed non libera & effrænis, ſed fræno miſericordiæ correcta. Cùm enim diuina iuſtitia flagellum arripit ad flagellandum mundum, quando vel diluuiis, vel fulminibus, vel peſte, aut quibuſcunque aliis calamitatibus, illum diſperdere ſtatuit: mox miſericordia exit illi obuiam, flagellumque, aut gladium de manibus illius tollit, & iuſtiſſimæ vltionis furorem & iram compeſcit & temperat. Quare miſericordia de medio ſublata, nullus ante faciem illius poſſet conſiſtere, nemo eſſet, quem iuſtitiæ ſuæ fulmen non feriret, nulla eſſet in Ægypto huius mundi domus, quæ mortuum ſuum non ploraret. Ad hanc miſericordiam Dei magnificandam, quæ tam lentè ad vindictam procedit, eſt inſignis locus ille Hieremiæ Threnorum 2. *Cogitauit Dominus diſsipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione.* O Deus ſancte quis eſt qui hoc audiens, menteque voluens non immenſas tibi gratias agat, pro infinita tua clementia? *Cogitauit*, inquit, *diſsipare.* Prius mente voluit, quam opere compleret, non fuit in deſtruenda ciuitate acceleratus: ſicut ſolent eſſe Reges & tyranni, qui inconſideratè, & abſque vllo rei examine ſolent multoties ad vindictam procedere. Tetendit, inquit, vltra funiculum ſuum. Hoc multo magis mirabile videtur, quod ad diſſipandum murum Hieroſolymæ, funiculum prius tetenderit. Quis vnquam audiuit, quod Dux aut Rex ciuitatem aliquam expugnaturus, cùm murum eius demoliri intendat & ſubuertere, prius funiculum tetenderit, quàm ad primum lapidem manum admoueat? Vſque huc diſſipabitis, & non vltra procedere vobis permittitur. Hoc enim non fit in deſtructione, quin potius vſque ad fundamentum proſternitur. Iuxta illud Pſalmiſtæ: *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Tenditur enim funiculus ad ædificandum, non verò ad deſtruendum. At noſtri Dei clementia tanta eſt, quòd ad deſtruen

Iſai. 49.

Thren. 2.

Pſal. 136.

deſtruendum funiculum tendit. *Van muy medidos los caſtigos de Dios, y muy niuelados con el niuel de ſu juſticia.* Paulatim enim & pedetentim procedit, vt peccatores reſipiſcendi locum habeant. Significauerunt venuſtiſſimè Philoſophi amplectandam iudicibus lentitudinem, nec præcipites debere fore in ſuis ſuppliciis, ſub quadam eleganti iuſtitiæ pictura. Finxerunt enim iuſtitiæ currum à duobus mulieribus trahi, quarum altera fractum enſem manu portabat, altera verò conto innitebatur. Nam fractus enſis iſque retuſus, qui non cito quæ impetit ſcindit, & mulier conto innixa, quæ lentè incedit, tarditatem ſeueritatis & pœnæ indicant. Hinc, vt Plutarchus & Fulgoſius ſcribunt, Romani inſtituerunt, vt ſecuribus quæ perferebantur magiſtratibus virgarum alligarentur faſces, vt dum faſces ſoluerentur, magiſtratui ſpatium cogitandi daretur: ne iratus ea fieri imperaret, quorum poſteà fruſtrà pœniteret. Cùm ergo miſericordia Dei tanta ſit, quod de noſtris ſuppliciis non gaudeat, quin potius maximè doleat, non præceps eſt ad puniendum, ſed ad parcendum valdè inclinatus. Quare filij Iſraël hoc attendentes, cùm in miſera Babylonis captiuitate propter ingentia eorum ſcelera (vt adnotauit Lyranus) verſarentur, ad miſericordiam Dei confugiunt, eam ſummis extollendo laudibus: *Si iniquitates*, inquiunt, *obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio, &c. Domine quis ſuſtinebit?* In Hebræo ſic habetur: *Commiſſa enim ſi imputes Domine, Domine quis non cadet? No que dara hombre empie.* Docet locus hic, omnes nos eſſe aut fuiſſe peccatores, & egere gloria Dei, quæ pro miſericordia eius aliquando accipi ſolet, vt patet ex illo Pſalm. 107. *Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui.* Nemo enim eſt de filiis hominum qui coram Deo poſſit ſe iuſtificare, *quia omnes declinauerunt, & inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Inutiles facti ſunt, id eſt, peccatores, peccator enim inutilis eſt Deo, quia fructum gloriæ, ad quem proferendum conditus eſt, ferre non poteſt. Illud dicimus inutile, quod vſui ad quem factum eſt, deſeruire non poteſt, peccator autem dum in peccatis manet, huic vſui non eſt aptus. Sed quid moror in hoc probando? quomodo poterit non inutilis eſſe, aut non peccare homo conceptus de muliere, filius Adæ ex parentibus peccatoribus, & ex vitiata natura genitus? Quomodo enim ſine peccato reperiri poteſt homo habitans in carne mortali, ex qua peccati tentatio procedit? Hoc eſt argumentum Iobi, cap. 4. *Ecce qui ſeruierunt ei non ſunt ſtabiles, & in*

Nicol. Lyra.

Gloria pro miſericordia accipitur.

Pſal. 107.

Pſal. 13.

Peccator inutilis.

Iob. c. 4.

Digitized by Google

& in Angelis ſuis reperit prauitatem, quantò magis hi, qui habitant domus luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea? Quibus verbis magnus Gregorius non ſolùm infœlices angelos comprehendi putat, verùm & eos qui iam in omne æuum Deo fruuntur, ita tamen quod iſti dicantur inſtabiles, quia quantum erat ex ſe deficere potuerunt: illi verò prauitate commaculati, quia non ſteterunt in veritate. Vnde Hebræa habent. *In ſuis miniſtris non firmum opus retinuit, angeliſque ſuis indidit veſaniam*, vt inter eos diſtinctionem facere videatur, vt alij ſint inſtabiles, alij verò væſani, & qui prauitatem commiſerint. Quod ſi hoc ſupremis illis poteſtatibus contigit, quid de nobis ſentiendum erit, qui habitamus domus luteas? vel vt Chaldeus habet: *Quanto magis impij, qui habitant in ſepulchris?* Impij dicimur quia ſumus omnes natura filij iræ, habitare verò domos luteas, quia *portamus theſaurum in vaſis fictilibus*, iuxta Paulum 2. Corinth. 4. Quo loquendi modo vſus videtur Plato in Cratilo, vel de recta nominũ ratione, & retulit Origenes in libris Periarchon, dicens, humanum corpus eſſe dictum, σῶμα, quaſi σῆμα, in quo animus ipſe tanquam ſepto, vallóque claudatur, velut in carcere quodam. Eſt ergo argumentum Iob: Si ſupremæ illæ poteſtates, quæ incorruptibiles, & immortales eſſe videbantur corruptione nihilominus peccati fuerunt infectæ, & deficere à ſua rectitudine potuerunt: quantò magis nos, qui mortales ſumus & debiles, terrenúmque fundamentum ex noſtra conditione habemus? Diſcamus igitur de noſtris viribus non præſumere, aut iactare, non in fortitudine noſtra cõfidere, aut nobiſmetipſis placere. *Quia non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei, ſed beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum.* Et cùm fratrem noſtrum in aliquo flagitio iacentem viderimus, illum non contemnamus, non exprobremus ei ſed leniter corrigamus cùm ſimus & nos peccatores, & natura fragiles, & in eadem commiſſa facilè cadere poſſimus; inquit enim Pſalmiſta: *Si iniquitates imputes Domine, Domine quis non cadet?*

D. Greg.
Nota.
Hebræa.
Chald.
2. Cor. 4.
Plato in Cratilo.
Orig.
Pſal. 146.
Obſeruare iniquitates, id eſt, accuratè inueſtigare & excutere.

Sunt hæc verba filiorum Iſraël, humilis quædam confeſſio, qua ſuorum ſcelerum grauitatem fatentur, & ſe indignos libertate iudicant, quam tamen propter diuinam miſericordiam adepturos eſſe ſperant: ſic nos, quando vinculis peccatorum conſtringimur, & iugo ferreo diaboli premimur, noſtra crimina confiteri, & propriam miſeriam recognoſcere debemus, vt diuinam aſſequamur miſericordiam, & à ſcelerum noſtro-

Peccati cognitio

D. Aug. rum compedibus liberemur. Vnde D. Auguſt. verba hæc peccatori adaptans, inquit: Circumſpexit ſe, circumſpexit vitam ſuam vidit illam vndique flagitiis, & facinoribus coopertam, quocumque reſpexit, nihil in ſe bonum inuenit, nihil illi iuſtitiæ ſerenũ, potuit occurrere, & cum tanta & tã multa peccata vndique, & cateruas ſcelerũ ſuorũ videret, tanquam expaueſcẽs exclamauit: *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Nulla enim re magis diuina miſericordia inclinatur, quàm agnitione proprij ſceleris. Qui peccata ſua non cognoſcit, ſed defendit, aut excuſat: torrenti diuinæ miſericordiæ ſe opponit. Non enim fruſtra Cain, qui primus de diuina pietate diffidit, peccatum ſuum fateri noluit, nec propriam culpam recognoſcere, ſed eam luci diſſimis diuinæ maieſtatis oculis occultare intentauit. Vt ex hoc daretur nobis intelligi, quod qui propria crimina non fatentur, ſpe veniæ priuantur. Quare in Canticis cap. 1. habetur: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt greges ſodalium tuorum.* Alloquitur animam quę pulcherrima appellatur, eo quòd Dei ſit imago, tamen aliquando culpa fœdatur, & ait illi, quod ſi ſe ipſam ignorat, ſuámque miſeriam, & propria peccata non agnoſcit, ad cubiculum illius, qui æternus ſponſus eſt, peruenire non poterit. Fruſtra namque Deum quærit, qui ſeipſum non intuetur, & mentis oculis ſua peccata non cognoſcit. Hunc Deus à ſocietate & amicitia ſua rejicit, & poſt greges ſodalium ſuorum peccantium abire permittit. Heu dolor, quot ſunt hodie peccatores, qui in deploranda diaboli ſeruitute; ferro & vinculis detinentur, peccatis & flagitiis pleni, qui ſuam nihilominus miſeriam, non ſolùm non deplorant, verùm neque agnoſcunt, aut vident. Sunt enim non pauci huiuſmodi homines ſeipſos, ſtatúmque animarum ſuarum ignorantes, qui cùm in reatu peccati exiſtant, variis criminum tenebris irretiti, putant ſe recto tramite, ad cœli brauium conuolare. Huiuſmodi eſt Symoniacus, qui dignitatem eccleſiaſticam pretio comparauit, Huiuſmodi Vſurarius qui illicitis contractibus, magnam pecuniarum ſummam acquiſiuit, non ſine magna Reipublicæ iactura, pauperúmque detrimento, Huiuſmodi etiam erit carnalis homo venundatus ſub peccato, carnis vile mancipium, & Sathanæ ſeruus, qui in voluptatibus venereis, cùm ſit ſubmerſus, id ipſum non cognoſcit aut videt, quia obſcuratum eſt inſipiens cor eius fumo & flammis concupiſcentiæ carnalis. Similes mihi videntur iſti, filiis Iſraël, hac ignorantiæ labe laborantibus,

Geneſ. 4.

Cant. 1.

Peccatũ eſt cæcitas.

bus, qui cùm quamplurima ſcelera commiſiſſent, tamen de ſua iuſtitia præſumebant, quos Dominus per Prophetam Hierem. redarguit cap. 2. *Quomodo dicis non ſum polluta, poſt Baalim non ambulaui? vide vias tuas in conualle, & ſcito quid feceris.* Grauius eſt (vt inquit Lyranus) poſt patratum peccatum illud defendere & excuſare, quàm illud committere, quia vt in 1. Reg. cap. 15. dicitur: *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*, repugnare, inquam, proprium, peccatum, defendendo, & non detegendo illud. Filij ergo Iſraël opera ſua excuſabant, nec agnoſcebant ſe flagitiis eſſe contaminatos, negabant ſe Baal aut Baalim idolum adorâſſe, & ideo illos redarguit dicens: *Vide vias tuas in conualle.* D. Hieronymus in commentariis ſuis aſſerit vallem hanc eſſe vallem Henon: erat enim (vt ipſe inquit) locus amœniſſimus variis plantis, & arboribus conſitus, in quo erat idoli cuiuſdam delubrum, ibíque ſacrificia offerre conſueuerant, filióſque ſuos traducebant per ignem idolis offerentes. Rabi Salomon (referente noſtro Lyrano) aſſerit eſſe vallem Beelphegor, vbi filij Iſraël idololatriam commiſere, vt habetur numerorum 25. cui etiam ſubſcribit Ionatas Chaldæus, & huic ſententiæ videntur fauere Septuaginta Interpretes qui vertunt, *in valle Polyandron*, quod interpretatur in ſepulchro multitudinis, quia ibi propter idololatriam commiſſam, magna populi multitudo occiſa eſt. Inquit igitur Deus, negas te eſſe pollutam, maximáque ſcelera perpetrâſſe, aperi oculos tuos, & vide vias tuas in conualle, (ſiue ſit Henon ſiue Beelphegor parum refert) reduc ad memoriam quæ feceris, vide enormia flagitia quæ commiſeris, infamem idololatriam quam ſequuta es. Adducit Cardinalis Hugo manuale exemplum ad hoc explicandum. Vt ſi mulier quædam adultera, de ſua caſtitate præſumeret, & alia improperans illi diceret, memento domus illius vetulæ, vbi adulterium commiſiſti: ſic improperat Deus Synagogæ. Memento (inquit) delubri illius vallis, vbi tot commiſiſti adulteria, tot idololatrias perpetraſti, Eſt optimus hîc locus ad conuincendum hominem proteruum cæcum & obſtinatum, qui innocens ſibi videtur, & ad pedes confeſſoris poſitus, nihil ſe deliquiſſe, nulliúſque criminis ſe conſcium affirmat. O cæce, & inſipiens, aperi oculos quos diabolus tibi clauſit, & vide vias tuas in conualle, recole perditiſſimam vitam tuam: & cognoſce tua flagitia, legis trangreſſioné, fratris iniuriam, & Dei contemptũ, recogita elapſos iam annos in vanitatibus

Hier. 2.
Lyranus.
1. Reg. 15.
D. Hier.
Rabi Sal.
Num. 25.
Ionatas Chald.
70. Viri.
Hugo.
Simile.

conſumptos in amaritudine animę tuæ,& cognoſces in pluribus offendiſſe, & multa grauiáque ſcelera perpetraſſe: quæ cùm cognoueris,& tot monſtra intra domicilium animæ tuæ fueris intuitus: proculdubio cum filiis Iſraël clamabis, & dices: *Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit?*

Suſtinere idẽ quod ſperare. *D. Aug.*

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te domine. Verbum hoc ſuſtinere idem meo iudicio ſignificat quod ſperare,imò in hac ſignificatione videtur D.Auguſtinus præſentem verſum explicare.Si iudex ſolum eſſe velles,& miſericors eſſe nolles,obſeruares omnes iniquitates, & quæreres illas, quis ſuſtineret? Quis ante te ſtaret & diceret innocens ego ſum? Quis ſtaret in iudicio tuo?Sto ergo ſpe ante te ego, quia apud te propitiatio eſt,ideo ſpero,ideo ſuſtineo. Si enim apud Deum non eſſet propitiatio, nihil ab eo peccatores ſperare poſſent, quare in deſperationem inciderent. In templo ſiue in tabernaculo vbi offerebantur ſacrificia fundebantúrque preces,ſuper arcam fœderis erat propitiatorium, vt templum ingredientes,viſo propitiatorio;ſtatim ex ipſius aſpectu intelligerent, apud Deum propitiationem eſſe peccatorum, concipeͤréntque ſpem impetrandi quod poſtulabant:eadem ratione etiam in Eccleſia conſuetudo ſeruatur, vt in ingreſſu templi apponatur imago crucifixi,quia vt D.Ioannes inquit, 1.cap.1. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, non tantum pro noſtris, ſed pro totius mundi, vt viſa Chriſti ſeruatoris noſtri imagine,cuius meritis omnia nobis condonantur peccata, in ſpem firmiſſimam eorum quæ poſtulamus,erigamus.Nam,ô Chriſte ſancte,vitæ noſtræ reparator,animarum noſtrarum dulcedo,& calamitatum noſtrarum refugium,cuius vel ſaxeum pectus,vel cor lapideum,etiam ſi adamantis duritiem antecellat, te intuens flagellis vulneratum,plagis percuſſum,tot vibicibus affectum, ſanguinéque cruentatum, non ſtatim igne charitatis accenſus emolliatur & liqueſiat? Cuius ſpes non erigitur cùm conſiderat qualia pro nobis fueris paſſus? Tanta eſt Dei noſtri clementia, quod ex hac conſideratione pagani etiam & infideles ſuorum criminum veniam ſibi promittant. Legitur enim in libr. Regum, quod cùm Deus in Philiſtinorum prouinciam, plagam quandam murium immitteret, qui fuerunt valdè noxij,nam demoliebantur meſſes, vineas,& oliueta,& cùm ſuper hac re deliberationem apud ſe haberent, quidam illorum dixerunt: ſe noſſe Deum Iſrael eſſe clementem & placabilem, faciliiméque præſentata ſibi miſeria ad miſericordiam

Propriũ Dei eſt parcere & miſereri. *Exod.25.* *Propitiatoriũ fuit typus Chriſti crucifixi in ingreſſu tẽpli.* *1.Ioan.1.* *1. Reg.6.*

cordiam flecti, conſuluerúntque illis, vt præſentarent illi plagam auro ſculptam, vt ea inſpecta ad miſericordiam moueretur: *Iuxta numerum prouinciarum*, inquiunt, *quinque anos aureos facietis, & quinq; mures aureos, quia plaga vna fuit omnibus vobis.* Quia mus animal eſt immundum indignúmque præſentia tanti Dei, non in propria ſpecie, ſed in ſua imagine præſentatur, quã cùm vidiſſet Deus, ſtatim ad miſericordiam commotus eſt, plagámque à prouinciis illorum abſtulit. O viſcera Dei noſtri omni dulcedine & ſuauitate repleta, ô clementiſſime Deus Iſraël, cuius oculi ferre non poſſunt miſerias noſtras præſentes intueri, & non ad miſericordiam ſtatim prouocari. Quis Domine de tua pietate diffidat, qui tuam nouerit conditionem? *Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine.* *Pſal. 9.* Non nimirum quod in te non ſperent, qui nomen tuum non nouerunt, at qui nouerũt illud, *los que os ſaben la condicion,* & qua facilitate peccata dimittis, quare in te non ſperabunt? Quare fratres cùm aliquo labore premimur, cùm aliqua plaga, vel calamitate laboramus, vtamur hoc prudentiſſimo Philiſtinorum conſilio, ante conſpectum eius huiuſmodi mala præſentemus, vt ſpe veniæ concepta, ſalui & liberi eſſe mereamur.

Et propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Locus hic variè à Doctoribus explicatur. Aliqui inter quos in Lyran. intelligunt hoc de lege per Prophetã Ezechielẽ data: *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatũ eius amplius non recordabor.* *Lyranus.* *Ezec. 18.* Quæ quidem lex pietatis tam firma & ſtabilis eſt ex parte Dei, quod nullatenus poteſt deficere. B. Auguſt. quem Innominatus ſequitur, exiſtimat legem eſſe charitatis, quæ lex Dei noſtri appellatur, iuxta illud D. Paul. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* *D. Aug.* *Incognit.* *Galat. 6.* De ceruis legitur (inquit ipſe Auguſtin.) quod quando ratione pabuli, debent aliquod flumen tranſmeare, alter alterius onus portat, quia vnus ſuper alium caput ſuperponit & reclinat, ille verò qui quaſi Dux omnes alios præit, & eſt in primo loco, cùm defatigatus fuerit, ad poſteriorem reuertitur, & caput ſuper alium reclinat, & ſic viciſſim ſibi auxilium prebent, ita quod mutua charitas ſit illis loco nauis. *Simile.* *Auguſt.* *Exemplum naturale.* Ad eundem modum nos qui ad cœleſtem patriam tendimus, debemus ad inuicem noſtra pondera ferre, & alter alterius infirmitatem adiuuare: pauper doctus doceat diuitem ignorantem, & diues ignorans docti paupertati ſuccurrat: qui ſpiritualis eſt, carnalem carentem *Ceruorũ prudẽtia & charitas.*

ſpiritu corrigat, & hic correctionem illius humiliter audiat: ſenex adoleſcentis leuitatem corripiat, & adoleſcens neceſſitatis ſenis curam habeat, hoc eſt alterutrum onera portare, in quo lex Chriſti conſiſtit. Adimpleuit hanc legem Chriſtus Deus noſter, qui cùm nos immenſo peccatorum pondere oneratos videret, & quod infirmitas noſtra ad tam graue pondus ſuſtinendum erat impos, humerum ſuum ſuppoſuit, & cùm innocens eſſet, portauit noſtra crimina, vt ad optatum

Iſai. 53. beatitudinis finem peruenire poſſemus. *Poſuit in eo dominus iniquitates omnium noſtrum,* inquit Iſaias, & alibi: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*: alioquin neque Deum ferre, neque peccata noſtra portare poſſemus, vnde rectè inquit, *Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.*

In Hebræo ſic habetur, *quia tecum eſt propitiatio cùm ſis terri-*

D. Hier. verſio. *bilis, propter hoc timeberis,* & ſic vertit Diuus Hieronymus: quod (referente Lyra.) Rabi Salomon exponit in hunc modum:

Rabi Salomon. *Quia tu ſolus potes peccata dimittere, propter hoc timeberis,* id eſt, es timendus. Si enim alius eſſet apud quem, Deo vero offenſo, eſſet peccatorum remiſſio, ad illum appellare poſſemus: at verò apud nullum alium, præter Deum, talis reſidet auctoritas, quare ſummopere timendus eſt. Nemo enim præter Deum

Iob. 14. poteſt peccata dimittere. *Quis* (inquit Iob capite quatuordecimo,) *poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* quod idem eſt ac ſi dixiſſet. Quis poteſt dimittere peccata niſi tu ſolus, quis proferet purum de immunda maſſa conceptum? hoc quippè non ad alium, niſi ad te ſolum

Iſai. 43. ſpectat. Et per Iſaiam, ait Dominus, 43. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me,* id eſt, propter gloriam meam, quia redundat in gloriam Dei non modicam, quòd ipſe ſolus & non alius poſſit hominum delere peccata. Si ergo apud ſolum Deum reſidet hæc iudiciaria poteſtas remittendi peccata, quare illum non timemus? Quare non trepidat cor noſtrum Deum offendere, qui ſolus poteſt ignoſcere? Miles qui vnum ducem offendit, ſub alterius vexillo poterit militare, & qui

Simile. hunc Regem non habet propitium, ad alium tranſit, qui eum defendat & protegat. Gentiles qui pluralitatem Deorum admittebant, cùm in vnum deliquerant, ad alterius auxilium confugiebant: at verò fidelis qui vnicum Deum, & hunc ſupremum omnium Dominum, noſtræ militiæ ducem, & totius vniuerſi monarcham fatetur & credit, ſi hunc offenderit, illúmque inimicum habuerit, ad quem alium poterit confugere,

ſugere, qui illum defendat & protegat? *Quis non timebit te ô Rex gentium?* aiebat Hierem.c.10. *Non eſt ſimilis tui Domine, magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.* Quaſi dicat: Si aliquis in fortitudine eſſet tui ſimilis, aut in potentia, forſitan te non timerent, cum ad illum poſſent habere ſuffugium: at cùm non ſit tui ſimilis, ſub cuius protectione poſſint vitam degere, quis te non timebit, & à verbis oris tui non trepidabit? Timebat potentiam huius ſupremi Regis patientiſſimus ille Iob, qui dicebat cap.31. *Semper enim, quaſi tumentes fluctus, timui ſuper me Deum, & pondus eius ferre non potui.* Quod explicans D. Greg. ait: Quod cùm tumentes fluctus in tempeſtate imminent, & eam quam deferunt mortem minantur, nulla tunc nauigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur, quinimo diuitias illas ex naui proiiciunt, pro quibus acquirendis, longa nauigia ſumpſerunt: quia cupido viuendi omnia alia fecit deſpicere: ſic qui verè timet Deum, omnia terrena deſpicit, fallacéſque carnis voluptates contemnit, Timebat etiam eum ille qui dicebat Pſal.37. *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ.* Vbi D. Baſilius legit. *A facie rugitus tui,* Alludit namque, ſecundum Lyræ explicationem, ad timorem magnum, quem ex diuina vindicta concepit, quando vidit Angelum percutientem populum. Timor ille ſic inuaſit ſenſus illius, quod intenſa quædam frigiditas per carnem eius diffuſa eſt, taliter quod veſtibus calefieri non poterat. Et ideo dicit, quod à facie rugitus illius timebat. Cùm leo rugit de ſylua, quis non pauebit? quis non formidabit? Rugiet leo ille fortiſſimus de tribu Iuda in extremo iudicij die contra peccatores, quando tremendam illam ſententiam pronunciaturus eſt: *Ite maledicti in ignem æternum,* cuius vel ſaxeum pectus non formidabit? Præſertim cùm apud illum ſolum ſit propitiatio, & ad nullum alium poſſint peccatores habere recurſum. Quare nunc dum tempus nobis ſuppetit, dum ſupplex, & miſericors in cruce expectat, ad eum accedamus, eíque humiles fundamus preces, ne noſtra obſeruet crimina ad puniendum, ſed liberaliter veniam concedat per gratiam.

Hier. 10. *Iob* 31. *D. Greg.* *Pſal.* 37. *D. Baſil.* *Nicol. Lyr.* *Matt.* 25.

⁂

CONCIO TERTIA.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.

Deus nō patitur nos tētari ſupra ſed iratus miſeretur, percutit vt ſanet.

CALAMITATES & flagella, quibus Deus peccatore in hac præſenti vita proſequitur, ferè ſemper, nō ad eorum interitum, ſed potius correctionem & pœnitentiam ordinantur. Deus enim cùm piiſſimus pater ſit, non ſinit nos ex ſententia agere, ſed ſtatim adhibet vltiones, quod magni beneficij & beneuolentiæ ſignum eſt. *Quia*, vt dicitur Prouer. 27. *melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſconditus*, id eſt, quàm amor, qui in nullis manifeſtatur operibus. Quare *Deus*, (vt verbis Beati Pauli vtar) *flagellat omnem filium quem recipit.* Vnde eſt, quod cùm Iſraeliticum populum, loco filij habuerit, iuxta illud Iſai. cap. 1. *Filios enutriui & exaltaui.* Et Hierem. 31. *Efrain primogenitus meus*, non liberè permittebat eum agere, ſed ſtatim de peccatis eius vindictam ſumebat, flagellis, plagis, & captiuitate caſtigando. Quare Leuit. 26. poſtquam ſeruantibus legem magna propoſuit ante oculos præmia, ſtatim ſubiungit. *Quod ſi non audieritis me, & feceritis omnia mandata mea: ſi ſpreueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, viſitabo vos velociter egeſtate & ardore.* Et poſt pauca: *Et diſperdam vos in gentes, & euaginabo poſt vos gladium meum: eritq́; terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ.* Vbi cernis quod inter alia mala, quæ præuaricatoribus legis comminatur, non infimum locum tenet captiuitas. Iuſto namque Dei iudicio decernitur, vt qui diuinæ legis iugo colla ſubmittere nolunt, iugo ferreo captiuitatis ſubjiciant. Hoc idem in libro Deuteron. cap. 28. vbi Moyſes violantibus legem quàm plurimas valdéque timendas maledictiones imprecatur. *Niſi cuſtodieritis*, inquit, *verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine, & timueritis nomen eius glorioſum, & terribile, augebit Dominus plagas tuas.* Et poſt pauca. *Diſperget te Dominus in omnes populos, à ſummitate terræ, vſque ad terminos eius, & ſeruies ibi Dijs alienis.* Circa hęc duo loca Leuitici, & Deuter. adnotauit doctiſſimus Paulus Burgenſis, quod primus intelligitur de captiuitate Babylonica, quæ per ſeptuaginta durauit annos. Secundus verò, de captiuitate Romana, quæ adhuc finita non eſt, nec finietur. Et licèt hoc quam

Prou. 27. Hebr. 12. Hier. 31. Leu. 26. Deut. 28. Paulus Burg.

Digitized by Google

quamplurimis confirmet rationibus, vnam tamen ex omnibus eligemus, quæ ad noſtrum propoſitum magis ſpectat. Ea eſt, quod in hac ſecunda, nulla conſolatio miſericordiæ promittitur, cùm finem non ſit habitura, at in prima ſpei ianua non clauditur, quia miſericordia eis promittitur, ſi tamen à peccatis ſuis reſipiſcant. Quare poſt citata verba ſubiunxit: *Tunc orabunt pro impietatibus ſuis, & recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, & Iſraël, & Abraham.* Itaque, libertas huius Babylonicæ captiuitatis, promiſſa fuit orationi aliquorum iuſtorum, qui in eadem captiuitate erant, quorum precibus, libertatem erant adepturi. Ad idem eſt Pſalm. 88. vbi dicitur: *Si autem dereliquerint filij tui legem meam, & mandata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea* Nam cui veritati nocere poſſet, ſi omnino à populo Iſraëlitico miſericordiam ſuam auferret? niſi illi, quæ per ora Prophetarum promiſſa eſt, quod illa ſeruitus & captiuitas Babylonica non eſſet futura perpetua, ſed finem habitura, cùm à ſuis conuerterentur ſceleribus. Hoc ergo conſiderans auctor iſtius Pſalmi, videns Iſraël captiuos, & quod propter eorum peccata maximis afficerentur calamitatibus, & iniuriis, & conſiderans quod propter medium orationis populus ille erat libertatem conſequuturus, poſtquam ſummis precibus pro populi ſui ſalute & libertate, Dominum exorauit, magnam ſpem obtinendi petitum concepit: maximè cum in infallibili & certiſſima Dei promiſſione niteretur. Quare inquit: *Suſtinuit anima mea in verbo eius*, &c. Quaſi dicat: Non poſſum Domine, impetrandæ ſalutis Iſraëliticæ magnam ſpem animo non concipere, cùm in tali pignore, Verbo ſcilicet tuo, ſit fundata. Non enim ſuſtinuit anima mea in meis meritis, totiúſve populi, quia *omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ*, non in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus, non in armorum ſtrepitu, equorúmque multitudine, vel potentia militum, quia *non ſaluatur Rex per multam virtutem, & Gigas in multitudine virtutis ſuæ non ſaluabitur, fallax equus ad ſalutem*, *non denique in precioſis theſauris, aut diuitijs, quia non proderunt diuitiæ in die vltionis, ſed ſolum in Verbo ſalutari tuo ſuſtinuit anima mea*: quod firmiſſimum & ſecurum eſt, nullatenuſque poteſt deficere. Diſcamus nos hinc, in quo ſuſtinere debeamus, & vbi ſpem noſtram collocare: non in principibus, neque in filiis hominum, non in phantaſtica & apparenti ſæculi potentia, non in diuitiis aut volupta-

Pſal. 88.

Iſai. 64.

Pſal. 145.

Pſal. 32.

Prou. 11.

In ſolo Deo ſperandū & confidendum.

Digitized by Google

tibus,neque in aliqua alia re, niſi in diuino Verbo , quod nequaquam deficere poteſt,aut fallere. Sic enim dictum eſt per
Iſai.40. Iſaiam Prophetam capite quadrageſimo. *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius , quaſi flos agri exſiccatum eſt fœnum , & cecidit flos, verbum autem Dei noſtri manet in æternum.* Nomine carnis, omne terrenum intelligit, quod tanquam fœnum areſcit, & conſumitur.Vana enim eſſet ſpes illius qui in viriditate fœni, eiuſque nitore, & apparentia fideret, exiſtimans, quod illum virorem nunquam eſſet amiſſurum : ſic vana eſt illorum ſpes, qui in voluptatibus,diuitiis,aut proſperitate huius mundi confidunt,cùm omnia hæc ad inſtar ſint fœni, quod hodie eſt, & mane in clibanum mittitur. Sic omnia, quæ ſub lunæ globo continentur, inſtabilia ſunt, & firmitudinem nullam habent.
D. Greg. D. Greg. in expoſitione huius Pſalmi expendit illud Saluator. *Manete in me,& ego in vobis,*dicens.Vbi manendum eſt, niſi in
Ioan.15. ipſo? *Deficient domus palatia corruent,deſtruentur ciuitates ab imis ſedibus turres euellentur , poſtremo cælum & terra tranſibunt, verbum autem Domini manet in æternum* , non ſequamur vanitatem deſerentes veritatem.

Reponenda igitur eſt ſuſtinentia noſtra , & anchora ſpei noſtræ, ne nos decipiat , in Verbo Dei & veriſſimis eius promiſſionibus, quæ nullatenus deficere poſſunt. *Fidelis Deus,* inquit Dauid,*in verbis ſuis,& Sanctus in omnibus operibus ſuis,*144.
Pſal.144. Simul , & ſanctitatem operum & fidelitatem commendat, vt intelligamus , quod ſicut implicat ab operatione eius ſanctitatem deficere , ſic etiam à verbo veritatem. Si enim Deus aliquem falleret,mentiretur,quod Deo repugnat facere , non ſolum per ſe, verum neque per internuntium, aut aliam per-
Lib.1.de ſonam. Cùm ſit, inquit Auguſtinus omnipotens , mori non
ſim.c.1. poteſt,falli non poteſt, mentiri non poteſt.Et rurſum, dum de
Deus mẽ- omnipotentia Dei, tam multa dixerimus , ſi volunt inuenire
tiri non quod omnipotens non poteſt , habent prorſus , ego dicam:
poteſt. mentiri non poteſt. Quod ipſe Dominus confirmat Lucæ vi-
Lib. 20. geſimo primo,cùm ait:*Cælum & tarra tranſibunt , verba autem*
de ciuit. *mea non tranſibunt.* Vel concidat ergo omne cœlum , omniſ-
cap.25. que natura : diuina tamen veritas conſiſtat neceſſe eſt. Nam
Luc.20. ſi Deus per ſe, vel per ſuos miniſtros poſſet fallere(in quo aliqui iuniores aberrarunt) impoſſibile eſſet , quin inter ipſos canonicos ſcriptores , aliquod mendacium reperiretur , aliquáve diſſonantia, & quod ſibi inuicem non conſtarent omnes , quod experientia ipſa docente manifeſtè falſum eſt. Quin potius inter alia fidei noſtræ firmiſſima argumenta

hoc

Digitized by Google

hoc principem locum obtinere Scotus exiſtimat in prologo ſententiarum, quod tanta ſit in diuinis Scripturis conſonantia, vnde (vt exiſtimo) factum eſt, quod diuina Scriptura muſica & harmonia quandoque appellatur. Eccleſ.44. dicitur: *Laudemus viros glorioſos in generatione ſua, qui in peritia ſua inuenerunt modos muſicos & carmina Scripturarum.* Et Iob 36. *Qui dedit carmina in nocte.* Fuit antiquitus muſica apud Ægyptios referente Horo Apolline fœderis aut pacti ſymbolum. Vnde ad ſignificanda fœdera, & quod futura eſſent rata & firma citharam muſicæ inſtrumentum, in medium adducebant. Et erat non ineptum ſymbolum: quia ſicut in cithara fides quibus conſtat, & voces cùm diuerſæ ſint, in vnum coëunt, & conſonant, ſic etiam in fœdere, diuerſæ voluntates in vnum conueniunt. Eſt enim Scriptura fœdus quoddam diuinum quod cum hominibus pepigit Deus, cui falſum ſubeſſe non poteſt. *Quæ procedunt*, inquit, *de labijs meis non faciam irrita*, vel vt habent Hebræa: *Non faciam irritum fœdus meum.* Et ideò muſica appellatur, circa quam nulla diſſonantia, aut falſitas reperiri poteſt: & licet Prophetarum ſint diuerſæ voces, tamen omnes diuina quadam conſonantia inter ſe conueniunt. Refert Ioſephus lib.10. capit.10. quòd cùm Propheta Hieremias Hieroſolymis, & Ezechiel Babyloniæ, templum Dei eſſe euertendum, & ciuitatem deſtruendam aſſererent: tamen non credebat Rex Ezechias prædicationi eorum, quia videbantur inter ſe diſſidere, quia alter illorũ affirmabat Regẽ captiuandum eſſe, ducẽdumque in Babylonem: alter verò, quod Babylonem non erat viſurus, in quo cõtradictio eſſe videbatur: tamen cùm veritas Dei infallibilis ſit, vtrumque adimpletum eſt, & ductus eſt Babylonem & illam non vidit, quia luminibus priuatus, illam fuit ingreſſus. O Verbi diuini infallibilis & ineluctabilis veritas, ô irrefragabilis & admiranda virtus, vbi neque falſitas, neque deceptio aliqua reperiri poteſt. Quis eſt Domine qui in firmiſſimo verbo tuo non ſperet, cùm ipſis cœli polis ſit firmius? Magna hinc nobis emergit conſolatio, fratres, ſi conſideremus quanta in diuinis promiſſionibus ſit certitudo & firmitas, quia nobis res non eſt cum homine aliquo mendace, cuius verba ſunt dolo & fallacia plena, nõ cum deceptore & veneſico, qui nos machinationibus ſuis decipiat, ſed cum veraciſſimo Deo, vel, vt rectius dicam, cùm ipſa eſſentiali veritate, cuius verba de ore ſuo ſancto procedentia, irrita, aut inualida eſſe non poſſunt. Ipſe enim nobis magna & inenarrabilia bona promiſit, ſi tamen mandata eius cuſtodimus: promiſſe ſuam

Scriptura ſacra muſica appellatur.
Eccl.44.
Iob.36.
Horus Apollo.
Fœderis ſymbolũ.
Pſal.88.
Ioſephus.
Nota.

Digitized by Google

ſuam gratiam, ſi ad eam diſponimur, & remiſſionem criminum, ſi verè, & non fictè peccata noſtra deteſtamur & confitemur. Speremus ergo in eo, & in Verbo eius ſuſtineant animæ noſtræ, cùm loco pignoris illud habeamus, in quo & confidebat ille qui dicebat: *Suſtinuit anima mea in verbo eius ſperauit anima mea in Domino.*

Rectè quidem poſtquam in ſuperiori verſu peccata & ſcelera confeſſus eſt, dicens adeò grauia eſſe, quod ſi ſupplicia grauitati reſponderent, nemo ſuſtinere poſſet, modò ſubdit: *Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit,* &c. Fruſtra namque à Deo miſericordiam expectat, qui propria ſcelera non agnoſcit & confitetur, neque de illis debitum dolorem habet. Quare ſpes peccatoris obſtinati, & qui in vitiis ſuis perſeuerat, credens nihilominus quod ſine peccatorum pœnitentia vitam æternam conſequetur, talis non eſt ſpes, ſecundum D. Gregorij ſententiam, ſed potius ſtulta præſumptio. Spes enim ſic à Theologis definitur, Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis ex Dei gratia, & meritis proueniens. D. Bonauent. ſic eam definit. Spes eſt virtus qua ſpiritualia & æterna bona cum fiducia expectantur, propter confidentiam meritorum, præcedentium, & gratiam diuinam. Vbi ſummopere aduertendum, quòd in definitione ſpei etiam noſtra merita ponuntur, vt intelligamus non totum diuinæ gratiæ relinquendum eſſe, licèt cauſa ſit principalis, ad ſperandum: nam niſi adſint etiam merita præſumptio erit, non ſpes. Qui autem in peccato mortali exiſtit, nullum opus Deo gratum efficere poteſt, quare ſpes eius vana exiſtimatur, niſi à peccatis reſipiſcat. Debemus quidem ſperare in diuina miſericordia, quod bona eius conſequemur, ſed non ſperare hoc ſine meritis, quia hoc eſſet vaniſſimum. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino,* inquit Pſalmiſta, Alia litera habet: *Sacrificium innocentiæ.* Prius debemus Deo ſacrificium innocentiæ ſacrificare, quod fieri nequit, ſi in peccatis perſeuerauimus, & deinde ſperare in Domino. Sacrificium, inquit, non holocauſtum, vt omnes comprehendat. Hæc namque differentia, inquit Hugo, inter ſacrificium & holocauſtum verſatur: quòd in ſacrificio pars offerebatur Deo, pars verò ſacerdoti reſeruabatur: at holocauſtum totum cremabatur & offerebatur Deo. Perfecti & Religioſi debent ſe in holocauſtum Deo offerre, id eſt, totaliter, ita vt nihil in illis, mundo, aut ſæculo reſeruetur, vt verùm ſæculares, ſat eſt, quòd tanquam ſacrificium offerantur. Iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 12. *Obſecro vos, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam*

D. Greg. Mag. 3. ſé. diſt. 26.

D. Bon.

Spes quid ſit.

Pſalm. 4.

Hugo.

Sacrificij & holocauſti diſcrimen.

Rom. 12.

Digitized by Google

ſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile, obſequium veſtrum. Hoſtiam viuam, inquit, non mortuam. Ille hoſtiam offert, verùm mortuam, qui in peccato exiſtens, aliqui bona opera exhibet, orationem ieiunium, eleemoſynã, aut aliquod aliud opus. Hoſtia hæc caret vita gratiæ, quare neque ſancta eſt, neque Deo placens. Inquit ergo Dauid: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*, id eſt, voſmetipſos in ſacrificium iuſtitiæ & innocentiæ per opera in charitate facta, & tunc ſperate in Domino. Et obſeruat Hugo in ſua gloſſa ſuper hæc verba, quòd ante ſacrificij oblationem, aliqua fiebant, quæ debent etiam fieri in ſacrificio cordis noſtri. Primò, quòd ſegregabatur animal mactandum ab aliis animalibus: ſic etiam cor debet ſegregari ab omni illicito. Qui enim noluerit cor ſuum à voluptatibus, carniſque illecebris, & delicus prohibitis ſegregare: fruſtra ſperabit in Domino: Vnde Pſalm. 31. dicitur: *Multa flagella peccatorum, ſperantes autem in Domino miſericordia circundabit.* Diuidit inter peccatores, & ſperantes, quia qui ſperat in Domino debet à peccatoribus & à peccatis ſeparatus eſſe. Secundò, ligabatur animal, ita etiam debet ligari cor funibus & vinculis præceptorum Dei, propter quod dicitur Ezechiel. 4. *Et circundedi te vinculis, & non te conuertes à latere tuo in latus aliud.* Tertiò, excoriatur: ſic etiam cor excoriari debet, quod fit per confeſſionem. Hoc adumbratum fuit Iudith. 10. vbi dicitur, quòd Iudith volens Holofernem interficere, exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ. Iudith enim confitens interpretatur, qui debet exuere ſeipſum veſtibus viduitatis ſuæ: quia debet anima vidua & ſponſo ſuo Chriſto orbata, ab omnibus peccatis ſuis cum veteri homine exui, vt Chriſtum induat & diabolum occidat. Quarto & vltimo, ſacrificium in fruſtra diuiditur, & igne comburitur: ſic etiam cor noſtrum gladio ſpirituali verbo, ſcilicet Dei, quod ſuper omnem gladium ancipitem penetrat, & pertingit vſque ad diuiſionem animæ & corporis, diuiſum igneque charitatis accenſum, creatori ſuo debet offerri, quo ſacrificio facto, tunc anima fidelis ſperet in Domino.

Hugo. *Ezech. 4.* *Confeſſio* *Iudit. 10.* *Figura.*

Fauet huic explicationi Paraphraſis Chaldaica, quæ ſic habet: *Domate concupiſcentias veſtras, & reputabitur vobis, ſicut ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in Domino.* Omnes quidem in Domino ſperant, & omnes vitam æternam adepturos eſſe putant, ſed pauci ſunt qui concupiſcentias ſuas domare velint. Si enim interroges hominem carnalem, vtrum ſpem habeat ſuæ ſalutis: reſpondebit vtique, ſe habere firmiſſimam, in eaque omne

Paraphr. Chaldaic.

Digitized by Google

omnes eremi cultores antecellere. Quod ſi adhuc ab eo ſciſciteris, quare igitur carnis petulantiam non refrænas? Quare propriam ſenſualitatem non domas? Statim in ſuum fauorem miſericordiam vocat, dicens, quòd ſperat in ſumma Dei clementia, qui non permittet eum damnari, pro quo ſanguinem ſuum fudit. Cui ego dicam. Rectè quidem, ſi tamen ipſa ſpes bene fundata eſſet: quia ſpes vti iam diximus, non ſolùm in miſericordia Dei, ſed etiam in bonis operibus ex gratia eius procedentibus fundari debet. Quæ autem ſecus fundatur, finem ſuum non aſſequitur. Iob capite 11. ſui vaticinij poſtquam ſpem iuſti magnis encomiis ſublimauit, dicens de illo, quòd habebit fiduciam propoſita ſibi ſpe, & quod defeſſus dormiet ſecurus requieſcet, & non erit qui illum exterreat: ſpem malorum depingit, dicens: *Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes illorum abominatio animæ.* Deficient oculi impiorum in morte, *entonces cerraran los ojos*, & tunc peribit ab eis omne refugium, quia nullum remedium ſuæ ſalutis inuenient. Nam *ſicut ſperat iuſtus in morte ſua, ſic impius in malitia ſua expellitur.* Et tunc quidem ſpes eius abominatio erit ei, vel (vt alij legunt) afflictio, cùm videat ſe ſua ſpe eſſe fruſtratum. Hoc idem Diuus Paulus in ea quam ad Hebræos ſcripſit elegantiſſimè pertractat. Inquit enim capite decimo, *Habentes itaque fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id eſt, carnem ſuam, & Sacerdotem magnum, ſuper domum Dei, accedamus cum verò corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem.* Hortatur nos Diuus Paulus, vt *fiduciam habeamus in introitu ſanctorum*, id eſt, quòd ſimul cum ſanctis omnibus poſſimus per merita ſanguinis Chriſti regnum cœlorum ingredi, cuius viam ipſe initiauit nobis, quia ipſe primus omnium (vt inquit Diuus Anſelmus in commentariis) hanc viam eſt ingreſſus & fidelibus ſuis poteſtatem ambulandi per eam, poſt ſe tribuit. Quam nouam appellat, quia vt inquit Diuus Ambroſius, nullius adhuc via hæc fuerat temerata veſtigio, quia ipſe eſt qui reſerauit nobis vias vitæ. Hæc via viuens appellatur ab effectu, inquit Lyra. quia ducit nos ad veram vitam. Omnes aliæ viæ, licèt filiis perditionis rectæ videantur, tamen ducunt ad mortem & æternam damnationem: ſola hæc via, quam oſtendit nobis Chriſtus ad vitam ducit, quare viua appellatur. Qui hac via incedunt, viuentes dicuntur, qui verò per alias, mortui ſunt.

Iob 11.

Spes malorum depingitur.

Prou. 14.

Hebr. 10.

D. Anſel.

D. Amb. ſerm. 73. de natiu.

Lyranus.

Via

Via illa quæ ducebat ad lignum vitæ, per cuius eſum æternizabatur homo, iure optimo via vitæ appellari poterat, quia ducebat ad lignũ æternæ vitæ: ſic via quam Chriſtus per mortem ſuam, nobis aperuit, via viuens dicitur, quia ſola illa ducit nos ad locum, vbi æterna & perdurabilis vita reperitur. Per velamen, id eſt, carnem ſuam. Appellat velamen carnem Chriſti, quia ſicut velamen templi, ſiue tabernaculi ſancta ſanctorum tegebat, vbi non omnibus, ſed ſolùm Sacerdoti ſummo ingredi libera concedebatur licentia: ſic caro Chriſti, erat velum quoddam, quo diuinitas tegebatur, ne liberè homines illam, in ſua majeſtate & claritate poſſent intueri. *Erat enim Deus abſconditus ſanctus Iſraël Saluator eius*, vt Iſaias inquit: Templi velum in paſſione ſciſſum eſt (vt aduertit Anſelmus) ad ſignificandum, quòd poſt mortem & paſſionem filij Dei, liber iam ad eum daretur acceſſus. Inquit igitur Diuus Paulus, *quòd fiducia accedendi ad Deum, & cœlum ingrediendi, debet eſſe per velamen*, id eſt, per carnem Chriſti, cuius paſſio, & vt ita dicam diſciſſio, peruiam nobis fecit cœli viam. Et Sacerdotem magnum in domo Dei. Habemus etiam Chriſtum Dominum noſtrum Sacerdotem magnum, per cuius ſacrificium & hoſtiam, quam in ara crucis Patri obtulit pro ſalute noſtra, poſſumus cum fiducia aſpirare, ad ingreſſum regni cœleſtis. Sed aduertite, quaſi dicat egregius gentium Doctor, quòd ad hoc, quod ſpes noſtra vana non ſit & irrita, requiritur quod accedamus cum vero corde, non ficto, ita quòd Deum fallere velimus, accedẽdo ad eum duplici corde. In plenitudine fidei, ita quod fides noſtra ſit totalis & integra, credendo firmiter quidquid nobis per Eccleſiam proponitur. Debemus etiam aſpergere corda noſtra, à conſcientia mala. Fiebant aſperſiones, quãdo populus ingrediebatur templum, vt illi qui ingreſſuri erant, mundarentur à quacunque irregularitate, vel indecentia. Sic debemus nos corda rore Spiritus ſancti aſpergere, & corpus per lauacrum ſacri fontis abluere, vel lachrymis ab oculis noſtris in tanta copia procedentibus, quod nõ ſolùm animam, verùm & corpus abluere ſufficiant: & ſic tenebimus fidei noſtræ ſpem indeclinabilem, id eſt, ſpem veram & firmam quæ à fide noſtra proficiſcitur. Ex eo enim quòd credimus Chriſtum ſuo ſanguine ianuam regni cœleſtis aperuiſſe, pretiumque noſtræ redemptionis Patri ſoluiſſe, concipimus ſpem vitam æternam aſſequẽdi. Quare, ô anima fidelis Chriſti ſanguine redempta, accede cum fiducia ad thronũ gratiæ eius, accede ne timeas, ſi illum offendiſti, & irã eius tuis ſceleribus prouo

Iſai. 45.

D. Anſel.

Hebr. 4.

prouocaſti: time quidem, ſed timore non ſeruili, ſed filiorum non diffidas, ſed in verbo eius ſuſtine, & in miſericordia illius ſpera. Interim hoc vnum aduerte, quòd niſi à peccatis pœnitentiæ egeris, niſi cor tuum mundaueris & lachrymis contritionis ablueris, ſpes ſua te fruſtrabitur, & ad optatum non te perducet finem: ſi autem ſpe vera & pura in eo ſperaueris, conſequeris gratiam & gloriam.

CONCIO QVARTA.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

NVLLVS eſt humanus labor, nulla tam vrgens & ſæua calamitas filiis Adæ poteſt accidere, etiam ſi magis ac magis vndequaque ingruat, quæ ſpe ſalutis & incolumitatis futuræ, non fiat tollerabilis. Hac enim ſpe de medio ſublata, permulti cum ſe vident laboribus & periculis omni ex parte circundatos, deficerent animo, dolorique ſuccumberent. At ſpes, quæ vnicum eſt eorum qui laboribus vexantur ſolamen: vires tribuit ac robur ad aduerſa quæque ferenda. Hinc eſt, quòd cùm Deus parentes noſtros de Paradiſo eiiceret & præciſo relegaret exilio, eo quòd manum ad vetitum lignum extenderent, etiam ſi Cherubin poſuit in introitu & veſtibulo Paradiſi, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ gladium verſatilem manu ſua habentem, ſed non Paradiſi ianuam omninò clauſit, quod facilè illi fuiſſet, ne ſpei etiam clauſa, homo inter exilij huius calamitates deſperaret: impoſſibile iudicans, ad gaudia Paradiſi remeare, iterumque redire. Quomodo enim creatura tam nobilis ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata, quæ nullas adhuc calamitates aut ærumnas fuerat experta, ſed in amœniſſimo illo Paradiſi loco, vbi nihil noxium, nihil nociuum, aut triſte, collocata fuerat, perſiſtere poſſet & viuere: niſi diuina hac ſpe fulta & animata? Tempore diluuij, quando vniuerſam terram Deus aquis inundauit, & omne animantium genus propter hominum malitiam perire fecit, iuſſit Noë, vt ingrederetur arcam cũ filiis ſuis, vt ſaluaretur ſucceſſionis humanæ ſemen, & non omninò periret. Cui iuſſit Deus, cap. 6. Geneſ. quòd in arca quam ingreſſurus erat feneſtram faceret. *Feneſtram*, inquit, *in arca facies, & in cubitu conſummabis eam.* Fuit enim

Spes laborum ſolamen.

Geneſ. 3.

Geneſ. 6.

Petrus comeſtor.

feneſtra

feneſtra iſta (vt in hiſtoria Scholaſtica dicitur ex ſententia Hebræorum) chryſtalina, per quam lux ingrediebatur. Et hinc eſt, quòd vbi dicitur *facies feneſtram*, aliqui vertunt: *Facies lucernam*. Et hæc quidem feneſtra (vt aduertit Oleaſter & ex contextu colligitur) erat in ſummitate arcæ verſus cœlum reſpiciens. Deus ſancte, quis in hac feneſtra cœlum reſpiciente, ſpei mirabile ſymbolum non videat? Nonne Domine aptius eſſet quod feneſtra eſſet in latere arcæ, vt ex ea Noë aquarum innundationē poſſet reſpicere, vt quāprimum ceſſauerit inundatio, & apparuerit arida, ipſe cum cæteris animantibus incolumis egrediatur? Minimè quidem ſi enim feneſtram à latere arcæ aperiret, forſitan ſpei ianuam clauderet. Nam ſi ex illa feneſtra verſus terram aſpiceret, cùm videret eam Noë aquis immenſis inuolui, opulentiſſimas ciuitates corruere, ſuprema ædificia ſolo æquari: cùm cerneret homines contra inundantium aquarum, & ventorum impetum reluctantes, & tandem ſimul cum alijs animantibus inter feri maris fluctus abſorberi forſan doloroſo & triſti, ſpectaculo exanimatus, ſpem futuræ ſalutis amiſiſſet. Quare præcepit Deus, quòd feneſtra illa eſſet in ſummitate arcæ, per quam nihil aliud niſi cœlum poſſet aſpicere, vt in ſolo Deo ſpem omnem collocaret. Patientiſſimus ille Iob, qui tot calamitates ab aduerſario humanique generis hoſte, non ſine diuina Dei permiſſione fuit perpeſſus in ſuis aduerſitatibus, ſpem redeundi ad priſtinum ſtatum comitem ſemper habuit. Sic enim dicebat: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*, cap. 14. Immutationem appellat, vel ab illo miſerabili & deplorando ſtatu, in quo erat, ad priſtinum fœlicitatis, in quo fuerat, regreſſio, vel quod magis rationi conſonat, à vita illa corruptibili & mortali, ad immortalem & incorruptibilem tranſmutatio. Et appellat immutationem, alterius vitæ ſtatum. *Porque ſera mudar caſa, y mudar eſtado, y vida*, ſicut quidam vir doctus explicat. Et obſerua, quòd præſentem vitam laboribus & calamitatibus circumſeptam, militiam appellauit, ad inſinuandum, quòd ſicut miles ſpe victoriæ, aut ſtipendij militat, alioquin militiæ labores ferre non poſſet: ſic ſpes futuræ vitæ, præſentem, ærumnis & calamitatibus plenam, reddit tolerabilem. Quis enim inenarrabiles militiæ labores quos tolerare eſt neceſſe, ſine ſpe alicuius propoſiti præmij, vel per vnum ſolum diem ferre pateretur? Sic nos vtique in præſenti vita quaſi Dei milites, ſpe celeſtis beatitudinis & futuri triumphi laboramus. Hic deſudandum eſt, hic laborandum, hic ſunt agendæ

Oleaſter.

Symbolū ſpei, eſt feneſtra arcæ Noë cœlū reſpiciens.

Iob. c. 14.

Qui l immutatio.

Vita noſtra militia.

Digitized by Google

excubiæ,& ſtandum ſemper pro acie, in futurum verò differtur præmium. Hæc eadem conſideratio Apoſtolum Paulum in mediis laboribus & perſecutionibus, quas ab Eccleſiæ ſanctæ hoſtibus tulit,conſolabatur. *Fortiſſimum ſolatium habeamus,qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis.* Perpulchrè, & non ſine magna ſermonis elegantia, ſpem anchoræ nauigij comparat, quia ſicut Nauta cùm turbatur mare,& fluctus eius intumeſcunt,anchoram mittit,quę nauigium contra maris,fluctuúmque violentiam,tenet immobile:ſic iuſtus,qui in aliqua tribulatione, animæque tempeſtate verſatur, ad anchoram ſpei debet confugere,eámque in loco túto ac firmo collocare: in Deo, ſcilicet,qui natura ſua firmus eſt & immutabilis. Tradit D. Ambroſius homil.5.in Hexameron, quod Echinus piſcis marinus exiguus & vilis, cùm procellam tempeſtuoſam præſenſerit, calculum validum arripit, eúmque tanquam anchoram tenet, ne excutiatur fluctibus, itaque, non in ſuis viribus ſtabilitur, neque in ſeipſo confidit, ſed alieno pondere fulcitur: ſic nos imminente tépeſtate tentationis, vel alterius aduerſitatis,non in noſtris viribus,neque in noſtra virtute confidere debemus, ſed in virtute Dei.Accipiamus calculum illum,de quo Apocalyp.cap.2. dicitur:*Dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum*: cui adhæreamus fortiter, ne à tentationibus ſuperemur. Doctrinam hanc probè nouerat Pſaltes hic,qui cum filio Iſraël in dura Babylonis captiuitate, & ſeruitute conſtitutos,conſideraret,intelligens, ſpem in ſolo Deo poſitam,vnicum illis fore remedium, vt à tantis malis liberari poſſent,incoluméſque euadere,alloquitur illos,dicens: *A cuſtodia matutina vſque ad noctem*,&c.

Hebr. 6. *D. Amb.* *Simile.* *Apoc. 2.*

Sed filiis Iſraël pro nunc dimiſſis,ad nos ipſos noſtram orationem conuertamus.Quis eſt inter omnes filios Adę,qui non intelligat, in hoc mundo, vbi à vera noſtra patria exulamus, captiuorum nos vitam degere? Quandoquidem & corpus ipſum quod animæ habitaculum eſt carcer appellatur & cuſtodia, vbi mens non catena ferrea, ſed carnis compedibus aggrauatur,vbi innumeras calamitates & miſerias perpeti neceſſe eſt. Contigit enim animæ noſtræ, quod alicui nobili aut equiti ſolet contingere: cui ſi propter aliquod commiſſum ſcelus,loco carceris propria domus aſſignetur à iudicibus:quæ illi prius erat iucunda, & in qua non mediocrem voluptatem captabat,incipit ei tædio eſſe,& ingentis triſtitiæ cauſa.Parie-

Corpus animæ carcer. *Simile.*

tes

Digitized by Google

tes videantur iam illum non poſſe capere,&quidquid in ea eſt, triſte & iniucũdum dijudicat. Sic corpus humanum quod ante præuaricationem,ánimæ erat valdè gratum, cùm poſt peccatum datum ſit illi in carcerem , iam non rectis oculis illud aſpicit , quia magnas in illo præſentit moleſtias. Bone Deus quæ lingua(etiam ſi Tullianam imitetur facundiam)enarrare poterit incommoda,dolores,infirmitates , & miſerias,quæ ex ſocietate corporis animæ adueniunt?

Hinc ortum habuere voces illæ lamentabiles & doloris plenæ ſanctiſſimi Iobi quibus Deũ alloquebatur,dicens:*Nunquid mare ego ſum aut cetus , qui circundediſti me carcere?* cap.7.Appellat carcerẽ corpus,in quo anima quaſi quibuſdam vinculis detinetur.Sed quãtum ad maris & ceti metaphoram, aduertit Lyranus, quòd Deus in mundi principio, quaſi incarcerauit mare ſub terminis quos nunc obſeruat , quia cùm elementum aquę in decupla proportione terram excedat,naturaliter eam operiret, & ex omni parte circundaret: at quod illam non ex omni parte cooperiat,diuinæ virtuti & pręcepto debetur.*Terminum poſuiſti,* inquit Dauid, *quem non tranſgredientur,neque conuertentur operire terram.* Itaque,mare incarceratum eſt, & quaſi vallo quodã circundatum. Cetum etiã immanem piſcẽ intra limites Oceani maris recluſit,non permittens vt ad maria mediterranea regulariter trãſeat,ne nauigantibus nocumento ſit.Inquit ergo Iob:*Nunquid mare ego ſum aut cetus,* &c. Quaſi diceret,Mare quidem iuſtiſſima prouidentia incarceratum fuit ne limites ſuos trãſcendens cunctam inundaret terrã,cetus etiam dignè tuis legibus fuit recluſus,ne nauigantibus nocumentum inferret:at ego,quæ mala feci,aut quæ commiſi crimina,quæ dãna proximis intuli,quòd ſic carcere me circundas & premis?Cur nõ iam corporis vincula diſſolui pateris?Cur vincto mihi non aperis ianuã:vt ex hoc corporis ergaſtulo liber poſſim exire? Eodem etiã tendunt Regij Vatis illæ affectuoſiſſimæ voces,quæ habentur Pſal.141. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* In Hebræo habetur:*Educ de carcere* , quod & D.Auguſtinus aduotauit. Qua loquendi metaphora exactiſſimè explicat , moleſtias quas patitur anima, dum in corpore commoratur. Carcer ferè ſemper locus eſt horridus , fœtidus, & immundus , vbi ſunt fures , homicidæ, facinoroſi , & qui capite ſunt damnandi : & locus ipſe nihil aliud eſt (vt verbo vno multa concludam)niſi vas quoddam &receptaculum,vbi totius Reipublicæ fæces recipiuntur. Conſiderate ergo quando aliquis

Iob c. 7.

Lyranus.

Pſal.103.

Pſal 141.

D. Aug.

Carceris miſeria.

vir probus & nobilis alieno ære oppreſſus carcerem ingreditur, quid ſentiet? Sed quid non ſentiet? Valdè enim affligitur ex loci illius fœtore, tribulatúrque eius ſpiritus ex vili ſocietate prædonum, & ſceleratorum hominũ, quibus carcer abundat; quorum conſuetudinem & familiaritatem, nullatenus vitare poterit. Non ſecus anima noſtra, cùm illuſtris & generoſa ſit, nationeque cœleſtis (vt inquit Diuus Hieronymus) cùm corpus ingreditur, quaſi ſtrictiſſimum carcerem, horreret quidem, ſi libera tunc ei daretur diſcurrendi facultas: quia ex ſocietate corporis quamplurima illi incommoda accidunt. Hebetatur anima, ſenſibúſque alligatur, ita vt ſine illis non poſſit aliquid, aut intelligere, aut operari; quia cognitio eius pro hoc ſtatu, à phantaſmatibus dependet. Quod non ſolum Philoſophus, verùm & ipſe Deus per Salomonẽ docet, dicens: *Corpus quod corrũpitur aggrauat animam, & terrena inhabitio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Vbi ſenſus pro intellectu accipitur; qui ex coniũctione corporis in ſuis actionibus præpeditur. O nobiliſſima anima ad imaginem Dei creata, ad quas anguſtias & miſerias ex ſocietate corporis deducta es? Hoc igitur grauamen ſentiens Dauid dicebat. *Educ de cuſtodia animam meam*, &c. Sed cur grauabor etiam Doctoris gentium verba in medium proferre, cùm ab hoc propoſito non abhorrreant? *Cupio diſſolui*, aiebat, *& eſſe cum Chriſto.* Et alibi. *Infelix homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Quæ verba & animæ tædium ex coniunctione corporis, & vehemens videndi Deum deſiderium ſubindicabant. Solet enim ſublimipeta accipiter, poſtquam ſceleri volatu aëra ſpatioſa tranſcendens, ardeam vſque ad nubes eſt inſequutus, indéque victum deiecit; cùm ineſcatus maneat, ardeæque deſiderio flagrans capitium & compedes nullatenus ferre poteſt quin potius inquietus & impatiens roſtro & vnguibus compedes rumpere nititur. Sic mihi D. Paulus viſus eſt: qui poſtquam in illo raptu quem habuit, vſque ad tertiũ cœlum, hoc eſt empyreum peruolauit, ibíque prædam diuinitatis ineffabili quodam modo eſt aſſequutus, audiuítque arcana verba quæ non licet homini loqui, ad corpus regreſſa anima illa beata, compedibusq; carnis ligata, inquieta manſit; deſiderijſque flagrans & amoris impatiens: nec poterat ſe intra corporis anguſtias continere. Rũpe moras Domine, aiebat, & educ me de anguſtiſſimo iſto carcere in quo captiuus detineor. Cupio enim vehementérque deſidero diſſolui ab hac carnis catena, qua ſpiritus meus alligatur: vt poſſim iam ad te peruenire, te videre, te perfrui.

Simile. *D. Hier.* *Ariſtot.* *Sap. 9.* *Pios tædet hic viuere.* *Philip. 1.* *Rom. 7.* *Exemplum accipitris.*

Manet

Manet igitur (vt exiſtimo) ex his quæ attulimus ſufficienter probatum, quòd vita noſtra quam in corpore degimus, captiuitas quædam eſt, & corpus ipſum carcer teterrimus: in quo quia nati ſumus, iniquas eius leges, & intolerabiles labores non ſentimus. Sicut puer quem mater in carcere peperit, qui cùm veræ libertatis experientiam non habeat: ludit, corridet, & afficitur gaudio in ipſo carcere: ſed cùm adultus fieri cœperit, & ad diſcretionis annos peruenire: conſiderans vitæ ſuæ miſeriam & captiuitatis ſtatum, contriſtatur valdè, & miſerum ſtatum in quo natus eſt, deplorare incipit. Non ſecus qui conſiderat miſeriam vitæ noſtræ, & quòd in hac valle lachrymarum à paradiſi gaudiis exulamus, & quòd corpus ipſum in quo anima noſtra pro hoc ſtatu degit carcer eſt ſtrictiſſimus, & deploranda captiuitas: nullatenus poterit ſe à doloroſis gemitibus abſtinere. Quòd ſi ridemus & exultamus, ſi in vanis huius mundi rebus delectamur, propterea eſt, quia tanquam paruuli ſub elementis huius mundi degentes, ad miſeriam noſtram non attendimus. Et hinc eſt, quòd non in Deo ſicut veri Iſraelitæ ſpem noſtram reponimus, ſed in rebus perituris & vaniſſimis, nulliuſque momenti. Quidam ſperat in fortitudine Pharaonis, id eſt, in mundi huius potentatibus, alius in amicorum auxilio, quorum ope & induſtria, ad ſtatum peruenturum exiſtimat, alius in multitudine diuitiarum ſuarum, quibus omnia quæ deſiderant oculi eius, conſequuturum putat, alius denique in deliciis & voluptatibus, in quibus ſuam beatitudinem collocat: non attendentes quòd omnis ſpes quæ extra Deum collocatur, vana eſt & fallax nullámque firmitatem habens. Inquit enim Regius Pſaltes, Pſal. 146. *Nolite confidere in principibus, neque in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius.* Vos, inquit, ſerui mei in collocanda veſtra ſpe toto cœlo erratis. Nolite in me confidere, neque in aliis mundi precibus, quia omnes mortales ſumus, & ſpes iuſtorum immortalitate plena eſſe debet. In illa die, videlicet, mortis, quæ vnicuique mortalium ſtatuta eſt, exibit ſpiritus eius, id eſt, cuiuſcumque principis in morte, quando corpus in terram, de qua erat ſumptum reſoluetur, & tunc peribunt omnes cogitationes eorum. Paraphraſis Chaldaica vertit: *Omnes machinationes eorum.* O magne Deus, quis enarrare ſufficiat immenſas machinas, quas diuites & potentes in mente ſua erigunt? Arces quas fabricant principes? Quot vento-

Pſal. 146.

Fallax eſt omnis ſpes extra Deum.

Paraphr. Chald.

rum turres, quot mœnia, quot faſtigia, quaſi incantationis arte fabricata, conſtruant? Si mentem alicuius Regis, aut principis liberè ingredi poſſes: Ilion Troianum ſiue Labyrinthum Creticum erectum videres, diuerſis machinationibus plenum. Tale vel tale regnum poſſidebo, talem, vel talem ciuitatem expugnabo, militibus meis magnifica ſpolia diuidam, afficiam eos muneribus: at venit repentè mors, & omnes has machinationes ad terram proſternit, pereuntque in illa die omnes cogitationes eius. Sic Pharaoni contigit, qui perſequens po-

Exod. 15. pulum dicebat: *Perſequar inimicos, & comprehendam: diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus meas.* Videte cogitationes, & attendite machinam, ſed quid eis accidit audiamus. *Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare & ſubmerſi ſunt: quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Sic

Luc. 12. etiam diuiti illi contigit, qui apud ſemetipſum dicebat. *Quid faciam, quia non habeo vbi congregem fructus meos? Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illic congregabo omnia quæ nata ſunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima mea habes multa bona, repoſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, & epulare.* Cui tamen de cœlo dictum eſt: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* Rectè quidem ſtultitiæ nota illum inurit, qui tantum de caducis & terrenis bonis confidebat, & tam ſtultas machinationes in mente ſua erigebat, quæ quidem omnes illa nocte perierunt. Qua-

Pſal. 145. re, inquit Dauid, *in illa die peribunt omnes machinationes eius.* Si ſpes noſtra in principibus aut in filiis hominum collocanda non eſt; dicito nobis Dauid ſancte in quo collocari debeat? *Beatus,* inquit, *cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius.* Ille verè beatus exiſtimandus eſt, qui in Deo Iacob

D. Aug. ſpem ſuam collocat. Et adnotauit Diuus Auguſtinus quòd non fruſtra & abſque myſterio in Deo Iacob ſpes dicitur collocanda, cùm poſſet dicere, in Deo Abraham, vel Iſaac. Quia nimirum Patriarcha hic, ex Iacob factus eſt Iſraël, id eſt, fortis aut videns Deum. In illa enim palæſtra quam cùm Deo habuit, dictum eſt ei: *Adhuc vocabaris Iacob, deinceps Iſraël erit nomen tuum, quia; ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines praualebis?* Beatus igitur qui confidit in eo, qui poteſt aliquem ex Iacob facere Iſraëlem, id eſt fortem contra omnes

Doct. Incog. aduerſitates & perſecutiones. Doctor Innominatus ab hac Beati Auguſtini interpretatione non longè diſtat: ſic enim, inquit. Per hoc vult oſtendere quod adiutorium quod dat Deus ſperantibus in ſe, eſt, quia facit eos beatos, quod oſtendit per

hoc

Digitized by Google

hoc nomen Iacob. Iacob namque fuit binominis, quia in principio natus, fuit vocatus Iacob, ſed poſtea quando vidit ſcalam, & Angelos aſcendentes & deſcendentes, & Dominum infixum ſcalæ, tunc Deus de Iacob fecit eum Iſraël. Et ſic ſpiritualiter in ſe confidentes de Iacob facit Iſraël. Iacob enim interpretatur ſupplantator. Quis autem propriè ſupplantator dicitur, niſi qui in præſenti vita, pugnando contra mundum, carnem, & diabolum de ipſis triumphat, ipſos ponit ſub planta ſui pedis: ſic ergo per Iacob intellige quemlibet iuſtum hîc legitimè certantem, ſed Iſraël interpretatur videns Deum, in cuius viſione beatitudo noſtra conſiſtit. Quid eſt ergo Deum de Iacob facere Iſraël; niſi virum iuſtum hîc certantem poſt exitum ſpiritus facere beatum? Verba ſunt Doctoris Incogniti. Interpretatio Beati Theodoreti contemnenda non eſt, qui adnotauit, quòd non fruſtra cùm de protectione diuina & fiducia noſtra eſſet ſermo, Iacob meminit, quem Dominus à perſecutione fratris protexit, & ipſe in Deo totam ſpem ſuam collocauit. Cùm enim exiuit de domo patris ſui de diuina eius protectione confidens, inquit: *Si cuſtodierit me Dominus in via hac per quàm ambulo, erit mihi Dominus in Deum,* &c. Et ipſe Dominus omnes ſpes ſuas compleuit, quia cuſtodiuit & ſeruauit eum à fratris ſui tyrannide & ſæuitia: & cùm egreſſus eſſet de domo patris pauper cum pallio & virga, ſicut egenus miles, locupletauit eum, magniſque ditauit muneribus eum, magnaque proſperitate reuerſus eſt, & in via ſe ipſum illi oſtendit, ita quòd facie ad faciem illum viderit. O Deus ſancte, & omnipotens quid non ſperantibus in te, & de tua protectione confidentibus largiris? quibus non eos beneficiis cumulas? *Beatus* certè is & millies beatus, *cui Deus Iacob adiutor eius*, Deus, inquam, ille, quem ſanctæ colunt animæ, & adorant, eſt præſidio, & cuius fiducia in Deo vero, qui fecit cœlum & terram, non in rebus terrenis, & corruptibilibus ſita eſt.

D.Theo.

Gen. 28.

Sed adhuc obſerua, quòd non temerè aut caſu, cùm de fiducia agit Iſraëlem alloquitur, dicens: *A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino*, Iſraël enim (vt iam diximus) videns Deum interpretatur. Ille namque in Deo ſperat, qui illum videt & cognoſcit. *Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum Domine, quoniam non relinquis quærentes te Domine.* Pſalmo 9. Ac ſi diceret, & ſi omnes ſperare in Domino debent ſed illi præſertim, qui illius cognitionem habent. Si Ethnicus aut Paganus aliquis, ſi Turca, aut infidelis ſpem ſuam in diuitiis,

Pſal. 9.

honoribus, voluptatibus, aut carnis illecebris collocaret, non mirum deberet eſſe, cùm verùm Deum non cognoſcant: at illi qui Deum cognoſcunt, fideique lumine illuſtrantur, non in alio, quàm in Deo ſperare debent, cùm omnia creata, Dei comparatione, pro nihilo reputentur. Namque qui Deum cognoſcit & videt, facilè creata omnia contemnit. Diuus Hieronymus ſuper illa Salomonis verba Eccleſiaſt. 2. *Idcirco teduit me vita mea, videns vniuerſa mala eſſe ſub ſole*, ſubindicat hæc verba comparatiuè eſſe intelligẽda. Omnia enim quæ ſunt ſub ſole, bona ſunt quia à Deo creata. *Vidit Deus*, inquit Moyſes, *cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Sed ſi hæc terrena cum cœleſtibus comparentur, mala computabuntur. Rectè odio habet, inquit, omne quod ſub ſole factum eſt, ad comparationem quippè paradiſi, & illius vitæ beatitudinem, in qua ſpiritualibus pomis & virtutum deliciis fruebamur, nunc quaſi in ergaſtulo carceris ſumus & valle lachrymarum, in ſudore vultus noſtri comedentes panem. Qui ergo hæc terrena cum cœleſtibus confert, illorúmque cognitionem habet, facilè omnia hæc contemnit. Vnde ſubdit Eccleſiaſt. *Ceſſaui, renunciauíque cor meum vltra laborare ſub ſole.* Paraphraſis Chaldea ſic legit: *Et reuerſus ſum ego, vt facerem deſperare cor meum ſuper omnem laborem quem laboraui ad acquirendum.* Itaque, poſtquam ad ſe reuerſus aperuit oculos, & intellexit vanitatem earum rerum, in quibus fruſtrà defatigatus fuerat, fecit vt cor ſuum à rebus tam vanis, cogitatum auerteret, & in illis minimè ſperaret. Adnotauit Diuus Gregorius egregiè quidem, & non ſine magno intellectus acumine, quòd poſtquam Iacob vidit Deum, appellatúſque fuit Iſraël, id eſt, videns Deum (vt nuper dicebamus) neruo eius emarceſcẽte, vno pede claudicauit: quia profectò, inquit, debiles ſe eſſe & infirmos reputant, qui ſe ad videndum Deum per ſtudium ſanctæ contemplationis leuant, qui dum ſpem ſuam in carne ponere deſinunt, quaſi vnius cruris vires amittunt: eoque aſſueſcunt, cœleſti dumtaxat deſiderio niti, quò ſenſerunt ſe à ſpe rerum temporalium debilitari, & omnia quæ ſub cœlo ſunt, vanitatem æſtimant. Adhuc Gregorius, cui conſonat Seneca, inquiens: Quid præcipuum in rebus humanis? erigere animum ſuper minas & promiſſa fortunæ, nihil dignum putare quod ſperes. Quid enim habet dignum quod concupiſcas, quia à diuinorum contemplatione quoties ad humana redieris, non aliter caligabis, quàm quorum oculi in denſam vmbram ex claro ſole rediere. Blaſphemus ille Rabſaces Princeps militiæ Syrorum, de quo agitur in Iſai,

D. Hier. Eccl. 2.
Nota.
Gen. 1.
Qui Deũ cognoſcit humana cõtemnit.
Paraphr. Chaldai.
D. Greg.
Nota.
D. Greg. ſuper de profundis.
Seneca.

Iſai. capite trigeſimo ſexto, qui ſecundum aliquos creditur fuiſſe filius Iſaiæ, vel ſaltem Iudæus, qui à vero Dei cultu & pietate defecerat, alij dicunt fuiſſe Samaritanum, Diuus Cyrillus in dialogo de adoratione & cultu in ſpiritu, credit fuiſſe Babylonium, parum refert: hic namque, cum Regi Ezechiæ populóque Iſraëlitico exprobraret, & contra Deum permultas pronunciaret blaſphemias, in hunc modum locutus eſt. *Dicite Ezechiæ: Hæc dicit Rex magnus, Rex Aſſyriorum. Quæ eſt iſta confidentia, qua confidis, aut quo conſilio, vel fortitudine rebellare diſponis? Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit manum eius, & perforabit eam.* Hæc verba licèt ſiniſtra intentione, malo animo, & ab homine impio, & infideli dicta: tamen, non modicam vtilitatem ex eis captare poſſumus, ſi fideliter interpretentur, & ea ad noſtros mores applicemus. Hoc enim habet peculiare Scriptura ſacra, quod omni ex parte proficua eſt, & fructuoſa, & nihil eſt in ea, quod non ſit pretioſum & vtile. Vt enim in aurificis officina, etiam ſordes & ſcobes proſunt, & coniiciuntur in ignem, vt nihil auri aut argenti deperdatur: ſic etiam in Scriptura ſacra, etiam ex peccatorum erratis, poſſumus vtilitatem aliquam captare. Exiſtimabat ergo blaſphemus hic, Regem Ezechiam, ſpem ſuam & incolumitatem ſui regni, in Ægypto collocâſſe, & ideo vanam eſſe eius confidentiam aſſerit, & perſimilem baculo arundineo confracto, cui ſi aliquis fuerit innixus, confringitur & manum eius perforat. Talis eſt confidentia mundi, qui enim in mundo hoc fallaci confiſus fuerit, vanam fuiſſe ſpem ſuam, abſque vlla dubitatione in poſterum ſentiet: quia baculus eſt arundineus confractus, nulla ſtabilitate conſtans. Sic enim appellatur à Salomone ſapientiſſimo, Sapient. capite tertio. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent,* Iuſtos ſcintillis comparat, propter virtutis claritatem diuinique amoris ignem, quo flagrant, & mundum arundineto. Quia ſicut arundo pulcherrimum virorem habet, tamen intus vacua eſt, omniique vento mouetur, & ad ædificandum eſt inutilis: ſic etiam mundus, cùm delectabilem apparentiam habeat, eſt tamen vanitate plenus, nullamque habet conſiſtentiam, quia citò tranſit omnis eius gloria. Quapropter ſtultus iudicandus erit, qui ſuper fundamentum tam debile, ſpem ſuam conſtruxerit. In libr. Prouerb. capite vigeſimo quinto, dicitur: *Dens putridus, & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ, & quaſi, qui amittit pallium in die frigoris.* Vtitur hîc Salomon

Iſai. 36. *Cyril.* *Scriptura ſacra ex omni parte vtiliſsima.* *Simile.* *Mũdi cõfidentia fallax.* *Sap. 3.* *Mundus arundineto comparatur.* *Prou. 25.*

tribus metaphoris, ad oſtendendam veſaniam eorum, qui ſperant in hoc mundo, qui infidelis eſt, & mendax, & in tempore neceſſitatis amatores ſuos deſerit. Prima dentis putridi. Qui enim habet aliquem dentem putridum, non audet illo comedere cibum, ne fortè dens conteratur, & decidat, magnúmque dolorem relinquat. Etiam qui pedem aliquem laſſum habet, ſi in illo confidere velit, cùm fugam arripuerit, ſupra illum nitens, ſua ſpe fruſtrabitur, quia ſentiet dolorem, & ab inimicis eum perſequentibus, fugere non poterit, & ſic peribit inter illorum manus. Item, qui pallium amiſit tempore frigoris, quando magis eo indigebat, vt ſe à tempeſtatibus & pluuiis protegeret, maxima afficietur anguſtia. *Sic erit*, inquit, *qui ſperat ſuper infideli in die anguſtia*, id eſt, qui ſpem ſuam collocat in mundo, qui valdè infidelis eſt, qui nulli amicitiæ fidelitatem ſeruat: non amicis, non inimicis, non diuitibus, non pauperibus, non Regibus aut Principibus, neque ſubditis, aut mancipibus eorum: omnes enim fallit, neminem non decipit ſuis falſis promiſſionibus. Decepit Darium Perſam, qui in ſuis copiis & diuitiis confidebat, & tamen ab Alexandro ſuperatus eſt; decepit & Alexandrum Macedonem, cui ſi aliquando blandiri videbatur, cum proſperè omnia, & ex votis illi ſuccedebant: citò tamen in alteram partem fortuna vultum diuertit, & à ſummo honoris faſtigio præcipitatum, in ipſo iuuentutis flore falce mortis reſecuit, qui truculentia ſuorum periit. Quid de Iulio Cæſare dicam Romanæ vrbis Imperatore? Quid de eius æmulo Pompeio, & de omnibus aliis mundi monarchis, quos fefellit mundus, & de ſuis ſedibus, non ſine magna deiecit violentia? Etſi ad modicum eos ad faſtigium dignitatis ſubleuauit, tamen vt violentius deiiceret, & in infernum præcipitaret crudelius, vbi serioſa pœnitentia & ſine fructu aliquo, & propriam ignorantiam, & mundi deceptionem confitentur. *Quid nobis*, *inquiunt*, *profuit ſuperbia*, *& diuitiarum iactantia*, *quid contulit nobis? Ecce omnia tranſierunt velut vmbra.* Vmbra enim quaſi deceptio quædam & imitatio ſui corporis eſt, quod in omnibus æmulari & imitari videtur. Apparet enim habere caput manus, & pedes, moueri & ambulare, cùm in rei veritate ſit nihil: ſic mundi proſperitas fallax eſt, plenaque deceptionis. Videtur quidem eſſe proſperitas, cùm non ſit, apparet, ſed non eſt, noſtris præſentatur conſpectibus, ſed non perſiſtit. Ex quo apparet, quàm ſententioſè & graphicè ab eodem Salomone dictum ſit; *Vana eſt ſpes, & mendacium viro inſenſa*

Sap. 5.
Simile.
Eccl. 34.

inſenſato, quaſi qui apprehendit vmbram, & ſequitur ventum, ſic qui aſpicit ad viſa mendacia. Antiquitus ad ſignificandum ſpem vanam, nullóque fulcitam fundamento, mulierem ex nebula confictam depingebant, quæ eadem facilitate qua fuit producta, reſolueretur. Exiſtimo picturæ huius principium ex fabula Ixionis & Iunonis deſumptum fuiſſe, ſicut refertur à Cælio in ſuis Hierogliphicis. Aiunt enim Iunonem ab Ixione adulterij ſollicitatam, illi corpus ex nubibus, ſui imaginem præ ſe ferens, obtuliſſe, cum quo ille iacuerit, & ita ab illa fuiſſe deluſum. Nam cùm illa manus inieciſſet, eam amplexari & exoſculari cupiens, nihil apprehendebat corporis, donec fallaciam agnouit. Hinc ortum habuit ſpem vanam mulierem ex nubecula confictam depingere. Sed quid in vanis Philoſophorum & Poëtarum commentitiis commoramur? cùm ipſa veritas per Salomonem longè pulchrius ſpem mundi nobis depingat, dicens: *Vana eſt ſpes, &c. quaſi qui apprehendit vmbram & ſequitur ventum, ſic qui aſpicit ad viſa mendacia.* Nónne hominem illum dementem & ab omni ratione alienum iudicaretis, qui vmbram amplexari vellet credens illam eſſe corpus, & qui perſequeretur ventum, illum à ſuo volatu celerrimo retrahere cupiens: *Sic*, inquit, *eſt, qui aſpicit ad viſa mendacia*, id eſt, qui auertit oculos ſuos à Deo, rebuſque cœleſtibus, quæ veræ & diuturnæ ſunt, & ad hæc caduca & inania illos conuertit, ad viſa mendacia, inquit: *Ay mentiras que no ſe pueden auerigu ar, pero eſtas ſon mentiras a ojos viſtas mentidas auerig uadas que ſe experimenta cada dia.*

Spei pictura.

Cælius Aug. lib. 59.

Eccl. 34.

Aliqui ex ſacris expoſitoribus verba hæc cum præcedentibus, ad incarnationem Verbi diuini referunt, quia omnis noſtra ſalus & remedij ſpes, ex ſummo illo beneficio pendebat. Sic enim inquit Caſſiodori gloſſa: Sperauit anima mea in Domino, qui eſt Verbum Patris: ſperauit anima mea, quod futuris temporibus de Maria virgine, propter interitum generis humani auferendum, naſci dignaretur. Fauet huic interpretationi Paraphraſis Chaldaica, ſic habens: *Anima mea ardentius deſiderauit aduentum Domini, quàm vigiles nocturni aduentum matutinum.* Vigiles nocturnos appellat Prophetas & Patriarchas iuxta modum loquendi Scripturæ ſacræ: ſic enim paſſim appellantur, Iſaiæ capite 62. dicitur: *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die ac nocte non tacebunt.* Et Canticor. 3. *Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidiſtis?* Sunt quidem Prophetæ ſancti ciuitatis vigiles, quos anima interrogare debet de

Incarnatio Verbi.

Paraphr. Chald.

Iſai. 62.

Can. 3.

de Chriſto, quia omnes illi teſtimonium de ipſo perhibet. Hi quidem vigiles, aduentum Domini vehementer deſiderabant, non minori deſiderio, quàm ſolent vigiles nocturni deſiderare aduentum matutinum. Elegans quidem metaphora, à vigilibus caſtrorum & ciuitatum deſumpta, qua Patrum deſiderium quo flagrabant videndi Chriſtum venuſtiſſimè declaratur. Vigiles enim qui aliquod caſtrum, ciuitatem, ſiue arcem cuſtodiunt, cùm neceſſarium ſit per totam vigilare noctem, & neque per vnum momentum quieſcere, aut indulgere ſomno concedatur eis: nulli dubium quin nox futura ſit eis moleſta, & nimis prolixa videatur, quare matutinum aduentum ſummopere deſiderant: tale fuit deſiderium ſanctorum Patrum videndi Chriſtum verum iuſtitiæ Solem, cùm inter vmbras veteris teſtamenti verſaretur: Vnde Apoſtolus dictũ eſt: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, &c.* Audacter tamen Dauid noſter affirmat, quod ſuper omnes illos maiori tenebatur deſiderio: *Anima mea*, inquit, *ardentius expectauit aduentum Domini, &c.*

Matt.15.

Patrum deſideria videndi Chriſtũ.

Sed antequam ad alia progrediamur, paulisper hîc inter hæc Patrum deſideria commoremur. Et primus ſe nobis offert ſanctiſſimus ille Patriarcha Abraham, qui vidit diem Chriſti (vt ipſe Saluator Phariſæis dixit) vidit & gauiſus eſt. Conceperat autem tantùm gaudium (vt exiſtimo) ex eo quod Geneſ.15. dictum fuerat illi, dum ad occaſum Solis offerret ſacrificium: *Scito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, &c. Generatione autem quarta reuertentur huc.* Generationi quartæ veris filiis Abrahę libertas promittitur. Quod Iſidorus libro Allegoriarum, ſic explicat: Prima generatio fuit qua Adam fuit productus ſine viro & fœmina. Secunda, qua Eua ex ſolo viro. Tertia, qua omnes ex viro & fœmina producuntur. Quarta, quæ ſola diuinæ Sapientiæ adhuc reſtabat, fuit, ex fœmina ſine viro, qua Chriſtus Redemptor noſter ex intacta Virgine fuit conceptus. Deſiderabat etiam diem hunc Iacob Patriarcha, ſicut verba eius vltimo prolata ſpiritu, manifeſtè probârunt. Cùm enim vltimum vale moriturus mundo dediſſet, in hæc verba prorupit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Vbi manifeſtè oſtenditur ſpem ipſa morte fortiorem fuiſſe. Licèt enim moreretur corpore, tamen ſpes in anima adhuc viuebat. Spes enim, etiam contra mortem ipſam præualere ſolet. Extat pulcherrima ſpei pictura apud Alciatum, quam tradunt Elpidium depinxiſſe, quâ ſignifi-

Gen.15.

Iſidorus.

Pictura ſpei.

gnifi

gnificauit in quos ſperare doceat. Depinxit enim illam læto vultu ſydera ſuſpectãtem,& tela mortis, arcum & iacula confracta, manibus tenentem. Quod cœlum ſuſpiciebat, ſignificabat: non in rebus terrenis, ſed in ſolo Deo ſpem eſſe reponendam. Quòd arma mortis fracta tenebat manu, ſignificare aiunt, quod ſolùm in viuos deceat ſperare, quia poſt mortem ſolet ſpes amitti: verùm hæc interpretatio omninò à fidelium mentibus debet eſſe aliena. Rectius enim picturam explicabimus, ſi dicamus, quòd ſpes etiam de morte ipſa victoriam conſequitur: mors de omnibus triumphat, verùm ſpes de ipſa morte, ſicut in Iacob planè cernitur: *Salutare tuum*, inquit, *expectabo Domine*. Conceperat hoc videndi Chriſtum deſiderium, ex viſione illa mirabili quæ illi fuit oſtenſa, Geneſ. 28. *Gen. 28.* vbi dicitur: Quod cùm domum patris ſui egrediens & pergens in Meſopotamiam, veniſſet ad quendam locum poſt Solis occubitum, dormiuit ibi nocte illa,& tulit de lapidibus qui iacebant, & ſuppoſuit capiti ſuo: Cúmque in ſomniis vidiſſet illam ſcalam vſque ad cœli faſtigium attingentem, & Angelos aſcendentes & deſcendentes per eam, euigilans à ſomno, & ſtupefactus, verba illa protulit: *Verè Dominus eſt in loco iſto, &c.* Et ſubdit textus: Surgens Iacob manè, tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo & erexit in titulum, fundens oleum deſuper. Quis in facto hoc manum non ſuſpicceretur myſterium? Primò dicit, quod tulit de lapidibus qui iacebant, & ſuppoſuit capiti ſuo, & deinde, quod ſurgens manè tulit lapidem,&c. Si prius erant multi lapides, quomodo cùm ſurrexit vnum ſolùm inuenit? Reſpondit Lyranus *Lyranus.* partim ex Hebræorum traditione, quod primo ſuppoſuit tres *Nota.* lapides, qui tamen vnus facti ſunt, ad ſignificandum incarnationis arcanum, vbi tres naturæ, anima, corpus, & diuinitas, in vno conueniunt ſuppoſito. Dixit enim Iacob: Si tres iſti lapides in vnum conuenerint, ex hoc iam intelligere potero myſterium hoc incarnationis non eſſe impoſſibile. Suppoſuit ergo tres lapides, & cùm dormiens viſionem illam vidiſſet, quæ ipſam incarnationem adumbrabat: poſteà expergefactus ad lapides accurrit, quos in vnum conueniſſe reperit. Idem etiam deſiderium in aliquibus ex Gentilium populo viguit. Iob capite decimonono, dicebat: *Quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei, quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, &c.* *Iob 19.* Sed quorſum vir ſancte tam firma ſcribendi requiris inſtrumenta? Nimirum vt Scriptura ſit firmior, & ad perpetuam rei memoriam diuturnior. *Scio enim, quod*

Digitized by Google

Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c. Repoſita eſt hac ſpes mea in ſinu meo. Ex Hebræo ſic verti poteſt, ſicut annotauit Burgenſ. *Completa ſunt deſideria mea, in ſinu meo.* Exiſtimârunt aliqui Iobum eſſe vnum ex illis, qui ſurrexerunt cum Chriſto, & introierunt in ſanctam ciuitatem, quando deſiderium ſuum adimpleuit. Vidit enim oculis ſuis Chriſtum Dominum de ſepulchro ſurgentem.

22 q.2. art.6. Refert etiam Doctor ſanctus inueniri in hiſtoriis Romanorum, quòd tempore Conſtantini Auguſti, & Helenæ matris eius, inuentum fuit quoddam ſepulchrum, in quo iacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua ſcriptum erat: Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol ſub Helenæ & Conſtantini temporibus, iterum me videbis. Vide quanta fuerint Patrum deſideria videndi Chriſtum, quæ vel morte ipſa finiri aut remitti non potuerunt. Intelligebant enim non ſolùm humani generis redemptionem, verùm omne bonum noſtrum, omne meritum, & omnem gloriam ab illo dependere, omnemque ſpem noſtram in illo ſitam eſſe, ſine quo omne noſtrum meritum, omniſque iuſtitia, & virtus pro nihilo æſtimaretur apud Deum. Et ad hoc comprobandum adducit beatus Auguſtinus illud Canticor. 8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata innixa ſupra dilectum?* Et dicit: Quia dealbata bene ambulat, ſi tamen ſuper eum à quo dealbata eſt, incumbat. Nihil enim animæ dilectæ ſua dealbatio aut iuſtitia ſine Chriſto profuiſſet, & ideò tantùm à patribus deſideratus fuit: ſed Dauid noſter omnium deſideria ſuperabat. Dicebat enim: *Anima mea ardentius deſiderauit aduentum Domini, &c.*

D. Aug. li. de gratia, & lib. arb. c. 6.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem, &c. Id eſt, per totum vitæ tempus, quia ille ſolùm poteſt ſemper nobis auxiliari. Poteſt aliquando mundus nobis auxilium præſtare, ſed auxilium eius ad tempus eſt: *Canſa ſe preſto, y al major tiempo nos dexa*, quia omnia quæ mundus habet mutationi temporis, & fortunæ inconſtantiæ ſubiecta ſunt: quod eleganter ſatis cecinit Ouid. in 4. lib. de ponto, Epiſt. 3.

Ouid.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere, ruunt.
Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.

Quare Boëtius 2. lib. de conſolatione, ait: Hunc continuum ludum agimus, Rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis ſumma infimis mutare gaudemus. Huius rei, in mediũ aliqua addu

adducamus exempla. Policrates Samiorum dux, qui fortunam longo tempore adeò obſequioſam habuit, quod ſpes eius ſemper cupitæ rei fructum apprehendebat: vota enim nuncupabantur ſimul, & ſoluebantur cuius velle ac poſſe, in æquo poſitum videbatur. Is enim ſuæ fortunæ periculum fecit, quare annulum ſibi gratum de induſtria in profundum abiecit, quem tamen continuo recuperauit, capto piſce, qui eum deuorauerat, & nihilominus miſerabiliter periit. Nam cùm contra Darium pergeret, ab Oronte perfecto Darij ſuperatus fuit, & in ſummo Magalenſis montis vertice ſuſpenſus, & relictus auibus dilacerandus. Ninus Aſſyriorum Rex, qui bella finitimis intulit, per quinquaginta annos, & ferè ſemper victor euaſit, poſt deuictam Aſiam, Scithiam, & Soroaſtem, dum quandam expugnaret vrbē, ſagittæ ictu interiit. Balthazar Rex Babylonis (vt ait Ioſephus 10. Antiquitatum) obſeſſa Babylone à Medis, & Perſis in tantam obliuionem ſui, & Dei contemptum deuenit, quod magnificum celebraret conuiuium, qui eadem nocte à Ciro & Dario fuit interfectus. Cyrus Rex Perſarum, qui Gangem fluuium, in quo vnus ſuorum militum perierat, in quadragintos ſexaginta alueos diuiſit, à Thomiri Maſſagetarum Regina ſuperatus fuit & occiſus. Xerxes ille potentiſſimus, qui ſubuertit montes & maria conſtrauit (vt refert Diuus Hieronymus ad Heliodorum ſcribens) bello in Græcia infœliciter ſuperatus, ac contemptibilis ſuis factus, vt inquit, Iuſtinus, per Artabanum præfectum ſuum fuit occiſus. Darius ab Alexandro ſuperatus, à ſuis captus apud Thatam oppidum vehiculo catenis & compedibus aureis alligatus, vulneribus confoſſus mortuus eſt. Alexander poſt tot victorias & triumphos, & penè totum orbem ſubiectum, per Caſſandrum Antipatris filium venenatus eſt. Iulius Cæſar primus Romanæ vrbis Imperator, qui quinque triumphis fuerat inſignitus. Triumphauit enim primò de Gallia & Britannia. Secundò de Ægypto. Tertiò de Pharnace, & Ponto. Quartò de Iuba, & Africa. Et quintò de Hiſpania: tandem poſt tot magnificos triumphos, occiſus eſt in ſenatu à Caſſio & Bruto, viginti tribus plagis confoſſus. O quanta eſt fortunæ inconſtantia, quanta rerum viciſſitudo & mutatio! Rectè Ouidius dixit.

Tullius lib. de fine bonorũ & mal. Valer. de varietate caſuum. Plin. in hiſt. nat. Paul. Oroſ. lib. 1. Ioſephus. Horoſi. lib. 1. D. Hier. Iuſtin. Quintus Curtius. Quintus Curtius. Iuſtinus.

Nempe dat & quodcunque libet fortuna rapitq́;:
Irus & eſt ſubito, qui modo Crœſus erat.

Ouid. 3. de Triſtibus.

Eſt ad hoc propoſitũ quod refert Zonaras de Theodoro medico, idémque Nicephor. lib. 18. cap. 29. Theodorus medicus, vir vtique ſapiens & prudens, miſſus à Mauritio Imperatore

ad

ad Chaganum Ducem potentiſſimum, cum quo bellum gerebat, vt de rebus componendis & pace ſtabilienda ageret, Barbarus in ſuperbiam erectus, nolebat poſtulata concedere, ſed eſſe orbis dominum aſſerebat. Quem Theodorus in hunc modum eſt affatus. Audi Chagane hanc vtilem & antiquam hiſtoriam. Seſoſtres Rex Ægyptiorũ Imperio ſuo multas nationes ſubiugauit, ex quo, ſuperbię & ambitionis vino inebriatus in magnam mentis elationem venit. Fecit ſibi currum mirabilem auro, gemmis, & pretioſis lapidibus ornatũ, quem quatuor ex ſibi ſubiectis Regibus quotidie per mediũ ciuitatis ducebãt. Contingit quadam die, quòd vnus illorũ Regum ad rotam currus conuerſus, neque per momentũ oculos ab ea auerteret: quod cùm aduertiſſet Tyrannus, indignatus ait. Quid reſpicis retro conuerſus? Cui ille, reſpicio non ſine magna mentis admiratione huius rotæ continuum motum, quàm varia viciſſitudine, modò ſurſum, modò deorſum partes eius moueantur. Quæ modò ſurſum aſcendit, ſtatim velociſſimo motu ad ſolum demittitur, & quæ demiſſa erat, continuò ad altum euehitur. Seſoſtres quamuis tyrannus & barbarus, ſub illis verbis fortunæ inconſtantiam & humanarum rerum perpetuam viciſſitudinem intellexit: quare miſericordia motus omnes quatuor Reges libertate donauit. Chaganus audita hac hiſtoria ſubriſit quidem, & pacem à Theodoro poſtulatam conceſſit. Si ergo tanta eſt bonorum fortunæ inconſtantia, ſi nihil ſub Sole permanet, ſed omnia quæ videntur corruptioni, & interitui ſunt obnoxia, quare relicto incommutabili bono, ad commutabile nos conuertimus? Quare fortunæ bona, quæ tam citò peritura ſunt infatigabili ſtudio inquirimus? Per Iſaiam comminatur Dominus confidentibus in fortunę bonis, dicens: *Qui pænitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam: numerabo vos in gladio.* Inter alias ſuperſtitiones quas habebat cæca Gentilitas, etiam fortunam quaſi Deam adorabat, exiſtimans in ea aliquid deitatis delitеſcere, cùm tamen nullum numen habeat, ſi adſit prudentia. Modum colendi eam tradit D. Hieron. in ſuis commentariis. In principio enim anni menſam dapibus repletam illi præparabant, exiſtimantes propterea fortunam ſibi anno integro beneuolam fore, in qua ſuperſtitutione Iudæi erãt comprehenſi, quapropter cæde & gladio illis comminatur. Superabant per annum integrum in fortunæ bonis, cum ſolo Deo omnium bonorum auctore, *à cuſtodia matutina vſque ad noctem ſit ſperandum.*

Fortunæ incõſtantia.

Iſa. 65.

D. Hier.

Cultus fortunæ.

Spes perſeuerans.

Vltimò aduerte, quòd hæc ſpes & fiducia collocanda eſt in Deo,

Deo, *à cuſtodia matutina vſque ad noctem* id eſt per totum vitæ ſpatium. Indeſinenter enim, & abſque vllo temporis interuallo in Deo ſperare debemus, & nunquam de illius ope & miſericordia deſperare. Sunt aliqui, qui ſpem ſuam in Deo ponunt, ſed quia inferendo opem moram pertrahit, fiduciam amittunt & deſperant, exiſtimantes iam à Deo derelictos eſſe, nec vltra ab eo auxilium expectantes. Perſimiles ſunt hi Bethuliæ ciuibus, qui cùm ſe ab Holoferne circumſeptos viderent, decreuerant, ſe in illius ditionem tradere, ſi intra quinque dies, auxilium illis Deus non ferret: quibus fortiſſima illa fœmina Iudith redarguit, dicens: *Quod eſt hoc verbum in quo conſentit Ozias, vt tradat ciuitatem Aſſyrijs, ſi intra quinque dies non venerit adiutorium? Et qui eſtis vos qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potius, qui iram excitet.* Iud. 8. Ad idem eſt hiſtoria illa 4. Reg. 2. Cùm enim Heliſæus pallio Heliæ aquas percuſſiſſet, non primo ictu diuiderentur, cœpit diffidere, & verba quædam dubitationem ſignificantia proferre: *Vbi eſt Deus Heliæ etiam nunc?* Hoc eſt filiorum Adæ ingenium, quod ſi non ſtatim auxilium pro foribus illis aderit, diffidere incipiunt, & omnia deſperata credunt. Verſatur aliquis in paupertate, & à Deo petit remedium, ſi non in eodem quo petit temporis momēto, eius inopiæ ſuccurritur, ianuam miſericordiæ iam ſibi clauſam eſſe credit, & de diuina largitate diffidens, ad mundum ſe conuertit, & vſuris rapinis, & illicitis mediis indigentiæ ſuæ conſulit. Erit alius in aliqua calamitate vel anguſtia conſtitutus, & quia non in ictu oculi (quod aiunt) liberatur: non rectè de diuino auxilio iudicat, ac per media illicita & prohibita, etiam contra diuinas leges, à præſenti calamitate ſe liberare decernit. Hi nimirum qui in ſperando nimis celeres ſunt, Prophetam Abacuc non audiunt, dicentem: *Si moram fecerit expecta eam, quoniam veniens veniet, & non tardabit.* Multoties Deus videtur moram facere, cùm tamen non commoretur, ſed aptiorem opportunitatem expectet, vt ſuo tempore auxilium conferat. Sunt etiam qui ſperant in Domino, ſed ad tempus ſolùm, & non perſeueranter ſperant. Incipiunt quidem in illo ſperare, illique ſeruire, ſed in ſuo propoſito non perſeuerant, & ideo coronam non merentur, Contra quos Euſebius Emiſſenus inuehitur, dicens: Spes noſtræ omnes in coſummatione, atque in fine conſiſtunt. Quid mihi proſunt, ſi mihi ſata viridantia herbis ſpem meſſis oſtendant, & me ſub ipſo falcis tempore, ſubita, vel aëris intemperie, vel pluuiarum inundatione decipiant?

Iudith 8. *4. Reg 2.* *Homo ad diffidendum faci lis.* *Abac. 2.* *Euſebius Emiſſen. Admon. hom. 4.*

Quid mihi proderit, ſi vinea ſpem omnem in flore promittat, & vel ferarum incurſio, vel vaſtitas grandinis, ſpem omnem in
D. Ioan. Climac. conſummatione ſubducat. Inquit D. Climacus, quòd hi qui in virtute perſeuerantiam non habent ſimiles ſunt cancris, qui
Simile. facillimè capi poſſunt, quod verſus omnem partem gradiuntur, aliquando antè, aliquando retro: ita & anima nunc quidem ridens, nunc lugens, nunc peccans, nunc pœnitens, nunc triſtis,
Gen. 19. nunc deliciis affluens, proficere nunquam poterit. Vxor Loth,
Origenes præcepti immemor, retrorſum reſpiciens, in ſtatuam ſalis verſa eſt. Et inquit Origenes: Putamus ne, tantum ſceleris in hoc eſſe commiſſum, vt quia poſt ſe reſpexit mulier interitum, quem diuino beneficio effugere videbatur, incurreret? Quid enim tantum criminis habuit, ſi ſolicita mulieris mens, retrorſum, vel nimio flammarum crepitantium metu territa erat, oculos ad ea direxit? Sed hoc tamen Dominus ita permiſit, vt hoc exemplo perterrefaceret eos qui benè cœpta deſerunt. *Qui*
Iſai. 40. *ſperant in Domino*, inquit Iſaias, *mutabunt fortitudinem aſſument pennas, vt aquilæ current, & non laborabunt, volabunt, & non deficient.* Quid enim prodeſt in via mandatorum Dei pennas ad volandum aſſumere, ſi ſtatim illas dimittimus, & à volatu ceſſamus? Perſeueremus igitur in omni iuſtitia, & virtute, vſque ad finem vitæ, & donec in nobis ſuperſit halitus, ab innocentia non recedamus, quinimò, *à cuſtodia matutina vſque ad noctem in Deo ſperemus*, vt ab illo gratiam & gloriam conſequamur.

CONCIO QVINTA.

Quia apud Dominum miſericordia: Et copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius.

TRADIT rationem eius quod dixerat ſuperiori carmine, ſcilicet, quòd *à cuſtodia matutina vſque ad noctem in Domino ſit ſperandum.* Cuius ratio eſt, *quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Diximus in ſecunda huius Pſalmi concione, in Deo duo eſſe attributa, miſericordiam, videlicet, & iuſtitiam, quæ ex æquo illi conueniunt. *Son dos perfectiones cortadas por vna miſma medida y compas,* Neutra enim poteſt eſſe minor, cùm vtraque ſit infinita & immen

immenſa. Hoc licet ita ſit: tamen duobus inter ſe diſſident, in quibus miſericordia iuſtitiæ antefertur. Primùm, quòd ex natura ſua magis Deus ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam inclinatur. Ad miſericordiam enim bonitas eſſentialis illum ducit, ad vindictam verò, non niſi à noſtris ſceleribus coactus procedit. Eſt inſignis locus ad hoc comprobandum, qui habetur apud Iſaiam capite vigeſimo ſeptimo. *Indignatio non eſt mihi. Quis dabit me ſpinam & veprem in prælio: gradiar ſuper eam? ſuccendam eam pariter? An potius tenebo fortitudinem meam? Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.* Indignatio non eſt mihi, inquit, id eſt, natura mea non me inclinat ad iram, ſed ad miſericordiam. Vnde flagellum quo eiecit è templo ementes & vendentes, ex funiculis vendentium effectum eſt, ipſe enim flagellum non ferebat. Nos ipſi noſtris peccatis flagellum punitiones Deo miniſtramus, vt ad vindictam procedat. Subdit deinde. *Quis dabit me ſpinam*, &c. Habet ſe hîc Deus quaſi homo dubius, & apud ſemetipſum deliberans, num iuſtitiam, aut potius miſericordiam circa Iſraëlem exerceat, & tandem miſericordia victus, ait: *Pacem faciet mihi, faciet pacem mihi.* Quod Septuaginta viri quaſi interpretantes aiunt: Faciamus pacem illi. Sed vbi magis diuinæ pietatis viſcera apparent eſt, in eo, quod ait: Quis dabit me ſpinam & veprem. Quo loco Diuus Hieronymus ait legi poſſe iuxta veritatem Hebraicam. *Quis faciet me durum, atque crudelem, vt vincam naturam meam. Quien me daria vn coraçon de vn diamante, para no ſentir el caſtigar eſte pueblo.* Et tandem ait: *Volo tenere fortitudinem meam, enſémque concludere euaginatum, forſan illi in melius mutabuntur.* Manifeſtimè his verbis oſtenditur, quantum Deus ad pietatem & clementiam, natura ſua inclinetur. Secundum, in quo miſericordia iuſtitiæ præponitur, eſt, quòd primo miſericordiam ſuam Deus, omnibus offert, iuſtitiam verò (loquor de punitiua) non niſi his qui miſericordiam ſibi oblatam contempſerunt. Quod adnotauit Diuus Auguſtinus ſuper illud Pſal. 100. *Miſericordiam & iudicium, cantabo tibi Domine.* Aduertit, quòd non fruſtrà & ſine cauſa primò meminit miſericordiæ, & deinde iuſtitiæ: hoc ideo factum putat, quia in præſenti tempore magis vtitur miſericordia, quàm iuſtitia, at in futuro, magis iuſtitia quàm miſericordia. Si per tempora, inquit diſtinguamus hæc duo, fortè inueniemus modò tempus eſſe miſericordiæ, futurum autem tempus iudicij. Hinc eſt quòd in præſenti, quod à Diuo Paulo tempus acceptabile appellatur, tam facilè peccata condonantur, quia

Deus magis ad miſericordiã, quam ad vindictam inclinatur.
Iſai. 27.
Matt. 21.
Simile.
70 Inter.
Nota.
D. Hier.
D. Aug. ſuper Pſ. 100.
2. Cor. 6.

Digitized by Google

tempus eſt miſerendi: at veniet tempus, quando non miſerendi, ſed vlciſcendi erit tempus, & tunc peccatores etiam ſi cum lachrimis, veniam ſcelerum ſuorum inquirant, non inuenient. *Quia vocaui & renuiſtis*, inquit diuinus ſpiritus, *& ego quoque in interitu veſtro rideo, quando venerit repentina calamitas*, id eſt, quia vocaui vos ad veniam, cùm tempus erat miſerendi, & noluiſtis me audire, ſed corda veſtra obturaſtis: veniet tempus vindictæ quando ſubſannabo vos, & de veſtra perditione & interitu gaudebo. Quia tunc non proderunt vobis lachrymæ, inutiles erunt gemitus & pœnitentia pro nihilo reputabi-

Apoc. 10. tur. Vidit Ioannes in Apocalyp. cap. 10 Angelum de cœlo deſcendentem, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius vt ſol, pedes eius quaſi columna ignis, in manu ſua habebat librum apertum, & poſuit alterum pedem ſupra mare, & alterum ſupra terram, & clamauit quemadmodum cùm leo rugit. Et leuauit manum ſuam ſuper cœlum, & iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, quòd amplius non erit tempus. An-

Gloſſa. gelus hic de cœlo deſcendens, ſecundum gloſſam, eſt ſeruator noſter Chriſtus, quia Angelus, miſſus interpretatur, & miſſus fuit à patre tanquam noſtræ ſalutis legatus, Amictus erat nube quia humanitas diuinitate tegebatur. Iris erat in capite eius,

Lyranus. quia iris, vt Lyranus inquit, eſt ſignum pacis, & ad hoc venit, vt nos cœlo patrique reconciliaret. Facies eius vt ſol lucebat, propter miraculorum claritatem, quibus tanquam per faciem

Ioan. 3. agnoſcebatur. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis*, dixit quidam doctor. Alterum pedem poſuit ſupra mare, & alterum ſupra terram, & manum ſuam leuauit in cœlum, quia poteſtate ſua omnia hæc attingebat. Habebat librum apertum, id eſt, Euangelium quod prædicauit mundo. Et clamauit ſicut leo. Fertur de leone, quòd catulos ſuos mortuos clamori-

Exēplum naturale. bus, & rugitibus ſuſcitat, & quaſi reuocat ad vitam: ſic Chriſtus, ad hoc deſcendit, vt clamoribus prædicationis ſuæ nos morti iam addictos, viuificaret. Viuificauit enim Magdalenam peccatricem, Matthæum Telonarium, & publicanum Zacheum. Sed cùm manum ſuam ſupra cœlum leuauit, quaſi qui

Duo tēpora ad pœnitēdum, proſperitatis & miſeriæ. curſum cœli detinere & impedire vellet, ex cuius motu tempus cauſatur. Iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, quod amplius non erit tempus. O terribile verbum! nimiſque ab omnibus mortalibus pertimeſcendum! Duo enim ſunt tempora apta ad pænitendum, tempus proſperitatis, & tempus aduerſitatis, tempus valetudinis & infirmitatis, tempus vitæ, & tempus mortis; quod ſignificant pedes, quorum alter ſuper ter-

Digitized by Google

ram firmam erat, alter ſuper mare inconſtans: quia pœnitentia quæ in vita fit cùm valemus, & omnia ſuccedunt proſperè, firma eſt & conſtans: at, quæ in hora mortis, quando aduerſitatibus premimur, inſtabilis & periculoſa ſicut mare Sed vltra hæc duo tempora, nullum aliud futurum eſt, aut miſericordiæ, aut pœnitentiæ. Deus enim manum ſuam poſt diem iudicij ſupra celum leuabit, ipſúmque ſuper axes ſuos fixum & immotum, curſum detinere faciet. Quare peccatoribus, ſiue poſt mortem, ſiue poſt diem iudicij ſpes ſalutis relinquitur nulla, ſed *vbicumque ceciderit lignum ibi erit, ſiue ad ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem.* *Eccl.11.* Quamobrem fratres, dum tempus habemus operemur bonum, & iuxta Salomonis conſilium Eccl.9. *Quodcumque facere poteſt manus noſtra, inſtanter operemur: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud Inferos.* *Eccleſ. 9.* Vbi nimis aduertendum eſt, illud inſtanter, id eſt, ſine vlla mora. Ne differas de die in diem pœnitentiam agere, & ad Deum conuerti, ſicut & quidam ait, quia hoc tutum non eſt. *Martial.*

Non eſt crede mihi, ſapientis dicere viuam,
Viue hodie.
Sera nimis eſt vita criſtina.

Væ illis, qui tunc habuerunt terminum peccandi, quando & vitæ, quia ſi tunc volunt agere pœnitentiam, quando iam peccare non poſſunt, peccata illos dimittunt, & deſerunt, non illi peccata. Quare, inquit Cæſarius, Cùm ad ſenectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta confugiam? Quare hoc de ſe fragilitas humana præſumat: cùm diem vnum in vita ſua, in poteſtate non habeat? Verè literis aureis conſcribenda eſſent verba illa Hugonis de Clauſtro animæ lib.3.cap.10. vbi ſic ait: In illa ætate, quando flaueſcunt crines, caro niteſcit eburnea, oculorum gemmis facies roſea decoratur, valetudo corporis vires ſubminiſtrat, iuuenilis ætas longioris vitæ ſpatium repromittit, quando viget ratio, viget etiam corporis ſenſus, viſus acutior, auditus promptior, inceſſus rectior, vultus iucundior, qui in hac in ætate ſe domant & Deo ſe ſociant, præmium cœleſtę expectent, *Cæſarius.* *Hugo de Clauſtro animæ.* *Maturè pœnitendum.*

Sed quis vicem noſtram ſimul & cæcitatem non doleat; qui cũ ad id multis nominibus teneamur tamẽ noſtræ ſalutis obliti, omnia è contrario facimus, vitã præſentem in voluptatibus & deliciis abſumentes, & pœnitentiã ad horam mortis reſeruantes. Pharaoni ſimiles videmur, qui cùm peſtilentibus illis ranis affligeretur, in tanta copia, quòd terra illis plena erat, ita quòd replerent domus, plateas, & vias, & neque domi, neque

ruri ſe poterant ab illis defendere, quia omnia ranis putridis & corruptis ſcatebant: & cùm Moyſes & Aaron illi dicerent: *Conſtitue nobis, quando vis, vt oremus pro te, & pro ſeruis tuis, vt abigantur ranæ,* cùm dicturus eſſet, ſtatim orate, & abſque vlla mora. *Para luego es tarde*, reſpondit Pharao. *Cras poteritis pro hac re exorare.* O ſummam dementiam, in ſummo verſantur vitæ diſcrimine, & vſque in craſtinum remedium differebat. Hæc eſt peccatoris obſtinati inſania, cuius Pharao imaginem referebat, quòd cùm ſit in ſummo mortis æternæ periculo, remedium pœnitentiæ ſemper in craſtinum differt: quod, vt inquit Diuus Iſidorus, euidentiſſimum eſt reprobationis ſignum. At prædeſtinati & iuſti, & quicunque ad vitam æternam præordinati ſunt, cùm peccatorum ſuorum non obliuiſcantur, ſed ſemper illa præ oculis habeant, ſtatim ac peccauerint, de remedio & medicina cogitant. Explicat ad hunc ſenſum Theodoretus illud Canticorum 4. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de Galaad.* Mons Galaad medicinis abundat, iuxta illud Hierem. 8. *Nunquid non eſt reſina in Galaad?* quare capilli ſponſæ, quibus cogitationes ſubintelliguntur, comparantur capris in monte illo depaſcentibus, nimirum, quia cogitationes animæ ſanctæ ſemper medicinæ peccatorum debent eſſe intentæ. Animaduertendum, inquit hic Doctor, ne fortè per caprarum greges intelligantur, hi qui ex peccato reſipiſcunt, & ad pœnitentiam redeunt, & idcirco paſcuntur in Galaad, medicamentaque ſalutaria & curationem conſequuntur. Paraphraſis Chaldaica ſic legit: *Filij congregationis tuæ iuſti, ſicut filij Iacob, qui collegerunt lapides, & fecerunt aceruum in monte Galaad.* Videtur tãgere illam hiſtoriam, quæ habetur Geneſ. cap. 31. vbi dicitur, quòd cùm Iacob cum vxoribus & filiis in domum patris regrederetur, Laban perſequutus eſt eum vſque ad montem Galaad, ſed cùm Dominus nocte illi apparens, iuſſiſſet ei, ne quicquam illi mali faceret, cum eo in eo monte amicitias iniit, & in ſignum fœderis aceruum lapidum congregauerunt, quem aceruum teſtimonij appellârunt. Innuit diuinus ſpiritus his verbis, quod iuſti, qui filij Iacob appellãtur per imitationem, ſi aliquando illis contingat à Deo recedere per culpam, tamen ſtatim cum eo amicitiæ pactum faciunt, ſicut Iacob cum Laban fecit, & hoc in principio itineris non in fine: quia completo iam vitæ itinere, nullus erit reſarciendæ amicitiæ locus. 2. Regum 2. Cùm in quodam bello, quòd Abner cum Ioab habuit, aduerteret Abner populi cladem, dixit ad Ioab: *Nunquid vſque ad internecionem deſæuiet tuus mucro?* Patebat enim

Exod. 3. *Sera pœnitentia valde dubia.* *D. Iſidor.* *Theod. Cant. 4* *Hier. 8.* *Paraphr. Chald.* *Geneſ. 31.* *Nota.* *2. Reg. 2.* *Sero ſapiunt Phryges.*

his

his verbis inducias. Cui Ioab reſpõdit: *Viuit Dominus, ſi locutus fuiſſes manè, &c.* Ac ſi diceret: Sero ſapuiſti, iam enim damna reparari non poſſunt. Sic mihi videntur aliqui peccatores, qui toto tempore vitæ ſuæ cum Deo arma gerunt, & cùm nox mortis imminet tunc inducias poſtulant, & pacem cum illo inire intendunt, quod quidem non ex vera cordis contritione ortum habet, neque ex amore procedit, ſed ex timore ſeruili. Vident enim gladium Dei ſuper ſe irruentem, mortem ex aduerſo ſtantem peccata illos accuſantia, infernum paratum, & rugientem quaſi leonem dæmonem: & cùm tot mala ſuper irruentia cernant, ad Deum recurrunt veniam poſcentes, quibus dignum ſuis ſceleribus Deus reſponſum tribuit, quando talis conuerſio, non ex amore, ſed ex timore ſolùm procedit, ſero ſapuiſtis, *ya no ay lugar.* Viuo ego, quòd ſi manè locuti fuiſſetis, pepercíſſem vobis, ſi tempeſtiuè ad me confugeretis miſericordiam implorantes, liberè omnia cõdonarem: at nunc miſericordiæ tempus non eſt, ſed iuſtitiæ, & quia ſerò, & quia non ex corde conuertimini. *Speret ergo Iſraël in Domino, ſed à cuſtodia matutina vſque ad noctem*, id eſt, per totum vitæ ſpatium, quòd tempus eſt miſericordiæ, quo tranſacto, iam non veniam, ſed ſupplicium ſperet.

Debemus etiam in illo ſperare, non ſolùm, inquit Pſalmiſta *quia apud illum eſt miſericordia*, ſed etiam, *quia copioſa redemptio*, id eſt, quia copioſa ſunt apud eum auxilia, ad omnia mala noſtra ſubleuanda: potens eſt enim & nullus eum latet auxiliandi modus, Si pauper es, ſi infirmus, ſi calumniam pateris, ſi te perſequuntur, ſi tandem in aliquo verſaris periculo, ad Deum confuge, apud quem eſt copioſiſſima omnium malorum, & afflictionum, redemptio. Eſt enim vniuerſalis medicus, quaſcumque infirmitates quantumuis graues, etiam deſperabiles, optimè curans, & omnibus remediis abundans: Humanitus namque & diuinitus medetur. *Cura alo humano, y a lo diuino.* De hac diuina protectione eleganter agit Iſaias capite 4. *Creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem & fumum & ſplendorem ignis per noctem, ſuper omnem enim gloriam protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine, & à pluuia.* Hîc ſecundùm Lyranum & Theodoretum ad literam loquitur Propheta de protectione diuina, quæ tempore gratiæ promittitur fidelibus, quã confert cum protectione, quę filiis Iſraël de Ægypto exeuntibus data fuit, & concludit, quòd protectio Ec-

Redẽptio liberationẽ, defenſionẽ, præſidiũ, ſaluationem ſignificat.

Iſai. 4.

Lyranus. Theod.

cleſiæ, maior futura eſt. *Cùm venerit Meſsias*, inquit, *creabit nu-* Exod. *bem per diem ſuper omnem locum montis Sion.* Alludit ad nubem, & columnam ignis, quæ illi populo data fuit. Accepit enim eos Deus ſub ſua protectione & tutela, in cuius ſignum columna illis præcedebat, quæ tempore diurno nubes erat ab ardoribus protegens, nocturno verò, ignis illuminans: ſic ipſe Deus cùm venerit, inquit, Eccleſiæ ſanctæ ſuæ erit multo glorioſior protectio: proteget enim per diem & per noctem tempore proſperitatis & aduerſitatis. Sep. inter. Septuaginta reddiderunt: *Et omnia quæ in circuitu eius, obumbrabit nubes per diem.* Cuius loco D. Hier. ex Hebr. D. Hieronymus ex Hebræo vertit: *Super Eccleſiam vel congregationem eius*, vt intelligamus, protectionem hanc Eccleſiæ ſanctæ promitti. Eccleſia protectio. Et hæc protectio longè maior erit ea, quam Synagoga habuit, quia erit tabernaculum defendens per diem ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluuia. Chaldai. Paraphr. Vbi Chaldaica Paraphraſis habet: *Vt ſit in vmbra diei ab æſtu & in domum refugij, etiam ad protegendum à turbine & à pluuia.* In quo manifeſtè oſtenditur, quòd protectio noſtra ſit præſtantior. Populus enim ille ſolùm nube & tabernaculis protegebatur in itinere, neque per quadraginta annos domum aliquam habuit, qua ſe à tempeſtatibus, pluuiis protegere poſſet: ac nobis domus refugij promittitur. Domus hæc, Deus ipſe eſt, de quo Pſalm. 30. Pſal. 30. *Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij.* Iſai. 8. Et Iſaiæ capite 8. vbi dicitur: *Dominum exercituum ipſum ſanctificate, & ipſe erit vobis in ſanctificationem*: tranſtulit Pagninus, Pagninus. *erit vobis in palatium*, & poteſt verti, *erit vobis in ſanctuarium*, hoc eſt, in domum tutam & munitam, in aſylum & locum refugij. Eſt ergo germanus huius loci ſenſus. Si Deum timueritis, & in eo fiduciam & ſpem veſtram poſueritis: nihil vobis erit timendum, quia ipſe vos recipiet & abſcondet, eritque vobis inexpugnabilis arx. Simile. Hæc igitur domus, aut tabernaculum erit in abſconſionem à turbine, & à pluuia, quia ab omnibus malis imminentibus, cultoribus ſuis ſecuritatem promittit. Sicut enim in arce, vel refugij domo, diuerſa armorum genera aſſeruantur ad protegendum ſe à variis inimicorum telis, ſic in Deo reperiet homo, contra omnia dæmonis iacula & machinamenta ſufficientiſſima auxilia & opportuna remedia, quibus protectus, nihil ei ſub cœlo nocere poterit. Pſal. 90. Hùc ſpectat Pſalm 90. qui incipit: *Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* D. Theo. Dauidis intentio in hoc Pſalmo, colligitur ex Theodoreto inquiente: Pſalmus iſte docet, inexpugnabile robur ſpei

in Deo

in Deo collocare. Nam cùm Dauid Propheticis oculis ea quæ Beato Ezechiæ acciderunt à longè proſpexiſſet:& videns quomodo ſpe in Deo fixa Aſſyriorum profligauerit exercitum, hunc conſcripſit Pſalmum,omnes homines docens, quantam bonorum affluentiam habeant, hi qui firmam ſpem in Deo conſtituerint. Ezechias enim videns pericula ſibi imminentia,inimici potentiam, ciuitatem obſeſſam, & blaſphemias à Rabſace prolatas,ad Deum toto corde ſe conuertit, eius auxilium implorans,& in eo ſpem ſuæ victoriæ conſtituens, & ſic ab omnibus euaſit liber.Hoc attendens egregius Vates,vt doceret nos ſpem noſtram, non in alio quàm in Deo collocare, hunc cecinit Pſalmum: *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Ille, inquit Caſſiodorus, in adiutorio Altiſſimi habitat,qui totam ſpem, non in ſe, ſed in Deo ſemper conſtituit. O fœlix promiſſum,ô beata ſecuritas, ô mira dignatio charitatis, omne hominum meritum excedens. Quid ei nocere poterit, eorumque ſub cœlo ſunt, inquit Bernardus,quem Deus cœli protegere & conſeruare voluerit? Porrò ſub cœlo ſunt quæcũque nocere poſſunt: ſub cœlo ſunt aëreæ poteſtates, ſub cœlo præſens ſæculum nequam, & caro aduerſus ſpiritum concupiſcens. Optimè igitur dictum eſt,in protectione Dei cœli commorabitur, vt nihil eorum, quæ ſub cœlo ſunt,timere poſſit, quiſquis protectionem eius habere meruit. Alia verſio ſic habet: Quæ quoniam diuinam protectionem magis exaggerat eam referre non deſinam. Qui poſuit majeſtatem ſuam in ſecreto Altiſſimi, in vmbra nubium gloriæ omnipotentis commorabitur.Majeſtatem appellat hominis robur & fortitudinem,& omnium rerum fœlicem euentum. Qui,inquam,hæc omnia reponit in ſecreto, *adiutorio Altiſſimi,commorabitur in vmbra nubium gloriæ*.Per *vmbram* in Scriptura,Dei auxilium intelligitur, Iſai.49. *In vmbra manus ſuæ abſcondit me.* Et Pſalm.16.*Sub vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Vnde commorari inter nebulas gloriæ idem eſt, quòd ab omnibus periculis liberari. Fingitur aliquando in libris confictis, qui vulgò dicuntur *de cauallerias*, quòd dum aliquis dux aut princeps circundatus eſt leonibus, aut ſerpentibus, dũ Gigantes immanis magnitudinis eum inuadunt,& in magnis conſtitutus eſt periculis, quæ naturaliter effugere eſt impoſſibile:nebula quædam eum circundat,facitque inuiſibilem,& ab inimicorum,&beſtiarũ conſpectibus aufert,& ſic ille de cuius ſalute deſperabatur,ſoſpes & incolumis manet. Sic pariformiter, qui ſpe firma in adiutorio Altiſſimi

Caſsiod.

Bernard.

Vmbra auxilium ſignificat.
Iſai. 49.
Pſal. 16.

Simile.

Digitized by Google

habitat, licèt in magnis verſetur periculis, licèt tentationum monſtra, Dæmonúmque ſerpentes ex omni parte illum circundent, tamen cum Dei auxilio & gratia, ab omnibus liber euadet, quia in vmbra nubium gloriæ, id eſt, in diuina protectione ſuſcipietur. Hinc naſcitur iuſti ſecuritas & confidentia, qua confidit, nihil ſibi nocere poſſe, cùm talem patronum & defenſorem habeat. Et ſicut ſonitus terroris ſemper in aure peccatoris inſonat, & cum pax ſit, inſidias ſuſpicatur, quia propria conſcientia eum accuſat & terret: ſic iuſtus in medio tribulationum & calamitatum poſitus, ſecurus eſt & alacer, ſummáque pace perfruitur. Vnde,

Pſal. 56. pro eo quod nos legimus. Pſalm. 56. *Anima mea in medio*

Verſio D. Hieron. *catulorum leonum, dormiui conturbatus.* D. Hieronym. ex Hebræo vertit: *Anima mea in mediò leonum dormiuit ferocientium.* Quæ maior ſecuritas excogitari poteſt, quàm inter feroc iſſimos leones accubare & dormire? Hoc ad verbum Daniel præſtitit, qui in lacu leonum miſſus fuit, in ſpiritu tamen hoc ipſum præſtant viri ſancti, qui inter Dæmonum & cupiditatum aſſultus poſiti, in pace dormiunt, & requieſcunt. Deſcribit

Eccl. 34. hoc mirificis quibuſdam verbis Eccleſiaſticus, cap. 34. dicens:

Diligentib. Deũ omnia co operãtur in bonũ. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipſe eſt ſpes eius. Timentis Dominum beata eſt anima eius, ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo eius? Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ firmamentum virtutis, tegmen ardoris & vmbraculum meridiani, depracatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.* Quid his iucundius? Quid maius? quid diuinius? Fœlices illi qui ſub tali redemptore & protectore degunt. *Speret ergo anima, à cuſtodia matutina vſque ad noctem in Domino, quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio,* id eſt, pronus eſt, & propinquus ſemper ad ſuccurrendum. Habet enim ad manum auxilium & redemptionem, vt ab omnibus malis & periculis redimat.

Et copioſa apud eum, &c. Verè magna copioſáque redemptio, quæ vniuerſum mundum, è tot flagitiis & peccatis redemit. Mirabilis fuit redemptio illa, qua populum Iſraëliticum de Ægyptiaca manu liberauit, quando illum de dura ſeruitute eduxit: at illa nõ fuit tam copioſa & vniuerſalis: redemit enim populum, ſed Pharaonem & exercitum eius, inter ſæuientis maris vndas abnegauit. *Notam feciſti in populis virtutem tuam redemiſti in brachiò tuo populum tuum filios Iacob & Ioſeph,*

Ioſeph, Pſal. 76. Filios, inquit, Iacob & Ioſeph, qui iuſti erant & amicis: at cæteros in ingreſſu maris perire permiſit, ſed redemptio hæc, quæ per Chriſtum facta eſt, qua redemit nos de dura tyranni ſeruitute longè copioſior fuit, multóque præſtantior, qua non hunc, aut illum populum, ſed vniuerſum mundum redemit, & pro omnium peccatis & ſceleribus quantum ad ſufficientiam ſatisfecit: *Et ipſe*, inquit, *redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius.* Nulla eſt iniquitas, etiam poſſibilis, quæ in Chriſto non fuerit ſufficienter redempta, ſaltem quo ad ſufficientiam, licèt quo ad efficaciam ſolum electos redemerit, ſicut adnotauit Incognitus ſuper illud Pſalmi 33. *Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non delinquent omnes qui ſperant in eo.*

Pſal. 76.

Incognit. ſuper Pſ. 33.

Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius. Non modicam conſolationem verba hæc animis peccatorum inferunt: quòd redemptio Chriſti per ſanguinem eius facta, quæ fuit valoris infiniti: ad omnes iniquitates Iſraël ſe extendat. Non enim tantus eſſe poteſt peccatorum numerus, etiam ſi arenam maris, aquæ guttas, & momenta temporis ſuperaſſent: quæ in ſanguine Chriſti redimi non poſſint. Fuit opinio Hebræorum, ſicut ſuper caput, 1. Amos, Lyranus adnotauit: quòd ſi peccauerit homo eodem genere peccati, bis, vel ter, remittitur, non tamen ſi hunc numerum exceſſerit. Armeni etiam errauerunt, dicentes, aliqua peccata eſſe irremiſſibilia, quæ à nemine poſſent abſolui, quaſi virtus Dei, & eius ſumma miſericordia aliquibus limitibus coarctaretur. Contra quos videtur inuehi Iſaiæ Propheta, capite quinquageſimo, ſui vaticinij: *Nunquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum? De quando acá mi mano ſea hecho eſtrecha, corta, y limitada, para ſaluar y redimir, que ella grande y larga ſolia ſer para eſſo?* Et capite quinquageſimo nono, rurſus inquit. *Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat.* Et rectè, inquit, non eſt abbreuiata, aut paruula: paruula enim eſſet & ſtricta manus, quæ duo, aut tria peccata eiuſdem generis, & non amplius caperet ad ſaluandum. Neque aggrauata eſt auris eius ad audiendum peccatorem, quandocúmque ianuas miſericordiæ eius pulſauerit, quia non ſolùm ſepties paratus eſt audire & remittere debitum, ſed ſeptuagies ſepties, ſicut D. Petro fuit dictum: vbi numerus finitus & limitatus pro illimitato & infinito ſumitur, id eſt, toties quoties, ſicut Diuus Hieronym. & D. Chryſoſt. adnotârunt. Et ad hoc propoſitum poſita

Nic. Lyr.

Refert Caſtro contra Hæret. verbo peccatum hæreſi. 6.

Iſa. 50.

Idem 59.

D. Hier.

D. Chryſ.

poſita fuit à Domino talentorum parabola, ſicut habetur Mat. cap. 18. vbi *decem millia talentorum peccatori dimiſſa ſunt.* Vbi D. Auguſt. inquit: Ideo dicendum eſt, quod quia lex in decem præceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata ſignificat, quæ ſecundum legem fiunt. Itaque, ſi talenti nomine peccatum ſignificatur, iuxta illud Zachar. cap. 5. *Iniquitas ſedebat ſuper talentum plumbi*, cùm hic peccator decem millia talentorum debuiſſet: manifeſtè ſequitur, quod contra quodcúmque præceptum, non duo, aut tria, ſed mille peccata commiſerit eiuſdem generis, quæ tamen omnia liberaliter ei dimiſſa ſunt. Quare tantis teſtimoniis Eccleſia commota, capite firmiter, de ſumma Trinit. & fide Catholica definiuit, quòd ſi quiſquam poſt baptiſmum prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper reparari poteſt. Cui decreto conſonat D. Chryſoſt. de reparatione lapſi: & refertur Cano. Talis, de pœnitentia. diſtinct. 3. Talis, inquit, mihi crede, talis eſt erga homines pietas Dei, nunquam ſpernit pœnitentiam: ſi ei ſincerè & ſimiliter offeratur, etiam ſi ad ſummum perueniat malorum, conuerſum ad libertatis viam, libenter amplectitur.

Matt. 18. *D. Aug. de verbis Domini.* *C. firmiter.* *D. Chryſ.*

Quod ſi aliqua peccata irremiſſibilia audieris in Scriptura ſacra, vt eſt *peccatum contra Spiritum ſanctum, & peccatum ad mortem, pro quo non eſt orandum.* 1. Ioan. 5. non omnino irremiſſibilia eſſe credas, cum nullo tempore in hac vita peccatori ianua cœli ſit clauſa, neque via ſalutis præcluſa: ſed irremiſſibilia dicuntur hujuſmodi peccata iuxta Doctoris ſubtilis interpretationem, non quia ſi verè de illis pœniteret, non remitterentur, quia hoc impium eſſet aſſerere, ſed ideò, quia grauitas illorum peccatorum meretur excæcationem, & quòd à peccatore gratia auferatur, & auxilium ſpecialiſſimum ei denegetur, quibus poſitis peccatum fit irremiſſibile, quia homo nunquam redit, vt cognoſcat illud, ſed ſemper in maiora prolabitur: iuxta illud Pſal. 68. vbi de Iudæis Chriſtum perſequentibus agens, inquit: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum: obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.* Deus enim neminem cæcat, aut poſitiuè incuruat, ſed priuatiuè, non illuminando, aut dirigendo: quia licet nulli auxilium ſpeciale & ſufficiens deneget, tamen aliquibus propter immania eorum flagitia, ſpecialiſſimum & efficax denegat. ex quo fit, quòd peccatum eorum irremiſſibile dicatur: quia licèt poſſint, ſed nunquam conuertuntur.

1. Ioan. 5. *Nullum peccatum eſſe irremiſſibile in hac vita.* *Scotus in 2. d. q. 3.* *Pſal. 68.*

Quapro

Digitized by Google

Quapropter, hoc vnum hîc prętermittendum non eſt, quòd B. Auguſt. adnotauit, vt peccatores audientes terreãtur, neque ſibi tam latam licentiam in peccatis ſumãt: eſſe quaſdam peccatorum periodos, & terminos quò mala deuenire poſſunt, in quibus deſerit Deus, & deſtituit hominẽ, auxilium efficax illi denegando vitámque ab illo auferendo. Et fortè hûc ſpectat illud Dauidicum: *Viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos*: & illud: *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſic in ira abſorbet eos.* Itaque, peccatorum ſuorum demeritis, numero illo à Deo præfixo completo, & ſua ipſorum manu, fouea effoſſa: & præſens vita pariter, & futura illis eripitur. Et ad hunc ſenſum aliqui Doctores interpretantur locum illum difficilem Amos cap. 1. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum*: vt intelligatur, quantum ad flagella & necem temporalem, quæ ibi comminatur Dominus non autem quantum ad remiſſionem culpæ: ſi tamen Damaſcus, aut quicunque peccator verè pœniteat: quia miſericordię Dei & copioſæ eius redemptioni nullus terminus aut limes præfiniendus eſt: *Et ipſe*, inquit, *redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* Quapropter homo, ſi peccaſti, diuinámque maieſtatem offendiſti: ſi peccata tua ſuper arenam maris multiplicata ſunt, noli obſecro deſperare, & cum Caino dicere: *maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, noli peccatorum tuorum multitudine & grauitate deterreri, quin potius à peccatis abſtine, & deinceps peccare noli, & accede cum fiducia ad thronum gratię Chriſti, apud quem miſericordiam, & peccatorum indulgentiam copioſiſſimè inuenies, conſequeríſque gratiam & gloriam.

D. Aug. de vita Chryſ. ca. 3. & 4.

Pſal. 54.

Pſal. 57.

Vide Adrianum 4. de pœnit qu. 1.

Gen. 4.

SVPER

Digitized by Google

SVPER PSALMVM SEPTIMVM POENITENTIALIVM.

CONCIO PRIMA.

Domine exaudi orationem meam: Auribus percipe obſecrationem meam, in veritate tua, exaudi me in iuſtitia.

Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

TITVLVS huius Pſalmi ſic habet: *Pſalmus Dauid, quando perſequebatur eum filius ſuus Abſalon.* Qui titulus licèt in aliquibus verſionibus, præſertim Septuaginta interpretum inueniatur: tamen neque habetur in Hebræo, neque in D. Hieron. verſione. Quare creditum eſt Lyrano, quòd ab aliquo Doctore fuerit appoſitus, quia maximè cum ipſius Pſalmi litera conſonat. Vbi de graui Abſalonis perſecutione agitur, quam in proprium parentem molitus eſt, ſicut 2. Reg. 15. habetur. Hæc enim filij ſceleratiſſimi perſecutio valdè grauis fuit, multóque tempore durauit, in quo non vnum, aut alterum, ſed quamplurimos compoſuit Pſalmos, vt, vel ſic, non ſolùm diuinas aures ad miſericordiam inclinaret, ſed etiam, pluſquam adamantinum filij ſui pectus, carminum ſuorum concentu, & harmonia tactum, deliniret. Exiſtimabat forſitan vir ſanctus, quòd Pſalmi ab eo compoſiti ad manus filij eſſent peruẽturi, quibus indomitus eius animus, aliquantùm perſuaſus, furorem ſuum temperaret. Habet enim hoc peculiare muſica, quòd incompoſitos animi motus frænat & coërcet, allicit ad pacem, & ardentes indignationis ignes, omnino diſſipat, & extinguit. Tantùm enim virtutis, atque potentiæ apud muſicam eſſe exiſtimârunt antiqui, quòd apud eos exploratum fuerit, mutationem eius, morum etiam mutationem in rempubl. inducere. Nam Boëtius lib. 1. de muſica, ſic dicit:

Lyranus. *2. Reg. 15.* *Quãta ſit muſicæ vis.* *Boëtius.*

dicit: Plato cauendum exiſtimat ne de bene morata muſica aliquid permutetur. Nulla enim magis ad animum diſciplinis via, quam auribus patet. Sed quòd muſica ad permutãdos mores animique perturbationem ſedandum, ſit valdè potens aliquibus exemplis illuſtrare non grauabor. Primo enim refert Quintilianus lib. 1. cap. 16. Seneca lib. 3. de ira. Boëtius lib. 1. de muſica, cap. 1. D. Thom. lib. 4. de regimine Principis, cap. 21. ex Ariſt. & Tullio iuuenem quendam Taurominitanum, ad mulieris ædes expugnandas, vino calidum amore percitum cum tibiis & citharis veniſſe ſonantem, ibique furentem perſeuerâſſe: donec Pythagoras rythmum mutare, & verſus ſpondiacos ad phrygium modũ canere citharistam iuſſit, quibus manſuetis verſibus iuuenis manſuefactus, ab incœpto deſtitit, & re infecta, domum rediit. Refert etiam Plutarchus de magno illo Muſico Timotheo, quod animum Alexandri magni nunc ad pacem, nunc ad prælium carmine, & muſica prout volebat, inclinabat. Homer. 9. Iliadum Achillem memorat, carmine & cithara ſolitum ſuas iras frænare & cõpeſcere. Et lib. 3. Odiſſeæ Agamemnonem Troiam pergentem, tradit, vxoris ſuæ pudicitiam, cuidam peritiſſimo muſico cuſtodiendam, commiſiſſe: qui carmine & muſica ipſam continebat ab adulteris: at muſico illo vita functo, facilè illam proci expugnârunt. Quin Orpheum, & Amphionem in huius rei confirmationem memorem? De primo enim Ouid. lib. de arte amandi, inquit: *Quintil.* *Seneca.* *Boëtius.* *D. Tho.* *Plutar.* *Homer.* *Ouid.*

Saxa feraſq; lyra mouit Rhodopeius Orpheus.

De ſecundo verò Horatius.

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor vrbis,
Saxa mouere ſono teſtudinis & prece blanda.

Quid autem hæc ſignificent idem expoſuit Horatius. *Horat.*

Syluestres homines, ſacer interpreſq; Deorum,
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tygres, rapidoſq; leones.

Sed Philoſophorum dicta miſſa facientes, ad Scripturã ſacram deueniamus, vbi, vel ad oculum intueri licet quanta ſit muſicæ vis & efficacia ad aliquid, vel ad ſuadendum, vel ad diſſuadendum, moreſque hominum permutandos. Habetur namque in Danielis prophetia, cap. 3. quòd cũ Nabuchodonoſor Rex Babylonicus præciperet, vt omnes ſtatuam illã auream quã conflauerat, adorarent: fecit, vt tempore quo duraret adoratio ipſa, nullum inſtrumentum muſicũ non inſonaret, quo faciliùs adorantium permulceret aures, cordaque ad adorandũ inclinaret. Laban apud Geneſ. 31. generum ſuum Iacob arguens, quòd eo *Dan 3.* *Gen. 31.*

incon

incōſulto,ad patriā decreuerit remeare, dixit ei: *Quare ita egi-*
ſti, vt clam me abigeres filias meas, quaſi captiuas gladio? Cur
ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, vt proſequerer
te cum gaudio & canticis, & tympanis, & citharis. Quid autem
hæc ſibi volunt? aut cur Iacob cum muſicis inſtrumentis erat
inſequuturus? niſi vt animum eius attraheret, & vi muſicæ ab
incœpto in patriam redeundi propoſito, abduceret: ſicq́ue ad
propriam domum redire cogeret. Sed quas vires muſica non
Iob.41. eſt adepta? Siquidem, illum de quo ſcriptum in libris Iob re-
perimus, quòd *non eſt poteſtas ſuper terram quæ poſſit ei com-*
1.Reg.16. *parari, multoties vincit & ſuperat?* Dicitur namque 1 Reg.16.
quòd cùm in Saulem ſpiritus nequam irrueret, Dauid carmine
& cithara dæmonem propulſabat, quod quidem non ſolùm
diuinæ virtutis ope factum credendum eſt, ſed virtute etiam
muſicæ, quam ad dæmonem propulſandum habet, ſicut affir-
Ioſeph. mant Ioſephus libr.6. antiquita.cap.9. & D.Auguſtin.10. con-
D.Aug. feſſ.cap.33.Iacob.de Valentia.prolog.in pſalt.tract.1. cap.3. &
Iacob. de Burgen.in ſuis ad Lyr.addit. 1.Reg.16. Dæmon igitur qui (vt
Valentia. verbis Iob vtar) deridet vibrantem haſtam, & duriſſimos mal-
Burgen. leos pro nihilo pendit, cui in ſtipulam verſi ſunt lapides fun-
Iob 41. dæ, ad ſonitum citharæ tremefactus recedit, & quem nulla vis,
ſola harmonia ſuperat. Et ne hoc meritis ipſius Dauid ſolum
Gloſſa ex attribuatur, refert gloſſa ordinaria in explicatione huius loci,
Boëtio. ex mente Boëtij, quòd philoſophus quidam tactu citharæ ab
obſeſſo corpore dæmonem pepulit. Si ergo (vt ad rem deue-
niamus) tanta eſt muſicæ vis, quòd naturaliter ad illius ſoni-
tum & conſonantiam paueant dæmonia, mores hominū com-
ponantur, atque permutentur, ſi frænat iras, omnémque ſæui-
tiam ab hominum animis tam potenter dejicit, atque profli-
gat, ſi hoc, inquam, naturali conceditur conſonantiæ & har-
moniæ: quid de illa quæ diuinitus inſpirata eſt, qualis diuini
noſtri citharœdi creditur exiſtimandum erit? Quæ dæmonia
non expellet? quos iræ & indignationis non extinguet ignes?
quos barbaros & effrænatos animos, inſtar manſuetarum
ouium, manſueſcere non faciet? Legitur enim 1.Reg.cap.19.
1.Reg.19. quòd cùm Rex Saul miniſtros ſuos mitteret, qui Dauid ap-
præhenderent, vt illum ducerent in carcerem, fortè illum of-
fendentes pſallentem cythara, hymnos, & pſalmos Deo ca-
nentem repererunt: qui dulcedine melodiæ attracti, & deli-
niti omni ſæuitia & crudelitate depoſita, ad Regem ſuum Sau-
lem ſunt reuerſi, qui, cum alios miniſtros mitteret, idem illis
contigit. Tunc Rex ira & indignatione accenſus, iter arripuit
ad

Digitized by Google

ad illum apprehendendum: audita tamen pſalmorum melodia & dulcedine, mutatus eſt in virum alterum, aſſumptáque cithara, cœpit ſimul & ipſe illam percutere, pſallere, & prophetare. O mirabilis muſicæ, ſimul & diuini verbi ad permulcendos animos & delinienda corda virtus: quæ Saulem tanquam leonem furentem, & contra Dauidem ignem ſpirantem ſic potuit temperare. Conſiderans igitur Regius pſaltes efficaciſſimam pſalmorũ virtutem (qui verè metricè & rythmicè conſcripti ſunt) ad ſedandos animos, feritatémque corrigendam, vidēs etiam Abſalonis chariſſimi filij ſui immanitatem, quæ Hircanas tygrides ſuperabat, qui quidē nullum non mouebat lapidem, attentabat medium vt illum vita priuaret, pſalmum hunc mirifico ſpiritu, ſummáque eruditione pollentem, compoſuit: vt ſi ad manus filij forſitan deueniret, eius indignationem & rabiem contra genitorem conceptam compeſceret & mitigaret. Hæc de titulo, iam ad literæ explicationem accedamus.

Domine exaudi orationem meam, &c. Videns immaniſſimam filij ſui perſecutionem, qui contra illum conſpirauerat à propriíſque ſedibus repellere attentauerat, ad Deum vltorem & auxiliatorem ſuum, toto mentis affectu, animíque deuotione, per orationem conuerſus, inquit: *Domine exaudi orationem meam*, & ne repellas humilem deprecationē meam, quinimò auribus tuæ miſericordiæ illam percipe, & me à præſentaneo periculo liberare non dedigneris: quoniam filius meus qui de vtero meo eſt egreſſus, mutatus eſt mihi in crudelē, & factus eſt acerrimus hoſtis, quęritque animam meam ad perdendam eam. Videtur mihi Dauid initio huius pſalmi (licet tranſcurſim & obiter) conſtituere differentiam inter Deum verum & viuum, & illos qui cùm Dij exiſtimentur, non tamen ſunt, ſed ligna & lapides, argētum & aurum, & opera manuum hominum. Qui licet habeāt oculos, ſed non vident, os & non loquuntur, aures & non audiunt. In quo peioris conditionis eſſe beluis, manifeſtè oſtenditur, vt perpulchrè in expoſitione Pſal. 113. deducit Auguſt. quia bruta animentia ſenſuum priuilegio gaudent. At Deus noſter oculos habet ad videndũ noſtras calamitates & miſerias, os ad loquendum nobiſcum, quia non ſolùm per Prophetas multifarium loquutus eſt, ſed nouiſſimè diebus iſtis in proprio filio, manus etiā habet liberalitate non mediori donatas, ad nobis ſuccurrendum & præſtandum auxilium, auréſque ad noſtras exaudiendas preces, vt ex innumeris ſacræ ſcripturæ locis faciliimè comprobari poteſt. Dicitur

Aug. ſuper Pſal. 113.

Digitized by Google

Exod.3. enim in Exod.cap.3, *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & audiui clamorem eius propter duritiam eorum qui præſunt operibus, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Quaſi diceret: Non ſum ſicut nationum Dij, qui oculorum & aurium ſunt omnino expertes: vnde neque ſuorum adoratorum calamitates intueri, neque preces audire poſſunt ad ferendum eis auxilium. Vidi enim compaſſionis oculo, & audiui miſericordiæ auribus, & ideo deſcendi, vt populum meum de dura hac ſeruitute liberarem. Solet enim probatio veri Dei in hoc conſiſtere, quòd aures habeat ad ſuos exaudiendos. Quare cum Samaritani, vt habetur 3.Reg.18. ſuos iactarent Deos, nec vllis rationibus adduci poſſent, vt ab Idolorum cultura auerterentur, verúmque Deum Iſraël adorarent: pepigit cum eis Helias, quòd ipſe Deo ſuo, illi verò ſuis Idolis ſacrificium offerrent, precibus & oratione inuocarent, tali pacto & conditione, quòd ille qui per ignem exaudiret, verus Deus haberetur. *Inuocate nomina Deorum veſtrorum*, inquiebat, *& ego inuocabo nomen Dei mei, & Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus:* indignum namque Deitate iudicabat illum, qui ſuos inuocantes & deprecantes, exaudire nõn poſſet. Quare cùm huius rei ſumerent periculum, ſacrificium offerrent, maximíſque clamoribus inuocarent Deos ſuos, Propheta illos irridens & ſubſannans aiebat: *Clamate voce maiori, Deus enim eſt & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Quæ quidem verba iocosè dicta accipienda ſunt. Poſtquam autem altare ſuum conſtruxit, lignáque ſuperpoſuit: clamare, & ipſe cœpit dicens: *Exaudi me Domine, vt ſciat populus iſte, quia tu es Deus:* quaſi diceret. In hoc cognoſcent quia tu es verus Deus, & non ſit alius præter te, ſi me clamantem exaudieris, ſacrificiúmque iſtud nomini tuo dicatum igne combuſſeris. Tu enim ille es, de quo ſcriptum eſt: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum*, Pſal.90. Et alio loco: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Quinimò per Iſai. pollicetur: *Antequam clament, ego exaudiam eos:* adhuc illis loquentibus, ego audiam. Solum enim peccatum impedimento eſſe ſolet, quominus preces noſtræ exaudiantur. Sicut in Iſaiæ vaticinio habetur. cap.1. *Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Et in Threnis capite tertio, conqueritur Hieremias, dicens: *Poſuiſti nubem ne tranſeat oratio.* Vbi peccatum cum nube comparatur:

(Margin notes: 3.Reg.18. — Pſal. 90. — Iſai.65. — Iſai.1. — Thren.3.)

nam

nam ſicut nubes fumus eſt eleuatus à terra, ſic peccatum à nobis qui terreni ſumus, conſurgit: & vt nubecula radiorum ſolis ſplendorem impedit, ſic peccatum ob ſuam caliginem, & denſitatem eſt nobis impedimento, ne radij diuinæ lucis nos illuminent: ſuamque nobis Deus, quam petimus miſericordiam impendat. Hoc autem de medio ablato impedimento, continuò & abſque vlla prorſus mora à Deo, clamantes exaudimur. Hinc eſt, quòd patientiſſimus ille Iob, quaſi rei inſolitæ & præter morem, conquerebatur capite trigeſimo. *Clamo ad te, & non exaudis me, ſto, & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem & in duritia manus tua aduerſaris mihi.* Quaſi diceret: Quid ſibi iſta volunt Domine? Cur meos clamores non audis? Cur videns calamitatem meam taces & diſſimulas, & non ſtatim de cœlo tuo ſancto mittis auxilium? Cur non me à tot laboribus eripis, ſed in hoc ſterquilinio vermibus ſcatentem, doloribus afflictum, & vulneribus pateris eſſe plenum? Alienum quidem hoc eſt & extraneum à tua miſericordia, qui afflictis ſumma celeritate opem ferre ſoles. Mutatus quidem videris mihi eſſe in crudelem & inimicum, quia cùm facilis ſoleres in aliis calamitatibus eſſe ad mihi auxiliandum, nunc durum & crudelem ſentio, & clamoribus ac gemitibus meis aures obturantem. Habemus igitur hoc eſſe Dei ingenium, hanc illius clementiſſimam conſuetudinem & conditionem, quod ad pauperum clamores, afflictorúmque hominum gemitus, ſtatim, & abſque vlla mora reſpondeat: in quo eius diuinitas & omnipotentia dignoſcitur, & in quo à falſis & vaniſſimis gẽtium Diis diſtinguitur, quin imo non ab illis ſolùm, ſed etiam à filiorum huius ſæculi falſis Idolis, quæ tanquam Deos colunt & venerantur, nempe diuitiis, honoribus & voluptatibus quibus genu flectimus, ſummiſque honoribus veneramur. Hæc enim omnia inania ſunt, nulliúſque momenti, & quæ nos tempore neceſſitatis exaudire non valent, aut ſua defenſione protegere: quia non proderunt diuitiæ in die vltionis. Quod attendẽs noſter Regius Propheta, videns filij ſui perſecutionem acerrimam, conſiderànſque ſe ipſum in tot laboribus & anguſtiis conſtitutum, non ad ſummam argenti & auri copiam, non ad validam militum manum, non ad cuiuſquam Principis ſiue Regis auxilium impetrandum, ſed ad Deum ſuum tanquam ad ſacram anchoram auxiliúmque nunquam deficiens accurrit, dicens: *Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam.*

Simile.

Deus peccatores non exaudit, prout tales ſũt.

Iob 30.

Paraphr. Chaldai. habet: Sto, & non attendis.

Deus facilis ad audiendũ noſtros clamores.

Prou. 11.

Theodor. *In veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.* Theodor. ſic expendit hæc verba: Precatus ſum, ait, vt mea verba in veritate & iuſtitia exaudirentur, non mea iuſtitia fretus, ſed hoſtium iniquitatem ſciens. Qui enim à Domino miſericordiam aliquam impetrare voluerit, non de ſuis meritis, ſiue de ſua veritate & iuſtitia debet præſumere: quia (vt verbis vtamur Iſaiæ) *[Iſai.64.]* *omnes iuſtitia noſtra tanquam pannus menſtruata, factique ſumus immundi omnes.* Quare neque pane quo veſcimur, aut aëre quo reſpiramus, digni ſumus. Hinc eſt, quod propheta Daniel cap. 9. ſui vaticinij, cùm ſe conuerteret ad orandum pro *[Dan. 9.]* liberatione populi ſui, non ſemel, aut bis, ſed multoties, ſuam omniúmque iniuſtitiã & impietatem confitetur. *Neque enim,* inquit, *in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Cui etiam conſonat, quod D. Greg. ſuper hũc locum adnotauit, inquiens: Qui gloriatur in ſe, non exauditur. Non exaudiuntur illi qui ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Et adducit ad hoc probandũ exemplum Phariſæi, doctrinæ huic valdè conſonum. Cùm enim aſcenderet ad orandum in templum, non Dei iuſtitiam, ſed ſuã commendabat, dicens: *Gracias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, adulteri, homicidæ.* Ieiuno bis in ſabbatho, decimas do de omnibus quæ poſſideo. O Deus immortalis quantam de ſua iuſtitia ſatisfactionem habebat, *quan pagado eſtaua de ſi.* Videtur enim mihi, non orare, ſed cum Deo de iuſtitia velle contendere. Quare idem illi contigit, quod Marſyæ citharœdo. Cùm enim auſus fuiſſet cum Apolline diſceptare, & ad certamen muſicæ deuenire, tandem victus & ſuperatus, palo ab eo alligatus fuit, excoriatus, & occiſus: ſic Phariſæus iſte qui de iuſtitia cum Deo quaſi contendere videbatur cõdemnatus fuit, & ſpiritualiter interemptus. Huic Phariſæo ſimiles ſunt, qui cùm aliquid à Deo poſtulãt, virtutes ſuas & merita (ſi quæ habent) ad memoriam reuocant, credentes, idcirco, quod ea, quæ poſtulant facilius ſint accepturi non intelligentes, quòd non eodem modo quo terreni Reges, Deus exorandus eſt. Cùm enim aliquid à terreno Principe petimus, ſolemus noſtra merita, aut ſeruitia, ſi quæ fecimus allegare, quòd benè nos geſſerimus in bello, quòd fidelitatem ſeruauerimus quòd magnos labores fuerimus perpeſſi; at ſi à Deo aliquid impetrare volumus, longe aliter nobis orandum eſt, quia non propria merita, ſed potius demerita non quæ rectè geſſimus, ſed quæ negligenter omiſimus, non noſtram iuſtitiam,

Non propria merita in oratione ſunt allegãda.

D. Greg.

Luc. 18.

Strabo. lib. 12.

Plin. lib. 16. c. 44.

Nicãdro in Tyriacis.

Simile.

Cur orãs Deũ ſuã tãtũ miſeriã & nõ meritum debeat proferre.

tiam, ſed iniuſtiam & tranſgreſſionem, debemus conſiteri: Cuius diſcriminis ratio in promptu eſt, quia ſeruitia Regi facta, non ipſius Regis auxilio, ſed viribus noſtris effecta ſunt: at quę Deo fiunt, nón ſine ipſius auxilio & ope fieri poſſunt: quia *omnia opera noſtra operatus eſt in nobis Deus noſter, cùm non ſimus ſufficientes cogitare* (vt ait Paulus) *aliquid ex nobis quaſi ex nobis.* Quod ſi opera & merita noſtra pertinent ad Deum magis quàm ad noſmetipſos, non eſt cur ea tanquam propria ante diuinæ maieſtatis oculos ſtatuamus cùm aliud ab eo poſtulauerimus, ſed potius diuinam veritatem & iuſtitiam noſtrum pſaltem imitantes, qui ait: *In veritate tua exaudi me, in tua iuſtitia.* *vti apud homines fieri ſolet.* *Iſai.26.* *2.Cor.3.*

Lyranus adhuc aliter hunc locum explicat, & rectè quidem quia hîc, inquit, allegatur diuinum Verbum, quo præcepit, filios parentes honorare, vt habetur in Exod.cap.20. & ideo ad veritatem diuinam & iuſtitiam pertinebat liberare Dauid à perſecutione filij ſui à quo debebat honorari. Sentit ergo Dauid, quod nihil iuſtius, & ad veritatem diuinā magis ſpectans, quàm de filio inobedienti vindictam ſumere, & ideo ad diuinam accurrit iuſtitiam & veritatem. Quid enim magis rationi conſonum eſſe poterit, quàm quòd filius parentibus, à quibus eſſe & viuere accepit, honorem deferat? vel quid ab ipſius rationis lege magis alienum, quàm in proprium progenitorem inſurgere, illum perſequi, & vſque ad mortem inſectari? Nam dicito mihi, ſi aliquis à natiuitate, lumine cùm eſſet orbatus, ab alio lumen reciperet; vel cùm natus eſſet claudus ex vtero matris ſuæ, ab eo impetraret ſalutem, ita quòd rectè & abſque vllo impedimento erectus poſſet incedere: quantis obligationis vinculis illi teneretur? quas illi gratias quotidie & inceſſanter non referret propter beneficium collatum? Sed agite iam & vltra mecum progredimini: ſi hic idem tanti beneficij immemor, in auctorem ſuæ ſalutis inſurgeret illíque eſſet omnino contrarius & infeſtus, nonne abominabilis, execrandus, & omnium hominum ingratiſſimus eſſet iudicandus? Cùm ergo tu à parentibus & progenitoribus tuis, non ſolùm oculos aut pedes, vel manus, ſed integram naturam, & quicquid ad eſſentiam tuam pertinet, acceperis: vide quali cenſura dignus eris, ſi ingratus euaſeris, & obligationi naturali non reſponderis. *Honora patrem tuum*, inquit Eccleſiaſt. *& gemitum matris tuæ, ne obliuiſcaris; memento quòd niſi per illos natus non fuiſſes.* Optima quidam ratio, ſi parentes vitam tibi & eſſe tribuerunt, teneris ergo tu quantum in te eſt, illorum vitam con- *Lyranus.* *Exod.20.* *Parentes filÿs honorandi. Simile.* *Eccl.7.*

Digitized by Google

ſeruare, debitumque illis præſtare honorem: qui honor (vt in-
Hugo. quit Hugo) in duobus conſiſtit: in debitæ reuerentiæ exhibitio-
ne, & neceſſariorum volũtaria adminiſtratione. Vnde eſt, quod
honorantibus parentes, longioris vitæ præmium, & bonorum
temporalium abundantia, quæ ad hunc finem ordinatur, in
Scriptura ſacra promittitur: dignum eſſe iudicans Scriptura
ſancta, quòd longior & fœlicior illi tribuatur vita, qui quan-
Eccl. 3. tum in ſe eſt, parentum ſuorum vitam conſeruat. Eccl. 3. dici-
tur: *Qui honorat patrem ſuum, vita viuet longiore.* Et poſt pauca:
*Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris
eradicat fundamenta.* O Deus immortalis, quantas filiorum do-
mos permagnificas, quàm alta mœnia & ædificia, quos diui-
tiarum cumulos, patrimoniorum vincula, theſaurorũ aceruos,
parentum maledictio & inobedientia ſubuertit. Dignum enim
eſt & valdè rationi conſonum, quod filius, qui debitum paren-
tibus ſuis denegat obſequium, quicquid ab eis iure hæredita-
rio accepit, amittat, etiam ſalutem & vitam quam à progeni-
toribus habet, in medio itineris ſui curriculo iuſto Dei iudi-
Lyran. cio deperdat. Cui conſonat, quòd Lyran. noſter, verba illa ex-
pendens: *Vt ſis longæuus ſuper terram*, inquit: Cùm enim filius ac-
cipiat vitam à parentibus, condecens eſt, vt vita illorum pro-
longetur, qui benè ſe habent ad eos, & è conuerſo, quòd bre-
Prou. 30. uietur vita illorum, qui malè ſe habent. Apud Prou. c. 30. admi-
Nota. rabilem execrationem reperies, ex qua nullo negotio quiuis,
vel mediocris ingenij colligere poterit, quantum apud Deum
male audiant infideles filij, & qui parentibus debitam non ex-
hibent reuerentiam. Sic enim habetur: *Oculum qui ſubſannat
patrem ſuum, & deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui, &
comedant eum filij aquilæ.* Rectè quidem oculis parentes ſubſan-
nantibus, in pœnam & ſupplicium confertur, quòd à coruis
eruantur. Quia ſicut coruus plerumque oculos nutrientis ſolet
eruere (vt in prouerbio. Hiſpanico habetur. *Cria cueruo, y ſa-
carte ha el ojo*) ſic filius inobediens parentum oculos vult erue-
re, vitæque illorum ſemper inſidiatur. Sed aduertit Lyra, quòd
in Hebræo habetur: *Qui reſpicit rugas matris ſuæ*, quæ rugæ ex
frequenti partu in faciem mulieris accelerantur. Quomodo
homo ferus & agreſtis, crudelitate bruta animantia ſuperans,
rugas faciei matris tuæ, quas ex tuo partu, educationeque con-
traxit, albenteſque capitis ſui canos potes deſpicere: ita quòd
ſenectutis paupertatiſque ſuæ non miſerearis, neque debitum
ei obſequium præſtes: ac ſi nihil laboris, anxietatis, & ſolicitu-
dinis, ob tui cauſam eſſet perpeſſa? Chriſtus Redemptor noſter
filius

filius hominis in Euangelio appellatur,& rectè quidem,neque nomen hoc ſibi immeritò vſurpaſſe cenſendus eſt. Fuit enim verè filius hominis,qui honorem per peccatum ablatum ei reſtituit,& velut alter Sem verenda parentis ſui Adami,nudus in cruce pendens,pallio humanitatis ſuæ retrocedendo per mortem,texit,& ideo filius hominis appellari voluit, Docuítque non verbo ſolùm,ſed & exemplo parentibus honorem deferendum eſſe. Quod adnotauit D. Chryſoſt. exponens illud Ioannis 19.*Mulier ecce filius tuus*.Docet nos,inquit Chriſtus, vſque ad vltimam reſpirationem parentum diligentiam habere: quia enim aliis mulieribus aſtantibus nihil dixit: docet plus aliquid impendere parentibus. Sed & Sem de quo nuper dicebamus, qui verenda patris ſui cooperuit, & typus Chriſti fuit,typus etiam boni filij eſſe poteſt:in quo promiſſio illa legis,longioris vitæ, adimpleta cernitur. Vixit enim per diuturnos annos: quare ab aliquibus Melchiſedech Rex Salem eſſe creditur: de quo D.Paulus ad Hebræos ſcribens, inquit,quod fuit ſine patre,& ſine matre,& ſine genealogia, non quia parētes non habuerit, ſed quòd tanto tempore vixerit,quòd parentum memoria,è memoria hominum excidiſſet. Si ciconia (vt fertur)ea pietate, & erga parentes ſuos miſeratione naturaliter eſt prædita,quòd in ſenectute illis ſuccurrit,omniaque ad victum neceſſaria adminiſtrat, tanto labore ac cura, quòd extra nidum egredi illis nō ſit opus:quid homo rationis compos par eſt vt faciat? Quam ſolicitudinem adhibere, erga parentes ſuos non tenebitur? Quòd ſi haud quaquam faciat quali ſupplicio dignus erit, aut qua pœna veniet mulctandus? Iure timere poterit, ne eodem ſupplicio quo inobediens Abſalon, qui contra proprium conſpirauit patrem, afficiatur. Qui iuſto Dei iudicio in quercu ſuſpenſus, capillis vicem funis gerentibus,interiit.Videns igitur pius pater acerbam eius perſecutionem, qui animam illius quærebat ad Deum tanquam ad iuſtiſſimum ſcelerum vltorem confugit,dicens:*In veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.*

Lyran.& Auguſt.

Ambr.in exam. de opere 5. diei,c.35. Solinus de mirabilib.mūdi.

*Et non intres in iudiciū cum ſeruo tuo,&c.*Nolim exiſtimes Domine, cùm peto à te,vt in veritate tua & iuſtitia me exaudias, quòd idcirco de me præſumo iuſtitia & innocentia, aut quòd me ipſum in conſpectu tuo iuſtificare intendo: quaſi ab omni peccati labe & contagio ſim alienus:ſcio enim, quòd in multis offendi, legemque tuam ſum trangreſſus: & quod ſi iuſtificare me voluero, os meū condemnabit me,& abominabūtur me veſtimēta mea. Ideo ſuppliciter à te expeto, ne cum

ſeruo tuo in iudicium deſcendas, quia nemo in conſpectu tuo iuſtificabitur:quinimo immundus & peccator apparebit. Sicut enim (vt verbis Doctoris Incogniti ſuper hunc locum vtar) lumen candelæ reſpectu luminis ſolis obſcuritas eſſe videtur, ſic omnis noſtra virtus & iuſtitia , diuinæ iuſtitiæ,comparata, ſordida , & abſque vlla videtur pulchritudine.Si enim Angeli non ſunt mundi in conſpectu eius,quid de nobis erit exiſtimandum qui terreni ſumus & lutei , carni huic mortali corruptibili obnoxij;*Ecce qui aſſiſtunt ei non ſunt ſtabiles*,inquit Iob,*& in Angelis ſuis reperit prauitatem,quantò magis nos qui habitamus domus luteas?* Diuus Gregorius 18.Moral.cap.29. ſuper illud Iob 28.*Non dabitur aurum obrizum pro ea* , vbi de ſapientia increata loquitur , inquit : Quid autem per aurum obrizum, niſi Angeli ſancti deſignantur? Qui rectè & aurum & obrizum aurum , quia fulgent claritate iuſtitiæ ; obrizum: quia nullum habent contagium culpæ. Homines verò iuſti, quandiu in hac corruptibili carne mortaliter viuunt , aurum quidem poſſunt eſſe,ſed obrizum omnino non poſſunt , quia *corpus quod corrumpitur,aggrauat animam , & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. Itaque, corpus hoc corruptibile & mortale,in quo tanquam in carcere anima noſtra commoratur,cauſa eſt,vt omnino à peccatorum ſordibus non poſſit multo tempore eſſe immunis : quia , vt in quodam habetur emblemate, ſemper aliquid malum propter vicinum malum. Cùm ergo tanta ſit inter corpus & animã propinquitas , quid mirum ſi aliquæ veniales culpæ ex eius vicinitate ei accidant? Vnde Deus Iobum alloquens cap.4. ſic inquit. *Nunquid homo Dei comparatione iuſtificabitur,aut factore ſuo purior erit vir?* Quæ verba expendens D. Gregor. 5.moral.c.26. dicit: Humana iuſtitia diuinæ comparata,iniuſtitia eſt,quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur : ſed in ſolis radio poſita tenebratur. Si ergo tanta eſt diuina puritas & pulchritudo, quòd in comparatione eius nemo mundus apparere poteſt, præſertim omnes nos qui in Adam primo noſtro parente peccauimus , quamplurimáque quotidie facinora perpetramus, quorum iuſtitiæ omnes tanquam pannus mẽſtruatæ, quorum opera imperfecta , quorum charitas frigida, fides quandoque mortua,ſpes omni deſidia,& conſternatione plena,quare noſtram iactamus iuſtitiam;quare de noſtris operibus hypocriſi & fallacia plenis præſumptionem habemus,& ſecuri ad diuinum tribunal ſeueriſſimi iudicis accedere poſſe exiſtimamus? Quibus conueniunt diuina illa verba , quæ Hieremias Propheta

Doctor. Incogn. *Simile.* *Noſtra iuſtitia iuſtitiæ Dei comparata euaneſcit.* *Iob 4.* *Gregor. ſuper Iob.28. liter.2. cap.29.* *Sap.9.* *Iob.4.* *Greg.5. moral. cap.26.* *Simile.* *Hier.2.*

pheta reliquit ſcripta capite ſui vaticinij ſecundo. *Quid vultis iudicio mecum contendere? Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.* Quæ verba explicans D. Auguſtinus, ſic inquit: Quid vultis in iudicio mecum contendere? & iuſtitias veſtras commemorare? Commemorate iuſtitias veſtras, & ego noui facinora veſtra: quomodo approbabo iuſtitiam, vbi damnabo ſuperbiam? Humiliemus ergo animas noſtras coram Deo agnoſcamus facinora noſtra, & ea libenter confiteamur: vt diuinam miſericordiam implorantes, omnium illorum veniam conſequamur, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. *D. Aug.*

CONCIO SECVNDA.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

IMPLORAVERAT pientiſſimus Rex, & pſaltes egregius (vt in duobus verſibus à nobis expoſitis vidimus) diuinum fauorem contra crudeliſſimi filij ſui perſecutionem, qui aduerſus progenitorem ſuum. Achitophel id ſuadente, conſpirauerat: nunc in præſentibus carminibus huius rei rationem reddit; dicens: *Quoniam perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam*, &c.

Licèt Deus electos ſuos incredibili diligat amore, ardentiſſimaque charitate in eos afficiatur ex qua ortum habent omnia beneficia eis collata, quæ innumera ſunt, nec facilè à nobis poſſent recenſeri, partim natura, partim gratia conferente, ſed non ideo eos, à laboribus, calamitatibus, & perſecutionibus, liberos eſſe permittit: quin potius per totum vitæ curſum experientia id ipſum docente, diſcunt quòd *vita illorum eſt militia ſuper terram* (vt patientiſſimi Iob vtamur verbis.) Sicut enim profeſſores militiæ nulla non perferunt damna, vt victoriam adipiſcantur, quam multoties pretio proprij ſanguinis emunt: ſic etiam miles Chriſtianus quamplurima mala pœnæ tolerare debet, vt ad optatum perueniat brauium, victoriæque palmam conſequatur. Hoc ſignificare cùm voluiſſent Romani *Qui piè volunt viuere perſecutionē patiūtur.* *Iob.7.* *Simile.*

virtutem & honorem ſicut Deos coluerunt: quibus duas ædes, aut duo templa conſtruxerunt, referente Valerio libro 1. cap. 1. de cultu Deorum, & D. Auguſtinus 5. de ciuitate Dei, cap. 13. In templo laboris aut virtutis, ipſius virtutis & laboris erant inſignia. Parietes enim templi lanceis, gladiis, ſcutis, loricis, & aliis bellicis inſtrumentis adornati erant. In templo verò Honoris erant palmæ, coronæ laureæ, triumphales currus, & alia ad honorem ſpectantia: ſed templa hæc tali ordine erant inter ſe diſpoſita & ordinata, quòd nullus poſſet ad templum honoris peruenire, niſi per templum laboris aut virtutis prius pertranſiret. In quo illud Ariſtotelicum ſignificare voluerũt: quod honor eſt præmium virtutis, quod ſolùm his qui in laboribus & virtutibus exercẽtur, debetur. Quod ſi temporalem gloriam virtus debet præire, quanto magis cœleſtem illam & æternam, qua Deus iuſtos in ſuprema curia & cœleſti patria afficit? *Non enim coronabitur,* vt inquit D. Paulus, *niſi qui legitimè certauerit.* Coronam non meretur qui cum hoſte in arenam non deſcendit, qui in agone non contendit, & de inimicis & laboribus victoriam non reportauerit. Hoc adumbratum fuit in Exod. cap. 30. vbi dicitur, quod in tabernaculo illo ſummo elaborato artificio duo erant altaria, alterum ſanguine perfuſum, alterum verò ſine ſanguine. In primo mactabantur animalia, oues, & boues, & vituli: & ideò ſanguine plenum erat, & inſtrumentis ad ſacrificia neceſſariis. Ibi enim erant ſecures, caldaria, &c. In ſecundo verò altari, quod intra ſancta ſanctorum erat, nihil horum videbatur, ſed erat ibi arca teſtamẽti, duobus Seraphin cooperta, ibi propitiatorium aureum, ſummáque pax & tranquillitas: ſed tali diſpoſitione erant inter ſe conſtituta, quòd ad ſecundum, niſi per primum, perueniri non poterat. Sic etiam ad ſummam illam requiem & fœlicitatem quæ nobis in gloria promittitur: niſi per ſanguinem & labores perueniri non poteſt, quia ſi compatimur, & conregnabimus, & non ſecus. Non enim poſſumus ingredi in illam requiem, niſi prius per altare ſanguineum, hoc eſt, per labores, calamitates, inimicorumque perſecutiones, tranſeamus. *Hi ſunt,* inquit D. Ioan. in Apocalypſi, beatos oſtendens in ſuprema iam dignitate conſtitutos, *qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Magnam tribulationem appellat, quam iuſti in hac vita patiũtur: vbi laboribus vexantur, humanæ vitæ fluctibus concutiuntur, pulſanturque non ſemel communis hoſtis noſtri tentationibus. Quis non magnam tribulationem appellet, in qua tanquam aurum in fornace

Valerius lib. 1. c. 1. Aug. li. 5. de ciuit. cap. 13.

Honor virtutis præmium. Ariſt. 4. Ethic. cap. 4.

2. Thi. 2.

Exod. 30. Figura.

Apoc. 7.

Digitized by Google

fornace probat electos Dominus, & quaſi holocauſta accipit eos, vt in tempore ſit illorum reſpectus? Quemadmodum aurifex pretioſum aurum in fornacem proiicit, non vt deſtruat & perdat, ſed vt purificet, illudque ictibus mallei concutit, non vt frangat, ſed vt ex eo coronam conſtituat: ſic Deus permittit iuſtum tentari, quamplurimiſque angi laboribus: vt ab illo quicquid terrenum eſt, ſeparet, & abſtrahat, ex eoque auream coronam gloriæ & dignitatis conſtituat. Hûc ſpectant Iſaiæ verba capite ſexageſimo ſecundo, vbi de iuſto agens, inquit: ***Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui: non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea.*** Vbi ſummoperè aduertendum eſt, quod non dicit iuſtum futurum eſſe coronam in capite Dei, quod magis videbatur rationi conſonum, cùm corona & diadema in capite ſoleat apponi, ſed in manu, inquit, quia dum iuſtus in præſenti degit vita, non eſt corona in capite, ſed in manu, à qua poteſt decidere per culpam. Eſt etiam in manu quaſi artificis, quia nondum perfecta eſt. Et quemadmodum aurea corona tunſionibus laborum, preſſuris calamitatum, & ictibus inimicorum perfici debet, quouſque ad ſupremam illam beatamque vitam perueniat: in qua corona erit in capite Domini collocata. Dicitur etiam corona in manu domini, quia iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, quare non tanget illos tormentum mortis, ſiue vt alia habet litera, tormentum malitiæ: Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Deus enim ſupponit manum ſuam, vt non collidatur iuſtus, etiam ſi in varias tentationes ceciderit. Manus Domini in ſacra Scriptura auxilium indeficiens, ad perferendos labores ſignificat: *Fiat manus tua vt ſaluet me*, inquit Pſalmiſta. Et alibi: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Nec mirum, quòd per manum auxilium: cùm per manus vmbram, etiam ſignificetur: vt ex illo Iſaiæ conſtat: *Sub vmbra manus ſuæ protexit me.* Talis namque, tantæque virtutis eſt manus Domini, quod vel ſola vmbra poteſt ſaluare. Quid ergo iuſtum in manu Domini, ſiue coronam dixerint ſignificare? niſi quod iuſtus habet Deum protectorem & defenſorem, in omnibus ſuis laboribus, quia vt ipſe pollicetur, cum ipſo eſt in tribulatione: eripiet eum & glorificabit illũ. Hinc eſt, quòd homo iuſtus, ad omnes labores perferendos videtur eſſe quaſi incantatus. Omnia vincit, omnia ſuperat, nemini ſuccũbat, & de omnibus victoriam reportat. *Omnia poſſum*, inquit Paulus, *in eo qui*

Simile.

Iſai.62.

Nota.

Lyra, in manu Domini, id eſt in eius protectione.

Sap.3.

Manus Dei auxilium eius eſt.

Iſai.49.

Pſal.90.

Philip.4.

Digitized by Google

qui me confortat. Licèt ſim homo debilis, & ex natura mea
ad quæcumque pro Chriſto ſufferenda impos: tamen illius
qui confortat me gratia adiutus, nihil non poſſum, labores
vinco, contumelias & carceres ſuſtineo, vincula mihi non
moleſta, ſed ſuauia videntur, perſecutiones contemno: & om-
nia denique quæ carni inimica apparent, difficultatemq́ue
præ ſe ferunt, hilari vultu, æquoq́ue animo profero. Sed ne per
aliena diuagemur exempla, & in externis veritatem requira-
mus: ad noſtrum pſaltem, noſtra ſe conuertat oratio. De quo
Pſal. 88. dicitur in Pſalmo 88. *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto
meo vnxi eum: & manus enim mea auxiliabitur ei. Nihil profi-
ciet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei.* Non enim
contentus eſt dicere, quod inuenerit eum, & quod oleo ſancto
vnxerit: ſicut antiquitus milites vngebantur ad luctam, ſiue
ad paleſtram, vt aptiores & fortiores redderentur, ſed ſtatim
addit: *Quod manus eius auxiliatura ſit ei.* Vbi Paraphraſis Chal-
dea inquit: *Manus meæ paratæ ſunt in adiutorio eius*, vt inde in-
telligamus, quam paratum eſt auxilium eius, *quan à punto eſta
ſu ſoccorro*: ad auxiliandum eis qui ſuo indigent auxilio. Diuus
D. Hier. Hieronymus ex Hebræo: Cum quo manus mea firma erit: ad
ex Hebr. oſtendendum, quòd neque manus Dauid, neque manus Dei
ſolum, ſed vtraque ſimul operari debet; *Non ego ſum*, dicebat
Paulus, *ſed gratia Dei mecum.* Neceſſe enim eſt ad reportan-
dam victoriam ex inimicis, quòd manus Eliſæi ſuperpo-
4. Reg. 13. nantur, ſuper manus Ioas (ſicut 4. Regum 13. narrat hiſtoria)
vt ſagitta ſalutis Domini contra Syriam iaciatur. Inutilis
enim erit quæcumque noſtra operatio, inualidaq́ue omnis ſa-
gitta quæ per manum Domini directa non fuerit. Vnde, in-
quit, manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confor-
tabit eum. Quare nihil proficiet inimicus in eo: & filius ini-
Lyranus. quitatis non nocebit ei. Per inimicum Lyranus Saulem in-
telligit. Per filium iniquitatis Abſalonem filium ſuum, qui
illum perſequebantur. Videns igitur Dauid, filij ſui crudelita-
tem, qua contra eum ſæuierat: & coniurationem, quam moli-
tus fuerat, vt ab eo regnum & imperium auferret: intelligenſ-
q́ue vires ſuas impares eſſe, ad tam atrociſſimum hoſtem pro-
fligandum, ad Deum adiutorem ſuum confugit, ſuppliciter ab
eo auxilium expoſcens. Domine, tu es adiutor meus & pro-
tector meus: Deus ſalutis meæ, in cuius virtute omnes inimi-
cos meos ſuperabo. Da robur, fer auxilium, & ne differas mi-
hi ferre opem: *Quia perſequutus eſt inimicus animam meam, hu-
miliauit in terra vitam meam.*

Diuus

Diuus Hieronymus per *inimicum* Diabolum intelligit, generis humani hoſtem. Inquit enim: Hoc interpretatione non indiget, nulli dubium quin Diabolus. Cui conſonat etiam diuus Gregorius, dicens: Quis ſit generis humani inimicus, oſtendit qui parabolam zizaniorum exponens, ait: *Inimicus autem, Diabolus eſt.* Et Apoſtolus Petrus: *Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit querens quem deuoret.* Petit ergo Dauid auxilium contra diabolum, qui generis humani communis eſt hoſtis. Hic nimirum verus inimicus eſt, qui non vitæ corporis, ſed animæ inſidiatur, non perituras corruptibileſque diuitias, ſed æternas à nobis auferre contendit. Homo namque qui nos perſequitur, non inimicus, ſed miniſter, ſalutiſque noſtræ pædagogus appellandus eſt: quo interueniente Deus noſtram operatur ſalutem. Peccator, inquit Beatus Auguſtinus, ideò viuere permittitur, vel vt corrigatur, vel vt bonus per eum exerceatur. Hæc enim inter primatum, nobiliumque, & inter vulgarium hominum filios differentia verſatur: quòd primi pædagogum quendam habent, qui illorum curam gerat, illos doceat, arguat, & reprehendat quicquid correctione, & reprehenſione dignum fuerit: at ſecundi pædagogum non habent, ſed eis quicquid libuerit pro votis conceditur. Sic nimirum prædeſtinati, qui filij ſunt Dei adoptiui, quamdiu in gratia permanſerint: quorum ſuprema illa fœlicitas, regníque cœleſtis hæreditas, futura eſt, pædagogum habent, nempe inimicum, qui illos exerceat, corrigat, & reprehẽdat, qui verè inimicus cenſendus non eſt, cùm potius illis proſit quàm noceat. Vnde ſummoperè aduertendum eſt, quòd Chriſtus ſeruator noſter, cùm de inimicis apud Matthæum ſermonem haberet, nobis præcipiens eorum dilectionem, dicens: *Diligite inimicos veſtros:* ſtatim ſubdit: *Benefacite his qui oderunt vos.* Non enim inquit, benefacite eis, qui vobis malũ faciunt, ſed his qui oderunt vos: vt oſtendat quòd ille qui nos perſequitur, non nobis malum, quin potius bonum confert, quia per eum ad virtutem exercemur. De ſancta illa Rebecca legitur in Scriptura, quod cùm duos in ſuo vtero haberet filios, ſcilicet, Eſau & Iacob: & inter ſeipſos paſſim rixarentur, cùm ſuper hoc Dominum conſuleret, dictum eſt ei: *maior ſeruiet minori*, id eſt, Eſau ſeruiet Iacob. D. Auguſtinus ſuper hæc verba hanc mouet difficultatem. Quomodo Eſau ſeruiuit Iacob, ſiquidem videmus quòd eum vſque ad mortem perſecutus eſt, & timore eius à propria patria exulauit? Cui quæſtioni reſpondet: maior ſeruiet minori, non obediendo, ſed vexando, quemadmodum ignis deſeruit auro.

D. Hier. *D. Greg.* *D. Petr.* *B. Aug.* *Simile.* *Matth. 5.* *Inimicus non nocet.* *Geneſ. 25.* *D. Aug.* *Nota.*

auro. Itaque, licèt peccator iuſtum perſequatur, opprobriis & contumeliis eum afficiendo, mortem ei minitando: non tamen illi nocet, ſed prodeſt, non malum ei confert, ſed bonum, quare inimicus appellandus non eſt. Ille ſolùm hoc nomine gaudet, qui vitæ animæ noſtræ inſidiatur, qui hæreditatem æternam

D.Greg. à nobis eripere ſemper machinatur. Vnde D.Gregorius ait: ipſe enim eſt qui animas perſequitur, qui mortẽ inferre perpetuam molitur, ipſe eſt, inquam, qui incautos decipit, & in via huius

Pſal.139. & 140. vitæ gradientibus, laqueos tendit. Ideò Proph. ait: *In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Qui locus licèt de hominibus peccatoribus intelligi poſſit, ſed non niſi quatenus membra ſunt diaboli, & organa eius, vt ex Diuo

D.Aug. D.Hier. Iob 14. Auguſtino, & D.Hieronymo in explicatione facilè colligitur. Rurſus etiam de diabolo ſcriptum eſt apud Iobum, capite 18. *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitas.* Pedica enim & decipula, quæ diaboli inſtrumenta ſunt ad capiendas animas, abſconditæ ſunt non manifeſtè, Vnde periculoſiores, magiſque formidandæ. Hoſtis enim occultus magis nocet, quàm manifeſtus, & cauea in tenebris conſtituta, plus

Gregor. nocet, quàm ea quæ publicè patet. Gregor. hæc verba Iob explicans, inquit: In terra pedica abſconditur: cùm culpa ſub terrenis commodis occultatur, vt homo videat quid concupiſcere

Simile. valeat, ſed nequaquam videat in quo culpæ laqueo pedem ponat. Itaque diabolus ſe habet tanquam venator, vel auceps, ad capiendas aues, ſub laqueis, vel retibus eſcas ei gratas apponit, quibus veſcuntur, vt eſcis ipſis attractæ, retibus & laqueis capiantur. Cùm enim ſuperbo honorem & dignitatem promittit, cum auaro pecuniam, cum lubrico voluptatem, quid aliud agit, quàm ſub eſca laqueum abſcondere, & muſcipulam parare, vt animam capere & irretire valeat? Et quidem

Eccl.11. Superbus exẽplum naturale. Hugo. de ſuperbis Eccleſ. inquit capite 11. *Sicut perdix inducitur in caueam, vel foueam, & ſicut caprea in laqueum: ſic & cor ſuperborum.* Et rectè ſuperbus perdici & capreæ comparatur: quia ſicut perdix aliena furatur oua, ſic ſuperbus & ambitioſus alienos honores, & alienas dignitates, ad quas nullam aptitudinem habet, furatur. Et ſicut caprea ſublime ſemper appetit, habitatque in montibus: ſic ſuperbus appetit ſuper montem dignitatis aſcendere. Sed nihilominus licèt iſta ſint ſagaciſſima animalia, aſtutia tamen aucupis capiuntur: ſic ſuperbi & quicumque alij peccatores, aſtutia dæmonis. Sed animaduerſione dignũ eſt, id quod Hugo Cardinalis in ſua gloſſa ſuper hũc locum aduertit:

nimi

Digitized by Google

nimirum quòd hîc notantur duo genera tentationum. Quoddam apertum, quod niſi abſcōderetur ſub ſpecie alicuius boni, ſtatim ab omnibus percipi poſſet, ſicut eſt fornicatio, & alia huiuſmodi carnalia peccata, & hoc per pedicam quæ ſub terra abſconditur ſignificatur: aliud latens & ſubtile, quod vix à ſapientibus cognoſcitur, quod per decipulam intelligitur, quæ ſuper ſemitam ponitur. Diabolus igitur quibuſdam decipulam tendit, quibuſdā caueam parat. Nouit enim mores hominum, & cui vitio ſint propinqui, & illa ponit ante faciem eorum, ad quæ facilius vidit inclinari mentem: vt blandis & lætis, luxuriam & vanam gloriam, aſperis & iracūdis, iram & ſuperbiam. Et quod magis deplorandum eſt, quòd diabolus non per ſe ſolùm, ſed multoties per ſuos miniſtros hæc operatur. Sicut enim Reges & Principes qui venationi ſunt dediti, quamplurimos habent venatores & miniſtros ad venationem exercendam qui eum comitantur, & quicquid in venatione capitur, ei aſcribitur. Dicimus enim Dux hodie quamplurima cœpit volatilia, aprum interfecit: ſic dæmon ſuos habet ſatellites & miniſtros, ſatanæ aucupes, ad animas capiendas. Quid enim aliud mulierem inhoneſtam, quid fraudulentum amicum, quid conſocium ſuum ad peccandum inuitat, quid illum cuius domo ludus exercetur, niſi venatores diaboli appellem? Sic enim eos appellat Dominus per Hierem. cap. 5. vbi conqueritur dicens: *Inuenti ſunt in populo meo impij inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes in pedicas ad capiendos viros.* Intelligens ergo Dauid quantæ ſint dæmonis artes & verſutiæ ad homines decipiendos, & quòd ſuarum perſecutionum ipſe principalis erat auctor (licèt Abſalonem & Archithophelem eius conſiliarium in miniſtros aſſumeret) ad diuinum confugit auxilium, dicens: *Quoniam perſecutus eſt inimicus animam meam.*

Simile.

Hier. 5.

Humiliauit in terra vitam meam. Hæc verba ad literam exponuntur de ipſo Dauid, qui, vt ait Lyranus, ſatis humiliatus fuit cum nudis pedibus egreſſus eſt ab Hieroſolyma, perſecutionem Abſalonis timens, & à Semei fuit calumniatus, & maledictione peſſima maledictus, fuitque abſconditus in montibus & ſubterraneis, quaſi mortuus: Vnde & ſpiritus eius nimium fuit anxius. Verùm D. Aug. relicto literali ſenſu ſpiritualem amplectitur, & per inimicum diabolum intelligens, ſic explicat hunc locum: Quid enim nobiſcum agit quiſquis perſequitur, niſi vt relicta ſpe cœleſti, terram ſapiamus, perſecutori cedentes, terrena diligamus? Conſonat etiam D. Gregor. ſententia.

Lyranus.

D. Aug.

D. Gr.

Digitized by Google

ſententia. Grauis, inquit, perſecutio, qui cœperam amore cœleſtium terrena relinquere, & contemptis diuitiis ſæcularibus in cœlis conuerſari: iam impulſione diabolica cogor ſumma & æterna deſpicere. Habemus hinc, quòd vna ex maioribus perſecutionibus quibus diabolus nos proſequitur, eſt, facere vt æternorum obliuiſcamur, vt totum noſtrum ſtudium ad terrena conuertatur. Vnde terrena ſapimus, terrena diligimus, & pro terrenis anhelamus. Habet quidem homo deſiderium naturale beatitudinis: non enim maiori impetu & vi lapis centrum petit, ſpheram ignis flamma, & flumina ad mare locum ſuum naturalem feruntur, quam anima noſtra ad ſupremam illam patriam inclinatur: tamen *corpus quod corrumpitur aggrauat animam & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*, ita licèt mens aſpiret ad finem, caro tamen media contemnit. Anima ad metam contendit peruenire, ſed corpus laſſitudine & conſternatione grauatur, difficultatem medij refugit & abhorret. Extat apud quendam poëtam ſymbolum quoddam Ingenij, quod noſtro propoſito adaptari poteſt. Depingit enim iuuenem quendam pulcherrimum & ingenioſum, ſiniſtra manu duas habentem alas, quibus ad cœlum contendit peruenire, ſed in dextra prægrandem habet lapidem alligatum, quo detentus nullatenus volare poteſt, neque ad optatum peruenire finem.

Homo naturaliter ad Deum inclinatur.

Sap. 9.

Ingenij pictura.

Andreas. Alciatus.

Dextra tenet lapidem, manus altera ſuſtinet alas,
Vt me pluma leuat, ſic graue mergit onus.

Talis eſt anima noſtra, quæ licet alas habeat inclinationis naturalis, quibus ad cœleſtia inclinatur, tamen grauedine corporis oneréque carnis detinetur, ne ad optatam metam perueniat. Quapropter B. Hieron. verſum hunc expendens, inquit: Ante alas habebam & volabam, nunc autem perſecutus eſt inimicus animam meam, & apprehendit, & ligauit mhi pedes & manus, quemadmodum volatile ab homine comprehenditur, vt quaſi videatur mortuum eſſe, quia non habet liberum vſum alarum ſuarum vt volet: ita & me inimicus ligauit conſcientia peccatorum meorum. Habemus igitur, quòd mens noſtra alligatur & detinetur, non ſolum vinculis corporis, & carnis pondere, verùm etiam aſtutia dæmonis, qui falſis imaginibus rerum temporalium, & voluptatum præſtigiis à contemplatione cœleſtium diuinarúmque rerum amore nos auertere nititur. Hăbet ſe inimicus noſter ad modum veneficæ & incantatricis, quæ videns adoleſcentem quendam virginem deperire ardentérque amare: veneficiis & incantationibus ſuis generat in

D. Hier.

Simile.

Simile.

in anima eius illius obliuionem, & ad aliam amorem eius diuertit: ſic animæ noſtræ hoſtis, videns quod naturaliter cœleſtia appetimus præſtigiis ſuis & fallaciis, obliuionem ſupernorum in nobis & ſoporem immittit, vt amorem noſtrum ad terrena hæc corruptibilia conuertat. Vnde Salomon ait: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat, bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia.* Faſcinatio dicitur quodlibet præſtigium, quo perſtringuntur oculi videntium, vt nihil videant, vel talem non videant qualis eſt res, ſed aliter appareat, quod ex inuidia plerumque accidere ſolet. Et Cantor Pariſienſis inquit, quòd faſcinatio eſt propriè quædam vſtio radij viſibilis procedentis ex corde inuidentis, in faciem eius quem reſpicit, ad nauſeam cogentis, vt cibum retinere non poſſit. Quare dicit gloſſa, quòd inuidus Græcè dicitur faſcinator, & ſic faſcinare eſt inuidendo corrumpere. Cùm ergo diabolus bona æterna nobis inuideat, neque patienter ſuſtinere valeat, ab illis ſe eſſe deiectum, faſcinationibus & præſtigiis ſuis, noſtrum obſcurat intellectum ne cœleſtia contempletur, ſed viſibilia hæc & terrena amet & ſapiat. Exclamabat egregius Doctor gentium Paulus contra Galatas, videns eos à recto tramite Euangelij defeciſſe. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati* Poſſem & ego licet diſpari ſpiritu, contra totum genus hominum flebili voce, lamentabilíque affectu exclamare & dicere. O inſenſati homines, qui faſcinauit vos, qui ſuis artibus dementauit, vt æternorum bonorum obliti, caducarum rerum memores, terrena ſolùm appetatis? *Filij hominum*, inquiebat Dauid, *vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* In Hebræo habetur, *filij Adam*, & D. Hieron. vertit, *filij viri, vſquequo inclyti mei ignominioſè diligitis vanitatem, quærentes mendacium ſemper?* Quaſi dicat: Filij Adam filij parentis, qui tam illuſtres habuit cogitationes, qui dominio terrenorum omnium non contentus, diuinitatem ipſam appetiit: *filij inclyti mei:* id eſt, homines qui ratione conditionis veſtræ, cùm ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſitis creati ingenui eſtis, *vſquequo graui corde*, id eſt, quouſque cor veſtrum per peccatum & vetuſtam conſuetudinem vitiorum aggrauatis? Quare cùm ad potiundum tam ſublimis bonis creati ſitis, his contemptis inania hæc terrena, & vilia diligitis? Quare tanto ſtudio diuitias amatis, voluptates quæritis, honores humanos affectatis, quæ omnia nugæ ſunt & mendacia? vt quid vultis beati eſſe de infimis? inquit Auguſtinus, ſola veritas facit beatos ex qua vera ſunt omnia, nam *vanitas eſt vanitatum,*

Sap. 4.
Faſcinatio & preſtigium quid.
Cant. Pa.
Gloſſa.
ad Gal. 3.
Pſal. 4.
D. Aug.

tum, & omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore ſuo quo ipſe laborat ſub ſole? vt quid ergo temporalium rerum amore detinemini? vt quid tanquam prima, extrema ſectamini, quod eſt vanitas & mendacium? Cupitis enim permanere vobiſcum ea quæ tranſeunt tanquam vmbra.

D. Aug.

Hu. Car. *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi.* Hugo ſic explicat hunc locum, id eſt, *in tenebris vitiorum.* Quid enim aliud ſperari poterat, de eo cuius vita fuit humiliata & conculcata in terra, terrena appetendo & deſiderando, niſi quòd in tenebris vitiorum collocaretur, & cum mortuis in delubris habitantibus conſtitueretur. Sunt enim vitia & peccata non aliud quàm tenebræ, quæ mentem obſcurarent & excæcant, & ſupernæ gratiæ lumine priuant. *Ambulabunt vt cæci,* inquit Sophonias, *quia Domino peccauerunt.* Et Prouer. 4. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant,* Pſal. 34. *Fiant via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Vbi per Angelum Domini aliqui expoſitores diabolum intelligunt, qui Angelus dicitur eſſe Domini quia miniſter eius eſt, & velit nolit, ei eſt ſubiectus: iuxta verba illa Iob 40. *Nunquid feriet tecum pactum, aut accipies eum ſeruum ſempiternum?* Hic igitur Domini Angelus malos perſequitur, quia per tenebras denſiſſimas peccatorum, & per voluptatum lubricum, de peccato in peccatum præcipitando, ducit in infernum. Nam ſicut ſolet lanio perſequi oues & impellere, vt ad macellum ducat vbi occidantur: ſic diabolus per vias aſperas & præcipitia ducit ſuos ad interitum. Sed vbi dicitur, *ſicut mortuos ſæculi,* Veritas Hebraica habet: *Sicut mortuos antiquos.* Peccator enim in peccatis exiſtens mortuis comparatur, non quibuſcumque, ſed mortuis antiquis, qui corrupti ſunt & fœtidi, omníque calore gratiæ deſtituti. Proh dolor, quot mortuos in campo huius mundi hodie deplorare poſſumus, quàm magnum oſſium aridorum cumulum intueri quot homines ſunt in vitiis & concupiſcentiis ſuis interfecti! quot in ſuis peccatis occiſi! Qui in Chriſto moritur, in ſepulchro conſcientiæ tumulatur, inquit Gregorius ligatur concupiſcentiarum inſtitis, à conſpectu Dei proijcitur, duritie operitur, lapide iniquitatis intus clauditur. Sunt igitur mortui antiqui, qui in praua ſuorum peccatorum conſuetudine perſeuerant, neque reſipiſcunt ad Deum per pœnitentiam ſe ipſos conuertendo. Mortuus fuit Iacob in Ægypto, vt ex libro Geneſis patet, ſed filiis ſuis præcepit cùm moreretur, vt ad terram promiſſionis quam Dominus daturus erat illis, oſſa ſua ſecum aſportarent. Non mirum eſt, ô homo, quòd in Ægypto moriaris:

Sophonia. *Prou. 4.* *Pſal. 34.* *Peccata tenebræ ſunt.* *Iob 40.* *Simile.* *Peccator mortuo ſimilis.* *D. Greg.* *Gen. 50.* *Mortui ſæculi id*

moriaris moritur enim iuſtus Iacob in Ægypto, quia non eſt iuſtus qui non peccet, ſepties enim in die cadit iuſtus: verùm quod omni ſolicitudine obſeruare debes,hoc eſt,ne in Ægypto patiaris tumulari,ne in peccato diu maneas, & in tenebris vitiorum perſeueres. *Quid eſt Iſraël*, aiebat Propheta Baruc, *quòd in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, deputatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcendentibus in infernum.* Hoc dicebat Propheta, non ſine magna admiratione, videns Iſraëlem in Babylonica captiuitate degentem, inter inimicos ſecurum,inter labores gaudentem,& inter captiuitatis ignominiam exultatem.Quare Iſraël inter inimicos tuos commoraris?quare in terra aliena contentus viuis? Quare iugum ſeruitutis à tua ceruice non repellis, & ad patriam reuerti non contendis? Sed mortuis ſempiternis aſſimilaris, qui in ſepulchris corrupti ſunt in puluerémque redacti. Idem vobis dicimus peccatores,qui in tumulis vitiorum veſtrorum, per totum vitæ ſpatium commoramini. Nonne aduertitis quòd in magno diſcrimine & periculo verſamini?Eſtis enim in terra inimicorum,Dæmoniorum,ſcilicet,qui animas veſtras occidere quærunt: quare ergo catenam peccatorum & ferreum ſeruitutis iugum per pœnitentiam à veſtris ceruicibus non excutitis? Equidem hoc vobis prouenit,quia inueteraſtis in terra aliena, ex longa,inquam peccandi conſuetudine.Oſeas 4.cùm de peccato Ephraim Propheta ageret, inquit: *Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis*,id eſt,non mirum eſt quod Ephraim peccatum idololatriæ non relinquat, quia ſpiritus malus praua conſuetudine eum in alis ligatum habet. Sicut cùm puer paſſerculi alas,ne à manibus eius fugiat filo ligare ſolet, neque in altum volare permittit.Hæc eſt præcipua inter alias ratio, quare peccatores ad Deum non conuertuntur, quare Dæmonis manus non effugiunt,& eludunt per pœnitentiam, nimirum, quia ſpiritus ligauit eos in alis ſuis fune prauæ conſuetudinis, quæ in cauſa eſt,ne ad Deũ ſe conuertant,& ad cœleſtem patriam aſpirent, quin potius omnibus his contemptis in miſera peccati ſeruitute,læti vitam ſuam tranſigant.Conſideratè,obſecro, mulierem quandam in carcere detentam; quæ ibi filium peperiſſet, qui quidem adhuc paruulus,licèt in loco nimis ſtricto,horrendo,& fœtido vitam degat,tamen ludens& gaudens:quia libertatem non eſt expertus,neque alium viuendi modum cognouit.Cui mater ſumma triſtitia affecta diceret.O fili,ſi miſeriam noſtram cognouiſſes, ſi libertatem priſtinam, & antiquam meam fœlicitatem fuiſſes expertus:non vtique gauderes, ſed

eſt, ante multa ſecula & iãdudum multa humo obruti.

Baruc. 3.

Oſeas 4.

Simile,

Digitized by Google

profuſis lachrymis noſtram deplorares miſeriam. O peccator, qui funibus peccatorum, & vitiorum compedibus detentus, in carcere dæmonis ſtrictiſſimo lætaris ſummoperéque gaudes, quare hoc tibi contingit? niſi quia longa conſuetudo in alteram naturam iam tibi conuerſa eſt: Vnde bonorum cœleſtium oblitus, ſolùm ad præſentaneam voluptatem attendis. Vtinam conſiderares, quæ & quanta ſunt quæ nobis promittuntur in cœlo, vileſcerent quidem omnia quæ habentur in terris, quia terrena ſubſtantia mors eſt, non ſubſidium, captiuitas non libertas, tenebræ non lumen. Hoc ſi attenderes, proculdubio cum Dauid exclamares & diceres: *Anxiatus eſt in me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum,* tenebras & horrorem peccatorum meorum conſiderans: & tandem ad Deum per veram pœnitentiam conuerſus, gratiam in præſenti impetrares, & in futuro gloriam.

Conſuetudo eſt altera natura.

Anxius eſt animæ ne ab inimicis in mortẽ trahar.

CONCIO TERTIA.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

INNVERAT citharœdus noſter vehementer timere iudicium diuinum, & in arenam cum Deo rectiſſimo iudice deſcendere, quare dicebat: *Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Dixerat itidem illius ſpiritum ſolicitum & anxium eſſe, maximéque perturbatum cor, ex memoria peccatorum ſuorum: nunc quaſi reddens rationem huius timoris & ſolicitudinis, inquit: *Memor fui dierum antiquorum, & meditatus ſum in omnibus operibus tuis.* Quod explicat Lyranus de diebus antiquis Noë, in quibus mundus propter hominum peccata fuit inundatus & ſubmerſus. Et quidem nihil eſt quod magis vitæ noſtræ libertatem frænet & coërceat, quàm diuinæ iuſtitiæ, ſuppliciorúmque ex illa promanantium conſideratio. Verùm enim eſt, hominem ex natura ſua eſſe liberum, & ad quæcumque perpetranda mala, procliuem & intrepidum, nec facilè di-

Lyran.

diuinæ

Digitized by Google

ninæ legis iugo ceruicem ſubmittentem. Vnde & ait Iob: *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam filium onagri liberum ſe natum putat*: verùm cùm ſtrictiſſimæ iuſtitiæ Dei recordatur, eiusque ſeueriſſima ſupplicia ad memoriam reuocat (niſi omnino captus ſit mente, & ab omni ratione alienus) ſtatim in magnam & admirationem ſimul, & ſtuporem rapitur, & non poteſt valdè non pertimeſcere. Quis enim conſiderans ſeueriſſimum primi noſtri parentis ſupplicium propter inobedientiæ peccatum, cibumque vetitum, non perhorreſcat? Hominem enim qui ad imaginem Dei creatus fuerat, in quo ipſe Deus aſſimilari & depingi voluit, quem præſidem omnium ſuorum operum conſtituerat, creaturas omnes ſub pedibus eius ſubjiciendo, quem in amœniſſimo paradiſi loco conſtituerat, donisque tam naturalibus quàm ſupernaturalibus decorauerat, propter vnicum ſolum peccatum inobedientiæ, gladio diuinæ ſuæ vltionis cum tota poſteritate ſua transverberauit, & à paradiſi gaudiis expulit. Quis etiam ad memoriam reuocans diluuium illud generale, quo Dominus vniuerſum mundum propter peccata illum inhabitantium deleuit, in quo omnis eius pulchritudo perijt, opulentiſſimæ vrbes corruerũt, altiſſima mœnia diruta ſunt, ciuitates antiquæ ſolo æquatæ, & omnia denique annimantia ab vndarum ſæuitia, aquarumque tempeſtate ſunt abſorta: non ingentem diuinæ vltionis concipiat timorem, & cum Propheta Regio exclamet? *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Quod exponens Lyranus, dicit: Quibus totum mundum ſubmerſiſti aquis diluuij propter peccatum luxuriæ. Ideo, inquit quidam, apparet in nubibus cœli iris, tot coloribus ornatus, aquam, ignemque ſignificantibus, vt eo viſo ſupplicij illius ſeueriſſimi recordemur, quando Deus vniuerſum mundum aquis diluuij ſubuertit. Quinimo & Abulenſis ſuper Ioſue, tomo 1. fol. 113. col. 2. exiſtimat, ideò Deum in principio cuiuſcumque legis, tam ſæueram de tranſgreſſoribus vltionem ſumpſiſſe (vt patuit in primo noſtro parente Adamo, & in illo qui poſt promulgationem legis Moſaicæ, in die feſto ligna collegit, quem Deus lapidari iuſſit) vt reliqui omnes in alieno capite (quod aiunt) periculum ſumentes timerent. Hanc fuiſſe Dei mentem manifeſtè colligitur ex illo tremendo ſupplicio, quo rebelles illas familias Datam & Abiron & Core affecit. Poſtquam enim deglutiuit eos terra, viuique in infernum deſcenderunt, vt ibi dicitur, & aliquos eorum, ignis à Domino egreſſus deuorauit, eo quòd munus ſacerdotale ſibi vſurpare voluiſſent,

Iob 11.
Gen. 3.
Pſal. 118.
Lyranus.
Abulenſi.
Cur Deus tranſgreſſores initio legis latæ adeò ſeuere punierit.

Num.16. præcepit Dominus Moyſi,vt thuribula, quibus thura obtulerunt,quæ in medio incendij iacebant,ſumeret, productáque in laminas altari affigeret,vt cernerent ea pro ſigno & monimento filij Iſraël,quod & factum eſt.Sic enim dicitur,*tulit ergo Eleazar ſacerdos thuribula ænea in quibus obtulerant hi quos incendium deuorauerat, & produxit ea in laminas, affigens altari: vt haberent poſtea filij Iſraël quibus commonerentur.* Rectè inquit, quibus commonerentur: commonefaciebant namque thuribula illa muta omnes tabernaculum ingredičtes,& ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ prædicabant,ne quis deinceps contra legem Dei aliquid attentare præſumeret nemo enim thuribula illa intuebatur, qui horrendum illud ſupplicium ad memoriam reuocans non expaueſceret,quare thuribula illa in laminas producta altaríque affixa, quaſi præcones diuinæ vltionis erant. Hæc præcipua ratio eſt,quare Dei ſupplicia in ſcriptura ſacra memoriæ mandata ſunt,nobíſque, diuino ſic diſponente ſpiritu in Eccleſia prædicantur & referuntur:vt videlicèt admoneamur,& ſint nobis in ſignum & monimentum vltionis diuinæ.Cuius enim cor ferreum, ſupplicia Dei conſiderans non contremiſcit? Quis ſeueritatem eius, in aliquibus iuſtitiæ ſuæ operibus, quæ nobis in Scriptura referuntur, mente voluens, non expauet? Quis non timebit te,ô rex gentium? Non longè

Iob 13. Simile. ab hac conſideratione eſſe videbatur, qui dicebat: *Quaſi tumentes ſuper me fluctus ſemper timui Deum.* Nauta enim qui maris ſæuitiam, ventorum impetum, & vndarum crudelitatem

Iuſti Deũ timent. optimè nouit, magis timet quacunque tempeſtate ſuborta, quàm ille qui harũm rerum nullam habet experientiam: vnde quacunque viſa nubecula in cœlo, ſtatim ad tempeſtatem ſe præparat,& contra maris pericula ſe munit. Sic Iob tanquam miles expertus, qui tot laborum naufragia pertulerat, & in ſeipſo diuinæ virtutis fecerat periculum, ex quacunque & quantumuis leui cauſa, occaſionem ſumebat Deum timendi, qui videbatur ei quaſi mare feruens & procelloſum ſuper ſe irruere.Sed quis hoc non miretur,quod cum iuſti & Deo ſeruientes, in perpetuo timore Dei vitam tranſigant, peccator abſque vllo timore mala perpetrat,ſuos ſequitur affectus,carni luxuíque deſeruit.Timet ille qui de ſe ipſo verè dicere potuit:

Iob.29. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam*: hic enim quaſi tumentes fluctus timet ſuper ſe Deum, & pondus eius ferre non valet:& peccator omni virtutum genere deſtitutus,

peccatis

peccatis & abominationibus plenus, ſecurus eſt,& in vtrámque aurem dormit? Qui enim tantam occaſionem timendi non habent,timent:& qui timere debent ab omni ſunt timore alieni?Vnde hoc prouenit,niſi ex ignorantia? vt habet Diuus Gregorius in regiſt. libro ſexto cap. 186. quia perhorrendum illum ſtrictiſſimi iudicij diem non conſiderant, in quo vnuſquiſque prout geſſit in corpore recipiet. *Propter quid irritauit impius Deum,* inquit Pſalmiſta, & reſpondet, *dixit enim in corde ſuo non requiret: videns quoniam tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas eos in manus tuas.* Irritauit, inquit, *ſe anda burlando con el, le anda ſi luando y cocando;* pro nihilo pendit illum,& ad iram eum prouocat. Sicut cùm aliquis inimicum ſuum contemnit, & poſt illatam ei iniuriam, per ianuam domus eius deambulat, *le ronda la puerta.* Sic peccator diuinam iram prouocat,inuerecundè contra illum incedendo.Eſt etiam irritare proprium taurorum. Dum enim taurus agitatus eſt, virgis plenus,ſanguine perfuſus,laſſatus iam,& morti propinquus,ſolent eum prouocare vocibus & clamoribus ſibilantiũ, vt ad aliquem inſequendum eum incitẽt,Sic enim Deum vulneribus plenum,ſanguine perfuſum, crucíque affixum,noſtris operibus irritamus. Quia nimirum dicimus in cordibus noſtris,non requiret.Obliuiſcimur iudiciorum eius,& non recordamur operum & ſuppliciorum, quæ propter peccata hominum ab initio fecit.Quid enim aptius his perditiſſimis hominibus dici poteſt, quam id quod Dauid hominibus ſui ſeculi dicebat? *Nolite extollere in altum cornu veſtrum, quia neque ab oriente,neque ab occidente,neque à deſertis montibus,quoniam Deus iudex eſt.* Nolite contra Deum cornu veſtrum exaltare,quaſi illum deſpiciendo & prouocando ad pugnam.Nolite in malitia & in peccatis veſtris gloriari: quoniam Deus iudex rectiſſimus eſt, & vbique præſens ad puniendum. Quare neque ab oriente,neque ab occidente,neque à deſertis montibus, id eſt, à nullo loco vobis ſuffugium & auxilium venire poterit: ſed de veſtris delictis & peccatis liberè vindictam ſumet. Nullum enim malum apud Deum inultum. Recordamini ſuppliciorum, quæ à ſæculo fecit, quomodo propter eſum ligni vitæ primi noſtri parentes cum tota ſua poſteritate fuerunt puniti, mundus propter peccatum luxuriæ inundatus: Sodoma cum ſuis finitimis ciuitatibus igne cœleſti combuſta: Datham periit cùm aliis complicibus. Hæc enim omnia voluebat animo ille,qui cauſam & rationem reddens, quare diuini iudicij tantum conceperit timorem, aiebat: *Memor fui*

D. Greg. *Pſal. 9.* *Simile.* *Simile.* *Pſal. 74.*

Digitized by Google

dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, ſupple iuſtitiæ: *& in factis manuum tuarum meditabar.*

Theod. Theodoretus longè aliter hunc locum explicat, dicens: In memoriam reuocaui, à quot calamitatibus maiores noſtros liberaueris, & expugnabiles inimicis eſſe non ſineris, & recordatus ſum beneficiorum quæ in Abraham contuliſti, & in Iſaac, & in Iacob, & Ioſeph, & magnam conſolationem hinc percipiebant. Ac ſi diceret: Verum eſt quòd inimicus meus, filius vtique, qui ex vtero meo eſt egreſſus, perſecutus eſt animam meam, conculcat & deiicit ad terram vitam meam: video me in tenebroſis terræ cauernis collocatum, ſicut mortuos ſæculi, quare & anxiatus eſt ſpiritus meus, & in me ipſo cor meum conturbatum, verùm cùm recordor dierum antiquorum, cùm ad memoriam reuoco, quomodo amicos tuos à mundi perſecutionibus, quas paſſi ſunt, validiſſima manu liberaueris, magnam conſolationē, ſimul & ſpem concipio, quod me ſeruum tuum ab his perſecutionibus, & præſentaneis periculis liberabis. *Deus ſuos protegit & liberat.* Nihil eſt vnde mens noſtra maiorē ſpem & fiduciam concipere poſſit, cùm in mediis verſamur calamitatibus & periculis, quàm memoria dierum antiquorum, in quibus ſuos Deus, de mediis laboribus & perſecutionibus, potentiſſimè liberauit. Quia cùm Deus acceptor perſonarum non ſit: ſicut liberauit eos, & nos vtique liberabit; ſi ad eum tamen toto confugiamus corde. *Ad Rom. 15.* Quare D. Paulus in Epiſt. quam ad Roman. ſcripſit cap. 15. inquit: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus*, id eſt, vt videntes amicorum Dei patientiam & tolerantiam in ſuis laboribus, ſimul & conſolationem quàm de diuino acceperunt auxilio: nos etiam ſpem habeamus, quòd à noſtris periculis eruemur, ſi diuinum imploremus auxilium: *Chryſoſt.* patienterque labores ſuſtineamus. Quia (vt inquit Chryſoſt.) ſicut ſpes tolerantiam, ſic & tolerantia generat ſpem: quia virtutes iſtæ ad inuicem ſe ipſas pariunt. Hoc etiam argumento *1. Mach. 4.* vſus eſt ſtrenuus ille Dux Iudas 1. Mach. 4. qui cum Gorgia dimicaturus, ſic ſuos alloquutus eſt: *Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis, mementote qualiter ſalui* *Exod. 14.* *facti ſunt patres noſtri in mari rubro, cùm ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo*, id eſt, reuocate ad memoriam, in quanto tunc populus verſaretur periculo, cùm ex vna parte tyrannus, cum validiſſima militum manu, eos inſequeretur, ex altera mare viderent ſuperbiens, & ad nubes vſque vndas ſuas eleuans: ex duobus verò lateribus ſaxa erant, & præcipitia immenſæ

menſæ magnitudinis, vnde nulla videbatur eis ſpes ſalutis reſidua: & tamen Deus omnipotentia ſua aperuit illis mare: vt recto tramite, ſiccisque veſtigiis poſſent pertranſire, ita & nunc ſi clamamus ad cœlum, miſerebitur noſtri Deus noſter, & inter tot calamitatum & periculorum vndas, viam ſalutis & incolumitatis nobis oſtendet, qua tot poſſimus fugere incommoda. Fuit enim exhortatio hæc tantæ efficatiæ & virtutis, quòd licèt inermes eſſent & in pauciſſimo numero, tamen inimicos ſuos aggreſſi, illos vicerunt & fugârunt. Hoc vtique nos agere debemus, quando labores nos circumſtant, quando perſecutionibus premimur: & in aliquo verſamur periculo, ne de diuina diffidamus miſericordia. Debemus enim in illos coniicere, qui in eiſdem fuerunt laboribus conſtituti, & tamen per manum omnipotentis Dei liberati ſunt. Si pauper es curtamque ſuppellectilem habes, vnde filios & reliquam tuam familiam alere poſſis, in Tobiam pauperem coniice oculos, qui cùm in ſumma eſſet paupertate, non tamen illi defuit diuina conſolatio. Si inimicos habes qui te perſquantur, Ioſephum intuere, quem fratres ſui perſecuti ſunt, & Iſmaëlitis vendiderunt: qui in Ægyptum ductus eſt, ibique de falſo crimine accuſatus: quem tamen Deus non dereliquit, quinimò vt ait Sapiens: *Deſcendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Si dæmonis tentationibus vexatis, ad patientiſſimum Iobum oculos cõuerte, quem dæmon obtenta à Deo licentia perſecutus eſt, variiſque tentationibus diuexauit, quem tamen diuino munitum præſidio vincere nequaquam potuit. Legitur in Exod. capite 17. quòd in illo certamine quod Iſraëlitæ inierunt contra Amalech, Moyſes elegit Ioſue: vt ad præliandum exiret, cui dixit: *Elige viros & egreſſus pugna contra Amalech, cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.* Paraphraſis Chaldaica addit: *Et virga qua facta ſunt miracula, erit in manu mea.* O bone Deus, quis non videat in eleuatione huius virgæ, aliquod latere myſterium? Quodnam remedium eſt contra ingentes militum copias, hominumque multitudinem, in collem aſcendere, & virgam eleuatam in manu tenere? Nunquid virga illa hoſtium animis timorem incuſſura erat? Equidem magnum ingeſſit eis timorem, cùm viderent virgam illam, quæ in colubrum fuerat conuerſa: & qua media, tot plagas, & tot prodigia in Ægypto Deus fuerat operatus. Verùm auſim dicere, crediderimque, non eſſe illam præcipuam Moyſis intentionem, ſed vt fiduciam, & ſpem victoriæ populus conciperet: virgam illam intuendo,

Tob. 10. & 11.
Gen. 37. 39. 40. & *per plura cap.*
Sap. 10.
Iob 1.
Exod. 17.
Paraphr. Chaldaic.
Nota.
Exod 7. & *alibi.*

tuendo, reuocandoq́ue ad memoriam, quot mirabilia virtute illius, Moyſes in Ægypto operatus fuerat, credentes quod ille qui potuit plagas illas in Ægypto emittere, cyniphes producere, flumina in ſanguinem conuertere, & mare rubrum aperire, nullo negotio poſſet etiam Amalechitas ſuperare. Sic nimirum miles Chriſtianus, cùm ab inimicis ſeipſum obſeſſum conſpexerit: tentationibuſq́ue vexatum, in eam virgam oculos con-

Pſal. 103. iiciat, de qua dictum eſt: *Virgam vitutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum*, ſcilicet in Chriſtum Redemptorem noſtrum verum Deum: qui tot mirabilia operatus eſt, vt amicos ſuos à periculis liberaret, & ſtatim magnã ſpem ſuæ ſalutis concipiet. Quod quidẽ Dauid noſter, in medio ſuæ tribulationis faciebat, cùm dicebat: *Memor fui dierum antiquorum: meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis ma-*

D. Hier. *nuum tuarum meditabar.* Vbi D. Hier. iuxta veritatem Hebraicam vertit: Facta manuum tuarum loquebãr, id eſt, mihi ipſi narrabant, vt vel ſic non deſperarem, ſed fiduciam conciperem.

D. Hier. Adhuc D. Hier. hunc locum aliter explicat: cuius explicationem cùm ad mores noſtros componendos pertineat, referre non grauabor. Noſtra enim principalis intentio in his declamationibus non eſt, vel ſubtilia dicere, vel literalem ſenſum ad amuſſim explicare, vel audientium animos eloquentiæ vi ad nos ipſos conuertere, ſed potius de rebus ad mores componendos, animaſq́ue conuertendas ſpectantibus diſſerere. Hoc enim diſcriminis inter virum curioſitati addictum, qui aulam principis ſequitur, & inter auidum colonum verſatur: quod ille cùm rus petit tempore verno, ſtatim ad hortum vel viridarium ſe confert, ibique ex variis floribus, herbiſq́ue odoriferis faſciculum conſtruit: hinc colligit roſam, illinc violam, iam florem carpit, iam mutuum, & ex omnibus ad oblectandum viſum, odoremq́ue captandum conficit faſciculum. Hinc verò longè aliter ſe habet; nam cùm primum in agrum ſe confert, ad meſſem ad triticum & hordeum neglectis floribus oculos conuertit. Summaq́ue attentione conſiderat vtrum bene radicatum ſit triticum, ſi ſit benè expurgatũ, vel herbis nociuis permixtum: Si adhuc ſit in herba, vel iam grana producere incipiat. *Si deſcuella el pan, y eſt a emberça, y ſi comienzan a granar las eſpigas.* Sic in præſenti opere, non eſt animus tam de rebus curioſis & inutilibus, quæ ſolùm ad mentes oblectandas deſeruiunt, quàm de his ex quibus aliquem fructũ percipere poſſimus diſputare.

Qualis debeat eſſe mens Concionatoris.

Simile.

D. Hier. Eſt ergo expoſitio D. Hier. quæ ad mores pertinet, quòd hîc Propheta ſanctus de illis diebus loquatur: in quibus antequam peccaret,

Digitized by Google

peccaret adulterium committendo, Deo inſeruiebat. Sic enim ait: *Memor fui dierum meorum priorum* quando habebam confidentiam, nunc autem mihi nox eſt. Itaque conferebat Dauid, ſtatum illum peccati, cùm ſtatu innocentię ſuę antiquam peccaſſet, & vehementer dolebat, ab illo decidiſſe: Credens propter commiſſa peccata in tot labores incidiſſe. Non enim parum refert, cùm à Deo auerſus fuerit peccator per culpam, ad ſtatum priſtinum oculos conuertere, diuinóſque fauores quibus potiebatur contemplari, vt vel ſic ſtatum peccati abhorreat, & ad gratiæ ſtatum peruenire contendat. Cùm Adam parens noſter propter inobedientiæ peccatum de Paradiſo fuit expulſus, dicitur Geneſ. 3. ſecundùm 70. verſionem, quod *collocauit eum Dominus ante Paradiſum voluptatis*, id eſt, in quadam regione, ex qua quotidie Adam Paradiſum poſſet aſpicere: vt præſentem miſeriam, in quam per peccatum incurrerat, cùm amiſſa illa fœlicitate conferens peccati ſui pœniteret. Huc ſpectant verba illa Iob, quæ capite 29. habentur: *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me, quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris, quando lauabam pedes meos butiro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Conferebat præſentem miſeriam cum antiqua proſperitate, & ſic grauiter dolebat, accendebatque in ſeipſo recuperandi illam deſiderium. O homo qui gratiam Dei amiſiſti per culpam, & à tam ſuprema fœlicitate, ad tam miſerum ſtatum deueniſti: ſi attentè conſiderares, quot bona gratiæ perdidiſti per culpam, omnia bona opera quæ in charitate patraueras, quæ nullius iam ſunt momenti & valoris, Angelorum conſortium, & beatarum mentium amicitiam, & quod plus omnibus eſt, adoptiuam ipſius Dei filiationem, qua ius ad hæreditatem cœleſtem habere poſſes. Si hæc, inquam, conſiderares, animóque tuo volueres: quomodo præ magnitudine doloris non exclamares & diceres? *Quis mihi tribuat vt eſſem iuxta menſes priſtinos, &c.* Inducit Propheta Oſeas capite tertio, Meretricem quandam, animam ipſam adumbrantem, quæ à Deo recedit per culpam dicentem: *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, &c.* Cui Deus. *Propter hoc: ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & nō apprehendet eos.* Vbi inquit Gloſſa: *Sepiam vias tuas ſpinis*, id eſt, actiones tuas duris laboribus implicabo. Prouenit enim ex miſericordia Dei, quod in voluptatibus, quibus

Gen. 3. Sepuag.

Iob 29.

Damna quæ incurrit peccator ad mentem reuocanda.

Oſe. 3.

Gloſſa.

Digitized by Google

quibus ab eo recedimus,plerumque ſpinas,dolorum & amaritudinum reperiamus,vt ſic reſipiſcentes ad eum conuertamur, dicamuſque cum meretrice illa: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quàm nunc. Et cum filio prodigo experientia malorum conuicti, etiam fateamur: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant pani-*
Luc.15. *bus,ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi:pater peccaui in cælum & coram te.* Ex quo intelligimus,quod prouidentia Dei ſæpè nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, & variis calamitatibus huius ſæculi, ac miſeriis ad Dei ſeruitutem redire cogamur. Vnde Dauid, cùm ſeipſum afflictum & perſecutum videret, intelligens hoc ſibi propter peccata ſua contingere ad Deum conuerſus: priſtini ſui ſtatus,in quo amicitia Dei fruebatur, non immemor, aiebat: *Memor fui dierum antiquorum,meditatus ſum in omnibus operibus tuis.*

Et in factis manuum tuarum meditabar. Diuus Gregorius per
D.Greg. facta manuum Dei, Sanctos & Prophetas intelligit, quorum exemplum multum confert, ad nos ipſos commouendos ad
Pſal.101. pœnitentiam. Dicitur enim in Pſalmo: *Opera manuum tuarum ſunt cæli*:quod de illis cœlis intelligi poteſt, de quibus ali-
Pſal.18. bi dicitur:*Cæli enarrant gloriam Dei.* Illi ſunt cœli, inquit Gre-
D.Greg. gorius qui enarrant gloriam Dei, qui opus manuum Dei di-
Iuſti cæli cuntur,quia diuinam in ſe non deformant imaginem, chariſ-
dicuntur. matum non excludunt dona, animæ ſpeciem non demoliuntur,qui nihil boni ſibi, ſed totum gratiæ Dei tribuunt, ſcientes ſe nihil habere,quod non acceperunt. Hoc enim operatus eſt in eis,qui vaſa miſericordiæ fecit eos,qui illos ante mundi conſtitutionem in ſeipſo elegit, vt in ſe non glorientur, nec altum ſapiant. In his meditabatur, qui de Babylone reuerſus, exempla eorum ſibi ad imitandum proponens, ne deceptus conuerſatione eorum, qui terrena ſapiunt, in eadem quæ dimiſerat relabatur,& fiat deterior erroris confuſio, ſi poſt acceptum aratrum, cœperit retro aſpicere, aut ad tollendam tuni-
Mat.24. cam in domum remeare. Eorum itaque exemplo ſe ad benè operandum excitat,& cum eis abſens corpore, mente conuerſatur. Adhuc Gregor. Ex quibus verbis facilè colligere poſſumus, quantum conferant ſanctorum exempla, ad nos inſtruendum, & ad promouendum animos ad virtutem ſectandam. Plus enim homo exemplis viuis, quàm verbis mortuis
Bernard. excitatur. Quia ſicut Bernardus ait in quadam epiſt. *Sermo viuus & efficax,exemplũ eſt operis,faciens ſuadibile,quod dicitur,dum*
monſtra

Digitized by Google

monſtratur factibile quod ſuadetur. Vnde eſt, quod Seraphicus doctor D.Bonauent.in prologo ſui breuiloquij accutiſſime dixit,ſcilicet,quod cùm finis doctrinę ſacrę ſit vt benè faciamus, & ſaluemur:hinc eſt, quod non per diuiſiones, aut diffinitiones, ſicut cæteræ ſpeculatiuæ ſcientiæ procedit, ſed per aptiorem modum,quo voluntas noſtra ad virtutem inclinaretur.Et quia magis mouetur affectus ad exempla,quàm ad argumenta,ideò per modum authenticum procedit,exempla nobis virtutum narrando.Geneſ.30.dicitur, quod Iacob qui oues ſoceri ſui Laban paſcebat,tulit virgas quaſdam populeas, virides, & amigdalinas,& ex platanis,quas ex parte decorticauit:& poſuit eas in canalibus:vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas illas diuerſorum colorum. *Et factum eſt,* inquit textus, *quod cùm tempore coitus oues intuerentur virgas, parerent maculoſa & varia, & diuerſo colore reſperſa.* Quod quidem non per aliud miraculum, ſed naturaliter contigiſſe credendum eſt:ſicut expoſitores, inter quos B.Hierony.ſentiunt. Qui id aliquando tẽpore conceptus contigiſſe, aliquibus probat exemplis.Quem locum dum explicat Hugo Cardinalis in ſua gloſſa,inquit: Ponere virgas ante oculos gregum, eſt ſanctorum vitas,atque ſententias in exemplum adducere.Nónne Paulus virga fuit,quæ ſe aſpici iubet? Philipp.3. *Imitatores mei eſtote fratres chariſſimi:* & Chriſtus nónne virga fuit in paſſione decorticatus?ad quem aſpicere iubet, Hebr.12.*Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem.* Huius virgæ decorticationem ſi diligenter aſpicimus: concipiemus fœtus varios,id eſt,actus & affectus virtutum varietate fulgentes,iuxta illud Iſai.26.*A facie tua concepimus Domine,& peperimus ſpiritum ſalutis.Expandi manus meas ad te,anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Reddit rationem Propheta, quare ad Deum confugerit,eiuſque implorauerit auxilium, & ad illum manus expanderit,dicens: *Quia anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Sicut enim terra ſine aqua impotens eſt ad aliquid generandum, aut producendum, ſic ergo ſine tuo auxilio & ſuccurſu debilis ſum, neque aliquid efficere poſſum, aut operari. Dicitur de homine Geneſ.capite 1. quod creatus fuerit ad imaginem & ſimilitudinem Dei: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Eſt enim homo Dei imago & ſimilitudo; & non qualiſcumque,ſed quæ tanquam in ſpeculo,factorem ſuum repręſentat:Hæc enim verſatur differentia,inter imaginem & in ſpeculo expreſſam, & eam quæ in pariete & tabula repræſentatur, quod hæc habet eſſe permanens

D. Bona. Scriptura ſacra magis per exempla, quàm per diffinitiones, aut diuiſiones procedit. Gen.30. D.Hier. Hugo. Philip.3. Hebr.12. Iſai.26. Simile. Gen.1. Simile.

manens, neque in conſeruari à ſua cauſa dependet: quare poſtquam depicta eſt, abſque ſua cauſa & auctore conſeruatur, at illa totaliter dependet à ſua cauſa, in ſuo eſſe & actionibus, ita quod neque eſſe, neque operari aliquid poſſit, ſine illo cuius imago eſt. Vt enim imago quæ in ſpeculo apparet, moueat oculos neceſſe eſt, quod prius illi quos exprimit, moueantur. Si manum extendis, extendit: ſi auertis, auertit: ſi contrahis, contrahit. Sic pariformiter intelligendum eſt, hominem eſſe Dei imaginem, quæ totaliter ab ipſo Deo in conſeruari & operari dependeat. Quia ipſe eſt in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Confirmat hoc Hebraïcum idioma, quod ſic habet: *Faciamus hominem ad vmbram noſtram, ſiue vmbraculum.* Eſt enim homo, quaſi quædam Dei vmbra. Sicut enim vmbra, corpus cuius vmbra eſt, refert: ſic homo factorem ſuum repræſentat, & ſicut vmbra nullatenus moueri poteſt, niſi prius corpus, cuius vmbra eſt, moueatur: ſic homo ſine Deo, moueri, aut aliquid operari, nequaquam poteſt. Quod ſi hoc in operibus naturæ verum eſt: quid de ſupernaturalibus erit ſentiendum, in quibus multò magis homo dependet à Deo? *Gratia Dei*, inquit D. Paulus, *ſum id quod ſum, & gratia eius ſemper in me manet.* Cùm enim ab eſſe dependeat operari: & ſicut res ſe habent ad eſſe, ita & ad operari, ſecundùm Philoſophiæ regulas: ergo ſi gratia Dei ſumus in ſupernaturalibus; ſequitur, quòd & omnia ſupernaturalia opera à Deo dependeant & à ſua gratia, illique attribuenda ſint. Hinc fit, quod in Scriptura ſacra Deus aquæ & pluuiæ comparatur: quia nimirum ſicut terra ſine aqua nihil poteſt producere: ſic anima noſtra ſine Chriſto: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, clamat Iſa. 45. Et alibi: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, ex quo factum eſt, quod oriretur in diebus eius iuſtitia.* Nulla enim in nobis oriri poteſt iuſtitia, niſi Chriſtus ſicut pluuia deſcendat, quia noſtra opera ſine Chriſto nullatenus eſſent accepta, aut meritoria. Quod explicuit appoſitiſſima metaphora Ioan. 15. vbi ſeipſum viti comparat, diſcipulos verò palmitibus: *Ego ſum vitis vera, & vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Circa quæ verba Diuus Auguſtinus inquit, tractatu 81. in Ioannem. Ne quiſquam putaret ſaltem parum aliquem fructum poſſe à ſemetipſo palmitem ferre, cùm hæc dixiſſet, hic fert fructum multum, non ait, quia ſine me parum poteſtis facere, ſed nihil poteſtis facere. Quòd ſi ſine Deo nihil boni facere poſſumus, non eſt, cur de operibus noſtris gloriemur: quin potius ſoli Deo

Homo Dei vmbra.

Nota. Hebraïca trāſlatio.

1. Cor. 3.

In Scriptura ſacra Deus pluuia comparatur.

Iſa. 45.

Pſal. 71.

Ioan. 15.

D. Aug.

Digitized by Google

Deo noſtrorum operum gloria tribuenda eſt. Ad quod ſpectat Diui Gregorij expoſitio, qui explicans hunc verſum: *Expandi manus meas ad te*: poſtquam probauit per *manus* opera intelligi, addit, quod hæc ad Deum ſunt dirigenda. Nec ocioſè, inquit, additum eſt *ad te*, quia ſunt plerique qui in eo quod agunt. laudari ab hominibus appetunt, hi manus ſuas ad Deum non expandunt, qui per opera ſanctitatis, non Deum, ſed mundi gloriam quærunt. Poteſt etiam verbum illud: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*, vehementem ſpiritus feruorem oſtendere, quo Deum ipſum ſitiebat. Vnde Hebræa ſic habent: *Anima mea ſicut terra ſitiens ad te ſemper*. Quis non videat quàm appoſitiſſima ſit metaphora ad ſitim & ardorem explicandum, quo anima Deum creatorem ſuum expetit? Terra enim ſitiens, quæ pluuiis cœleſtibus non irrigatur, arida eſt, & ſterilis, nullis floribus decorata, nullis fructibus aut frugibus abũdans. In varios hiatus ſcinditur, qui quaſi fauces oraque ipſius terræ videntur, ad pluuiam expoſtulandam: ſic anima cùm ad ipſum Deum naturalem, quandam propenſionem habeat, iuxta illud Pſalm. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*. Cùm à Deo deſtituta eſt, ob quam cauſam quaſi terra ſine aqua ſit, debet ad ipſum Deum toto mentis affectu ſe conuertere, manuſque ad illum attollere, & dicere: *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. D.Greg. Veritas Hebraïca. Pſal. 41.

Significant, etiam verba hæc, non ſolùm naturalem propenſionem animæ qua ad Deum tanquam ad eius finem inclinatur, verum & actum elicitum ipſius voluntatis, ſitim & ardorem quo Deum appetebat. Sicut enim terra arida & ſicca cœleſtem pluuiam appetit, ſic Rex ſanctus Deum ſuum ſummo ardore ſitiebat. Sitim hanc & vehemens deſiderium, vehementer oſtendunt verba illa Pſalm. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei*. Viatorem mente fingite æſtiuo tempore per deſertum gradientem, qui præ ardore ſolis & itineris difficultate nimia ſiti fatigatur: & licet paludes aquarum in itinere offendat, tamen aquæ illæ putridæ ſunt & turbidę, & patienter ſitim ſuã differt, quouſque tandem ad aliquem clariſſimum fontem perueniat, vbi ſitim ſuam explere cogitat, & intra ſemetipſum ait, cùm ad illum fontem peruenero, tũc ſitim meam explebo, *para aquella fuente guardo yo mi ſed*. Sic mihi videtur Dauid feciſſe. Per iter enim huius vitę mortalis gradiebatur, & ad patriã cœleſtẽ pergebat: ſiti nimia & ardore ęſtuabat, experiebatur enim in ſeipſo Simile. Pſal. 41.

ſitim

ſitim illam naturalem beatitudinis quam omnes experimu
Et licèt eſſent in via ciſternæ & paludes aquarum, tamen aqu
rum fœtentium & putridarum voluptatum, inquam, quę ſiti
animæ noſtræ explere non ſufficiunt. Sunt enim aquæ qu
potius appetitum remouent, quàm ſatiant. Vnde & ſitim pa
tienter ferens, & ab huiuſmodi aquis ſe continens, dicebat: *Si
tiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & appa
rebo, &c. Yo reſeruo mi ſed para aquella fuente viua, que ſola baſta
a dar verdadera hartura, y la detendre haſta que enquentre con ella.*
Sed & verba immediatè præcedentia hoc magis explicant.
Nam vbi, inquit noſtra vulgaris verſio: *Quemadmodum deſi-
derat ceruus, &c.* B. Hieronymus vertit: *Sicut areola præparata
eſt ad rigationes aquarum.* Vtitur metaphora areolæ, quæ iam
ab olitore præparata eſt ad irrigationem; terra foſſa eſt, ſter-
cus per ipſam diffuſum, ſeminaque iacta, nihil aliud ad fru-
ctificandum præter irrigationem aquæ illi deficit; ſic anima
noſtra quaſi areola eſt in hac vita ſemine fidei ſeminata, fru-
ctum beatitudinis & gloriæ ſuo tempore productura, ſed vt
poſſit hunc beatum fructum producere aqua gratiæ irriganda
eſt: Quare ſicut areola aquam, ſic anima gratiam deſiderare
debet. Solet deſiderium hoc quo iuſti flagrant per ſitim & fa-
Mtth. 5. mem explicari, vt patet ex illo Matth. 5. *Beati qui eſuriunt &
Eccl. 24. ſitiunt iuſtitiam.* Et in Eccl. 24. *Qui edunt me adhuc eſurient:
& qui bibunt me adhuc ſitient.* Vt intelligamus hinc, quanta
auiditate & ſiti deſiderandus eſt Deus. Tale debet eſſe hoc de-
ſiderium, quòd omnibus aliis præferatur, ſicut famis & ſitis
appetitus anteferṫur. Quid pluris æſtimari ſolet, quàm primo-
genitura ſiue vinculum, quod Hiſpano idiomate dicitur, *mayo-
razgo*, at cùm famis appetitus intercedit paruipenditur, vt in
Eſau intueri licet, qui primogenita ſua viliſſimo ædulio ven-
didit: *En ego morior*, inquit, *& quid mihi proderunt primogenita
mea?* Regnum etiam multum æſtimari ſolet. Quare aiebat
Cæſar, quòd ſi violandum eſt ius, ratione regnandi violan-
dum eſt. Quid non facient homines vt regnum adipiſcan-
tur? Quibus non ſe exponent periculis? Dimicant enim vſ-
que ad proprij ſanguinis effuſionem, & mortem ipſam con-
temnunt: at inſtante ſiti contemnitur, & pro nihilo ducitur:
vt videre eſt in Lyſimacho Rege, qui cùm ab inimicis obſeſ-
ſus, ſitis ardore æſtuaret, propter vas aquæ frigidæ, regnum &
ciuitatem tradidit. Deſiderium ergo famis & ſitis omnia alia
deſideria facilè ſuperat. Quare deſiderium Dei, quo tenen-
tur iuſti, per famem & ſitim explicatur, vt ſciamus deſide-

rium

Digitized by Google

rium hoc,omnibus aliis præferendum eſſe.

Sed væ nobis pudet fratres hoc dicere,& ſine magno dolore proferri nequit,quòd cùm voluptates carnis,corporíſque libidinem appetamus, ſummóque inquiramus ſtudio, nullus ſitis ardor,ad cœleſtia bona appetenda,in nobis reperiatur. Deſiderium ſupernorum in mentibus noſtris,omnino videtur eſſe extinctum,& ea ſolùm deſideramus & concupiſcimus quæ terrena ſunt,&ad ſatiandum animæ appetitum minimè ſufficientia.Voluptas enim carnalis,quaſi aqua maris falſa eſt,quæ potiùs remouet appetitum quàm ſatiet,aut extinguat ſitim.Quare Iob 18.dicit,agens de peccatore, *Exardeſcet contra eum ſitis,* *Iob* 18.
id eſt, deſiderium & ardor terrenorum. Quæ verba exponens *Greg.* 4.
B.Greg.inquit:In eius quippe animo contra eum exardeſcit ſi- *mora.c.* 5.
tis , quia quò agere peruerſa conſueuit, eò ad ebibenda mala *Iſai.*
vehementius accenditur. *Omnes ergo ſitientes* (vt verbis Iſaiæ vtar) *venite ad aquas,*aquas,inquam, refectionis, aquas vitæ & virtutis, quæ verè ſatiant:& reficiunt mentem. Ad illum accedamus, qui in die magno feſtiuitatis clamabat : *Si quis ſitit veniat ad me , & flumina de ventre eius fluent.* Ipſe enim fons eſt aquæ viuæ,cuius comparatione omnia Ægypti flumina turbida ſunt,& contemptabilia,omnes mundi voluptates, & illecebræ quaſi ciſternæ diſſipatæ,quæ non valent continere aquas. Ad eum ſupplices cum Dauide , expanſis manibus præ nimio deſiderio accedamus, illud concinentes: *Expandi manus meas ad te,anima mea ſicut terra ſine aqua tibi:*quo fiet , vt aquam iſtam ſalutiferam nobis conferat , qua hîc fructificare poſſimus per gratiam,&c.

CONCIO QVARTA.

Velociter exaudi me Domine:defecit ſpiritus meus. Non auertas faciem tuam à me : & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

QVANQVAM nihil certius inueniri poſſit in oratione Dei auxilio,quod nulli denegat,quando ex toto corde eum inuocat,iuxta illud Pſal.90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum cum ipſo ſum in* *Pſal.* 90.
*tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum:*tamen aliquibus de cauſis, ſolet Deus aliquando illud differre:Prima, quia meliorem oportunitatem expectat.Cùm iam omnia deſperata eſſe videntur, quando mundus ſe victum fatetur, natu-

ráque ſuam cognoſcit impotentiã,& vlcus computruit,ad id peruenit extremum, quòd de illo ab omnibus iam diffiditu tunc nimirum Deus opem de cœleſtibus mittit: Quia, vt in

Pſal.45. quit Pſalmiſta, *Deus noſter refugium & virtus,adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis*,id eſt, adiutor non in quibuſcumque tribulationibus, ſed in illis potiſſimum, quæ nos vndique circunſtant:de quibus videmur exire non poſſe, actúm-

Simile. que iam eſſe de nobis. Si aliquis ad chirurgum in ſua arte peritiſſimum accederet, dicens:domine applica mihi remedium, quia tuo indigeo medicamine. Interrogaret illum, quidnam haberet?Cui ſi diceret in digito vulnus habeo.*Tengo vn panariço en el dedo, o tengo en la cara vn raſguño.* Quid illi reſponderet? Nonne indignatus illum dimitteret: dicens: Abi hinc malam crucem,in re tam parui momenti vis meam experiri ſcientiam & eius periculum ſumere? Applica vulneri parum diapalmæ & abi hinc. At verò cùm videt aliquem hominem percuſſum vulneribus,inteſtina ſuper clipeum portantem,& quod per vulnera viſcera illius patent:tunc ſumma cura & diligentia applicat illi medicamina, & nullum non intentat remedium,

Deus aliquando opē differt qua lib. de cauſis. vt illum à mortis faucibus eripiat. Sic quippe magnus ille & cœleſtis medicus,qui optimè noſtris vulneribus mederi nouit, etiam ſi illum clamoribus & lachrymis inuocemus:aliquando opem differt, & non ſtatim pro votis accurrit, quia ad meliorem ſe reſeruat opportunitatem.Nondum enim ad extremum

Habac. infirmitas noſtra peruenit.Vnde eſt illud, quod Propheta Habacuc cecinit: *Si moram fecerit, expecta eum, quoniam veniens veniet, & non tardabit.* Non enim tardat Dominus, ſed ſumma cum feſtinatione aduenit ad adiuuandum,quia ſemper tempore nobis vtiliori & magis neceſſario mittit auxilium: Quare

Iſai.49. vbi apud Iſaiam cap.49.tranſlatio B.Hieronymi habet.*In tem-*

Hugo in gloſſa. *pore placito exaudiui te,& in die ſalutis auxiliatus ſum tui.* Septuaginta habent: *Tempore opportuno & in die ſalutis adiuui te.* Vbi ſecundùm aliquos expoſitores loquitur de redemptione Babylonica facta per Cyrum.

Secundò differt Deus auxilium, vt ad illud impetrandum magis, magiſque animum noſtrum accendat. Sicut patet in

Matt.15. Chananea ſalutem filiæ ſuæ exigente.Licèt enim Deus decreuiſſet illam à dæmone liberare, tamen remedium differebat, vt cor eius magis inflammaret.Solet enim faber ferrarius ali-

Simile. quot aquæ guttas in fornacem projicere,non vt ignem extinguat,ſed vt magis accendat,maiorique flamma ſurſum feratur, ſic omnia reſponſa & verba contemptibilia quæ ſicca &

aſpera

Digitized by Google

aſpera videbantur,erant quaſi guttæ aquæ, quæ ignem in corde illius mulieris latentem, magis accendebant. Plurimum enim Deus noſtra oratione delectatur, quando ignita eſt & feruida,& ex corde igne charitatis accenſo procedit. Vnde Dauid petebat: *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo,eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Quia ſicut incenſum,vel quodcúmque aliud ſuffimentum dirigi non poteſt neque odorem ſuum emittere, niſi igne comburatur prunæque ſupponantur: ſic oratio vt Deo ſit accepta ſupra charitatis feruorem debet fundari. Et in Pſal. 38. etiam dicit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Vbi Ionatas Chaldæus ſic legit. *Ebullit cor meum in corpore meo.* Ebullire enim proprium eſt aquæ igni appoſitæ, cùm ad intentiſſimum feruoris & caloris gradum peruenerit. Talis debet eſſe orationis feruor:quod cor noſtrum in medio noſtri tanquam feruens aqua præ nimio calore ebulliat. Talis erat oratio Annæ matris Samuelis cùm in templo ad Deum preces ſuas fundebat, quæ præ nimio ſpiritus feruore tumulenta, & ebria ſacerdoti viſa eſt. Sicut 1. Reg. narrat hiſtoria. *Quia tantum*, vt inquit textus, *corde loquebatur, & vox non audiebatur, ſed ſolum labia illius mouebantur,* quod ex magno ſpiritus feruore concepto proueniebat. Talis etiam erat Hieremiæ oratio, quam pro populo ſuo offerebat:cui dictum eſt à Domino: *Tu autem noli orare pro populo, nec aſſumas pro eis laudem*: cùm tamen Hieremias nihil loqueretur,quia etſi lingua tacebat, loquebatur tamen corde.

Oratio feruida. *Pſal.* 140. *Simile.* *Pſal.* 38. *Ionatas. Chald.* *1. Reg. 1.* *Hierem.*

Solet tertiò differre auxilium propter guſtum quem in noſtris orationibus captat, *por el relance de la oracion.* Vult enim Deus vt animo indeficienti & perſeueranti ab eo neceſſaria nobis poſtulemus, quia oratio noſtra valdè grata eſt illi. In oratione namque ad Deum tanquam ad ſacram anchoram noſtræ ſalutis,accedimus:illúmque ſupremum omnium rerum Dominum, tacito quodam modo profitemur: qui non ſolum opem ferre & neceſſitatibus ſuccurrere,omnipotentia ſua poſſit. Certè, quàm gratæ Deo orationes noſtræ ſint: hoc ſimili intelligi,nullo negotio poterit. Si enim Rex aliquis eſſet rebus muſicis ita affectus,quòd non ſolum ipſam muſicam & conſonantiam libenter audiret,verùm etiam & id quod ad ipſam eſt præambulum, ſcilicet, inſtrumentorum chordas præparare & temperare,quod aliis ſolet eſſe moleſtum: nonne diceremus, quòd ille Rex muſicis maximè delectatur? Pari formiter Deus adeò noſtris orationibus delectatur, quòd non ſolum ipſam

Simile.

Digitized by Google

orationem libenter exaudit, verùm etiam & præparationer
Pſalm. 9. quæ ad ipſam præuia eſt. *Deſiderium pauperum,* inquit Daui *exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tu* Non ſolùm Domine voces paupelum pergratis auribus aud verùm & deſideria eorum, cordíſque præparationem, qua i lud, quaſi ad orationis melodiam præparant. *El encordar el c raçon, el deZir tengo de pedir eſto y eſto a Dios.* Vnde ipſe Daui
Pſal. 21. qui diuinum ingenium optimè calluerat, aiebat alibi: *Clama per diem & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mi*

Deus perſeueranter rogandus.

Quaſi diceret: Scio Domine quòd ſoles aliquando poſcen bus clementiam tuam, vt iterum atque iterum illam eff gitent, opem differre: quapropter clamabo per totum die quòd ſi non exaudias, ſed non ideo ab oratione ceſſabo, ſed i tum clamabo per noctem. Et hoc non erit mihi ad inſipie tiam, quia noui conditionem tuam, & benignitatem tua qui enixè & perſeueranter à nobis rogari cupis. Sed perbel inquit Propheta, non ad inſipientiam mihi, quia in opinic vulgi, qui importunus eſt, non longè ab inſipientia abeſt. V de Principes & magnates hominem importunum ferre r poſſunt, illúmque inſcium & ſtultum iudicant: at apud ſup mum illum Regem longè aliter ſe habet. Vellet enim nos i portunos eſſe in orando, & quòd per momenta ianuam miſericordiæ pulſaremus, quare inquit: *Clamabo Domine diem, & non exaudies, & clamabo iterum per noctem.* Sed ſi quòd non ad inſipientiam mihi imputabitur, cum oration clamore pauperum maximè delecteris.

Quarto & vltimo, differt Deus auxilium ſuum & non locuter petenti adeſt, quia ore ſolùm, & non corde petit. S enim ad Deum duplici corde accedere vitium eſt: ſic et
Oratio. nullo corde, negligentiæ aſcribitur. Oratio namque non d
Excors. eſſe excors, ſed ex intimis præcordiis procedere, & ſicut I toto corde eſt intelligendus: ſic toto corde eſt exorandus. C re Dauid Dominum oraturus, ante omnia cor ſuum præp
2. Reg. 7. bat & inquirebat, ſicut ex 2. Reg. cap. 7. manifeſtè collig vbi inquit: *Gratias immenſas tibi ago Domine propter hoc ſing beneficium, quia inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te hodi* maximo Dei dono reputatur cor inuenire, ad Deum randum, quia cor humanum fugax & inquietum eſt, & quenter per diuerſas humanarum rerum vias, diuagatur. C re ante orationem ſumma cura, omníque ſtudio inqui bet, & ab omni creaturarum illicito amore ſequeſtrari,
Pſal. 26. Deum per contemplationis ſtudium ſe conuertat. Pſal. et

Digitized by Google

ſic inquit: *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requirám.* Vbi Simmachus vertit, ſicut adnotauit Euſebius: *Tibi locutum eſt cor meum, quæſiuit te facies mea.* Alloquimur Deum cordo, & non ſolùm lingua: quando oratio noſtra, non ex ſolo ore, ſed ex corde etiam procedit Quando non fallacibus & inanibus verbis eum alloquimur, ſed mente cum verbis conſentiente. Quare Heliu Philoſophus apud Iob cap. 34. aiebat: *Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet.* Idem eſt ſpiritus & flatus Dei, quod ipſe Deus ille Deum ad ſe trahit, qui cor ſuum ad ipſum per contemplationem & amorem dirigit. Nam ſicut trahi ſolet accipiter ad intuitum cordis, quo viſo ſtatim dimiſſis alis, tanquam ad propriam eſcam deſcendit: ſic Deus, qui humana corda inenarrabili appetit deſiderio, eiſdem inſpectis non vltra commoratur: nec differt beneficia conferre petentibus. Inquirit Propheta Regius Pſal. 23. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Et inter alia reſpondit: *Qui non accepit in vano animam ſuam.* Vbi inquit Didimus: Is in vano accepit animam ſuam, qui cùm animam ad omnem virtutem & ſcientiam aptam acceperit, ea non ſequitur, ad quæ percipienda natus eſt. Idem nos de corde poſſumus dicere, quod ille in vanum cor accepit, qui in contemplatione & oratione non illud ad Deum creatorem ſuum per exceſſum mentis extollit. Dicunt medici, quod in corde humano duæ portiones, ſiue duo ſinus reperiuntur, in quorum altero, purior totius corporis ſanguis ad nutrimentum ipſius cordis reſidet, in altero verò, ſpiritus vitales continentur: quos ipſum cor tanquam vitæ fons & origo per omnes artus & membra diſtribuit & diffundit. Primum horum nemini dubium eſt, experientia enim conſtat; at ſecundum non eſt ita manifeſtum, cùm ſpiritus aërei ſint, nec ſenſu ita facilè percipi poſſint. Quare ſi à Galeno ſciſciteris, vt ſciat huiuſmodi ſpiritus vitales ibi contineri? Reſpondebit vtique, quod cùm in ſinu illo nihil reperiatur, & conſtet nihil in natura vacuum eſſe. Credendum non eſt, tam nobile corporis humani membrum, nihil in ſe continere; quare rationabiliter exiſtimatur, nihil aliud ibi quàm vitales quoſdam ſpiritus exiſtere. Ex hoc colliges, quantum Deo diſpliceat cor humanum in vano acceptum: cor, inquam, quòd ſurſum non fertur, quod ad cœleſtia non aſpirat, quod terrena non contemnit, quod ad Deum per affectum non dirigitur. Hinc fit, quod opera noſtra in tantum Deo ſunt accepta, in quantum procedunt ex corde, alioquin neque ei accepta, neque nobis

Simmac. *Euſeb.* *Iob 34.* *Simile.* *Pſal. 23.* *Didimus.*

Digitized by Google

eſſent meritoria. Nam quid prodeſt (vt alia taceam) Deum ſummis labiis laudare & inuocare, ſi hoc non ex corde & affectu procedat? *Populus hic*, aiebat per Iſaiam c.29. *labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Quòd ſi honorem & gloriam non recipit Deus abſque corde, quomodo ieiunia, eleemoſynas, & orationes ad meritum recipiet? Linguam Deo tribuimus cor mundo, corpus ad Eccleſiam adducimus, & cor in foro relinquimus, corpus eſt in clauſtro, & cor in curia. Conferre quò libuerit corpora, dummodo Deo corda conferatis. Conquerebatur olim Deus de Synagoga ſua, & vtinam de nobis hodie conqueri etiam non poſſet, quòd lingua ſolùm laudabat, non mente, ore, non animo & corde. Hier. 7. ſic inquit: *Ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum.* Appellat Synagogam, in qua nomen eius inuocabatur, & laudes eius decantabantur ſpeluncam latronum, quia cùm ore ſolum, & non corde eum laudarent, corda ſua Deo, cui ex iure debentur, furabantur. Quod confirmat verſio quam D. Chryſoſt. ſequitur, quæ ſic habet: *Spelunca hienæ facta eſt habitatio mea.* Cui conſonat quod in capit. 12. eiuſdem Prophetæ habetur: Nam vbi dicitur, *Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi.* Septuaginta, vt ibi aduertit Diuus Hieron. verterunt: *Nunquid ſpelunca hyenæ hæreditas mea mihi?* Inter alia mirabilia, quæ de hoc animali Plinius refert, mirabilius exiſtimo, quod etiam vocem humanam imitetur, loquique addiſcat, circuit nocte paſtorum caulas & tuguria, & alicuius nomen audit, memoria percipit & retinet, & in ſpelunca ſua, ore multoties profert & pronunciat; quouſque tandem vocem illam articulare ſciat. Quo peracto media nocte ad paſtorum tuguria properat, & paſtorem illum, cuius didicit nomen, proprio ore vocat, quem ex tabernaculo ſuo exeuntem & reſpondentem, manibus & dentibus dilaniat, & interficit. Honorat quidem paſtorem hyena proprio nomine illum vocando, quod honoris & beneuolentiæ indicium eſſe ſolet, corde tamē illum odit & deteſtatur, cùm mortem crudelem illi machinetur. Non ſecus, inquit Deus, mihi cum populo meo contingit: quia ore me laudat & inuocat, hymnos & pſalmos dulces mihi perſonat, tamē cor eorum longè eſt à me, cùm me creatorem ſuum deteſtentur, odioque proſequantur. Dicitur etiam ſpelunca hyenæ Synagoga, quia ſicut hyena nomen quod ore profert, non percipit corde, ſic populus ille ore tenus laudabat & inuocabat Deum, ſed non animo & corde. Diſcamus ergo Deum toto corde laudare & inuocare, quia ſolet Deus opem, aut negare,

Iſai.29. *Hier.7.* *Sept. interpr.* *D.Hier.*

Digitized by Google

negare, aut differre, quando non ex corde inuocatur. Sciens ergo Dauid quod his omnibus de cauſis, ſolet Deus aliquando inferendo auxilium immorari: cùm in maxima tribulatione & calamitate conſtitutus eſſet (iam enim labores vltimam lineam attigerant) petit à Deo vt ei ſuccurrat, nullatenuſque ferre opem differat, dicens: *Velociter exaudi me, Domine, defecit ſpiritus meus.*

Hîc Auguſt. per ſpiritum, ſuperbiam ſiue arrogantiam intelligit. *Impleat me*, inquit, *ſpiritus tuus, quia defecit ſpiritus meus.* In quo enim viuit ſpiritus eius ſuperbus eſt, ſpiritu ſuo extollitur contra Deum. Eandem viam ſecutus eſt D. Gregor. dicens: Addit etiam cauſam quare exaudiri debet, quaſi inſtantem iam ſpiritum non habeat, qui ſpem ſuam omnino in Deo ponit, ex quibus videtur colligi, vnam ex conditionibus neceſſariis ad orationem requiſitis, eſſe humilitatem, paupertatémque ſpiritus: *quia oratio humiliantis ſe penetrat nubes* (ſicut Eccleſiaſt. cap. 35. dicitur) *& donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec altiſſimus aſpiciat.* Superbia Deo odioſa eſt, quare oratio eius non exauditur, nec preces eius admittuntur. Non penetrat nubes oratio eius, quia licèt aliquando ei conferantur terrena, nunquam tamen cœleſtia, quæ ſupra nubes ſunt. Arbor quanto profundiores emittit in terra radices, tanto magis in ſupremum erigitur, & aqua quantum deſcendit, tantum aſcendit & fertur surſum, quin & auis ſublimipeta, quæ vſque ad nubes penetrare contendit initio volatus ſui ſolet ſe humiliare: ſic pariformiter, vt oratio noſtra nubes penetret, & coram Deo præſentetur: debet ex profunda humilitate procedere, qua cognoſcat quis propriam infirmitatem, peccata ſua coram Deo confitendo, & ab eo auxilium & veniam humiliter poſcendo. Talis fuit Regis Achab oratio, ſicut 3. Reg. 21. habetur, qui (licèt timore mortis, & ſupplicij) humiliatus eſt coram Domino. Scidit enim veſtimenta ſua, & operuit ieiunio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite, quod quidem ſignum humilitatis erat: quapropter veniam impetrauit, & Dominus quaſi eius admirans humilitatem & pœnitentiam, ſic Eliam affatur. *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.* Et quod maximè obſeruari debet, eſt: quòd pœnitentia hæc Achab (vt Diuus Gregorius placet, ſuper illud Ezechielis 3. *Abij amarus in indignatione mea*) non fuit vera, ſed ſimulata propter ſupplicium ſibi comminatum: & tamen Dominus, ſi non omnino remiſit ei pœ-

D. Aug. *D. Greg.* *Eccl.* 34. *3. Reg.* 21. *D. Greg.*

Digitized by Google

nam, diſtulit tamen: vt oſtenderet (ſicut inquit Hugo) quantum valeat humilitas pœnitentis. Eſt enim tanti momenti, tamque neceſſaria orantis humilitas, quòd ſi cæteræ omnes adſint virtutes, hac ſola deficiente, nihil efficiet at, etſi omnes aliæ deficiant, ſola humilitas adſit, Deum placabit, & ab eo veniam impetrabit. Quòd in illa Publicani & Phariſæi parabola, quæ habetur in Euang. Luc. 18. manifeſtiſſimè conſtat. Phariſæus licet aliquibus præditus eſſet virtutibus, quia bis in ſabbatho ieiunabat, decimas de omnibus quæ poſſederat perſoluebat, neque erat ſicut cæteri homines, quia neque raptor, neque adulter: tamen quia humilis non erat, ſed ſuperbus, cùm de propriis gloriaretur meritis, non promeruit exaudiri, neque iuſtificari. At publicanus cum omni merito & virtute eſſet deſtitutus, tamen quia humilis erat: agnoſcebat enim propria peccata, nec audebat oculos ad cœlum leuare, deſcendit iuſtificatus in domum ſuam. Itaque ſola ſuperbia omnium virtutum merita deludit, & ſola humilitas ad impetrandam peccatorum veniam ſufficiens eſt, Vnde inquit gloſſa. Ecce Phariſæus ad exhibendam abſtinentiam, impetrandam miſericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habet ad humilitatis cuſtodiam. Et quid prodeſt ſi tota ciuitas cuſtodiatur, & vnum foramen per quod hoſtes intrent relinquatur? Oratio Iob tam accepta fuit diuinis auribus (vt ex eius libro conſtat) quòd non ſolùm pro ſe, cui omnia duplicia condonauit, ſed etiam pro ſuis amicis illum exaudiuit Dominus: tamen quid mirum, quia humillimus fuit coram Domino, nullúſque arrogantiæ & ſuperbiæ in eo commorabatur ſpiritus. Quare dicebat cap. 6. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Nullus in eo elationis, aut tumoris remanſerat ſpiritus, quia ſagittæ Domini labores, inquam, quibus fuit perculſus, omnem occaſionem ſuperbiendi ab eo abſtulerant, & ideò oratio eius tam accepta fuit. Refert Valerius maximus, quod cùm quidam caſu inimicum gladio percuteret, vomicam mortalem putredine plenam, quam habebat ictu tranſuerberauit: & ſic per vulnus putredo omnis abſtracta eſt, & ipſe ſaluus & liber euaſit. Non aliter aliquibus contingit, quos Deus ſæpè ſagittis, laborum, & calamitatum percutit, non vt occidat & perdat, ſed potius vt ab eis omnem arrogantiæ & ſuperbiæ tumorem abſtrahat. Nihil namque eſt quo magis homo humilietur, quàm animi & corporis afflictionibus. *Sagittæ*, inquit, *Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Licèt enim in Iob tumor ſuperbiæ mortalis non fuerit, tamen fortè fuit in eo

Humilitas in oratione neceſſaria. *Luc. 18.*

Gloſſa.

Iob. 6.

Valerius maximus.

in eo aliqua venialis elatio: quæ per vulnera à Deo inflicta, omninò fuit purgata;& ideò exaudita eſt eius oratio,quia ſpiritus ſuperbiæ omninò in eo defecerat.De hoc ſpiritu videtur loqui Dauid Pſal.103.cùm dicebat: *Auferes ſpiritum eorum & deficient,& in puluerem ſuum reuertentur:emitte ſpiritum tuum & creabuntur.* Hic eſt ordo præſtitutus à Deo,quòd prius à ſpiritu noſtro deficiamus, quàm ſpiritum ſuum nobis infundat, quo in eſſe gratiæ creari poſſimus. Spiritus enim noſter qui arrogans eſt,diuino ſpiritui aduerſatur,qui humilitatis eſt auctor: vnde non bene conueniunt, neque vnà demorari poſſunt. Nam quæ conuentio lucis ad tenebras, aut Dei ad Belial? Quapropter neceſſarium eſt, vt ſpiritus hic arrogantiæ, in nobis omninò ſit abſumptus, vt ab ſpiritu Dei adiuuemur, & cum Regio Pſalte clamare poſſimus:*Velociter exaudi me Domine,defecit ſpiritus meus.* *Pſal.103.*

Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Verſum hunc Paraphraſis eſt Chaldea explicat,quæ ſic habet: *Non amoueas maieſtatem tuam à me,& ne ſimilis fiant his qui deſcendunt in domum ſepulchri.* Tanta enim eſt diuina maieſtas & magnitudo,quòd ab ea dependeât omnes creaturæ,nõ ſolùm quantum ad eſſe & fieri, ſed etiam quantum ad conſeruari: non ſolùm quantum ad eſſe gratuitum, ſed etiam naturale,nullo enim modo,ſine manutenentia Dei conſeruari poſſunt. Quia ſicut habet Sanctus Thomas 1.part.quæſt.9.articulo 2.Deus non aliter conſeruat creaturas, quàm eis ſemper eſſe tribuendo. Vnde ſi ſuam actionem ab eis ſubtraheret, omnia in nihilum redigerentur. Quod etiam patet per Auguſtinum 4.ſuper Geneſim ad literam.Vbi quoddam mouet dubium, ſcilicet, quomodo dicatur, quòd ſeptimo die requieuit Dominus ab omni opere quod patrarat, ſiquidẽ eadem actione qua Deus res creauit eaſdem conſeruat? Dicente Domino Ioan.5.*Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Cui quæſtioni reſpondet,quod requieuit ab omni opere,quia vltra iam non condidit aliqua genera noua,deinceps autẽ vſque nunc & vltra operatur curã gerẽs, eorundem generũ quę tunc inſtituta ſunt:non vt ipſo ſaltem die ſeptimo,potentia eius à cœli & terræ omniumque rerum quas condiderat, gubernatione ceſſaret,alioqui continuò dilaberentur.Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus cauſſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ.Hactenus Auguſt. Hinc eſt, quòd ſi Deus à creaturis faciem ſuam,ſiue maieſtatem, aut omnipotentiam abſconderet; in nihilum redigerentur, conuertentùrque in

Paraph. Chaldai. *S.Thom. q.9.ar.2.* *Auguſt.* *Dubium.* *Ioan.5.*

Digitized by Google

puluerem, ex quo compoſitæ fuêre. *Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum conuertentur.* Pſalm.103. Quare inquit modò: *Ne auertas faciem tuam à me, quia ſimilis ero deſcendentibus in lacum.* Id eſt, quemadmodum in lacum ſiue ſepulchrum deſcendentes, in puluerem rediguntur, ſic ego redigar, ſi à me faciem tuam abſcondas. Cui conſonat Theodoreti interpretatio, quæ ſic habet: Nam ſi deteſtatus fueris meas preces ob peccatum, ſubitò morte mulctabor, quandoquidem mortem, lacum per ſimilitudinem vocauit. Nam quemadmodum is qui in lacum detentus eſt, non poteſt ſine adiutoribus effugere, ſic fieri non poteſt, vt mortuus in vitam redeat nolente Deo.

Pſal. 103. *Theodor.* *Mors lacus dicitur.*

Sed aduertendum eſt, quòd quemadmodum eſſe naturæ à Deo dependet, ſic etiam eſſe gratiæ quod longè perfectius eſt. Hoc enim eſſe à Deo accipit creatura, quod ex Gen.cap.2.colligi poteſt, vbi dicitur: *Compleuítque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Et ſtatim ſubdit: *Et requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat.* Hæc niſi explicentur, inter ſe pugnare videbuntur. Quomodo Deus die ſeptimo compleuit opus ſuum, ſi ſi eo die nihil eſt operatus, ſed ab omni opere ceſſauit? Sed dicendum, quod de eſſe gratiæ debet intelligi, quod Angelis & hominibus etiam die ſeptimo conferebat, quod quidem eſſe, naturam complet & perficit, & ideò die ſeptimo cómpleuit Deus opus ſuum. Hinc fit, quòd quemadmodum ſi auertat Deus à creaturis manum ſuam, ſtatim in puluerem ſuum rediguuntur, & naturale eſſe amittunt: ſic pariformiter, auertente Deo gratiam ſuam, ſtatim anima moritur, & quaſi in nihilum redigitur. Hæc autem auerſio fit per peccatum, quare peccatum mors frequenter ſolet appellari. *Anima quæ peccauerit,* inquit Ezechiel, *ipſa morietur.* Et Suſanna cùm ad adulterium incitaretur, reſpondit: *Si hoc egero, mors mihi eſt.* Et 1. ad Thim. 5. de viduis agens Paul ait: *Nam vidua quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt.* Et hæc eſt cauſa quare in Scriptura ſacra de generatione Cain nulla fiat mentio, ſecundùm diuum Cyrillum Alexandrinum: quia cùm filij eius peccatores fuerint: non decuit vt in libro vitæ aliqua fieret mentio eorum, qui vera vita gratiæ caruerunt. Diuus etiam Hieronymus ſuper Matth. capite 1. tenet eandem fuiſſe cauſam, quare in genealogia Saluatoris, aliqui Reges fuerint prætermiſſi, videlicet, quia peccatores fuerunt, neque egerunt pœnitentiam, & ideò de libro vitæ deleti ſunt, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Tanta eſt peccati vis & mali

Gen.2. *Dubium.* *Solutio.* *Gratia naturam perficit.* *Peccatum mors dicitur.* *Ezech.* *Dan.14.* *1.Thim.5.* *Cyrillus. Alexand.* *D.Hier.* *Pſal.68.* *Peccatum ad nihilũ deducit.*

Digitized by Google

& malitia, quòd non ſolùm priuat vita gratiæ, verumetiam in nihilum redigit: nec mirum, quia peccatum nihil aliud quàm nihil eſt, *Ad nihilum deductus eſt*, inquit Dauid, *in conſpectu eius malignus.* Et de ſeipſo loquens, ait: *Ad nihilum redactus ſum, & neſcini.* Nec mirum videri debet, quòd peccatum ad nihilum redigat peccatorem, quia priuat eum omni bono, quod eſt Deus. Petebat Moyſes Deo, quod illi oſtenderet ſeipſum, cui reſpondit: *Ego oſtendam tibi omne bonum*, oſtenditque illi, non faciem, ſed tergum. Quod ſi Deus omne bonum eſt, ergo omne ens, cùm hæc inter ſe conuertantur: quare ſi priuat illum omni bono, priuat & pariter omni ente, & per conſequens ad nihilum redigit eum. O amantiſſime Deus, ſi peccator cùm ad aliquod peccatum perpetrandum inclinatur, hoc animo ſuo volueret, & cogitaret, quòd vitam gratiæ amittit, & ad nihilum in conſpectu Dei deducitur, & quod quemadmodum gladius vitam adimit corporalem: ſic peccatum ſpiritualem, quæ multò pretioſior eſt, quanto anima corpori præſtat. Et quod ſtatim vt peccat, Deus ab eo faciem ſuam auertit: ex quo conſequitur, quòd in puluerem putredinem, & fauillam conuertatur: quomodo in ſemetipſo contremiſceret, & cum Propheta clamaret, & diceret: *Ne auertas faciem tuam à me, Domine*, gratiam tuam ſubtrahendo, *quia ſimilis ero deſcendentibus in lacum.* Conuertat quidem in vermes, vel in puluerem, inſtar illorum qui in domo pulueris deſcendunt.

Pſal.14. Pſal.72. Exod.33.

Et ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Hîc per lacum Diuus Auguſtinus & Diuus Gregorius ſtatum peccati intelligunt, non quemcumque, ſed ſtatum quendam profundum, ad quem cùm peccator venerit, contemnit & deſperat. Dicitur enim Prouerb.18. *Peccator, cùm in profundum peccatorum venerit contemnit.* Et primò, rectè peccatum lacui comparatur, quia ſicut ille qui in lacum incidit, non poteſt ſine alterius adminiculo exire: ſic nimirum peccator, cùm in profundum peccati ſe præcipitat, ſine Dei auxilio inde exire non poteſt. Poteſt quidem ſeipſum præcipitare, ſed minimè ſaluare, poteſt cadere, ſed non reſurgere, dicente Oſea 13. *Perditio tua Iſraël ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Quare Dauid qui ad profundum huius lacus peruenerat, cùm per manum omnipotentis Dei ſe eductum videret, immenſas ei conferebat gratias, dicens: *Quoniam eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis: & ſtatuit ſupra petram pedes meos, direxit greſſus meos.* Peccatum appellat lacum miſeriæ: quia miſerum facit hominem, & omi

D. Aug. & Diuus Gregor. Prou.18. Oſe.13. Pſal.39.

& omnium bonorum inopem. Quid namque boni, aut diui-
tiarum habere eſt cenſendus, qui Dei inops eſt? Prouerb.14.
Prou.14. dicitur: *Iuſtitia eleuat gentem, miſeros facit peccatum populos.* In-
fernus terra miſeriæ & tenebrarum à Beato Iob appellatur:
& nulla ibi maior miſeria quàm peccatum reperitur: quia pec-
Peccatum cato de medio ſublato, miſeria etiam illius terræ auferetur,
fætor. quæ effectus eſt ab illa cauſſa procedens. Dicit etiam quod de
luto fæcis fuerit eductus. Lutum fæcis ipſummet peccatum
appellat propter immunditiam & fætorem quem ſecum ad-
Deut.32. ducit. Deuteronomij cap.32. dicitur: *Peccauerunt ei, & non filij*
eius in ſordibus generatio praua & peruerſa. Tantus enim eſt pec-
cati fœtor, quòd Deus illum ferre non poſſit. Vnde, cùm edu-
Gen.8. ctus eſt Noë de arca, ſtatim holocauſtum obtulit Deo, & dicit
textus, *quòd odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis*, vbi alia lite-
ra habet, *odorem quietis*. Erat enim diuinum pectus ad nauſeam
prouocatum: non tantùm propter carnium odorem, quantum
propter fœtorem peccatorum, quibus tota contaminata erat:
quòd cùm aduerteret Noë, obtulit ei incenſum & holocau-
ſtum: quo diuinum pectus hominum voluptatibus & peccatis
Hier.48. prouocatum, quietatum eſt. Sed quòd peccatum fex & lutum
appelletur, apertè demonſtrat Hierem. cap.48. dicens: *Requieuit*
Moab in fæcibus, non eſt transfuſus de vaſe in vas. Loquitur de
de Moabitarum vitiis ſumpta metaphora vini, quod, ſi non
de vno in aliud vas tráſfundatur, corrumpitur. Heu quod ſunt
hodie peccatores Moabitis ſimiles, qui per integrum annum,
in fæcibus peccatorum ſuorum fœtidi & corrupti requieſcunt;
nec de vaſe culpæ in vas penitentiæ transfundũtur, quare ſem-
per in eis guſtus peccati remanet, & in ſuis voluptatibus per-
ſeuerant. Sed ſummopere obſeruandum eſt, quod vbi dici-
Peccatum tur: *Eduxit me de lacu miſeriæ*, Hebræa habent: *De lacu ſonitus.*
ſonitus Paraphraſis Caldaica: *de lacu ſtrepitus.* Peccatum enim lacum
aut ſtre- ſonitus vel ſtrepitus appellant. Quare cùm anima peccatoris
pitus dici- non vno aut altero, ſed quamplurimis peccatis plena ſit,
tur. quinam ſtrepitus in illa erunt? Hinc prouenit, quòd prædi-
Simile. catoris voces non audiat, neque ipſum Deum, qui ad ia-
Peccator nuam eius quotidie inſpirationibus pulſat. Fertur enim de
ſurdus. incolis, qui circa Cathadupas vitam degunt, quód ſurdi
Plin.lib. ſunt: nam toto impetu fluuius Nilus præcipitatur ex altiſſimis
5.cap.9. montibus, quòd omnes illius terræ incolas, obſurdeſcere
Strab. & faciat. Pariformiter, cùm *cor impij quaſi mare feruens ſit,*
Pompon. *quod quieſcere non poteſt*, vt ait Iſa. peccatorum ſtrepitus qui
Iſai.58. circa illum fit eum ſurdum, & ad audiendum verbum Dei in-
capacem.

Digitized by Google

incapacem reddit. Vnde aliud naſcitur maius malum, quod multoties in contemptum & deſperationem prouenit, quod propriè eſt in lacum deſcendere, ſecundum diui Gregorij explicationem. Sic enim inquit: Auertente Domino faciem, peccator in lacum deſcendit, quia niſi illum Dominus miſericorditer reſpexerit, poſt multa perpetrata ſcelera, in deſperationis foueam cadit. D.Auguſt. ſic: Hanc profunditatem lacum apellat plerumque Scriptura, in quam profunditatem cùm venerit peccator, contemnit. Proponit ſibi peccandi licẽtiam, ſine ſpe veniæ, habentis iniquitatis effuſis, de quo loquens B.Iob cap. 15. ait: *Non credit quod reuerti poſſit de tenebris, circumſpectans vndique gladium.* Videt impius, cùm in tantam peccatorum profunditatem deuenit, vndique gladium diuinæ vltionis contra ſe diſtrictum. Si ad tempora præterita reſpicit, videt ea in vanitatibus & delitiis tranſacta; ſi ad præſens, videt ſe abominationibus inuolutum; ſi ad futurum pœnitere contemnit, & reſipiſcere propter inueteratam malorum conſuetudinem, renuit. Quare deſperans, cum Caino dicit: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear,* & non credit quod de tenebris peccatorum ſuorum quibus irretitus eſt, ad lucẽ gratiæ reuerti poſſit. Contra hos inuehitur Dominus per Amos Prophetam, capite 9. *Si celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti & mordebit eos.* D.Gregorius ſic hunc locum interpretatur. Quid eſt celari in profundo maris, niſi in altitudine deliteſcere deſperationis? Celat verò ſe, qui non confitetur, aut qui deſperat de miſericordia Dei. Qui ergo ſe ab oculis Dei in profundo deſperationis celauerint, poteſtatem accipit diabolus, vt eos mordeat, & vt in ventre ſuæ malitiæ inducat. Ipſe enim eſt ſerpens, cui dictum eſt: *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Adhuc Gregor. Ex quibus colligitur, quòd ſolùm dracha deuorat, qui in profundo deſperationis ſe abſcondunt: illi verò abſconduntur, qui nolunt ad diuinam miſericordiã conuerti, veniamque ſuorum delictorum impetrare. At illi qui cum fiducia accedũt ad thronum gratiæ eius, lachrymabili corde peccata ſua deplorantes & confitentes, à ſerpentinis faucibus eripiẽtur, & veniam omnium delictorum ſuorum conſequentur. Inquit enim per Iſaiam Deus: *Lauamini, mundi eſtote: quieſcite agere peruerſè, & diſcite benè facere, & venite arguite me. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, vt nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quibus verbis ſignificat, nullum peccatum fore, quod per pœnitentiam deleri non poſſit. Nullus enim

D.Greg. D.Aug. Iob 15. Gen. 4. Amos 9. D.Greg. Iſa. 1.

Digitized by Google

enim color, nulláve tinctura eſt, quæ magis in naturam ſubiecti tranſeat, aut maiori cum difficultate deleatur, quàm color rubeus, aut coccineus, qui ſanguine vermiculi cuiuſdam fit. Vt ergo ſignificet Propheta, nullum eſſe peccatum de quo deſperare debeat,& quòd per pœnitentiam deleri non poſſit, inquit, quòd etiam ſi peccata fuerint vt coccinum, vel vt vermiculus: vt nix,& vt lana munda erunt. Conuertamur ergo ad Dominum,ſuppliciter ab eo poſcentes,vt emundet conſcientias noſtras à peccatis, vt in ſanguine Agni dealbati, animæ noſtræ quæ culpis denigratæ ſunt & deformatæ, vt nix candida & lana mundiſſima fiant. Quod continget in præſenti per gratiam,& in poſterum per gloriam,

CONCIO QVINTA.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperaui,

Notam fac mihi viam in quá ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

QVAMPLVRIMAE definitiones ſpei à Doctoribus Theologis aſſignari ſolent. Magiſt. ſentent. in 3. ſic eam definit. *Spes eſt futuræ beatitudinis certa expectatio, ex Dei gratia & meritis prouenens.* Diuus Bonauentura de Dieta ſalutis, titulo de virtutib. 5 cap. 4. ſic deſcribit eam: *Spes eſt columna domum firmans, galea caput armans, anchora nauem ſeruans.* Et ſuam explicans deſcriptionem, inquit: quod dicitur columna domum ſuſtentans, quia columna debet eſſe ſolida, & de forti ligno non fragilis, & vacua vt arundo: ſic ſpes quæ in Deo ponitur firma eſt: atque in mundo, aut diuitiis fragilis. Vnde Prouerb.11. *Qui confidit in diuitijs ſuis, corruet.* Eſt ſicut galea, quia ſicut galea eſt munimentum capitis, ſic ſpes eſt armatura intẽtionis. Vnde 1. Theſ.4. *Induite galeam ſalutis,* id eſt, ſpem. Eſt etiã ſicut anchora, nã ſicut anchora ſeruat nauem cõtra procellas & tempeſtates, ſic ſpes mentem contra tẽtationis impulſum. Vnde Hebr.6. *Confugiamus ad tenendam propoſitam ſpem, quã ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis.* Magiſter ſent. ſic: *Spes eſt qua ſpiritualia & æterna bona ſperantur.* Auguſtinus libro

Hæc definitio eſt Haimonis, ſicut habet Vurillon. in 3. diſt. 26.

Prou.11.

1. Theſſ.5.

Hebr.6.

Magiſter ſent.

libro de ciuitate Dei, ſic: *Spes eſt virtus, qua quis, ſe ad illud quod credit ſe perventurum præſumit.* Iſtæ definitiones licèt veriſſimæ ſint, ſed non incongruè definietur, ſi dicamus, *quòd ſpes, ſiue fiducia, ſcala eſt qua ad Deum aſcendimus, clauis viſcerum ſuorum, & numiſma quo miſericordia eius emitur* Eſt enim ſcala qua aſcendit mens, quia ipſa deficiente, nullum acceſſum ad Deum habere poſſumus. Quomodo enim accedet ad eum de quo nihil accepturum ſperat? Dicitur clauis ſuorum viſcerum & numiſma quo emuntur miſerationes eius, quia omnes miſericordiæ Dei, ſpei & fiduciæ noſtræ videntur eſſe conceſſe. Sunt enim hæc duo inter ſe mutuò vinculo connexæ: vt omnia quæ ab eo licitè ſperes, abſque dubio conſequaris. Vnde Dauid aiebat: *Spera in Domino & fac bonitatem, & paſceris in diuitijs eius, & delectabit te, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Vbi Theodoretus, inquit: Per omnia docuit ſpei in Deo collocatæ vtilitatem: qui enim, ait, in illo ſpem fixam habet & ab illo paſcitur, bonis ab ipſo ſuppeditatis perfruetur: & plena manu hæc conſequentur, qui veras delitias putant eſſe habere cum illo conſuetudinem. Sed aduertendum eſt, quod dicit: *Spera in Domino & fac bonitatem:* vt enim ſpes noſtra firma ſit, & omninò quod poſtulat conſequatur: ſuper bonitatem vitæ fundari debet, & ſuper merita, alioqui erit præſumptio vana, quod patet ex Pſalmo 90. vbi dicitur: *Quoniam in me ſperabit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Circa quæ verba aduertit Paulus Burgenſis, quod vbi in tranſlatione noſtra habetur, *ſperauit.* In Hebræo habetur, *Haſath.* Quod ſignificat amorem vehementiſſimum quo diligens fertur in ſuum dilectum. Quod vt ipſe allegat probat Rabi Moyſes Ægyptius in ſuo libro notabili apud Hebræos de directione perplexorum, 3. quæſt. capite 3. vnde Deuteron. capite 10. vbi dicitur: *Sed in patribus tuis conglutinatus eſt Deus, vt diligeret eos.* In Hebræo habetur, loco illius *conglutinatus eſt Deus*, idem verbum *Haſath.* Vnde in perſona Chriſti inquit Pſalmiſta: Quia ille qui habitat in adiutorio Altiſſimi, vehementer dilexit me, ſeu conglutinatus eſt mihi: ideò à me fuit liberatus & protectus. Ex his verbis Burgenſis noſtrum intentum manifeſtè colligitur, ſcilicet, quod vera ſpes, & quæ à Deo, quidquid deſiderat obtinet, debet eſſe affectuoſa & dilectiua, & in operibus fundata. Quare inquit: *Spera in Deo, & fac bonitatem, & paſceris in diuitijs eius, &c.* Talis namque ſpes habet chirographum à Deo acceptum. *Tiene firma de Dios en blanco,* vt quidquid poſtulauerit, quod rationi nōn

D. Aug. Definitur ſpes. Pſal. 39. Theod. Pſal. 36. Pſal. 90. Burgēſis. Moyſes Ægyptius.

Prou.17. non ſit abſonum fiat. Vnde Prouerb.17. dicitur: *Gemma gratiſſima, expectatio præſtolantis.* Habet aliquis pretioſiſſimam gemmam auro celatam in anulo, quam impignorat quotieſcumque aliquid obtinere cupit, ſiue numos, ſiue veſtes, ſiue triticum, aut quoduis aliud. Sic nimirum ſpes gemma eſt valoris, & pretioſiſſimum pignus, qua media, à diuina largitate quidquid nobis placuerit (ſiue æterna, ſiue temporalia petamus) conſequemur. Vnde eſt quod quotieſcunque Saluator noſter aliquod miraculum de ſua liberalitate faciebat: prius hoc exigebat pignus tanquam ſibi gratiſſimum. Matthæi cap. 9. Paralitico illi ſibi oblato, vt curaret illum, dixit: *Confide filij, remittuntur tibi peccata tua.* Mulieri etiam, quę fluxum ſanguinis patiebatur, quæque fimbriam eius attingere cupiebat, dixit: *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* Cognoſcens ergo Dauid quanti valoris & momenti fiducia hæc ſit apud Deum, & quod nihil aliud eſt, niſi gemma pretioſiſſima ſibique valdè grata, & denique ſuorum viſcerum clauis, & miſericordiarum impetratrix: videns ſe in tot calamitatibus & miſeriis conſtitutum, ad Deum auxiliatorem ſuum accurrit: & ad impetrandam miricordiam, non regnum, non opes, non diuitias, non ſui ſanguinis claritatem, non propria merita & opera ab ipſo rectè facta, ſed ſolùm ſpem ſuæ diuinæ miſericordiæ allegans dicit: *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam*, id eſt, citò & abſque vlla mora, quoniam in te ſperaui.

Spei vires & laudes.

Matth.9.

D.Greg. Hîc per manè Diuus Gregorius reſurrectionem intelligit, quæ principium erit illius diei, quæ finem non eſt habitura, quam nullæ ſequentur tenebræ, nullæ vmbræ, aut nebularum caligo, ſed erit perpetua lux indeficiens. Quæ claritas tanto radiorum lumine illuſtrata erit, quod iuxta Iſaiæ vaticinium, *erit in die illa lux ſolis ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die quando alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius.* Pro quo ſciendum, quod præſens hæc vita in Scriptura ſacra, non dies, quin potius nox appellari ſolet, cùm plena ſit erroribus, periculis, & ignorantiæ tenebris. Quod aduertit Diuus Auguſtinus, dicens: Ecce in nocte ſum, ſed in te ſperaui, donec noturna tranſeat iniquitas. Quod quidem ex aliquibus Scripturæ ſacræ locis comprobari poteſt. Dicitur enim in libro Iob, cap.20. de vita hypocritæ: *Velut ſomnum auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna.* Vbi inquit Gloſſa: Vita hypocritæ quædam viſio phantaſmatis eſt, quæ hoc oſtendit imagine, quod non habet ex veritate: quæ ſomno comparatur, quia ab eo omnis laus & gloria, dum tenetur

Iſai.30.

Vita præſens, nox appellatur.

D. Aug.

Iob 20.

Gloſſa.

Digitized by Google

tenetur, amittitur. Tranſiet autem velut nocturna viſio, quia quod ſe ad momentum diuitem humanis æſtimationibus videt, de oſtenſione eſt phantaſmatis, non de ſoliditate virtutis: & cùm mens eius in timore vigilat: cognoſcit, quia hominum fauores dormiens videbat. Ex quibus clarè conſtat, quod vita hæc præſens, nox & ſomnum appelletur. In Iſaia etiam cap. 29. ſic habetur: *Erit ſicut ſomnum viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel.* Et ſicut ſomnia eſuriens & comedit, poſtquam verò fuerit expergefactus vacua eſt anima eius, & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, poſtea verò laſſus adhuc ſitit: ſic erit multitudo omnium gentium. Sed adhuc clarius cap. 24. vbi inquit de finali huius præſentis vitæ termino agens: *Et auferetur quaſi tabernaculum vnius noctis, & grauabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adijciet vt reſurgat.* Ecce manifeſtè vides, quomodo mundum hunc, qui aliquibus æternus videtur, & quod nunquam finem ſit habiturus, tabernaculo comparat, non firmo & ſtabili, ſed quod per vnicam ſolum noctem durabit: quia vita præſens, propter eius breuitatem & propter denſiſſimas peccatorum tenebras, quibus inuoluta eſt: nocti vnicæ comparatur, quæ ſumma velocitate tranſit. Quid enim aliud eſt vita noſtra, niſi hædera illa Ionæ, de qua cap. 4. agitur: De illa quippe dicitur, quòd *ſub vna nocte nata eſt, & ſub eadem periit:* ſic enim vita hæc vmbra quædam eſt, cùm Dauid dicat: *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui:* quæ non amplius quàm per vnicam noctem perdurat. In eodem inſtanti in quo producebatur hædera, vermis etiam creabatur, qui eam erat conſumpturus. Itaque in ſuperiori parte producebatur propago, & in radice generabatur vermis. Sic vita noſtra cum breuiſſima ſit, ſtatim ac incipit, deſinit ac conſumitur: quinimo quo magis viuimus, minus nobis vitæ reſtat. Comparatur etiam nocti, propterea quod in præſenti ſæculo, verus ille ſol iuſtitiæ Deus, non manifeſtè per claram ſui ipſius præſentiam, ſed obſcurè, & quaſi per caliginoſam fidei lucem, nobis reuelatur, dicente Paulo: *Videmus nunc in ænigmate per ſpeciem, poſtea autem facie ad faciem.* Et ſicut filiis Iſraël, ad terram promiſſionis pergentibus per eremum, dedit Dominus columnam ignis, qua media in mediis noctium tenebris, per loca illa inuia, & præcipitiis plena ducerentur: ſic nobis qui in præſenti vita degimus, quæ denſiſſimis ignorantiæ & errorum tenebris plena eſt, lumen ſplendidiſſimum ſuæ fidei conceſſit, cuius ſplendore ad patriam nobis promiſſam periculis omnibus, & lubricis ſuperatis &

Iſai.29.

Iſai.24.

70. habẽt ſicut tuguriũ pomorum. Chaldai. quaſi lectulus vnius noctis.

Iona 4.

Pſal.101.

Vita præſens quaſi Ionæ hædera.

1.Cor.13.

Exod.

Figura.

Digitized by Google

deuictis, peruenire poſſumus. *Habemus enim,* inquit Diuus Petrus 2. capite primo, *certiorem Propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Quæ verba dum expendit gloſſa, ſic ait: *In caliginoſo loco,* id eſt, in huius ſæculi nocte plena tentationibus, vitiis & erroribus, vbi difficile inuenitur quiſquam, qui non offendat, contra quæ neceſſaria eſt hæc lucerna. Sed nunquid ſemper erit neceſſaria? non vtique, ſed donec dies illuceſcat in futuro, & appareat claritas Dei & lucifer, id eſt, clarus intellectus noſter. Poſt hanc noctem, lucidiſſima illa æternitatis dies ſequitur, cuius tanta erit claritas & pulchritudo, quod reſpectu eius, vita hæc præſens nox appellatur. Depingitur aliqualiter huius fœliciſſimæ diei iucunditas, & pulchritudo per Iſaiam capite ſui vaticinij 60. vbi de vltimo tempore, ſecundùm Diui Hieronymi ſententiam agens, inquit: *Non occidet vltra ſol tuus, & luna tua non minuetur, quia Dominus erit in lucem ſempiternam, & complebuntur luctus tui.* O qualis erit diei illius lætitia, qualis claritas, qualis iucunditas. Senſus non capit, intellectus non comprehendit, mens humana rudem & imbecillem ſe ipſam agnoſcit, imparémque ad tam immenſum ſacramentum percipiendum. Si enim ſol hic materialis & viſibilis, cùm creatura ſit, ortu ſuo ſic mundum lætificat omniaque viuentia exhilarat: quid de illo increato & ſplendidiſſimo ſole ſentiendum eſt? Quomodo beatorum corda lætificabit, quando diuinitatis ſuæ radiis, totam illam ſupernam Hieruſalem illuminabit?

Iſai. 60.
D. Hier.

Huius diei mane ſiue aurora futura eſt reſurrectio, iuxta Diui Auguſtini & Gregorij interpretationem, quia ibi initium habet æternitas, quæ nullius temporis limitibus coarctatur. De hoc mane locutus fuerat Dauid Pſal. 5. dicens: *Mane aſtabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.* Contingit aliquoties, quod iudex depoſita pompa, & communi veſte ornatus, per medium ciuitatis in nocte incedat, relaxandi animi cauſa, & tunc licet aliqua non rectè facta videat, tacet tamen, & diſſimulat: quia non eſt tempus iudicandi aut puniendi. Appropinquant ei prędones & facinoroſi illúmque comitantur, quos tamen non redarguit, aut reprehendit, quia peregrina veſte indutus eſt, tamen tranſacta nocte auroráque appropinquante, incipit acclamare contra illos Regi & iuſtitiæ præbere auxilium, *fauor*

D. Aug. & Greg.
Mane dicitur reſurrectio.
Pſalm. 5.
Simile.

a la

a la iuſtitia. Tunc enim manifeſtè colligitur, quòd iudex ille, licet per noctem taceret, tamen non criminibus & facinoribus conſentiebat. Sic nimirum Deus licèt in nocte præſentis vitæ peccatores ferat, & non ſtatim de ſuis peccatis pœnas ſumat; tamen non eſt dicendum, quòd ipſe peccatis & flagitiis ſit conſentiens: quia tranſacta nocte, id eſt, in die iudicij, contra peccatores clamabit, & debitum de illis ſumet ſupplicium: & tunc omnibus manifeſtum erit, quod non ſit Deus (vt inquit Dauid) volens iniquitatem. Sed quando hoc erit? *Manè* inquit, *aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, quia tunc non habitabit iuxta te malignus*, quinimo tolletur impius, ne videat gloriam Dei, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos, ſed in æternum carcerem retrudentur. De hoc mane, vel de hac aurora locutus videtur eſſe Iob. *Iob.3.*
cap.3. cùm de impio agens ait: *Expectet lucem & non videat, neque ortum ſurgentis auroræ*, Vbi inquit Gloſſa ordinaria: *Ortus auroræ*, eſt noua natiuitas reſurrectionis, qua ſancti cum carne orientur, ad videndum lumen æternum. Et quantumcumque hîc fulgeant electi, non poſſunt penetrare, quæ erit illa gloria illius nouæ natiuitatis. Omnes enim dum in hoc ſumus exilio, & in mediis vitæ huius tenebris ambulamus, lucem expectamus. Sperat hanc lucem iuſtus, pariter & iniuſtus, innocens & peccator: verum ſolus iuſtus eam aſſequetur, impij autem illa priuabuntur, quia dilexerunt magis tenebras quàm lucem. Vnde nox nocti ſuccedet: & temporales iſtæ tenebræ æternarum tenebrarum erunt initium. Hac enim animaduerſione percutitur peccator, vt tenebras quas dilexit, æternaliter aſſequatur. *Via illorum*, inquit Pſalmiſta, *tenebræ & lubricum, & Angelus Domini coarctans eos.* Sed heu, qualis erit dolor, qualis deſperatio luce illa ineffabili priuari, ab illa fulgentiſſima luce, quæ à facie Dei proceſſura eſt, æternaliter ſecludi, abſque vlla ſpe conſequendi eam. Hæc enim ſola conſideratio, ſi mentibus noſtris non ſuperficie tenus, ſed radicitus inhæreret, ſufficeret ad mores noſtros componendos, ſenſualitatem frænandam, & inordinatos eius motus coercendos: eſſétque quaſi ſtimulus animæ noſtræ, ad Deo inſeruiendum: vt in illo manè hac frueremur luce, & digni tanta miſericordia inueniremur. Vnde Dauid dicebat: *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, altiſſime, ad annunciandum mane miſericordiam tuam.* Quaſi diceret: Bonum eſt per totum vitæ decurſum, Deo inceſſanter deſeruire, eius legem obſeruare, & laudes eius ſummo feruore deuotionis vſque ad cælos efferre: vt in illo

Glossa. *Pſal.34.* *Pſal.91.* *Mane, id eſt, maturè & tempeſtiuè & primaque tempore.*

fœliciſſimo mane miſericordiam promiſſam beatitudinis ab eo aſſequamur,& de aſſecutione eius gloriemur. De hac ergo miſericordia loquens,& de hoc vltimo manè, inquit: *Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam, quia in te ſperaui.* Conſentiunt cum explicatione hac, vt per mane reſurrectio futura intelligatur, D.Hilarius, Bruno Chartuſianorum Patriarcha,& Petrus Theologus ordinis minorum, cuius opera, licet typis adhuc non fuerint mandata, extant tamen manu ſcripta in Bibliotheca inſigni ſancti Ioannis Regum quæ Toleti habetur. Sed Petro & Brunone dimiſſis ad Hilarium reuertamur, qui locum hunc non ſolùm de reſurrectione generali explicat, ſed etiam de reſurrectione Chriſti, prout noſtræ reſurrectionis fuit exemplar, cuius verba ſic habent: Hoc manè reſurrectionis eſt tempus, in quo per miſericordiam Dei poteſtas mortis confracta eſt. Quod cùm ita ſit, rectè quidem Pſalmiſta reſurrectionem Domini miſericordiam appellat. Fuit enim ſummæ miſericordiæ opus, ſummæque fortitudinis, mortis vires per reſurrectionem ſuam confringere. Quod quidem multo ante, non ſine magno mentis iubilo, Propheta euangelicus Iſaias præcinuerat, dicens: *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui.* Quem locum D.Hieronymus in ſuis commentariis,& Euſebius Cæſarienſis libro quarto, cap. 12. & diuus Athanaſius de paſſione & cruce Domini, de victoria quam Chriſtus in ſua reſurrectione de morte reportauit, explanat. Sed auertendum, quod loco illius *præcipitabit mortem in ſempiternum.* Septuaginta habent: *Deuorabit mors præualens,*& rurſum, *abſtulit Deus omnem lachrymam ab omni facie.* Quaſi hæc omnia ſimul ſonent: Par pari rependitur, & ſicut mors hominem è ſumma fœlicitate & ſede, in baratrum & profundum miſeriarum deiecit: ſic Deus mortem ipſam moriendo in infernum præcipitabit:& ſicut mors primum hominem deglutiuit, ſic ipſe in cruce deglutiuit mortem. Cui expoſitioni fauet, quod verbum Hebræum, בלע *Balah* ex quo interpres tranſtulit, *præcipitabit*, abſorbere & deglutire ſignificat. Quare, inquit Theodoretus, hæc verba expendens; Mortui eramus, ſed bonitate ſua gubernans noſtra, Dominus mortis vires ſoluit. Ceſſare fecit lachrymas, mortuorum reſurrectionis ſpem dedit, abſtulit opprobria peccati. Hoc idem per Prophetam Oſeam comminatus fuerat, dicens; *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis. O mors, ero mors tua, morſus tuus inferne.* Conſolatio, inquit, abſcondita eſt ab oculis meis, id eſt, nulla mihi erit requies, quouſque

quod

D. Hila. *Bruno.* *Petr. 9. Theolog.*

Iſai. 25.

Oſea 3.

Digitized by Google

quod mente concepi, opere compleam. *No tendre dia bueno, haſta auello pueſto, por obra, y auer me vengado de la muerte.* O mors, ero mors tua, &c. *Muerte yo ſere tu muerte, infierno yo te ſacare las entrañas.* Locus hic duas patitur expoſitiones. Prima eſt B. Auguſtini ſermone 137. de tempore diui Gregorij duodecimo moralium capite octauo,& Beati Anſelmi, ſuper illud Pauli 1. Corinth. 15. *Vbi eſt mors victoria tua?* Qui ad hunc modum locum interpretantur. Quod occidimus, agimus, vt penitus non ſit, ex eo autem quod mordemus, partem abſtrahimus partémque relinquimus. Quia ergo in electis ſuis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis extitit: quia verò ex inferno partem abſtulit, partémque reliquit, non occidit funditus, ſed momordit infernum. Exemplo hoc manifeſtius fiet. Habet quis in manu pomum ex altera parte ſanum, ex altera verò putridum & corruptum, mordet ex ea parte qua ſanum eſt,& quod corruptum & inutile in ſterquilinium proijcit:ſic infernus corruptus erat pro maiori parte,& peccatoribus plenus, ſola illa pars quæ ad limbum patrum pertinebat, erat ſana,quam Chriſtus deſcenſu ſuo momordit,aliis damnatis tanquam putridis relictis.Secunda vulgo circunfertur,quæ eſt Ruperti, & traditur ab auctore quodam in commentariis ſuper Oſeam, vt morſus paſſiuè accipiatur, & ſit ſenſus: Ego mortem interficiam, penitúſque diſperdam moriendo, & ad infernum deſcendendo.Mordebor enim à te, ô inferne, deuorabíſque me vt hamum, ſed tua viſcera me ferre non poterunt cùm Deus ſim, & à peccato immunis. Hominem guloſum & voracem videbis, cuius fames tanta eſt, quod neque animalia terræ neque piſces maris, aut volatilia cœli ad eum ſatiandum ſufficiunt. Sedens ad menſam, ex omnibus cibis qui apponuntur indifferenter veſcitur, ſed inter eos, fortè vnum guſtauit, quem ſtomachus eius non ferebat, quare ad nauſeam prouocatus illum cum omnibus aliis euomuit. Quàm edax mors, quàm inſatiabilis eius fames, quæ tot ferculis non eſt contenta, tot Regibus, tot Principibus,Ducibus, &c. Nemini parcit, omnes deuorat, qui ex Adæ genere oriuntur, ſed & ipſum Deum hominem factum deuorauit: tamen cibum illum, cùm Deus eſſet, innocens, & abſque peccato venter eius non ferebat, quare ipſum cum patribus in limbo exiſtentibus euomuit. Serpens quidam eſſe dicitur, qui *ἐνυδρὶς*, *Enhydris* appellatur, cùm quo Crocodilus lethale bellum gerit: quem victum aliquando deuorat,ipſe tamen ſerpens diglutius intus exiſtens, Crocodili ventrem perforat,

B. Aug. *D. Greg.* *B. Anſel.* *Simila.* *Rupert.* *Ribera.* *Simila.* *Exempl. naturale.*

Digitized by Google

& occidit, foráſque egrediens, qui victus videbatur, incolumis & victor euadit. Non abſimilis eſt Chriſti victoria, quam de morte eſt conſecutus, neque abſurdũ erit illum ſerpenti comparare, cùm de ſe ipſo dixerit: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis.* Abſorbuit enim eum mors, quare victus ab inimicis credebatur: tamen reſurgens propria virtute, euiſcerauit mortem, & occidit, illuſtrémque triumphum de illa eſt conſequutus. Huc ſpectant illa verba

Pſal. 29. Dauidica nomine ipſius Chriſti dicta, Pſalm. 29. *Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conciđiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia.* Planctus Chriſti paſſionis, in gaudium reſurrectionis fuit conuerſus, quando gauiſi ſunt Diſcipuli viſo Domino, ſed & ſaccus eius conciſus fuit, & circunfuſus lætitia. Contingit in curia quod alicuius nobilis frater ſiue amicus malè occiditur, ille autem mortem amici aut fratris vindicare ſtatuens ſacco induitur, curiam derelinquit, nec caput tondit aut barbam, neque vngues abſcindit, ſed iurat ſaccum non exuere, aut curiam ingredi, donec ſanguinem amici ſui vindicauerit: quod ſi ſemel fecerit & occiſorem occiderit: ſcindit ſaccum, caput & barbam tondet, & luctus eius in lætitiam vertitur. Occiſus fuit Adamus parens noſter, & male occiſus, quia per traditionem occiſus eſt, quare Verbum diuinum ſacco noſtræ mortalitatis eſt indutum, & ſtatuit ſaccum ipſum non abſcindere, donec de effuſo hominis ſanguine vindictam ſumeret, quod cùm in cruce fieret, ſaccus diſciſſus eſt per mortem, & in reſurrectione lætitia circundatus. Solent enim diſcindi veſtes, vt aureæ & pretioſæ telę intus latentes appareant ſic ſciſſa fuit humanitas, & vndequaque vulnerata, vt diuinitas intus latens (ſicut & contigit) appareret. Euidens enim fuit diuinitatis argumentum, ſe ipſum occiſum ſuſcitare, quia ſolu Deus in hoc ſolus eſt. Quare credo Phœnici à Iobo comparari. Dicitur enim ſui vaticinij capit. 29. *In nidulo meo moriar & quaſi palma multiplicabo dies.* Quem locum de Chriſt reſurgente auctores non infimæ notæ interpretãtur. Vbi Sa ctes Pagninus, iuxta veritatem Hebraicam ſic vertit: *Et ſic Phœnix multiplicabo dies.* Vulgare ſatis & tritum eſt quod reſtauratione Phœnicis grauiſſimi referunt auctores, Hor Ouidius, & Plinius, quomodo expleto vitæ ſuæ ſæculo, ſtr cto in palmæ alicuius vertice, ex Caſia, Nardo, Cinam mo, & Mirrha nido, ſe ſuperimponit, finítque in odo bus æuum, & inde Phœnix alter renaſcitur, quare Tertull nus aſſerit futuræ reſurrectionis eſſe manifeſtum exemp

Q

Haimo. *Hieron.* *Caſſiod.* *& Aug.* *Simile.*

Simile.

Orus. *Ouidius.* *Plinius.* *Phœnix reſurrectionis ſymbolũ.* *Tertull.*

Quapropter Iob perſonam Chriſti agens, inquit: *In nidulo meo moriar*, ſcilicet, in cruce, quæ ex pretioſis & odoriferis lignis fuit confecta, & quaſi Phœnix multiplicabo dies, quia licèt mortuus eſt, tamen quidquid per mortem ceciderat, per reſurrectionem perfectè reparauit. Tempus hoc fœliciſſimæ reſurrectionis manè appellatur, quia ſol ille iuſtitiæ, qui prius fuerat ſub nubilo, repentè fulgentiſſimus apparuit: appellatur miſericordia, quia ſumma fuit Dei noſtri miſericordia, morti ſe ſubdere, vt mortem noſtram moriendo ſuperaret; quare inquit, Propheta: *Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam*, &c.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, &c. Rectè petit à Deo quod ſibi viam in qua ambulet oſtendat, quia ſolus ille, hoc opere præſtare poterit. Eſt quippè difficilis via quæ tendit in patriam, & tam arcta, quòd indigemus Dei ope, ad hoc quòd illam adinuenire poſſimus. *Arcta eſt via*, inquit ille, qui vera vita eſt & via, *quæ ducit ad vitam, & lata quæ ducit ad perditionem*, & hinc prouenit quòd pauciſſimi ſint qui ab ea non declinauerint. Declinauerunt quidem ab hac via primò Angeli in ſua conditione, quia cùm per humilitatem deberent aſcendere in cœlum, voluerunt tamen per viam ſuperbiæ aſcendere. De quibus agens Abacuc in ſuo Cant. inquit: *Contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.* Naturæ enim Angelicæ, quæ colles mundi dicuntur, & montes ſæculi, propterea quod natura ſua magis Deo appropinquant, cùm perfectiſſimę ſint, in itineribus æternitatis contritæ ſunt & defecerunt, quia dum per mentis elationem ad Deum cupierunt aſcendere, in æterna tartara ceciderunt. Declinauerunt etiam ab hac via primi noſtri parentes, qui ſimiles eſſe Deo, notitiamque & cognitionem boni & mali concupierunt, antiqui ſerpentis falſis promiſſionibus decepti. Quare dum æternitatis viam per ſimilitudinem Dei adinueniſſe crediderunt: in hoc mundi exilium fuerunt relegati. Hanc etiam viam ignorauerunt Philoſophi illi antiqui, qui tantum ſibi ſapientiæ arrogârunt, vt crederent viribus naturæ, ad ſummam fœlicitatem conſequendam poſſe peruenire. Hi omnes viam rectam, quæ ad æternam vitam ducit ignorauerunt, & longiſſimis de vitiis ac virtutibus ambagibus & diſcurſibus, nullatenus eam adinuenire potuerunt. Baruch enim cap. 3. cùm de via veræ diſciplinæ, quæ ad vitam capeſſendam ducit, mentionem faceret, in hæc prorupit verba. *Non eſt audita in Canaam, neque viſa eſt in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam*

Matth. 7.

Abac. 3.

Via cœli Angelis & hominibus naturaliter incognita.

Baruc. 3.

quæ de terra eſt, negotiatores terræ, & Theman, & fabula-res, & exquiſitores prudentiæ, & intelligentiæ: viam autem ſa-pientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas eius. Scien-tia enim & cognitio viæ huius, non eſt audita in Canaan, vbi ante filios Iſraël habitauerunt Idololatræ: neque in The-man, vbi Philoſophi, ex quibus Eliphat Themanites, vnus eo-rum qui cum Iob diſputauerunt, qui in ea fuit ſententia, vt fu-turam vitam omnino negaret, neque Agareni, qui prudentiam huius ſæculi profiteri ſolent, & ad negotiationem valdè ſol-liciti eſſe, eam adinuenire potuerunt. Significant igitur hæc ver-ba, quòd neque humana ſapientia Philoſophorum, neque fi-liorum huius ſæculi prudentia in rebus ſuis exequendis, neque omnium filiorum hominum cura & ſolicitudo, ad hoc fuit

Iob. 28. ſufficiens. Hoc idem patientiſſimus Iob ſub obſcuris ſupra modum verbis fatetur, ſui vaticinij capite octauo. *Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij inſtitorum, nec tranſiuit per eam leæna.* Quænam eſt hæc ſemita, quam auis & vultur ignorauerunt? niſi illa, de qua Da-

Pſal. 24. uid loquebatur, cùm dicebat: *Vias tuas Domine demonſtrā mihi & ſemitas tuas doce me?* Quæ ſemita, non via lata & regia ap-pellatur: quia parum trita eſt, cùm ſit arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Et quænam eſt hæc auis, qui vultur, aut quid per illos intelligitur? niſi antiqui illi Philoſo-phi, qui alis ſuæ eloquentiæ & philoſophiæ fidentes, vſque ad cœlum ſe pertingere credebant, & veram vitæ & veritatis

Philoſophi vulturibus comparantur. Simile.

viam adinueniſſe mentiabantur. Qui quidem rapacibus aui-bus & vulturibus non incongruè comparantur: quia etſi alte volant, tamen ad eſcam & animalium mortuorum carnes fe-ſtinant, & volatum ſuum demittunt. Sic illi, etſi altitudine di-ſputationis extollebantur in cœlum, tamen carnalium dele-ctationum deſiderio, vſque ad terram proſternebantur. Quod confirmat Septuaginta interpretum verſio, quæ ſic habet: *Non calcauerunt eam filij ſuperborum, non pertranſibit per eam leo.*

Septuag. Interpr. Paraphr. Chald.

Per *ſuperbos*, Philoſophos intelligit, per *leonem*, mundi prin-cipes & tyrannos. Paraphraſis autem Chaldaica, quæ ſæpius interpretatio textus eſſe ſolet, ſic habet: *Paradiſus voluptatis eſt locus eius, lapides ſunt ſaphiri, & pulueres aurei ſunt ei.* Semi-tam arboris vitæ nulla ſciuit auis, nec intuitus eſt eam ocu-lus vulturis. Non ambulauerunt in ea filij leonum, nec decli-

Paradiſi via incognita.

nauit ad eam leæna. Alluſio eſt ad creationem primi noſtri pa-rentis, quem Deus poſuit in paradiſo voluptatis, vbi omni de-liciarum genere homo frueretur, & vt illius loci amœnitas &

preti

pretioſitas intelligatur: inquit, quòd *lapides illius ſunt ſaphiri & puluis aureus*, quod metaphoricè intelligendum eſt, id eſt, erat locus omni dulcedine & ſuauitate repletus. In eo loco erat arbor vitæ æternæ plantata, cuius viam Deus cuſtodiuit ne homo ſumeret de ligno illo vitæ, & in æternum viueret, poſuitque ad cuſtodiendam viam ligni vitæ Cherubin gladium flammeum in manu habẽtem: viaque illa vniuerſo hominum generi incognita erat, & ideò dicitur, quòd ſemitam illius arboris nulla ſciuit auis. Sed quid per hæc typicè & vmbraticè ſubintelligendum nobis eſt? niſi viam quæ ad æternam vitam, ſummamque fœlicitatem noſtram conſequendam perducit, viam, inquam, quæ ducit nos ad Deum, qui arbor vitæ dicitur, in Apoc. *Arbor vitæ eſt, omnibus qui apprehendunt eum.* Et cap. 22. *Apoc. 22.* *Beati qui lauant ſtolas ſuas, vt ſit poteſtas in ligno vitæ.* Hanc igitur viam quæ ducit ad immortalitatem, nullus intellectus, quantumuis humanarum ſcientiarum peritus, abſque Dei ope & auxilio, adinuenire potuit. Viam hanc, licet in veteri teſtamento apparuit Deus populo ſuo Iſraëlitico, iuxta illud quod habetur Baruc. 3. *Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit* *Baruc. 3.* *illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo*, tamen pauciſſimi per eam *incedebant.* Ferè omnes per vitiorum & voluptatum ſemitas declinabant. Dicit enim Dauid: *De cælo reſpexit Dominus ſu-* *Pſal. 13.* *per filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Quid eſt, *omnes declinauerunt*? niſi omnes à via recta, quæ ad cœleſtem ducit patriam, per varia carnis ſuæ deſideria, & voluptatum præcipitia, deuiarunt, quaſi oues ſine paſtore errantes in huius ſæculi ſylua: ita vt Iſaiæ di- *Iſai. 53.* ctum verificaretur: *Omnes nos vt oues errauimus, & vnuſquiſque abijt in viam ſuam.* Alius per viam ſuperbiæ, alius per viam auaritiæ, quamplurimi per viam luxuriæ. Videns igitur Deus oues diſperſas, vagas, & errabundas, à recto tramite toto cœlo errantes, decreuit ipſe qui vera via eſt (per quem omnes ad Patrem deuenire debent) de cœlo deſcendere: vt nobis eã oſtenderet, & ad beatarum mentium caulas perduceret. Hoc namque multò ante Iſai. cecinerat, cap. 30. *Et erunt oculi tui viden-* *Iſai. 30.* *tes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt terga monentis: Hæc eſt via ambulate in ea, & non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ.* Erunt, inquit, oculi tui videntes præceptorem tuum, quia licèt Synagoga Deum præceptorem ha-

 beret:

Digitized by Google

beret: non tamen eum propriis oculis videbat: quia nondum carnem aſſumpſerat, in qua poſſet videri. Et licèt quidam dixerit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea:*

Gen. 32. quidã verò, *Morte moriemur, quia vidimus Dominum:* tamen non

Iudic. ipſum Deum viderunt: ſed Angelum Dei vices gerentem, vel ſi ipſum Deum, non tamen in propria ſpecie, ſed imaginariis ſimilitudinibus coopertum, vel in aliena ſpecie occultatum.

Pſal. 66. Vnde Dauid dicebat: *Deus benedicat nobis & miſereatur noſtri, illuminet vultum ſuum ſuper nos, &c. Vt cognoſcamus in terra viam tuam.* Tunc Deus noſtri miſertus eſt, & ſuper nos vultum ſuum illuminauit, cùm in natura quam ad vnitatem perſonæ aſſumpſit, dignatus eſt apparere, vt in terra viã cœli cognoſceremus. Audiuimus etiam verbum poſt tergum monentis, quãdo iam, non per Prophetas, vt olim: ſed per ſemetipſum locutus eſt nobis in filio. Nõ enim mediatè, ſed immediatè locutus eſt: quòd adimpletum cernimus, cùm aperiens os ſuum, qui ora Prophetarum aperire ſolebat, docebat turbas. Et quòd hæc aucto-

Lyran. ritas ad literam de Chriſto intelligenda ſit, probat Lyranus: quia vbi dicitur: *Et non faciet vltra auolare à te præceptorem tuum,* habet tranſlatio Chaldaica: Et non recedet vltra diuinitas eius: quòd non poteſt intelligi de Eſdra (vt Hebræi volunt) ſed de Chriſto. Sed quidnam eſt quod prædicabit celeberrimus hic

Iſai. 30. Concionator? Audi Prophetam ipſum ſic aientem: *Hæc eſt via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinetis.* Sed dices, ô Chriſtiane, quæ nam via eſt hæc, quam nobis vnigenitus Dei Filius oſtendit? Hæc fuit via legis Euangelicæ, per quam ad cœlum debemus pergere, & neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare. Eſt via pœnitentiæ doloris, & lachrymarum. Per hanc viam ipſe Dominus eſt ingreſſus, per hanc ſanctiſſima mater eius, per hanc Apoſtoli, & omnes eius Diſcipuli, & quotquot ſupremam illam fœlicitatem adepti

Act. 14. ſunt: quia, vt habetur, Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Super illa verba Iſai. 43. *Hæc dicit Domi-*

Iſai. 43. *nus, qui dedit in mari viam & in aquis torrentibus ſemitam.* Hugo

Hugo Card. Cardinalis inquit: In mari pœnitentiæ: poſuit Dominus viam cœli. Contingit aliquoties, quod pergere cupientes ad aliquod regnum, vel ciuitatem per terram, nõ ſine magno vitæ diſcri-

Simile. mine, inter illud conficere poſſunt: quia fortè in nemore ſunt latrones abſconditi inſidiantes, vel fortè leones, aut aliæ feræ quare iter ſuum per mare ordinant, & licèt fortunam & labores aliquot ferãt, tamen nauim ingreſſi ſumma temporis breuitate, ad optatum regnum perueniunt. Sic Deus videns quò

hon

homo in ſtatu innocentiæ poſitus, quaſi per terram firmam ad cœlum pergens, iter amiſerit, in manuſque latronum inciderit: qui eum donis gratuitis expoliauerunt, & vulneribus ceciderunt: nauem crucis & paſſionis ingreſſus, per mare pœnitentiæ & lachrymarũ, iter diſpoſuit, per quod ſecuriſſimè ad beatitudinis portum peruenit, licèt calamitates & labores ſit perpeſſus. Quam viam nobis oſtendit, dicens: *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: & *Iſaiæ 30.* ſtatim ſubdit, tanquam neceſſariam conditionem: *Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, &c.* Neceſſarium quippè eſt iter pœnitentiæ ingredienti, quòd cõtaminet & proiiciat omnia dæmonis idola, quæque adhuc venerabatur, omnes voluptates & vitia, quæ amplexabatur, & quibus quotidie thus offerebat. Proiice frater à te ſuperbiam, expelle auaritiam, excute à ſinu tuo vindictæ deſiderium, & omnia alia vitia quę adoras: quia idolis his onuſtus, non poteris per hanc viam incedere. Vnuſquiſque ergo diligenter conſideret per quam incedat viam, vtrum per viam laboris, an per viam luxus, per viam lachrymarum, vel deliciarum, per viam pœnitentię, vel voluptatis: & ſtatim intelliget, ad quem finem ſit peruenturus: *State ſuper vias veſtras*, inquit Hierem. cap. 6. *& interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* *Hiere. 6.* State, inquit, ſuper vias veſtras, figite parumper gradum, qui tanta feſtinatione per viam perditionis ad infernum pergitis, & conſiderate viam per quam inceditis, quàm aſpera, quàm difficilis, & laboribus plena: finem etiam intuemini, qui eſt infernus, & perpetuus ignis deuorãs, qui in æternum non extinguetur: *Et interrogate de ſemitis antiquis.* Septuaginta tranſtulerunt: *Interrogate ſemitas Domini æternas.* *70. Inter.* Quæ multæ appellãtur: quia licèt vnica ſit, tamen multa habet præcepta, quæ obſeruare debemus: ne ab hac deficiamus via: *Et videte*, inquit, *quæ ſit via bona & recta, quæ ducit ad patriam, & inuenietis requiem.* Pro quo Septuaginta habent. *Inuenietis purificationẽ animabus veſtris*, Nulla enim via eſt, quæ purificare poſſit animas poſt peccatum, niſi ſola pœnitentia hanc amplectamur, peccata noſtra deflendo, vt purificati ab omnibus vitiis gratiam conſequamur & gloriam.

CONCIO SEXTA.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine, deduces me in æquitate tua.

PETIERAT Dauid à Deo, in verſu immediate præcedenti, viam in qua ambularet, ſibi oſtendi: qua recto tramite, ad communem patriam Paradiſi, à qua omnes Adę filij, propter eius præuaricationem exulamus, remeare poſſet, dicens: *Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.* & quia via hæc periculis plena eſt, in qua validiſſimi ſunt inimici, ſaluti animæ noſtræ inſidiantes, quaſi aucupes: in præſenti verſu petit ab ipſis liberari, ne ab incepta via deſiſtens, iter ſuum impediatur. Quis eſt qui ignoret (vt hinc noſtræ declamationis ſumamus exordium) quot ſint in via cœli humanæ naturæ hoſtes? Quantáque eorum verſutia & calliditas, ad decipiendum? Quanta ad aggrediendum audacia: & ad vulnerandum & perdẽdum crudelitas? Non eſt paſſus Deus vt ſerpens in alia pulchriore ſpecie, parentibus noſtris appareret, quando eos tentauit in paradiſo, quàm ſerpentis: vt inde intelligerent, quantum ſit eius verſutia timenda. Quod notauit D. Bonauent. Seraphicus Eccleſiæ Doctor, in ſuo Breuiloquio part.3.cap.2. vbi de primorum parentum tentatione agit. Quod igitur, inquit, in tentando ſpeciem ſerpentinam aſſumpſit, hoc diſpenſationis diuinæ fuit, vt non ſolùm deprehendi eius verſutia poſſet, verùm etiam, vt ex illa effigie, verſutia diabolica, in tentando, cunctis filiis Adæ innoteſcere poſſet. Theodoretus ſuprà illa verba Pſal.140. *Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos: abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Super hæc, inquam, verba quædam dicit, quæ ad noſtrum propoſitum ſpectare poſſunt. Ipſum Saulem, inquit, ſuperbum nuncupat, laqueos, & funes, & ſcandala, diuerſas inſidias fraudes & dolos, per figuram ex tranſlatione à venatoribus Quod ſi hoc de Saule Dauidis inimico, qui ei mortem tempo-

Bonau.

Theodor. Pſa.140.

Dæmon hominem perſequitur.

talem

ralem machinabatur,intelligi poteſt,quanto magis de dæmone,humani generis acerrimo hoſte,qui tot nobis quotidie parat inſidias? tot laqueos tendit? tot technis vtitur? nullúmque non mouet lapidem, vt vita, non corporali, ſed ſpirituali & æterna, vnumquemque noſtrum priuet? Maximè cùm Saul figuram dæmonis,in Scriptura ſacra expreſſerit,cùm in eo nomen conueniat. Inquit námque Gloſſa moralis huius loci,per Saulem,qui abutens interpretatur,Diabolus,qui bonis naturalibus à Deo ſibi datis abutitur, ſignificatur. Hic ergo propter odium contra hominem conceptum, cùm imago Dei ſit, illi ſemper & inceſſanter parat inſidias, non deſinens ſubuertere vias eius, ne ad cœleſtem beatitudinem à qua ipſe per ſuperbiam cecidit perueniat. Vnde D.Gregor.ait: Niſi miſericors Deus, cum viribus tentamenta modificet,nullus profectò eſt, qui malignorum ſpirituum inſidias, non corruens portet. Hinc eſt,quod diuus Ioannes Euangeliſta,cùm in inſula Pathmos degens, Satanam de cœlo deſcendentem ad terras vidiſſet: intelligens quanta mala eius deſcenſus hominibus eſſet allaturus, non ſine magno animi dolore, exclamare cepit: *Væ terra & mari, væ terræ & mari.* Quid hoc eſt Propheta ſancte? Quid ſibi vult,hæc tam doloroſa exclamatio? Quidnam vidiſti? forſitan cœli de firmo ſuæ altitudinis faſtigio,ad terram præcipitantur? tota mundi machina diſſoluitur? aut quid eſt quod vidiſti? Nihil horum,inquit Euágeliſta ſanctus, ſed cauſſa meæ exclamationis, & doloris eſt:quia *deſcendit diabolus ad vos,habens iram magnam,ſciens quoniam modicum tempus habet,* Vidi (quaſi diceret) Satanam de cœlo vt fulgur cadentem: qui quidem propterea quod,de cœlo eiectus eſt,ſumma ira & rabie accenſus, deſcendit contra creatorem ſuum. De quo ſi poſſet,vindictã ſumeret, quòd cùm impoſſibile videat: totam ſuam rabiem & iram, in hominem conuertit qui vmbra quadam Dei eſt, & ad imaginem & ſimilitudinem eius creatus.Eſt appoſitiſſima ad hoc,B.Baſilij ſimilitudo. Quemadmodum taurus, in ſtatuam hominis excandeſcit, cornibuſque decerpit,propterà quod Hominis ſimilitudinem refert:ſic nimirum diabolus, tanquam cruenta beſtia, in hominem inuehitur,totiſque ſuis viribus perdere conatur,eo quòd ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit factus, quem ex animo odit. Vnde eſt,quod D.Petrus nos omnes hortatur, dicens: *Fratres ſobrij eſtote,& vigilate,quia aduerſarius veſter diabolus,tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Circuire in Scriptura, ferè ſemper in malam partem ſumitur. Significat enim curam & ſolicitu

Gloſſa moralis.

D.Greg.

Apoc.12.

D.Baſil. Simila.

D.Petr.5.

Digitized by Google

Iob 1. ſolicitudinem maximam ad nocendum. Iob.1. *Circuiui terr & perambulaui eam.* Ad quid iſte tuus circuitus? niſi ad deu randum, & deglutiendum aliquem, ſi fortè incuria & negl
Pſal.17. gentia torpentem reperis? Et Dauid in Pſalm. *Circundederu*
Pſal.21. *me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Et alibi: *Circunc derunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me:* Inquit erg
D.Pet.5. D.Petrus, *Fratres, ſobrij eſtote & vigiles*, ſumma vobis cura vigilantia neceſſaria eſt, quia cum vigilantiſſimo hoſte, r veſtra agitur: qui circuit ſummo nocendi deſiderio, quæren non ſolùm quem vulneret, ſed interficiat & deuoret. O bon Deus, ô amantiſſime Chriſte! & quis eſt qui hæc verba au diens non perhorreſcit? cuius ambæ etſi duriſſimæ aures, no tinniunt? Si aliquis vel miles, vel nauta in manus Maurorum
Simile. vel Turcarum inciderit, & Conſtantinopolim deducatur ca ptiuus, & ſi valde illi timendum ſit, ad tam crudeliſſimorum inimicorum Chriſtiani nominis manus peruenire, tame ſpem redemptionis habet. Vtique argento, vel auro poter redimi. Si verò in manus Caribum inciderit, qui tamen effe ratis moribus præditi eſſe dicuntur, quòd ſtatim homines vi uos deuorant, quæ ſpes ſupereſſe poteſt? O homo ad imag nem Dei creatus, vt æterna fruaris beatitudine, caue à tā atro ciſſimo hoſte, qui homines tanquam cruenta beſtia deuora caue, ne ei fidas, aut cum eo aliquando ineas amicitias, qui inimicus capitalis eſt humani generis, ſemper homini malum machinatur, ſemper illi parat inſidias: vt illum ſuis fraudibu irretire, & illaqueare poſſit. Tanta eſt huius cruentæ beſtiæ ra bies, tanta crudelitas & inhumanitas, qua in miſeros homine deſæuit, tanta eius cura & ſolicitudo in eorum perditione ex quirenda, quòd nullum ſit monſtrum in Scriptura ſacra, null fera peſſima, nullum animal nociuum aut violentum, cui no
Pſal.90. paſſint comparetur. Dauid Pſalm.90. leoni, draconi, & aſpid illam comparat dicens: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabi & conculcabis leonem & draconem*, quem locum expoſitore ſacri de Diabolo interpretantur. Appellatur aſpis propter eiu
Auguſt. obſtinationem. Aſpis vt innominatus tradit, aures obturat, n
Caſsiod. incantatoris voces audiat, aurem vnum terra, alteram ver
Haimo cauda tegit; ſic diabolus & obſtinatus eſt in ſua malitia, &
& Bruno. homines ſua aſtutia obſtinatos eſſe facit. Dicitur baſiliſcus ſe cundum Diuum Bernardum, quia Baſiliſcus venenum in ocu
D.Bern. lo gerit, quare ſolo aſpectu necare ſolet aues per medium cœ lum peruolantes, quod ad inuidiam Dæmonis refert inſigni hic Doctor. Inuidia enim eius, mors introiuit in orbem ter

tarum

Digitized by Google

ratum, vidit Hominem vſque ad cœlum diuinitatis per aſſumptionem naturæ humanæ euectum, & ſuæ fœlicitati inuidens oculo liuoris eum interfecit. Leo etiam dicitur, quia tanta eſt huius animalis ferocitas, quod ſolo rugitu, alia animaria nemoris contingat interficere. Talis eſt Dæmon, qui rugitibus ſuis animas interficere conatur: *Circuit enim, quærens quem deuoret tanquam leo rugiens,* vt inquit Beatus Petrus. Tandem draconi comparatur, quia draco, quando cum homine bellum gerit, ſtatim ad faucem eius prouoluitur, quem præmit & ſuffocat, nec gemere, aut reſpirare ſinit: ſic diabolus animam diuerſis vitiis & ſceleribus comprehendit, ne ad Deum poſſit clamare, aut peccata ſua confiteri. Et quia hæc animalia terrena ſunt, & ſolùm ſuper terram nocendi poteſtatem habent, non ſupra mare: vt intelligamus, nullum eſſe locum in quo ab hac cruentiſſima beſtia tuti eſſe poſſimus, etiam marinis monſtris comparari ſolet. Iſai. capite 27. appellat eam Leuiatham & cetum, dicens: *In die illa viſitabit Dominus ſuper Leuiatham ſerpentem antiquũ, & occidet cetum qui in mari eſt.* Quem locum Tertullianus libro 4. aduerſus Marcionem de principe huius mundi, humani generis ſæuiſſimo hoſte explicat. Tanta enim eſt ceti magnitudo (ſi diuo Ambroſio & quotidianæ experientiæ fides adhibenda eſt) vt quando per fluctus maris, non ſine magno impetu progreditur, quaſi parua inſula oculis intuentium appareat, tanta eius potentia & fortitudo, quod vnda ab ore eius procedẽs, etiam ipſas naues ſoleat ſubmergere. Quare Deus optimus maximus hominum incolumitati prouidens, in mari Athlantico beluam hanc recluſit, vt Mediterraneum mare liberè nauigari poſſet. Sicut ex illis verbis Iob, quæ habentur cap. 7. manifeſtè colligitur: *Nunquid mare ego ſum, aut cetus, quia circundediſti me carcere?* Incarcerauit Deus cetum in mari, nec liberè per illud ambulare permiſit, ne nauigantibus eſſe nocumento. Talis certè eſt dæmonis furia, quod niſi per diuinam potentiam reprimeretur, nullus inter filios Adæ potentia eius poſſet reſiſtere. Probè nouerat illius potentiam vas illud ſanctitatis & electionis ſacratiſſimus Paulus, qui ad Epheſios ſcribens, cap. 6. ait: *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, &c.* Sed quid ais ô glorioſiſſime Paule: *Induite armaturam Dei, quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem?* Quis enim ad luctam aut palæſtram induit

Diabolus Leuiathã & cetus dicitur.
Iſai. 27.
Tertul.
D. Amb.
Iob 7.
Epheſ. 6.
Dubium.

Digitized by Google

induit arma? Imò exuit veſtes. Nudi namque antiquitus l ctabantur, ne veſtibus apprehenſi ad terram deiicerent. Quomodo ergo Chriſtianus miles arma ad luctam indue iubetur? Sed quidem certamen hoc tam eſt periculoſum, quo vtrumque præſtare debemus, ſi victoriam de inimico repo

Solutio. tare deſideramus: deponendæ ſunt veſtes, & aſſumenda ſur arma, nudi & armati ad bellum procedere debemus. Eſt enin bellum & lucta: quia & labor vnius, & periculum alterius i hac ſpirituali pugna reperitur. Sed dices, quomodo armatu & nudus, cum hoſte hoc manum conſeram? Iam ipſummet Paulum audi in ea quam ad Coloſſenſes ſcripſit cap. 3. *Expo-*

Coloſſ. 3. *liantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, induite nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei.* Vis ô Chriſtiane ex hac pugna victor euadere? Exue vitia, & virtutes indue, depone veterem Adamum, & armis Chriſti te muni, relinque vitam priſtinam, & eam quæ ſecundùm Deum eſt apprehende, & ſic de inimico triumphabis, & victoriam abque dubio conſequeris. Nam tanta eſt hoſtis huius potentia, tam intollerabilis eius pugna, quòd niſi teipſo nudatus, & armis ſpiritualiqus indutus, eum ſuperare non poteris. Hoc intelligens regalis Propheta, qui iam in ſeipſo huius crudeliſſimi hoſtis vires fuerat expertus, de ſua diffidens virtute, auxilium ſolùm diuino fretus, petit ab ipſo, & ab omnibus eius ſatellitibus liberari, dicens: *Eripe me de inimicis meis Domine.*

Sed valdè notanda eſt particula ſubſequens: *Ad te confugi,* Ad te, inquam, qui omnipotens es, qui ſolus tam potentiſſimum hoſtem debellare potes & vincere. Quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ poſſit ei comparari. Vnde Iob cap. 41.

Iob 41. de fortitudine eius agens, inquit: *Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ, quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam.* Quibus verbis

Lyran. (vt inquit Lyranus) nil aliud ſignificatur, niſi quod Dæmon virtute humana inſuperabilis eſt, & quod ſola virtus diuina, illum ſuperare poteſt. Ad hoc enim fuit aduentus Filij Dei in carne: vt cum dæmone congrederetur, illumque vinceret, vt non niſi volentem poſſet ſuperare, & ad ſuum ſeruitium compellere. Quod ſignificatum fuit in illa viſione, quam vidit Ioannes Apocalyp. capite 20. *Vidit enim Angelum de cælo*

Apoc. 20. *deſcendentem, habentem clauem Abyſſi, & catenam magnam in manu ſua: qui apprehendit draconem ſerpentem antiquum qui eſt diabolus, & ligauit eum per mille annos.* Quam viſionem ex-

Hugo. plicans Hugo, dicit: hoc nil aliud ſignificare, niſi quod Dæ-

monis

Digitized by Google

monis poteſtas ligata eſt per Chriſtum, quouſque electorum numerus impleatur. Quòd ſi Chriſtus ſeruator noſter ligatum habet Dæmonem, & catenam eius in manu ſua: quod nil aliud eſt: quàm circa illum omnimodam exercere poteſtatem, cùm ab eo infeſtati fuerimus: ad quem alium melius quàm ad ipſum recurrere poterimus? Sic nimirum faciebat ille qui Pſal. 140. fatetur dicens, *Exaudi vocem depracationis meæ, Domine, virtus ſalutis meæ obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* Vbi inquit Theodoretus: in te ſalutis ſpem habeo, tu enim ſolus ſalutem afferre potes. Humana quippe vita nihil aliud eſt, quàm militia ſuper terram, quæ per totum diem, quo vita ipſa durat, continuatur. *Vbi non eſt nobis colluctatio* (vt verbis Paulinis vtar) *aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates tenebrarum.* In hoc ergo die belli, ad Chriſtum Deum noſtrum aufugere debemus: quia ipſe obumbrat caput noſtrum diuina ſua protectione & gratia. D. Hieronymus ſic habet: *Protexiſti caput meum in die belli.* De Alexandro Magno legitur, quòd cùm in quodam bello, in maximo verſaretur periculo, eo quòd caput haberet inerme, cùm videret Clitus dux eius, militem gladium ſuper ipſum vibrantem, vt illum occideret, ſcuto ſuo illum protexit, & ſic mortem euaſit, Sic, inquit Dauid, tu Domine protexiſti caput meum in die belli, ne inimicorum meorum gladij me interficere poſſent. Cùm ergo diaboli gladium contra nos diſtrictum viderimus, cùm in arenam nobiſcum tentationibus ſuis deſcendere ſenſerimus, ad Deum ſaluatorem noſtrum confugiamus: qui libenter nos recipiet, ſcuto ſuo proteget, caput noſtrum, obumbrabit, & de manibus eius eripiet. D. Bernardus verba illa Pſal. 117. expendens, *Impulſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me, fortitudo mea & laus mea Dominus*, ſic ait: Quæris quis ſit ille impulſor? non eſt vnus. Impulſor diabolus, impulſor mundus, impulſor Homo. Quis ille homo ſit quæris? quiſque ſui. Et idem. Heu me domine Deus, quia vndique mihi bella, vndique tela volant, vndique pericula, vndique impedimenta, quocumque vertam me, nulla vſquam ſecuritas eſt. Solus Deus eſt, qui inter pericula incolumitatem, inter tot aduerſa ſecuritatem, inter tot animæ hoſtes auxilium & ſalutem, præſtare poteſt: quare ad eum confugiendum nobis eſt. Præcipiebat Deus in Deuter. quòd ſi quis mulierem, in cāpo violaret, vel ei vim intuliſſet, ipſe ſolus lapidaretur, etiam ſi ipſa taceret, at ſi huiuſmodi vis fieret in ciuitate vel in oppido, & ipſa non clamaret, vterque hac pœna plecteretur. Et

Chriſtus dæmonem ligauit.

Pſal. 140.

Theodor.

Ephes. 6.

D. Hier.

Alexan. exēplum.

D. Bern. ſuper Pſal. 117.

Deut. cap. 20.

Digitized by Google

ratio huius legis, in promptu eſt: quia præſumitur, quòd campo vel eremo, etiamſi clamaret nihil proficeret: quia n mo eſſet qui illam poſſet defendere,ſecus autem in vrbe:qu re ſi tacebat conſentire videbatur. O anima Dei ſponſa, & illius ſimilitudinem creata, cùm diabolus per tentationem inuaſerit, vimque tibi inferre ſtuduerit, ne taceas, ne vide ris ei conſentire,& ſceleris arguaris: ſed ſtatim ad Deum a xiliatorem tuum te confer,ſuppliciter ab eo opem implorar cum Dauide exclamans & dicens: *Eripe me de inimicis meis D mine,ad te confugi.*

Deus tutiſs.noſtrũ in aduerſis aſylum & refugium.

Ad te confugi. Adhuc verba hæc perpendamus. Petit à De vt ab inimicis ſuis eum defendat & protegat & rationem ſu deus, inquit, *quia ad te confugi.*Solet Deus omnes ad ſuum p trocinium confugientes, & in ſua tutela ſperantes, benignè amabiliter recipere, & ab omnibus periculis liberare. Pſal 90. inquit per Dauidem: *Quoniam in me ſperauit libera eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Ratione attende: *Quoniam in me ſperauit*, inquit. Non enim dixit berabo eum, quia dignus fuit, quia rectus, & virtute pr ſtans: quia innocens manibus & mundo corde, propterea berabo eum. Sic enim hæc dixiſſet, quis non deſperaret? Q non diffideret? Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? N hoc dixit, ſed quoniam in me ſperauit. Dulcis vox, quæ m ritum exauditionis in ſpe ſuæ protectionis conſtituit. De enim confugientes ad ſe non deſerit. Diuus Hieronymus ve tit: *Quoniam mihi adhæſit. Porque ſe arrimo a mi,que quien a b arbor ſe arrima*, &c. Si enim homines ſibi adhærentes, defè dere & protegere ſolent in ſuis perſecutionibus & aduerſitat bus: quantò magis Deus, qui ſuper omnes homines ad m ſerendum eſt pronior, & ad protegendum paratus: Gene 19. cùm Loth tres illos Angelos hoſpitio recepiſſet: viri S domitæ, qui peſſimi erant, & contra naturæ iura maſcul rum concubitum appetebant, vallauerunt domum eius, pulcherrimos illos iuuenes impudentiſſimè petebant, vt uterentur eis. Quibus Loth reſpondit: *Nolite quæſo frat mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum gnouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis ſicut bis placuerit; dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingr ſi ſunt ſub vmbra culminis mei.* Rationem aduertite, quia greſſi ſunt ſub vmbra culminis mei, id eſt, quia mihi cred derunt ſemetipſos, & ſub fidelitate verbi mei domum me ſunt ingreſſi. Quod ſi aliquid mali paterentur, & non por

Gen.19.

c

Digitized by Google

eos protegentem, mihi culpa reiicienda eſſet. Quare accipite potius filias meas, quæ pulcherrimæ ſunt virgines, & ad placitum voluntatem veſtram explete, tantummodo hoſpitibus meis ne noceatis. Hîc quæritur ab expoſitoribus. An Loth filias ſuas ſic exponens, & periculo offerens inhoneſtæ libidini, peccauerit. Quam quæſtionem Nicolaus Lyranus, & Abulenſis exactiſſimè tractant. Et reſpondent, quòd peccauit quidem, quia non ſunt facienda mala vt inde proueniant bona, tamen excuſatur, quia ex perturbatione animi fecit, & zelo hoſpites ſuos defendendi, & ne aliquis eis eſſet iniurius. Tanta enim antiqui ſuorum hoſpitum, & eorum qui ſub ſua protectione degebant, faciebant honeſtatem, iuxta illud apud Poëtas vulgatum:

An peccauerit Loth filias ſuas offerens Sodomitis. Lyranus. Abulenſ.

Iupiter hoſpitibus, nam te dare iura loquuntur.

Quod ſi apud homines laudabilis hæc aliquando viguit conſuetudo, vt eos protegerent & defenderent, qui ad ſuum confugiſſent auxilium: quanto magis de ſummo illo hominum protectore, & defenſore credendum eſt? Ipſe enim vt genus humanum, omni auxilio deſtitutum protegeret ac tueretur, naturam quam aſſumpſerat, etſi ſummè dilectam & in vnitatem ſuppoſiti ſibi copulatam, laboribus opprobriis, & crudeliſſimæ morti expoſuit, non dubitauit mortem temporalem ſubire, vt nos ab æterna morte liberaret. Iſaiæ capite 43. rectè hoc ſignificatur: Nam vbi lectio noſtra habet. *Seruire me fecisti in peccatis tuis:* Septuaginta reddidere: *In peccatis tuis defendi te:* Et adnotauit quidam Iſaiæ commentator, quòd verti poſſet ſignificantius: In peccatis tuis ſcutum oppoſui pro te. Corpus, ſcilicet, ſuum ſanctiſſimum, quod in paſſione ſua, tanquam firmiſſimum ſcutum poſuit, pœnis peccatis noſtris debitis ſufferendis, in quo omnia diuinæ iuſtitiæ tela recepta ſunt: eo ſolùm quòd protector noſter ſit, quòd auxiliator noſter, quod ſolus ipſe humanum genus tot calamitatibus & miſeriis affectũ, tueri poterat & defendere. Cùm ergo in aliquo verſamur periculo, cùm mala præmunt, cùm calamitates inſtant, ad eum confugiamus, verba illa Pſalmiſtæ vſurpantes: *Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam*, &c.

Iſa. 43. Septuag.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Non ſemel, aut bis, ſed multoties petit Dauid à Deo in ſuis Pſalmis, quòd doceat eum facere voluntatem ſuam mandataque eius obſeruare. Dicit enim in Pſal. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illã in toto corde meo.* Et iterum: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruũ tuum, & doce me iuſtificationes tuas.*

Deus iuſtorũ doctor eſt. Pſal. 118.

Vt ex hoc diſcas obſeruationem legis donum Dei eſſe. Non
Epheſ.2. enim poteſt homo propriis viribus,abſque Dei auxilio & gra-
B. Aug. tia, præcepta omnia obſeruare,quod exactiſſimè tractat B. Pa-
Pſal.118. ter Auguſt. ſuper illud Pſal. 118. *Vtinam dirigantur viæ meæ, ad*
Viribus *cuſtodiendas iuſtificationes tuas*; ſic inquiens: Præcepiſti quidem
naturæ, tu,ſed vtinam quod præcepiſti fiat mihi. Vbi audis,vtinam,vo-
quis legẽ cem optantis agnoſce, & agnita voce optantis, depone ſuper-
adimple- biam præſumentis. Quis enim ſe dicat optare, quod ſic habet
re non po- in arbitrij poteſtate,vt nullo indigẽs adiumento, id poſſit effi-
teſt. cere? Ergo ſi optat homo quod præcipit Deus,vt det ipſe quod
præcepit,rogandus eſt Deus. A quo enim optandum eſt, niſi
ab illo patre luminum,à quo omne datum optimum,& omne
Iacob.1. donum perfectum deſcendit. Iacob.1. Non eſt animus modo
Richard. diſputare,vtrum ad obſeruãda diuina præcepta,gratia gratum
D. Bona. faciens requiratur, vel ſufficiens ſit gratis data,ſiue auxilium
Contra Dei ſpeciale, vt habet Richardus & D. Bonauent. in 2. diſt. 28.
Pelagiũ. quæſt. 3. artic. 1. de quo ipſi videri poterunt, ſed ſolum docere
D. Aug. contra Pelagium, quod ſine auxilio & gratia aliquali Dei,
conc. Mi- nullo modo poſt lapſum, cùm natura noſtra vulnerata & læſa
leuit. A- manſerit,id opere præſtare poterit: ſicut habet D. Aug. lib. de
rauſica- perfect. & iuſtit. ratiocinatione 12. & in Concilio Mileuitano
num. cap. 5. & Arauſica. 2. canone 12. & Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. & 13.
Trident. decretum eſt.

Quia Deus meus es tu. Oſtendunt hæc verba ſupremum Dei noſtri dominium, ſecundùm quod omnes ei obedire tenemur, eiúſque voluntatem adimplere. Si enim ſeruus aut mancipium, tenetur voluntatem domini ſui facere,& in omnibus ad nutum ei obedire, quantò magis nos qui ad imaginem Dei creati ſumus, eiúſque ſanguine redempti, tene-
Pſal. 122. bimur in omnibus eius voluntatem adimplere? *Ecce ſicut oculi ſeruorum, in manibus dominorum ſuorum: & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*, inquit Dauid: Seruorum enim oculi, & ancillarum qui dominis & dominabus ſuis placere cupiunt, ab ore eorum pendent, vt ad nutum ſtatim eis obediant. Sic quippe oculi noſtri ab ore Dei dependere debent, vt in omnibus, abſque vllo murmure & contradictione, obedientes illi ſimus. Nautæ per medium fluctuum maris nauigantes, quod
Simile. inconſtans eſt, & in perpetuo motu, ne à recta via deficiant, ſed ad optatum portum perueniant, ſemper oculos defixos in Arcturo habent: ſtella namque illa, conſtans eſt & firma in cœlo, & ſemper eodem modo ſe habens, quare

nauigan

nauigantes nullatenus fallere poteſt. Sic nos, qui per mundi huius mare nauigamus periculis & procellis plenum, ad voluntatem diuinam aſpicere debemus, quæ ſumma regula eſt, nec vllo modo poteſt falli, aut fallere, vt ad optatum beatitudinis portum perueniamus. Sic quippe faciebat ille qui dicebat: Dum ignoramus quid agere debeamus, ad te ſunt oculi noſtri ne pereamus. Adeò verum eſt quòd voluntas diuina in omnibus præferri debet, & eſſe nobis quaſi prima regula noſtrarum operationum, quòd etiam ſi illud quòd nobis à Deo præcipitur præter rationem videatur, debemus illud implere. De hoc Chryſoſtom. concione prima, aduerſus Iudæos, quæ habetur tomo 5. vbi ſic habet: Etenim quod fit iuxta Dei voluntatem, quamuis videatur improbum eſſe, tamen omnino gratum eſt, & acceptum Deo. Contrà quod fit præter Dei voluntatem, ac ſecus quàm ille vult fieri, quanquam exiſtimatur acceptum Deo, tamen eſt omnium peſſimum & iniquiſſimum, & adducit ad hoc comprobandum appoſitiſſimum exemplum ex 3. Reg. 20. deſumptum. Achab, inquit, cum aliquando Regem quendam Syrorum cœpiſſet, contra Dei voluntatem, dedit illi vitam, & libertatem, ac denique multa cum honorificentia dimiſit. Mox Propheta quiſpiam accedens, dixit ad ſibi proximum: *In nomine Domini percute me*, ille verò noluit percutere. Dixit igitur ad illum: *Eo quòd non audiſti vocem Domini: ecce tu diſcedes à me, & percutiet te leo.* Diſceſſit ab illo, reperit eum leo, & percuſſit. Mox Propheta reperit alium hominem, cui dixit: *Percute iam me*, & percuſſit eum homo ille, vulnerauítque eum, ac Propheta ſibi obligauit faciem. Quid hoc abſurdius fieri poſſet? qui percuſſit Prophetam, euaſit incolumis, qui pepercit dedit pœnas? Nimirum, vt intelligas, in iuſſis diuinis, non oportere curioſum eſſe, examinaréque earum rerum quæ præcipiuntur naturam, ſed ſimpliciter obedire. Abiit ergo Propheta percuſſus, caput obiunxit loro, & oculos obtexit, & in ſpecie apparuit coram Rege, vt eum redargueret, & propoſita ſibi parabola minatus eſt ei, dicens: *Eo quòd dimiſiſti virum exitio dignum, è manu tua, erit anima tua pro anima illius, & tuus populus pro populo illius.* Ex quibus colligit glorioſus hic doctor intentum ſuum, quod vtinam & noſtrum ſemper eſſet, videlicet, quòd voluntas diuina noſtræ voluntati (etiam ſi præter rationem appareat prima facie id quod præcipitur) anteponenda eſt. Cùm præcipitur nobis inimicum diligere, benefacere his qui oderunt nos, minas dimittere, iniuriam acceptam non vindicare,

Voluntas Dei prima & certiſſ. eſt regula noſtrarum actionum.

Chryſoſt.

3. Reg. 20.

Obediẽtia neceſſaria.

& alia huiuſmodi, quæ carni contraria videntur, noſtræque voluntati pugnantia, adimplenda quippè ſunt, quia diuinæ
Pſal. 118. voluntati conſonat. *Tu mandaſti*, inquit Propheta, *mandata*
D. Aug. *tua cuſtodiri nimis.* Super quibus verbis inquit beatus Auguſtinus, Et quid eſt, tu præcepiſti mandata tua cuſtodiri nimis? Vtrum nimis præcepiſti, an nimis cuſtodiri? Quodlibet horum intelligamus, contra illam memorabilem nobilemque ſententiam, quam Græci laudant in ſapientibus ſuis, & Latini laudando conſentiunt μηδὲν ἄγαν, *Nequid nimis.* Sed reſpondet; quòd nimis illud dicitur, quod fuerit pluſquam oportet, ſed hoc in diuinis præceptis contingere non poteſt: quia omni cura poſſibili & ſolicitudine ſunt obſeruanda, in nullo quantumuis minimo, ab obedientia eius recedendo. Hinc eſt, quòd
D. Bona. (vt diuus Bonauentura adnotauit) ſponſa quæ ſe totam ſponſi
Nota. ſui obedientiæ mancipauerat, equitatui Pharaonis in Cantic.
Cant. 1. comparatur. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* Fecerat ſibi Salomon currum, quem equi Ægyptij vehebant frænis obedientiſſimi. Mirabile quidem eſt, quod cùm equus ſit animal alias ferox, modico fræno (vt inquit Diuus Iacobus) ſit tam obediens, vt ad libitum ſeſſoris huc illucque moueatur. Quare inſigne eſt obedientiæ. Talis debet eſſe anima Dei ſponſa equitatui in curribus Pharaonis ſimilis, in omnibus obediens, in nullo repugnans, voluntati ſponſi ſui obtemperans, ad quæcumque aſpera, quæcumque dura & difficilia propter amorem illius æquo animo perferenda: natura ipſa id exigente, quod ei ſubmittat voluntatem, à quo ipſam voluntatem, eſſe, & viuere, & quicquid boni habet, accipit. Quod ſi fecerimus, pſaltem noſtrum imitabimur, qui adeo diuinæ voluntati mancipatus erat, quòd quotidie oraret & diceret: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Si non me docueris, faciam voluntatem meam, & deſeret me Deus meus, doce me, non enim tu es Deus meus, & ego ero magiſter meus.

Obſeruatio legis diuinæ practica eſt, non ſolum Theorica. Obſerua tamen, quòd non contentus eſt dicere, *doce me voluntatem tuam*, ſed *facere voluntatem tuam.* Multi enim ſunt, qui ſciunt voluntatem Dei, ſed pauciſſimi qui eam faciunt: multi qui notitiam & cognitionem legis habent, ſed pauci qui eam obſeruant & opere complent. Sed (vt inquit Diuus Paulus ad Roman. 2. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Non enim lex ideo
Rom. 2. data eſt vt noſtras aures demulceat, ſed vt ad bonorum actio-
Deut. 11. nem deducat. In Deuteron. cap. 11. hæc habentur verba, vbi de diui

de diuinis præceptis agitur: *Ponite hac verba in cordibus veſtris & in animabus veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter veſtros oculos collocate.* Quare non in auribus dixit? quia in hoc nulla eſt difficultas: omnes enim libenter legem Dei audiunt, ſed digito numerari poſſunt, qui eam habent in corde per affectum, in oculis, vt in illa die ac nocte meditentur, & in manibus per operationem. Similes mihi videntur eſſe Chriſtiani iudicibus aut præfectis, quibus cum aliquæ regales literæ notificantur, capitibus imponunt ſupplicitérque oſculantur in obedientiæ ſignum, & ſe obedire eis profitentur: tamen pro executione ſupplicant. Sic nimirum nobis contingit, cùm legem & voluntatem Dei audimus, cùm verbum eius nobis prædicatur libenter audimus, & ſigna obedientiæ oſtendimus, ſed pro opere & executione ſupplicamus. Hoc enim non eſt voluntatem Dei facere, ſed potius mandata eius contemnere. Tales potius irriſores quàm factores appellari poſſunt, vnde & maiori ſupplicio erunt afficiẽdi. Extat apud D. Matth. c. 21. parabola, quæ id manifeſtè oſtẽdit. *Homo quidam*, inquit Saluator, *habuit duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili vade hodie operari in vinea mea. Ille autem reſpondens ait:* Nolo. *Poſtea autem pœnitentia motus abijt. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: Eo domine, & non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei primus.* Etſi parabola hæc fratres, ſecundum D. Chriſoſt. explicationem, ad carpendos Iudæos ſecundum literam ſit poſita, qui voluntatem Dei ſeruaturos paſſim promittebant: tamen heu me miſerum (non enim ſine magna lachrymarum profuſione proferre queo) quia video nos in eadem damnatione qua illi comprehenſos, & eadem ſagitta iugulatos. Verba enim diuinæ legis, placidis auribus audimus, & ea totis viribus obſeruare quotidie promittimus, ſed promiſſis nunquam ſtamus, & ea adimplere, non ſine magna animarum noſtrarum iactura, negligimus. Quod ſi omnes animaduerſione digni ſunt, & æternis ſupplicijs: quanto magis hi, qui arctiori vinculo, propter filiorum gloriam & dignitatis excellentiã ſunt aſtricti? Illi inquam, quibus tanquam filiis dilectis, in domo patris exiſtentibus, de illius gaudentes præſentia, magis magíſque illius voluntas manifeſtata eſt. Alloquor enim ſacerdotes & religioſos, qui in domo Dei degimus, & coram illo ſemper aſtamus: vt ex eius ore verba legis ſuſcipiamus, vt aliis prædicemus. Qui confitemur

Simile.

Matt. 21.

Chriſoſt.

Sacerdotes & religioſi ſunt lux mũdi & inſtar Chriſti debẽt facere & docere.

Digitized by Google

noſſe Deum illiuſque voluntatis notitiam habere: videamus ne illum factis noſtris negemus, quia nihil erit quod maius vulnus diuino cordi infligere, & eius iram irritare poſſit, quàm domeſticos & filios intueri iugum legis irrumpentes, voluntatémque eius poſt habentes. In libro Iob, cap. 19. ſic dicitur: *Dereliquerunt me propinqui mei ſeruum meum vocaui, & non reſpondit mihi, ore proprio deprecatus ſum illum, halitum meum exhorruit vxor mea.* Licet quamplurima eſſent de quibus dolere poſſet: tamen hoc vnum inter omnia maximum ei dolorem excitabat, ſcilicet, quod domeſtici, & filij eius, & illi qui neceſſitudine coniuncti erant, illum contemnerent: nec ad clamorem eius reſponderent. Cùm videbat patientiſſimus Iob, ex illo fœtido loco in quo iacebat, aliquem propinquum, aut domeſticum, qui eius comederat panem tranſeuntem: lachrymabili voce eum compellabat, vt in extrema illa neceſſitate opem ferret, qui tamen eum contemnebat & aſpernebatur, neque ad eum appropinquare audebat. ex quo dolor eius & anguſtia magis augebatur. Quod ſi vir hic ſanctus tanto afficiebatur dolore, ex domeſticorum ſuorum cõtemptu, quid de Redemptore noſtro Chriſto dicendum erit? Cùm videat domeſticos eius & filios, Sacerdotes, inquam, & Religioſos viros, qui ad clamorem eius prius reſpondere tenentur, qui obedientiam promptiſſimam profeſſi ſunt, qui arctiori viculo verbis eius optemperare debent, illum contemnere, & ad voces eius aures obturare, halitumque oris eius, per quem diuina præcepta intelligere, non abs re erit, exhorrere? Eia igitur dilectiſſimi, ſi de nomine ſeruorum Dei non fruſtrà iactamini, ſi ab illa dilectione & reuerentia, quam filium & domeſticum Dei habere decet, non eſtis alieni, ſi aliquam ab eo mercedem recipere deſideratis, voluntati eius cedite & præcepta illius obſeruate. Quia (vt inquit Pſalmiſta) *Iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius: & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.* Hic per iuſtitiam cum Doctore Incognito præmium æternum intellige, quia debitum: & ſi non ex iuſtitia, tamen ex promiſſis & condigno. Hoc igitur præmium confertur his qui ſeruant teſtamentum eius, & memores ſunt mandatorum ad faciendum ea. Sed mouet hic Auguſtin. quoddam dubium, cùm multi iuſti non habeant filios, ac per conſequens, nec filios filiorum, quomodo dicitur, quòd iuſtitia Dei in filios filiorum? &c. Reſpondet, quod filij iuſtorum ſunt opera eorum, ſed filij filiorum ſunt merces operum, quia opera ipſam mercedem pariunt. Vnde ſine obſeruatione

[Margin notes: *Iob 19.* — *Pſal. 102.* — *Doctor Incogn.* — *Dubium Auguſt.* — *Solutio.* — *Nota.* — *Bona opera.*]

Digitized by Google

tione legis, aut ſine miſericordiæ operibus beatitudinē velle, eſt filios ſine parentibus deſiderare. Non ineptum erit, neque abſonum ab hoc propoſito in medium adducere, illud, quod Plutarchus de Laconibus agens refert. Inquit enim, quòd Lacones commune hoc prouerbium ſemper in ore habuerunt, *admota manu fortunam eſſe inuocandam.* Quo innuere voluerunt, fruſtra inuocari Deos niſi addens induſtriam, manum rotæ admoueris etiam. Quid prodeſt Deum inuocare, & eius poſtulare aures ad preces noſtras attentas, niſi pœnitentiæ & bonis operibus admoueamus manus. In Pſalmo 127. vbi noſtra lectio vulgaris habet: *Labores manuum tuarũ, quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* D. Hieron. vertit: *Labores manuum tuarum cùm comederis, beatus tu, & bene tibi erit.* Quod ita intelligitur, cùm eò perueneris, vt pro operibus detur tibi congrua merces, qua ſaturaberis beatus eris, & tunc bene tibi erit, licet in malis verſari videaris. Sed Paraphraſis Chaldaica clarius illud explicat, ſic habens: *Laborem manuum tuarum quia comediſti, beatus tu in mundo iſto, & beatus tu in mundo venturo.* Qui enim hîc in bonis operibus exercetur, in ſpe beatus eſſe exiſtimatur, quia in futura vita erit beatus in poſſeſſione, & tunc bene illi erit, quoniam fructum ad inuentionum ſuarum comedet, & de his quæ ſeminauit in hyeme ſaturabitur in æſtate.

Plutarc. *Pſal.* 127. D. *Hier.*

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, &c. Dicit Caſſiodorus, & poſt eum Lyra: quòd hæc eſt quarta pars huius pſalmi in qua ſe à Deo exauditum fuiſſe pronunciat. Poſtulauerat enim duo: vt in via patriæ inſtrueretur, & quòd liberaretur ab inimicis, & vtrumque adeptum eſſe declarat. Primum dicens: *Spiritus tuus bonus deducet me, &c.* Secundum: *Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes.* Quantum ad primum, Spiritum ſanctum bonum ſpiritum appellat, ad differentiã maligni ſpiritus, de quo dicitur. 1. Reg. 16. quod *ſpiritus Domini malus irruebat in Saul.* Hic enim ſpiritus non ducit nos in terram rectam, ſed in terram peruerſam, terram tenebroſam & opertam mortis caligine, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. A quo ſpiritu fortaſſis ductus fuit, vt inquit Gregor. ille, qui abiit in terrã longinquam, in qua ſubſtantiam ſuam diſſipauit viuendo luxurioſè. Sed ſpiritus Domini bonus, *ducit nos in terram rectam,* in ſupremam illam patriam & æternam fœlicitatem, quam filij Dei adoptiui adepturi ſunt. De quibus loquitur D. Paul. dicens; *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Quod ſi filij & hæredes. Hæres

Caſſiod. *Lyra.* 1. *Reg.* 16. *D. Greg.* *Rom.* 8.

Digitized by Google

autem vbi ducendus eſt, niſi ad paternam hereditatem perfruendam? Filiis Iſraël de Ægypto, egredientibus, & ad terram ſibi promiſſam proficiſcentibus, columna ignis conceſſa eſt, cuius lumine & ſplendore illuminati, mediæ noctis denſiſſimas tenebras superârunt. Quid per flammam illam ſplendentem, populum claritate radiorum ſuorum illuminantem, niſi Spiritus ſanctus, qui in forma ignis Eccleſiæ apparuit, debemus intelligere? cuius lumine illuſtramur, cuius calore inflammamur, cuius ſplendore tenebras ignorantiæ ſuperamus, & cuius ductu, ad patriam nobis promiſſam ducimur? Spiritus enim hic bonus nos mirabiliter docens, ad patriam ducit: dum ſua inſpiratione cor noſtrũ multipliciter tangit. Quod oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 4.5. moral. cap. 20. *Quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius*, dicens: Suſurrium quippè oculti verbi, eſt hæc ipſa aſpiratio locutionis internæ, venæ autem ſuſurrij dicũtur cauſarũ origines, quibus hæc ipſa aſpiratio ducitur. Quaſi ergo venas ſuſurrij ſui ſpiritus bonus aperit, cùm nobis ſpiritus latenter inſinuat, quibus modis ad noſtræ mentis intelligẽtiæ aurẽ venit, aliquando nos amore, aliquando terrore cõpungit, aliquãdo præſentia, quam nulla ſint oſtendit, & ad æterna diligenda deſiderium erigit. Videamus ergo quam ſequamur viam, vtrum perditionis, vel ſaluationis ſuggeſtionum dæmonũ, vel mandatorum Dei. Et hinc colligere poterimus à quo ducamur ſpiritu, & ad quem finem peruenturi ſimus. Vnde notandum eſt, quòd vbi dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Paraphraſis Chaldaica habet: *In viam rectam.* Ab eodem namque ſpiritu ducimur per viam, & deducimur in patriam. Quapropter, qui per huius deſerti viam, veſtigia dæmonis ſequũtur, ſuis appetitibus indulgentes, & deſideriis carnis ſeruientes: ab eodem ad æterna inferorum tartara deducentur. At, qui ſpiritu Dei agũtur, animalia illa Ezechielis imitantes, de quibus dicitur, quòd *vbicumque erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur*, hi nimirum, in æquitate Domini propter nomen eius viuificabuntur, & per gratiæ viam pergentes, ad æternæ fœlicitatis gloriam peruenient.

Exod. 14. *Figura.* *Spiritus ſanctus dux eſt iuſtorum.* *D. Greg. Iob. 4.* *Nota.* *Paraphr. Chald.* *Ezec. 10.*

***

CON

CONCIO SEPTIMA.

Educes de tribulatione animam meam: Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

NVLLA ſcientia eſt quæ non habeat aliqua prima principia vniuerſalia, quæ quidem demonſtrationibus non probantur, quia ſunt lumine naturali cognita, & probatione non indigent. Sic nimirum contingit in Scriptura ſacra, quæ ſcientia ſcientiarum iure optimo nuncupari poteſt. Habet enim ſua principia, quæ ab omnibus viam cœli ingredientibus pręſupponi debent, tanquã firmiſſima & certa. Vnum ex illis eſt, quòd iuſti in hac vita tribulationibus & anguſtiis vexari debẽt, vt ad præmium vitæ æternæ peruenire poſſint: *Omnes*, inquit D. Paul. *qui piè volũt viuere in Chriſto, tribulationem patientur cum Chriſto*. Et in Sapient. dicitur: *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus, & quaſi holocauſta accepit eos.* Probatur veritas aut falſitas auri in fornace, vbi apparet, vtrum verum vel adulterinum ſit: & ibi ab omni terræ contagione expurgatur, vt ex eo vas confici poſſit. Sic etiam Deus iuſtos in fornacem tribulationum immittit, vt hominibus eorum puritas & ſanctitas manifeſta fiat, & ſi quid terrenum aut minus cœleſte habent, quod purificari indigeat, ibi expurgetur. Accipit eos etiam quaſi holocauſta, quia ſicut holocauſtum totum igne conſumebatur: ſic iuſti igne charitatis incenſi in tribulatione, Deo quaſi acceptabile ſacrificium offerũtur. Ferè eadem metaphora vſus eſt Eccleſiaſt. cap. 27. dicens: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Illa enim vaſa quæ bona & probata ſunt, minimè confringuntur, ſed potius ſolidantur & in menſa Regis apponuntur: at verò quæ reproba, crepant & diſſipantur: ſic nimirum Deus ſolet illos quos ad vitam æternam præordinatos habet, in fornace tribulationis examinare, quia ſunt vaſa gloriæ, quæ ad menſam ſupremi illius Imperatoris apponentur. Inter alia magnifica quæ de ſuperbo illo Salomonis templo refert Scriptura ſacra, non infimum locum tenet, id quod habetur in 3. Reg. cap. 6. ſcilicet, quòd

Iuſti laboribus vexãtur.
2. Tim. 3.
Sap. 23.
Simile.
Eccl. 27.
Simile.

3.Reg.6. quòd *non eſt auditus malleus, aut quoduis aliud inſtrumentu*

Figura. *ædificatione illius machina.* Domus autem cùm ædificaretu lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt, & malleus, curis, & omne ferramentum non ſunt audita in domo,qu do ædificaretur. Omnes expoſitores huius loci dubitant,q modo hoc poſſibile fuerit, ſcilicet,quòd ictus mallei, ſec

Hebræi. aut alterius inſtrumenti non inſonuerit? Et reſpondent, quòd lapides dolabantur ſanguine cuiuſdam vermiculi,vi tem ad hoc habentis, vt ſine aliquo notabili ſtrepitu ſcinde tur,vel quòd iam ſciſſi erant & dolati,priuſquam ad templ adducerentur. Itaque lapidem prius dolatum & ſciſſum a piebat artifex,& toto ſilentio in ſuo collocabat loco. Acci bat etiam trabem & tabulam iam fabrefactas, & ſuis apta locis. Hoc quippè in ædificatione ſupremæ illius Hieru lem, & templi ſupremi continget. Ibi enim nullus mall aut ſecuris inſonabit,nullus futurus eſt laborum aut calam tis fragor & ſtrepitus quia (vt inquit D.Ioannes Euangeli

Apoc.3. *Iam non erit amplius luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor, q niam priora tranſierunt.* Non erit ibi malleus tyranni, ne ſecuris perſecutoris, neque ſtrepitus laborum audietur: c hæc omnia iam tranſierunt. Iam enim lapides dolati ſu ſecti,iam in hoc mundo tribulationibus & doloribus ſunt xati, iam ſanguine non hirci alicuius,aut tauri, ſed agni il ab origine mundi occiſi, ſunt perfuſi: quare nihil aliud quàm lapides per manus artificis diſponi, & ſuis quoſque cis aptari. Itaque, neceſſarium eſt, vt quicunque ad hoc æ ficium pertinet, prius in hac vita, tribulationibus & lab bus vexetur. Hoc ergo intelligens Dauid, non petit à I quòd à tribulationibus præſeruetur. Intelligebat enim eſſe impoſſibile, quia tribulatio pretium eſt, quo beatit comparatur & emitur.Et hoc tãquam ſummè neceſſariun tanquam primum & vniuerſale principium, in cœleſti, q

Quæſtio profitemur philoſophia præſupponens,petit,quòd ab ipſa bulatione per manus omnipotentis Dei liberetur,dicens: *E ces de tribulatione animam meam,&c.*

Quare Deus iuſtos laboribus afficiat.

Sed antequam hinc diſcedamus, opere pretium erit il quæſtionem diſputare, quæ Doctores omnes (illos maxi qui in ſtudio ſacræ Scripturæ verſantur) diuexare ſolet, ſ cet, quare Deus, illos quos ad vitam æternam præordina

D.Aug. ſuper Pſ. 73. & de quorum amicitia gloriatur, tot laboribus & tribula nibus in hac vita concuti & torqueri ſinat. D.Auguſtin.ſ illa verba Pſalm.73. *Et dixerunt, quomodo ſit Deus, &*

ſci

ſcientia in excelſo? diſputat, quomodo fuerit aliquibus occaſio errandi, & negandi diuinam prouidentiam, conſideratio bonorum, quæ contingunt malis, & malorum quæ contingunt bonis. Verè magnus labor, inquit, cognoſcere quomodo & Deus curet res humanas, & benè ſit malis, & laborent boni. Verùm in libro primo de ciuitate cap. 19. videtur hanc ſoluere quæſtionem. Romanis reſpondens, qui obmurmurantes conquerebantur, quòd poſt acceptam fidem laboribus & ærumnis vexarentur. Et intendit in eo capite, quòd tribulatio & labor iuſtis conueniat: quia laboribus aut probantur, aut emendantur. Aſſignat ergo duas rationes laborum, quos Deus ſuis immittit, ſcilicet, probationem virtutis, & emendationem aut correctionem eorum. Quantum ad primum, nemini dubium eſſe debet, quod Deus ſuos ſummo proſequatur amore, eóſque charitate pluſquam materna diligat: iuxta illud Iſaiæ 49. *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, ita vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego autem non obliuiſcar tui.* Quod etiam corroborat per Oſeam cap. 9. dicens: *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſraël: quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum.* O diuina verba aureis literis in cordibus iuſtorum conſcribenda. Quibus obſecro aptioribus metaphoris explicari potuit, quanta cordis teneritudine ſuos diligat, & quàm grati & accepti ſint illi? Quid iucundius eſſe ſolet viatori famelico iter ſuum per deſertum facienti, vbi refectio aliqua non ſperatur, quàm inuenire ibi ſapidas ac dulces vuas, vel in aliqua ficulnea ficus præcoces ad comedendum, quibus fami ſuæ poſſit aliquantiſper ſuccurrere? Fames, quàm Deus patitur, iuſtorum eſt, quòd hos ſummo deſiderio appetit, iuxta illud Micheæ. 7. *Væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit racemos in Autumno vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum, ficus præcoces deſiderauit anima mea.* Vbi per *botros* & *ficus* iuſtos intelligit, qui reſpectu peccatorum ſunt pauciſſimi. Inquit ergo Deus, quòd electi & iuſti illius populi Iſraëlitici fuerunt ſibi valdè grati, quaſi qui reperiret in deſerto vuas dulces, maturáſque ficus. Quid dulciùs excogitari poſſit, aut quid iucundiùs, quàm in deſerto huius mundi, vbi nihil aliud quàm culparum ſpinæ, & peccatorum ſentes animam pungentes reperiri ſolent, & produci, iuſtorum animas inuenire fructibus cœleſtibus onuſtas? Hæ nimirum ſunt domini deliciæ, his ſummopere delectatur, quare ſi illos aliquando contumeliis opprobriis & tribulatione afficit, non odio, aut indignationi aſcribendum eſt, ſed potius beneuolentiæ & amori, quia vult

Aug. lib. de ciuit.

Solutio.

Deus ſuos diligit.

Iſa. 49.

Oſe. 9.

Simile,

Mich. 7.

Digitized by Google

vult Deus tentare illos, & de illorum virtute & patientia pe-
Tentat. Deus iuſtos. culum ſumere: *Tentauit Dominus Abraham* (vt dicitur in Gen. cap vigeſimo ſecundo,) *& iuſſit illi quòd immolaret ſibi filium ſuum Iſaac primogenitum.* Hæc enim fuit tentatio: *Tolle,* inquit, *Gen.22.* *filium tuum quem diligis Iſaac & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* Sed nunquid tentauit eum Dominus, vt aliquid diſceret quod prius ignoraret? Abſit. Sciebat enim optimè fidelitatem ſerui ſui, eiúſque virtutem nouerat: ſed vt hæc mundo manifeſta fierent: Vnde verba illa à Domino prolata: *Nunc* *Lyranus.* *cognoui quòd timeas Dominum.* Sic interpretatur Lyra. Nunc *Burg.* alios cognoſcere feci, vel vt ait Paulus Burgenſis metaphoricè accipienda ſunt hæc verba, quaſi Deus ſe habuerit circa *Simile.* Abraham ad modum tentantis, qui vult accipere experimentum de aliquo ignoto. Contingit quòd ante oculos veſtros inſtrumentum muſicum offertur variis coloribus depictum, & ſummo ingenio elaboratum, monachordium, vel clauicordium: & ſtatim vultis de illo experimentum ſumere, illúdque tangere, vt appareat omnibus, vtrum interior muſica exterioribus picturis correſpondeat. Quod ſi cordæ illius non bene ſint temperatæ, nequaquam illud poteſtis ferre: at ſi vocum conſonantia & harmonia exteris coloribus conformatur, illud ſummis laudibus effertis. Sic nimirum, iuſtus nihil aliud eſt quàm diuinum quoddam inſtrumentum virtutibus, meritis, & gratiarum prærogatiuis depictum, & quia ſunt etiam hypocritæ eiſdem coloribus quantum ad exterius ornati, & eandem ſanctitatis imaginem repræſentant, vult Deus laboribus & calamitatibus illos tangere, vt eorum virtus magis ac magis mundo nota fiat. Quam pretioſum inſtrumentum fuit Iob, quam benè ſecundum exteriorem apparentiam fabrefactum, quem ipſe Deus ore proprio laudauit, affirmans quod non eſſet alius in terra ſimilis, *Iob.1.* *ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo*, quas laudes cùm diabolus ferre non poſſet, cœpit illi detrahere, illiúſque gloriæ inuidere, dicens: Profectò inſtrumentum benè depictum eſt, optimam habet ſuperficiem, tamen muſica interior non eſt conſonans, quia ſolam exteriorem apparentiam habet. *Dimitte me vt tangam illum, & niſi in faciem benedixerit tibi.* O maligne, inquit Deus, quare in inſtrumentum meum ponere linguam tuam es auſus? Tange eum *veruntamen animam illius ſerua.* Vide quòd manus tuas plumbeas nimíſque graues habeas. Tange eum cum moderamine, ne inſtrumen

ſtrumentum omnino diſſipes & diſſoluas. Tetigit eum Satanas. O bone Deus quàm fortiſſimis ictibus eum tetigit. A planta pedis vſque ad verticem capitis, lepra & vermibus eum impleuit, liberis priuauit, diuitiis & gloria eum expoliauit, propriam vxorem ſimul cum chariſſimis amicis contra eum inſurgere fecit, Sonet igitur hoc inſtrumentum, vt patientiæ & tolerantiæ ſuæ muſica, mundo per æterna ſæcula nota fiat. *Dominus dedit Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* O perfectiſſimum inſtrumentum, non immerito ab ipſo diuino ore ſummis encomiis laudatũ. Quàm conſonæ ſunt iſtæ tuæ voces extero ornatui, & laudi, quam non fallax homo, ſed ipſa infallibilis veritas de te protulerat. Huc ſpectat id quod habetur Amos capit. 7. *Hæc oſtendit mihi Dominus: Ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cementarij.* Septuaginta habent. *Et in manu eius adamas.* Vbi aduertendum ſecundum doctrinam B. Hieron. multis in locis conſuetudinem eſſe Scripturæ ſacræ multoties ſingulare pro plurali accipere. Itaque, in manu ſua plures lapides precioſos ſiue adamãtes habebat. Sed qui nam ſint iſti adamantes in manu Domini exiſtentes, dicitur Sapient. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Dicuntur enim iuſti adamantes propter eorum in laboribus tolerantiam. Fuit enim adamas apud antiquos (vt apud Pierium Valerianum habetur) firmitatis & infracti animi hieroglificum, quia adamas ſui nominis proprietatem obſeruat. Eſt enim indomabilis, quia nullo inſtrumento, vel ferreo, vel æreo domari poteſt: ſic iuſtus in manu Dei exiſtens, nullis ictibus, laboribus, aut calamitatibus concutitur, ſed omnibus viriliter reſiſtit. Habet hos adamantes Deus in manu ſua, quos offert Diabolo & mundo, perſecutionibúſque & tribulationibus exponit, ac tentari permittit: *Dalos aprueba como el lapidario*, vt eorum virtus admirabilis manifeſta fiat. Quod in eodem ſapientiæ loco oſtendit Salomon ſtatim, dicens: *Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe.* Vnde, quando tu Chriſtiane tribulatione vexaris, quando laboribus afficeris, & aliqua pro Chriſto pateris, conſidera, quod fortè adamas es in manu Dei exiſtens, & vult de te experimentum ſumere, vt videat vtrum dignus illius ſis. Cõtingit mulierem nobilem veſte ſerica duplicata indui, cuius interior pars ex aurea precioſáque tela confectum

Amos 7.

70. ſuper murum adamantinum, & in manu eius adamas.

D. Hier.

Sap. 3.

Adamas ſymbolũ tolerantiæ.

Simile.

confectum eſt:& vt tela ipſa aurea & precioſa quæ intus lat appareat: ſericam ipſam veſtem nouacula reſcindit, non ipſam perdat & diſſipet, ſed vt pulchrior oculis appareat,& omnibus videri poſſit: ſic nimirum permittit Deus iuſtum e terius vexari, laboribúſque vulnerari, vt interior eius virtus incomparabile pretium, hominibus manifeſtetur. Cui conſ

D.Chryſ. nat, id quod de Beato Iob Chryſoſtomus aſſerit, videlic quod vulnera illa quibus à capite vſque ad pedis plantam, p nus erat: nihil aliud fuerunt, quàm feneſtræ quædam, per qu oculi noſtri hominem illum interiorem & admirabilem ei patientiam poſſent intueri.

Secundò, ſolet Deus ſuos laboribus vexare, vt ſi quid eme datione, aut correctione dignum habent, corrigatur & eme

Heb.12. detur. Vnde D. Paul. ad Hebræos inquit: *Quem diligit D caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quod hac

Simile. militudine explicari poterit. Filius veſter vas vitreum fra git, & ſtatim eum flagellatis, vel alapam ei infligitis, quo d bitum perſoluit, nec ab eo aliquid amplius exigitis: at ſi ſeru vas illud conterat, neque verbum aſperum contra eum pr fertis: quod quidem ſignum eſt, quod in futurum, debitum ſeruatur, *Y ſelo aueys de deſcontar al tiempo de la quenta.* Hoc en diſcrimen eſt inter filios Dei, & qui ad vitam æternam ſu præordinati, & inter illos qui reprobi ſunt, & in perpetua ſeruitutem mancipandi: quòd filium ſtatim corrigit Deus caſtigat flagello ſuæ iuſtitiæ & ſeueritatis, at reprobos libe agere ſinit, quod euidēs ſignum eſt ſuæ reprobationis. Loqu

Zach.11. tur Propheta Zacharias in perſona Dei, cap.11. de regimi quo Deus vniuerſum mundum gubernat, & ait: *Et aſſum mihi duas virgas, alteram vocaui funiculum, alteram verò decore & paui gregem.* Habet Deus duas virgas, quibus vniuerſu hominum genus caſtigat; & electos in præſenti, & reprob in futuro; funiculum, ſcilicet, & decorem. Virga qua reprob flagellat, funiculus eſt: quæ funiculus dicitur, quia ſem Deus citra condignum caſtigat. At virga qua electos perc tit & caſtigat decor appellatur, quia ad eorum decorem or

Simile. natur. Sicut cùm aliquis pallium ſuum virga percutit, vt

Pſal 17. eo puluerem excutiat. Quare Dauid Pſalm. 17. aiebat:

Doctor *diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docei*

Incogn. Vbi ſecundum Incognitum, *diſciplina* pro tribulatione ac pitur, quæ dicitur à diſplicendo. quia aduerſa ſenſualit diſplicent. Diſciplina igitur corrigit in finem: quia iuſtum aliquando à recto tramite deuiauit, in finem ſuum vltim

diri

Digitized by Google

dirigit. Sed quanti momenti ſit huiuſmodi diſciplinam amplecti: & illam non reſpuere, idem oſtendit Pſal. 2. dicens: *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Vnde dicitur in epiſtola ad Hebr. *Noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum à Deo argueris, quem enim diligit Deus caſtigat.* Et huius ratio eſt, quia aduerſa magis conſeruant hominem in ſtatu gratiæ, quàm proſpera. Quare dicitur de pœnitentia, diſtinct. 2. art. 5. quod aduerſitas bonorum, non eſt ſignum reprobationis ipſorum, ſed magis virtutis. Quibus verbis addere poſſumus, quòd proſperitas malorum potius eſt ſignum reprobationis ipſorum, quia in labore hominum ſunt, & cum iuſtis non flagellantur. Quod quidem euidenter oſtendit D. Gregorius 31. moralium, cap. 4. Nunc etenim flagellatur iuſtus, & verbere diſciplinæ corrigitur, quia ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur. In voluptatibus relaxatur iniuſtus, quia tantò ei temporalia bona ſuppetunt, quantò æterna denegantur. Iniuſtus ad æternam mortem currens, effrænatis voluptatibus vtitur, quia & vituli qui mactandi ſunt, in liberis paſcuis relinquuntur; & contrà iuſtus à delectationis tranſitoriæ iucunditate reſtringitur; quia nimirum ad laboris vſum, vitulus vitæ deputatus, ſub iugo retinetur. Negantur electis in hac vita terrena, quia & ægris, quibus ſpes viuendi eſt, nequaquam à medico, cuncta quæ appetunt conceduntur: dantur autem reprobis bona quæ in hac vita appetunt: quia & deſperatis ægris omnia quæ deſiderant, non negantur. Sed auertendum, quòd loco illorum verborum: *Apprehendite diſciplinam*, in Hebræo habetur: *Adorate purè*, & ſic tranſtulit B. Hieronymus. Et inquit Lyra, quòd in antiquis Hebræorum tranſlationibus dicitur: *Oſculamini filium.* Quaſi diceret: facite Chriſto debitum fidelitatis homagium (de eius quippe regno, in illo agit Pſalmo) Quæ quidem rectè inter ſe cohærent: quia ille verè & purè Deum adorat, ille filium exoſculatur, & ei debitum dominij ſui homagium præſtat, qui apprehendit diſciplinam, & labores & dolores à Deo miſſos, æquo animo placidóque vultu recipit, illi pro tam ingenti beneficio manus exoſculando, quod ſignum filiationis & fidelitatis eſt. Dicit Magiſter de proprietatibus rerum lib. 10. & habetur à Macrobio lib. ſuo 1. de lapidibus, quod eſt quidam lapis dictus Adamas, vel magnes pellucidus ad modum cryſtali, qui quidem talem habet proprietatem, quòd ſi capiti mulieris dormientis ſupponatur, ſcire poterit maritus ſi ſit caſta, vel adultera: quia ſi caſta fuerit, vi lapidis cogitur in dormiendo vt virum ſuum ſubitò

Pſalm. 2. *Hebr. 10.* *D. Greg.* *Simile.* *Proſperitas malorũ in hac vita eſt fere re probationis ſignum.* *Hierony.* *Lyranus* *Magiſter de propri. rerum. & Macr.* *Magnes, ſiue Adamas.*

Digitized by Google

amplexetur, ſi verò adultera, quaſi cum quodam impetu à m:
Nota. rito teſſit, & tanquam tanti lapidis indigna, à lecto cadit. V
lens Deus experiri quænam anima ſit eius vera ſponſa & fid
lis, quæ verò infida & adultera, lapidem precioſum duræ
aſperæ correctionis & diſciplinæ ſuper capita hominum, ta
iuſtorum, quàm iniuſtorum, cadere permittit: laborum lapid
in illos immittendo: ex quo fit, quod adulterinæ animæ his l
pidibus, magis à Deo ſponſo ſuo auertuntur & alienantur, ſe
anima fidelis Deo chara & deuota, ſtatim Deum ſuum am
plectitur & oſculatur, libenti animo de manu illius labores re
cipiendo, Hoc igitur in cauſa eſt, quòd permittit Deus ſuo
tribulari quantumuis eos diligat, & non permittit virtutem i
lorum inexercitatam marceſcere. Nam ſi (vt refert D. Augu
D. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, tom. 5. Naſica Scipio Pontifex maximus, q
iudicio totius ſenatus vir optimus iudicatus fuit, nolebat dele
Carthaginem tunc Imperij Romani æmulam, timens infirm
animis hoſtium ſecuritatem, ne ciuitas in vitia deflueret, oti
que & torpore langueret. Et ſic Deus non permiſit quod Ba
bari terræ promiſſionis incolæ, omnino delerentur: ſed volu
quòd aliqui remanerent, propter exercitium filiorum Iſra
cum quibus quotidie arma gererent: quanto magis noll
quod à militibus ſuis inimicæ tribulationes auferantur, ſi qu
dem cauſa ſunt exercitandæ virtutis, & ne torpentes otio p
varia vitia carniſque deſideria diuagentur? Inter arces quæ
media regni regione, & illas quæ hoſtibus ſunt finitimæ, q
eſtan en frontera magnum diſcrimen verſatur, quòd iſtæ arm
& omnibus munitionibus gerendo bello neceſſariis abunda
Simile. illæ verò minimè. Si arces, quæ in toto regno Caſtellæ ſu
ingreſſus fueris, omnes belli machinas, & bellica tormenta, r
bigine ferè conſumpta videbis, thoraces, & loricas, ac gale
rubiginoſas & puluere conſperſas. Ita quòd ſi aliquod bellu
inſurgeret, plus operis & numorum, in purgandis & reficie
dis armis conſumeretur, quàm in aliis nouis conficiendis: c
ius rei cauſa eſt, pax ſumma quæ modò viget. Nam cum bel
aduerſus Sarracenos quotidie inſtabant, omnia in promp
erant ac paratiſſima. Hoc idem Eccleſiæ militibus conting
qui contradictionibus, inimicitiis & tribulationibus deficie
tibus, ſtatim animum demittunt, langueſcunt, & fiunt deſid
torpeſcunt ac vitiis & voluptatibus ſe tradunt, atque ita to
munitio, *y toda la artilleria*, rubigine & muſco conſumpta e
O Deum immortalem, ô tempora illa naſcentis Eccleſiæ f
liciſſima, quando tot ingruebant bella, tot tyranni acueba
gladi

Digitized by Google

gladios,quando generoſi illi milites,neque ad horam,non deponebant arma. *Quando andauan ſiempre con las armas acueſtas.* Quot ſtrenui milites in militia Christiana euaſerunt?quam libenti animo martyres pro Chriſti nomine decertârunt, ſanguinémque proprium fuderunt? Sed proh dolor, quanta deſidia,qualis animi conſternatio Eccleſiam Dei hodie inuaſit,ita certè, vt nihil verius dici poſſit quàm illud Ezechiæ dictum: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Credo equidem nec vana fides, quòd ſi hodie ad patiendum pro Chriſto arma capere iuberemur,ſicut quotidie in Gallia, Anglia, & in aliis Regnis contingit. *Si oy tocaſſen alarma a padeſcer por Chriſto,* maior in præparandis animis & diſponendis, quàm in moriendo eſſet difficultas. Nam neceſſaria diſpoſitio, eſt vitia relinquere, & peccatis obſtinere,quod magna cum difficultate fit. Hac igitur de cauſa non patitur Deus amicos ſuos à laboribus omnino eſſe immunes:quin potius permittit illos inimicis, perſecutionibus,& tribulationibus infeſtari. Vbi nos legimus ſecundùm noſtram vulgatam editionem. *Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum*, vertit Fælix in Hebræo: *Aggrauabit nos Deus ſalute noſtra.* Hoc eſt,permittet nos perſequi & tribulari, propter ſalutem noſtram.Hinc ergo eſt, quòd permiſit Deus amicum ſuum Dauid,quem ſecundùm cor ſuum inuenerat virum,tot vexari tribulationibus, tot infeſtari inimicis, tot concuti laboribus:quod intelligens ipſe, non ignorans quantùm ſeruum Dei deceat tribulatio: non petit quòd omnino ab eo auferatur,ſed prædicit ab ea eſſe liberandum, dum ait: *Educes de tribulatione animam meam.*

Otium eſt animæ rubigo.

Ezec. 38.

Sed dubitabit aliquis,quomodo Deus educit de tribulatione animam iuſti,ſiquidem tribulationem ab eo non remouet,ſed eum tentari & tribulari permittit? O Deus magne,in hoc quidem miſericordia eius& conditionis dulcedo vehementer perſpicitur,quòd in ipſa tribulatione,non tribulatur iuſtus,& non auferendo tribulationem ab eo,à tribulatione eum educit & liberat.*Clamabit ad me,*inquit per Pſalmiſtam,*cum ipſo ſum in tribulatione,eripiam eum.*Pſal.90.Sed quomodo eripit eum,ſi cùm eſt in tribulatione,ab eo tribulationem non ſeparat? Hæc differentia eſt inter Deum & mundum, quod etiam ſi vterque ſuos tribularet,tamen ſolus Deus è tribulatione eruit, quia in ipſa tribulatione illos conſolatur & recreat,quod mundus efficere nullatenus ſcit. Laboribus enim quibus mundus ſuos vexat,ſunt meri labores,*ſon trabajos ſecos,*abſque vlla cõſolatione & abſque vllo fructu.Agens Propheta Hieremias,in Threnis, cap.5.

Pſal. 90.

Thren. 5.

Ionatas Chald. cap. 5. de captiuitate filiorum Iſraël, inquit: *Ceruicibus noſtris minabatur, & laſſis non dabatur requies.* Vbi Paraphraſtes Ionatas ſic habet: *Super iuncturam ceruicis noſtræ onerari ſumus, quando* *Nota.* *pergebamus in captiuitatem.* Vidit Nabuchodonoſor impius præfectos filiorum Iſraël, qui ibant vacui, & præcepit, vt conſuerent libros legis, & vt facerent ex eis manticas, & impleuerunt eas lapillis, qui erant in ripa Eufratis, & onerauerunt eos. Quis non huiuſmodi tyrannidem demiretur: propter lapillos depictos parui momenti qui in arena produci ſolent, fecit vt libros legis dirumperent & conſuerent ſibi manticas, id eſt, *que hiZieſſen alforjas dellos,* vt illos lapillos aſportarent, quibus grauati incedebant: nec vlla eis in itinere requies concedebatur, ſed virgis & flagellis ceruicibus eorum minabatur. O quàm expreſſa diaboli, & mundi ſimilitudo & figura! Quid enim aliud eſt homo plenus peccatis, quàm homo manticis plenus lapidibus onuſtus? Mundus enim ac diabolus quos captiuos retinet, & in confuſionem Babylonis, aut peccati ducit, lapidibus onerat, peccatis, ſcilicet, ſaxis immanibus durioribus, & facit eos legem tranſgredi & infringere propter infructuoſas voluptates, quæ nihil aliud ſunt quàm inutiles lapides, qui infinita grauedine, miſeram animã opprimunt & afficiunt, & hoc abſque vlla requie & conſolatione. At verò Deus, etiam ſi ſuos aliquando laboribus proſequatur: tamen in ipſis laboribus ingentem eis conſolationem & requiem immittit: in quo à mundo diſtinguitur, qui neſcit aſperitatem laboris auferre, ſine hoc quod ipſum laborem auferat: At Deus in medio ipſius labore ſummam requiem concedit. Patet hoc in tribus illis pueris, *Daniel 3.* quos Nabuchodonoſor Rex Babylonis in medio fornacis incenſi fecit conijci, qui quidem in medio flammarum magnam conſolationem ſunt adepti. Ambulabant in medio flammarum fumigantium, quaſi in medio auræ lenis recreantis: nullúmque detrimentum aut læſionem corporis aut animæ acceperunt. Sat enim eſſet, & diuinæ omnipotentiæ non difficile illos ab ipſo fornace liberare, fornacem ſubuertendo, & ignem extinguendo, ſed ſatius fuit in medio ipſius fornacis, ingentem conſolationem & voluptatem illis tribuere, & quod ignis in rorem ſaluificum verteretur. Vbi in noſtra vulgata apud Iſai. cap. 63. habetur: *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus.* Hie-*Iſai. 63.* ronymus vertit: *In omni tribulatione eorum, non tribulauit eos.* *D. Hier.* Quomodo iſtud fuerit poſſibile, quod Iſraëlitæ in tot laboribus & anguſtiis, tot calamitatibus & perſecutionibus, tribulationem nequaquam paſſi fuerint, quod implicare contradictionem

nem

nem videtur, non apparet, niſi in hunc modum: quod tribulatio ipſa tot conſolationibus repleta erat, quòd tribulatio nequaquam dici poterat. Qui optimus modus eſt educendi aliquem de tribulatione: & ſic Dauidem, qui per totum vitæ ſpatium fuit tribulationibus & inimicis vexatus, eduxit. Quare inquit: *Educes de tribulatione animam meam.*

Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos. Per inimicos hic hoſtes humani generis intellige, qui verè inimici ſunt, qui non ſolùm corpori ſed animæ inſidias parāt. Inimicus carnalis ſolum corpus poteſt occidere: tamen animam non poteſt attingere: at ille crudelis inimicus cenſendus eſt, qui non corporis morte contentus, animam etiam occidere intendit per culpam. Vnde Iob de his inimicis conqueritur in cap. 19. dicens: *Iob 19.* *Venerunt latrones eius: & fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in giro tabernaculum meum.* Quæ verba dum expendit D. Greg. ſic *D.Greg.* ait: Latrones namque eius maligni ſunt ſpiritus, qui exquirendis hominum mortibus occupantur: qui viam ſibi in afflictorum cordibus faciunt, quando inter aduerſa quæ exterius tolerantur, cogitationes quoque prauas immittere non deſiſtunt. In giro tabernaculum obſident, quando ex omni latere ſuis tentationibus mentem cingunt, quam modò lugere de temporalibus, modo deſperare de æternis, modò in impatientiam ruere, atque in Deum blaſphemiæ verba iaculari, peſſima ſuggeſtione perſuadent. Sunt enim iſti latrones, qui hominem deſcendentem à Hieruſalem in Hierico expoliauerunt, & vulneribus plenum ſemiuiuum reliquerunt. Quia Dæmones, hominem quem Deus in deſerto paradiſi collocauerat, iuſtitia originali & donis gratuitis expoliarunt, & læſæ & vulneratæ poſt peccatum eius potentiæ: qui tamen eum in naturalibus vulnerauerunt. Manſit enim non omnino mortuus, ſed ſemiuiuus relictus eſt: quia non omnino de eius ſalute deſperabatur. Hi nimirum per hominem viam faciunt, non quia animæ noſtræ illabantur, vel humani cordis ianua illis pateat, *no tienen paſſo llano per el coraçon del hombre*, ſed quia foris ſuggeſtionibus ſuis perſuadent. Sicut crudelis hoſtis, qui cum mœnia *Simile.* ciuitatis bene fortificata inueniat, murum altum, & ianuam clauſam, ne intus ingredi poſſit: ipſam ciuitatem obſidet, & à foris bellicis machinis impugnat, quouſque tandem qui intus latent, labore & obſidione fatigati, ei claues ciuitatis tradant, liberéque ſuæ ditioni ſe ſubmittant. Sic nimirum Dæmon cum intra ſepta animæ noſtræ ingredi non poſſit, neque muros liberi arbitrij irrumpere, animam inſidiis obſidet, eamque

à foris impetit, vt liberè ſuæ voluntatis clauem tradat; & intra arcem admittat. Quæ omnia Paraphraſis Chaldaica tangit in authoritate allegata, ſic dicens: *Simul venerunt contra me turmæ eius, & ſtrauerunt ſuper me viam ſuam, & caſtra metati ſunt in circuitu tabernaculi mei.* Quando ergo inimici arma in nos ipſos conuerſa viderimus, quando iaculis ſuis nos confodere velit, quando in circuitu animæ noſtræ caſtra ſua tetenderit, ad Deum protectorem noſtrum cum Dauide confugiamus, vt ſcuto protectionis ſuæ ab eius inſidiis nos defendat, *& in miſericordia ſua diſperdat omnes inimicos noſtros.*

Paraphr. Chald.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego ſeruus tuus ſum. Duplicem ſenſum poteſt reddere hic verſus. Primum, tu Domine perdes omnes illos qui me perſequuntur, & animam meam affligunt, quoniam ego ſeruus tuus ſum. Nam iuſtum eſt, quod ſeruus à bono Domino adiuuetur, & contra hoſtiles muniatur incurſus: quare Deus ſpecialem habet curam de domeſticorum ſuorum protectione, quos ab omni tribulatione, & labore eruit. Quod oſtenditur per totum illum Pſalmum 90. qui incipit: *Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cæli commorabitur,* Et in Pſal. 30. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum. Eſconderlos eys Señor en vueſtro retrete y recamera, donde nadie los halle.* Si Regum palatia hoc priuilegio gaudent, quòd omnes qui in eis à lictoribus, vel quibuſcumque aliis iuſtitiæ miniſtris fugientes abſconduntur, infeſtari, aut apprehendi non poſſint: quanto magis qui ad domum Dei confugiunt, & in tabernaculo faciei ſuæ eos recipit & protegit? Ibi enim ab ipſo Deo abſconduntur in tabernaculo protectionis ſuæ, vbi non accedit malum, neque flagellum appropinquat. In Pſal. 82. vbi dicitur: *Cogitauerunt aduerſus Sanctos tuos*: alia litera habet: *Aduerſus abſconditos tuos*: quia Deus ſeruos ſuos à malis abſcondit, ne eis noceant. Habetur ad hoc propoſitum ſpecialis locus in Iſai. c. 8. vbi dicitur: *Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter: & ipſe terror veſter: & erit vobis in ſanctificationem,* id eſt, nullum alium timeatis niſi Dominum veſtrum, ipſe ſit veſter pauor & veſter terror. Sed aduertendum, quod vbi dicitur, *erit vobis in ſanctificationem.* Pagninus vertit: *Erit vobis in palatium.* Et poteſt verti: *erit vobis in Sáctuarium, Aſylum, vel domum refugij.* Quæ metaphora propoſito accommodatiſſima eſt. Quia ſicut in aſylis ſiue templis, aut in domibus Regiis, nulli nocere poterant, quia hæc reſeruata erant: non aliter qui Deum protectorem & defenſorem habet,

Primus ſenſus. *Deus ſuos protegit.* *Pſal. 90.* *Pſal. 30.* *Simile.* *Pſal. 82.* *Sic legit Fælix.* *Iſai 8.* *Simile.*

habet, nulla incommoda aut damna circumuenire poſſunt. Habent autem eum protectorem & defenſorem omnes illi, qui ei veraciter inſeruiunt, & eius cuſtodiunt mandata: quapropter inquit. *Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos, quoniam ego ſeruus tuus ſum.* Etenim docet bonum Dominum ſeruorum ſuorum eſſe protectorem.

Secundus ſenſus eſt. *In miſericordia tua diſperdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego ſeruus tuus ſum.* Id eſt, ratio quare tribulant & perſequuntur animam meam, eſt, quia ſeruus tuus ſum. Semper enim diabolus, & mundus, ſeruos Dei perſequitur. Ipſo facto, quo aliquis ad ſeruitutem Dei accedit, virtutemque profitetur, poteſt animam ſuam præparare ad tentationem, & contra omnes inferni poteſtates, ſeipſum præmunire. *Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*, inquit ipſe Dominus. Circa quæ verba, inquit Chriſoſt. Quamdiu Chriſtus fuit in carne, prælium habuerunt ad eum, quia verò tranſlatus fuit ad cœlum, ruiſus venit bellum tanquam ad hæredes, & imitatores, 2.Reg.10. dicitur, quòd *tulit Hannon ſeruos Dauid raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates eorum.* Hannon interpretatur gratis iniquus, per quem mundum intellige. Hic enim ſeruos veri Dauid perſequitur, iniuriis & opprobriis afficit, eo ſolùm quòd ſerui illius ſunt. Eia ſerui Dei, qui mundo, diabolo, & carni renunciaſtis, qui ſub vexillo ducis noſtri Chriſti militatis, eius veſtigia ſequentes: eſtote viri fortes, & viriliter agite, munimini aduerſus diaboli inſidias, mundi inimicitias, & carnis petulantiam. Conſiderate quòd cum fortiſſimis inimicis manus conſeritis, excutite à vobis omnem timorem & induite armaturam Dei, vt poſſitis ſtare in die belli; quia non eſt vobis colluctatio ſolum, aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates tenebrarum, qui tamen licet noſtris viribus ſuperari non poſſint, ſed virtute diuina facilè ſuperabuntur. De quibus hic reportabimus victoriam per Chriſti gratiam, & in futuro dabitur nobis præmiũ gloriæ. Amen.

Secundus ſenſus.

Diabolus ſeruos Dei perſequitur.

Ioan.13.

D.Chriſ.

Figura.

2.Reg.10.

F I N I S.

Digitized by Google

RERVM MEMORABILIVM, LOCORVM COMMVNIVM, ET SENTENTIARVM QVAE IN *hoc opere continentur locupletiſſimus Index.*

***

Primus numerus, Pſalmum; ſecundus Concionem; tertius, paginam deſignat.

A.

ABEL *quantæ virtutis fuerit. pſal. 4. Conc. 7. pag. 396. & 397.*

Abel primus martyr, primus virgo, & primus Sacerdos. 397

Abel triplicem iuſtitiam habuit. ibidem.

Abraham quando viderit Chriſtum, Pſal. 4. Conc. 5. pag. 367

Abraham voluerunt cogere Chaldæi, vt ignem adoraret, pſalm. 5. conc. 3. pag. 454. 455.

Abraham eductus de Hur Chaldeorum. ibid.

Abraham, vidit diem Chriſti. pſ. 6. conc. 4. pag. 562.

Adam habuit ſcientiam omnium rerum naturalium, pſal. 2. conc. 1. pag. 68.

Adam nomen, vnde? ibid.

Adam quare Deus tunica pellicea induerit? pſal. 3. conc. 2. pag. 185.

Adam quare collocatus in regione cōtra paradiſum, pſal. 4. conc. 2. pag. 316

Adam quare ex folijs ficulneis perizomata fecerit, pſ. 4. conc. 8. pag. 411.

Adam nō pœnituit de peccato commiſſo, vſque ad mortem Abel, pſal. 5. conc. 2. pag 443.

Adam centum cōtinuis annis mortem Abel plorauit, pſal. 5. conc. 2. pag. ibid.

Adam caſtitatem vouit. ibid.

Adamas tolerātiæ ſymbolum, pſ. 7. conc. 7. pag. 671.

Aduentus Dei duplex, pſ. 1. conc. 1. pag. 4.

Aduentus ad iudicium, ibi. & pſal. 3. conc. 2. pag. 181. 182.

Aduerſitas plures conuertit, quàm proſperitas, pſ. 2. conc. 2. pag. 92.

Aduerſitas melior proſperitate, pſal. 2. conc. 7. pag. 146.

Adulatio damnatur, pſal. 3. conc. 7. pag. 248. 249.

Adulationibus obturandæ ſunt aures

res,ibi.& pag.250.
Afflictio bonorum virgæ comparatur,malorum verò, ollæ,pſ.1.con. 1.pag.13.
Afflictio humiliat, pſ.7.con.4.pag. 632.633.
Alæ in Scriptura ſignificant protectionem,pſ.3.con.5.p.222.
Alexandri praua conſuetudo, pſ.4. con.1.p.312.
Alexander credens eſſe plures mundos fleuit,ſ.5.con.1.p.415.
Alexander veneno interijt, pſal.6. con.4.p.565.
Amari nihil debet præter Deũ,niſi propter Deum,pſ.con.3.p.342.
Amicorum deſertio amara, pſal.3. con.6.p.235.
Amicitia vera & falſa. ibid. 237. vſque 240.
Amicitia Dei tandiu durat,quandiu eum non offendimus,pſal.4. con.3.p.342.343.
Amoris pictura,pſal.3.conc.6.pag. 237.
Amici Iob falſi extiterunt, pſal.3 con.6.p.239.240.
Anima ſuos affectus corpori communicat,pſ.1.con.2.p.22.
Animæ ſalus ſuper omnia æſtimanda,pſ.1.con.4.p.44.
Animæ pictura,pſ.2.con.1.pag.71. 72.
Anima peccatoris ſpelunca dæmonum,pſ.2.con.2.p.85.
Animæ pulchritudo, pſal.4.conc.3. p.332.
Animæ exiſtentis in gratia quanta ſit pulchritudo, pſ.4.conc.3.pag. 332.
Animarum gloria & fælicitas quanta,pſ.4.con.3.p.344.
Animæ exiſtentis in peccato deformitas, ibi. &, pſalm.4.conc.3. pag.332. & 333. & conc.6.pag. 383.
Animæ gaudium in quo conſiſtat, pſ.4.con.5.p.363.
Anima iuſti lectulus Dei,pſ.5.con. 5.p.225.
Anima peccatoris draconum cubile,pſ.4.con.5.p.359.
Anima deſeritur à Deo propter peccatum.pſ.4.con.5.p.362.
Animam in vano accipere quis dicatur.pſ.4.con.7.p.386.
Anima dicitur citharœdus, pſal.4. con.7.p.391.
Angeli voluntas inflexibilis,pſal.2. con.1.p.80.
Angelus non eſt capax pœnitentiæ, ibid.
Angeli amici hominis dicuntur. pſ.3.con.6.p.240.
Angelorum cuſtodia, pſal.3.con.6. p.161.
Angelorum bonorum & malorum differentia,pſ.3.con.8.p.254.
Angeli diuinas laudes decantant, pſ.4.con.7.p.388.
Angelorum congregatio, populus fortium & robuſtorum appellatur,pſ.5.con.1.p.414.
Annulus dilectionis ſignum, pſ.4. con.3.p.342. pſ.4.con.5. p.366. & pſ.5.con.6.p.504.
Apoſtolorum fortitudo,pſ.2.con.5. p.120.
Apoſtolorum fuga, Chriſto fuit amara,pſ.3.con.6 p.236.
Apoſtoli oculi Chriſti, pſal.3.con.6. ibid.
Apoſtoli pedes Chriſti,pſ.3.conc.8. p.257.

Apoſto

Apoſtoli dicũtur nubes, pſ.4.con.5. p.364.
Apoſtoli dicuntur vigiles & cuſtodes ciuitatis, pſ.5.con.5.p.364.
Apoſtoli oculi Eccleſiæ, pſ.5.con.5. p.ibid.
Apoſtoli & Martyres tormenta ſitiebant, pſ.con.2.p.440.
Aquæ Ægypti in ſanguinem verſæ docent mundi delitias in luctum verti, pſ.2.con.7.p.159.
Arbor notabilis cui iuſtus comparatur, pſ.5.con.2 p.438.
Aſſur quis fuerit, pſ.1.con 1.p.12.
Aſpidis venenum, lethale, pſ.3.con. 10.p.292.
Audit Deus multoties ad profectũ, licet non ad votum. pſal.5.con.1. p.427.
Author, pſ.81.quis fuerit? pſ.4.con. 2.p.320.
Auxiliũ ſpeciale ad iuſtificationem requirit, pſ.1.con.3 p.26.
Auxilium noſtrum à Deo, pſ.2.con. 5 p.120.

B

Babylonica ſpelunca, pſ.3.con. 8.p.259.
Balthaſaris mors, pſ.6.con.4 p.565.
Baſilici venenũ, quàm peſtiferum, pſ.7.con.6.p.654.
Beatitudinis memoria dulcis, pſ.2. con.7.p.157.
Beatitudo noſtra æterna, pſ.5.con.5. 7 p.518.
Beatitudo noſtra quanta ſit, pſal.5. con.8.p.529.
An beatitudinem non niſi per gradus virtutum aſcenditur, pſal.6. con.1.p.530.531.
Beatitudinem ſine Dei auxilio non poſſumus conſequi. pſal.6.con.1. p.533.
Beati vberibus Dei in patria inbriantur, pſ.2.con.7.p.156.157.
Beneficiorum Dei memoria, pſ.3. con.10.p.296.
Beneficia voluntatis compedes, ibi.
Beneficia maiora, qui adeò accepit arctiori vinculo dilectionis tenetur, pſ.4.con.2.p.326.
Bonum mali vigilia & è conuerſo. pſ.2.con.7.p.149.
Bona ſua qualiter Deus diſpenſet, pſ.3.con.9.p.287.
Bona temporalia cõcedi Deus peccatoribus, cœleſtia iuſtis, ibid. & pag.288.
omne Bonum eſt in Deo eminenter nõ formaliter, pſ.5.con.8.p.529.

C

Cadmi dentes ſerpentini, pſ.3. con.10.p.298.
Cæcitas mentis, quot mala pariat, pſ.1.con.4.p.50.
Cain credidit peccatum ſuum eſſe irremiſſibile, pſ.4.con.6.p.374.
Cain diuinam prouidentiam negauit. pſ.4.con.2.p.p.321.
Calamitates Iob, quare ab Oriente dicantur, pſ.5.con.2.p.438.
Captiuitas populi, duplex, Babylonica, & Romana, pſal.6.conc.3. p.552.553.
Captiuitas miſeriarum profundum, pſ.6.con.1.p.535
Captiuitas eſt mors, ibid.
Capilli ſponſæ cur gregi caprarum comparentur. pſ.6.con.5.p.582.
Charitas mutua, pſ.6.con.2.p.549.
Christus

Digitized by Google

Chriſtus ſatisfecit pro omnibus, ſufficienter, non efficaciter, pſ.2.cõc. 4.pag.113.
Caro poſt peccatum, animæ inimica, pſal.3.conc.4.pag.204.
Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ibid.pag.205.
Caro animæ carcer. ibid. pag.206.
Carnis noſtræ fallacia.ibi.pag.210.
Caro noſtra ſterilis dicitur, ibi.pag. 212.
Carnis tentatio, oratione vincenda, pſal.5.conc.1.pag.418.
Ceremonias Moſaycas ceſſaſſe, pſ.4. conc.7.pag.394.
Cetum Deus incarcerauit, pſal.7. conc.6.pag.655.
Ceti magnitudo, pſ.7.cõc.6 pa.655.
Ceruus mutuæ charitatis ſymbolũ, pſal.6.conc.2.pag.549.
Certamen, ad triumphum requiritur, pſal.1.conc.1.pag.6.
Cinerum memoria vtilis, pſ.2.conc. 6.pag.139.
Cineres cur antiqui capiti imponerent; & verſus cælum proycerent, pſal.5.conc.2.pag.431.432.
Cyrus à Thomiri regina ſuperatus, Pſal.6.conc.4.pag.564.
Cythara fœderis ſymbolum, pſal.6. conc.3.pag.555.
Clamare debemus ad Deum propter tria, pſa.5.conc.1.pag.417.
Clauem oris & cordis, habet Deus, pſal.4.conc.7.pag.392.
Clerici & religioſi magis tenentur ad laudandum Deum, pſalm.4. conc.6.pag.382.
Cognitio ſui difficilis, pſal.2.conc.1. pag.68.
Cognitio ſui vtilis, pſ 2.cõc.6.p.139
Cognitio ſui ad confeſſionem neceſſaria, pſal.3.conc.9.pag.27[...]
Cognitio peccati, initium ſal[...] pſal.3.conc.9.pag.277.278.
Cognitio ſui neceſſaria.
Clitus Alexandrum ſcuto ſuo texit, pſ.7.conc.6.pag.657.
Cognitio peccatorum ſignum m[...] rati animi. pſ.4.conc.1.pag.[...]
Cognitio ſui neceſſaria, pſ.4.co[...] pag.310.
Cognitio peccati initiũ ſalutis, pœnitentiam propellit, pſ.4.c[...] pag.307.308.
Cognitio Dei difficilis, pſ.5.con[...] pag.519.520.
Cognitio Dei per creaturas, ib[...] conc.8.pag.520.521.
Cognitio proprij peccati vtilis, [...] conc.2.pag.545.
Cognoſcens Deum, in illo ſpera[...] omnia contemnit, pſal.6.con[...] pag.568.
Cogitationes prauæ, ab omnia [...] lenda, pſ.2.conc.3.pag.97.
Cogitationes prauæ, animæ fu[...] ibid.pag.98.
Cogitationes potentum in die m[...] tis peribunt, pſ.6.cõc.4.pag.5[...]
Cõcordia Scripturæ ſacræ, corr[...] ratio fidei, pſ.4.conc.3.p.342.
Conditiones cæleſtis Hieruſal[...] pſ.6.con.1.pag.530.
Cõſcientia accuſans, animæ tyr[...] nus, pſ.2.con.7.pag.153.
Conſcientia hoſtis domeſticus, [...] con.3.pag.204.
Conſcientia bona & mala, pſ[...] con.7 pag.251.
Concionator, verbis & oper[...] prædicet, pſ.4.con.6.pag 37[...]
Concionatoribus licet Hierocli[...] & metaphoris vti in concion[...]
pſ[...]

pſal.5.con.3 pag.446.
Cōfeſſio peccatorum remedium poſt lapſum,pſ 2.con.2.pag.81.82.
Confeſſio,eodem pſ.con.2.pag.84.
Confeſſio debet eſſe integra, pſal.2. con.3 pag.99.100.
Confeſſionem, præmeditatio præcedat,pſ.2.con.3.pag.102. & pſ.3. con.9 pag.286.287.
Confeſſio peccatorum virtualiter in veteri lege continebatur., pſal.3. con.9.pag.280.
Confeſſio ſacramentalis eſt de iure diuino,pſ.3.con.9.pag.280.
Confeſſionis encomium,ibid.
Confeſſio differri non debet, ibid. pag.280.281.
Confeſſio quinque cōditiones debet habere,ibid pag.283.
Cōfeſſori ſunt vulnera animæ detegenda,pſ.2.con.2.pag.84.85.
Confeſſor debet eſſe ſapiens, pſal.2. con.3.pag.100.101.
Confugiendum eſſe ad Deum, qui diues eſt in omnes, qui inuocant illum,pſ.2 con.3.pag.104.105.
Conſcientia mille teſtes,pſ.2.con.2. pag.91.
Conſideratio ſui commēdatur,pſ.3. con 8.pag.258.
Conſideratio peccati proficua,pſ.4. con.2 pag.316.
Conſideratio breuitatis vitæ continere facit voluptates, pſ.5.con.7. pag.511.512.
Conſideratio ſuppliciorum Dei hominem frenat,pſ.7.con.3.p.612.
Conſonantia Scripturæ ſacræ,pſ.5. con.8.pag.524.
Conſpectu Dei priuari, quam malum ſit, pſ.4.con.5.pag.362.363.
Conſpectus Dei peccatorem conuertit,pſ.5.con.5.pag.487.488.
Conſuetudo praua difficilè vincitur pſal.1.con.5 pag.65.66. & pſ 4. con.1.pag.312.313. & pſ.7.conc. 2.pag.612
Contemptus iudiciorum Dei,pſal.3. conc.2.pag.177.
Contemptus Dei graue peccatum, & vltima abominatio,pſ.4.con. 6.pag.374.
Contritionis definitio, pſ.4. con.8. pag.404.
Contritionis amaritudo peccata expellit,ibid.
Contritio cordis, ſacrificium appellatur,pſ.5.con.6.pag.500.
Conuerſio peccatoris quare partui comparetur? pſ.1.con.2.pag.22.
Conuerſio non differenda, pſ.1.con. 5pag.63.
Conuerſionem noſtram Deus deſideraret,pſ.2.con.3.p.104.105.
Cōuerſionem peccatoris multis medijs Deus procurat, pſ.4.con.5. pag.360.361.
Cor humanum inſtabile,pſ.2.con.3. pag.97.
Cor ad Deum debet dirigi, pſal.3. con.5.pag.228.229.
Cor regis in manu Domini,quomodo intelligatur? pſ.4.con.2.p.318
Cor per peccatum anihilatur, pſ.4. con.6 pag.375.
Cordis munditia ad videndū Deum neceſſaria,pſ.4.con.6.pag.378.
Cor debet mundari, quia templum Dei eſt,pſ.4.con.3.pag.333.
Cor hominis inquietum, pſ.5.con.1. pag.422.
Cor altare Dei in quo ignis diuini amoris ardere debet,pſ.5.con.6. pag 496.

Corpus

Corpus animæ pondus, pſal.3.con.4. p.207. aggrauat animam, pſ.7. con.2.p.608.

Corpus peccatoris animæ tumulus, pſal 2.con.2.p.85.

Corpus peccatoris ſepulchrum animæ, pſ.3. con.5.pag.233. & pſ.6. con.2.p.145.

Corpus animæ carcer. pſ.6.conc.4. p.562.563.

Corpus cuiuſdam gentilis, tempore Conſtantini Romæ repertum, pſ. 6 con.4.p.564.

Coruus tardos ad pœnitendum figurat, pſ.4.con.6.p.377.

Correctio diuina ad emendationem ordinatur, pſ.2.con.7.p.147.148

Creaturæ à Deo dependent, pſal.7. con.4.p.633.

Chriſtus dicitur finis, pſal.1.con.1. pag.1.

Chriſtus dicitur lignum vitæ, ibid. pag 2.

Chriſtus ab omni peccato fuit alienus, pſ.2.con.4 p.110.

Chriſti manſuetudo, in die iudicij in furorem conuertetur.pſ.3.con. 2.p.182.

Chriſti manus, quare crucifixæ? pſ. 3.con.6.p.242.

Chriſtus tempore pacis quare natus, pſ.5.con.7.p.506.507.

Chriſtus in laboribus præcedit, pſ. 3.con.7.p.247.

Chriſtus ſpelunca aut petra iuſti dicitur, pſ.3.con.7 p.252.

Chriſti triumphus duplex, pſal.4. con.5.p.370.

Chriſtus in manibus Prophetarum aſsimilatus, pſ.4.con.5.p.364.

Chriſti incarnatio, pſ.4.con.5.pag. 366.vſque 369.

Chriſtus quare filius vnicor dicatur, pſ.4.con.5.p.369.

Chriſtus dæmonis poteſtatem uit, pſ.7.con.6.p.657.

Chriſtus quare legi circumci ſubijci voluit, pſ.5.con.5.p.4

Chriſto omnes indigent, pſ.6.c p.564.

Crudelitas diaboli in hominen 7.con.6.p.654.

Culpa dimiſſa adhuc remaner teſt pœna ſoluenda, pſal.4. p.338.

Curioſitas in concione vitanda 7.con.3.p.618.

D

DAmna quæ incurrimus peccatum ad mentem reuocanda, pſ.7 con.3.p.619.

Damnati in corpore & anima tiuntur, p.4.con.3.p.335.336.

Damnatis non datur locus pœni tiæ fructuoſa, pſ.1.con.5.p.6

Dauid in ſuis Pſalmis Chriſ habebat præſentem, pſal.1.co pag.2.

Dauid nimis de ſe confidebat, p con.2.p 323.

Dauid omnes ad miſericordiam uitat, pſ.4 con.6 p.376.

Dauid egregius concionator, p con 6 p.379.380.

Dauid perfectè conuerſus, pſ.4. 6 p.380.

Dæmon baſiliſco comparatur, p con 6.p.654. & draconi & uitam, ibid.

Delictum & iniuſtitia quomodo ſtinguantur. pſ.2.con.3.p.96.

Dæmones cœleſtium memoriam

pordil

Digitized by Google

cordibus noſtris delent.pſalm.5. con.3.p.449.450.
Deſideria noſtra qualia debeāt eſſe, pſ.3.con.5.p.226.227.
Deſiderium Dei, ibi.& pſ.7.con.3. p.623.vſque 625.
Deſiderium iuſtorum quale,pſal.4. con.8.p.409.
Deſperatio refellitur, pſal.6.con.1. p.539.
Detractionis origo, pſalm.3.conc.8. pag.257.pſal.3.con.10.pag.297. 298.
Detractor ad alienos defectus plures habet oculos,ibid.& p.258.
Detractio damnatur, pſal.3.con.8. p.258.vſque 260.
Detractoris lingua culpā auget,ibi.
Detractores Athenis occidebantur, pſal.3.con.10.p.298.
Detractor cōparatur ſerpenti,ibid. p.299.
Detractores virtutis,ibid.p.300.
Detractor non eſt audiendus,ibid.
Detractor contemnendus,pſ.5.conc. 3.p.460.461.
Deus amādus,& nihil præter ipſum niſi propter ipſum, pſal.4.con.3. p.342.
Deus cur à Græcis Θεὸς dictus, pſ.4.con.2.p.322.
Deus diſsimulat & expectat, pſ.1. con.1.p.4.& 6.
Deus dormire dicitur,ibid.
Deus quaſi ex inſidijs veniet ad iudicium,ibid.p.5.
Deus tardus ad iram,pag.6.
Deus flagellat iuſtos, pſal.1.conc.1. p.11.
Deus duplicem faciem habet,iuſtitiæ & miſericordiæ,pſal.1.con.2. pag.15.
Deus fons pietatis, pſalm.1.conc.2. p.17.
Deus quomodo dicatur auerti à peccatore,pſ.1.con.3.p.28.
Deus immutabilis & vbique præſens,ibid.
Deus non eſt dimittendus, pſalm.1. con.5.p.30.
Deus ad miſerendum pronus, pſ.2. con.3 p.103.104.
Deus opportunè inquirendus, pſ.2. con.3.p.105.
Ad Deum confugiendum eſſe, pſ.3. con.5.p.224.
A Deo deſeri, extremū ſupplicium eſt,pſ.4.con.3.p.345.
Deus aſylum, vel domus refugij,ibi.
Deus ſolus poteſt peccata remittere, pſ.2.con.4.p.106.107.
Deus conſulendus eſt, non vitium, pſ.3.con.5.p.226.
Deus ſolus ſatiat, pſal.3.conc.5.pag. 228.
Deus quomodo indueret.pſ.1.con.4. p.53.
Deus Zelator animarū, pſ.1.con.5. p.56.& 58.
Deus pronior ad miſerendum quam ad vindictam,pſal.1.conc.5.pag. 62.63.
Deus ſolet ſuos ad tempus derelinquere,pſ.3.con.10.p.301.
Deum nihil latet,pſ.4.con.2.p.320.
Deum ab aliquo faciem ſuam auertere, quàm malum ſit, pſ.4.con.5. p.368.369.
Deus quare dicatur Deus pœnitentium,pſ.4.con.6.p.374.
Deus facilè condonat confitenti & agnoſcēti culpā, pſ.4.cō.1.p.309.
Deus quomodo hic videatur, pſ.4. con.4.p.355.

Deus

Deus à nobis laudari ſufficiẽter nequit, pſ. 4. con. 3. p. 333. 334.
Deum laudare eſt eum laudabilem agnoſcere, vel oſtendere, pſal. 4. con. 7. p. 388.
Dei liberalitas in remittẽdo peccata, pſ. 4. con. 8. p. 399.
Deus praſto adeſt inuocantibus, pſ. 5. con. 1. p. 418.
A Deo non niſi recta ſunt poſtulanda, pſ. 5. con. p. 426.
Deus ad miſerendum ſemper paratus, pſ. 5. con. 1. p. 428.
Deus differt poſtulata concedere vt perſeueranter petamus, pſ. 5. con. 1. p. 429.
Deo priuari ſumma miſeria, pſ. 4. con. 3. p. 335.
Deus loco immutabilis, pſ. 4. con. 3. p. 336. 337.
Deus non deſerit peccatorem, niſi deſeratur ab eo, pſ. 4. con. 3. pag. 337.
Deus quos diligit vexat, pſ. 5. con. 2. p. 437. 438.
Deus adiuuat certatores ſuos, pſ. 5. con. 2. p. 438.
Præſtat illis inſuperabilem virtutem, ibi. & p. 439.
Deus per ſeptenarium numerum ſignificatur, pſ. 5. con. 3. p. 443.
Deus omnia facit propter ſui gloriam, pſ. 3. conc. 6. p. 503.
Deus quid ſit, difficile inueſtigare, pſ. 5. con. 8. p. 519. 520.
Deum eſſe eſt per ſe notum, pſal. 5. con. 8. p. ibid.
Deum qui habet, omnia habet, pſ. 5. con. 8. p. 529. 530.
In Deo omne bonum eſt eminenter, non formaliter, pſal. 5. con. 8. pag. 529.
Dei proprium eſt parcere & [mi]reri, pſ. 6. con. 2. p. 548.
Deus in ſupplicijs lento grad[u] cedit, pſ. 6. con. 2. p. 643.
Deus pronior ad miſerendum, [quam] ad vindictam, ibi. & pſ. 6. [con.] 2. p. 579.
Deus ad miſerendum pronus, [pſ. 6.] con. 2. p. 548. 549.
Deus non ex corde punit, pſ. 6. [con. 2.] p. 579.
Deus facilis ad audiendum n[oſtros] clamores, pſal. 7. con. 1. pag. 595.
Deus ſuos protegit & liberat, [pſ. 7.] con. 3. p. 616.
Deus pluuiæ comparatur, pſ. [7. con.] 3. p. 622.
Deus in magnis tribulationib[us adi]utor, pſ. 7. con. 4. p. 625.
Deus aliquando differt aux[ilium,] ibid.
Deus perſeueranter rogandus [pſ. 7.] con. 4. p. 828
Deus ſuos diligit, pſal. 7. con. [.. p.] 669.
Deus ſolus diues, pſal. 5. conc. [.. p.] 416.
Dij Gentilium quare comp[edibus] aligabantur, pſal. 1. conc. [.. p.] 30.
Dij quare ex Cupreſſo effig[iaban]tur, pſ. 5. con. 8. p. 527.
Diabolus hominem perſequi[tur, pſ.] 7. con. 6. p. 652. 653.
Diabolus ignem concupiſcen[tiæ ac]cendit, pſ. 3. con. p. 223.
Diabolus circuit quærens qu[em de]uoret, pſ. 3. con. 6. p. 243.
Diaboli vires Deus comprim[it, pſ. 3.] con. 6. p. 245.
Diabolus Dei auxilio facilè

ratur, pſal.3.con.6.pag.245.246
Diabolus de noſtris caſibus gaudet, pſal.3.conc.8.pag.255.
Diabolus hominis inimicus appellatur, pſal.7. conc.2. pag.605. & pſal.7.conc.7.pag.678.
Diabolus venator, vel auceps, pſal. 7.conc.2.pag. 606.
Diabolus auertit animam à conſideratione cœleſtium, pſal.7.con. 2.pag.608.
Diabolus ſuos habet miniſtros, pſal. 7.conc.2.pag.607.
Diabolus, quare in ſpecie ſerpentis parentibus apparuit, pſal.7.conc. 6.pag.652.
iaboli crudelitas, pſalm.7.conc.6. pag.654. Leuiatan & cetus dicitur ibi, pag.655.
Dignitates Eccleſiaſticæ indignis conferuntur, pſal.2. conc.6.pag. 136.
Dilectio proximi commendatur, pſal.5.conc.7.pag.506.
Doctrina operibus debet confirmari, pſal.4.conc.6.pag.379.
Dolor cordis in corpore manifeſtatur, pſal.1.conc 2.pag.21.
Dolor de peccatis qualis debeat eſſe, pſal.4.conc.8.pag.405.
Domus Ezechiæ templo contigua, pſal.5.conc.2.pag.444.
Draconis planctus, pſ.4.c.8.p.406.

E

ECcleſiæ Cantica docuit Chriſtus pſal.4.conc.7.pag.389.
Eccleſia ex Iudæis & gentibus ædificata, pſal.5.conc.5.pag.476.vſque,479.
Eccleſiæ protectio maior quàm ſynagogæ, pſal.6.conc.5.pag.584.
Eccleſiam docuit Deus per ſemetipſum, pſal.7.conc.5.pag.650.
Eccleſiaſtici arctiori vinculo ad obſeruationem legis tenentur, pſal. 7.conc.6.pag.663.664.
Elementorum mutatio qualis futura, pſal.5.conc.8.pag.526.
Elpidius ſpem depinxit, pſal.6.con. 4.pag.562.563.
Enydros ſerpẽs cum Crocodillo bellum gerit, pſal.7.conc.5.pag.545.
Equus ad bella gerenda propenſus pſal.2.conc.6.pag.133.
Eſaias nudam eſſentiam non vidit, pſal.4.conc.6.pag.378.
Eſau quomodo Iacob ſeruierit? Pſal.7.conc.2.pag.606.
Eſſe Dei æternum, pſalm.5. conc.8. pag.526.
Æternitas Dei, pſal.5.conc.4.pag. 468.469.
Euchariſtia, ſacrificium laudis dicitur, pſal.4.conc.7. pag.391. & pag.396.
Euchariſtia de ſe accepta, pſal.4. conc.7.pag.396.
Ezechiæ, quare ſignum longioris vitæ datum fuerit in vmbra? pſal.5.conc.4.pag.467.

F

FAbulæ poëtarum vtiles, pſal.3. conc.7.pag.249.
Facies duplex in Deo altera miſericordiæ, altera iuſtitiæ, pſalm.4. conc.4.pag.347.
Facies Domini terribilis peccatoribus, pſal.4.conc.4.pag.348.
Faciem ſuam Deum auertere, eſt non exaudire, pſalm. 5. conc. 1. pag.424.
Facienti quod in ſe eſt Deus gratiam non denegat, pſal.2. conc.4. pag.115.

Digitized by Google

Faſcinatio quid ſit? pſal.7. conc.2. pag. 609.
Fœlicitas impiorum breuis, pſal. 3. con.9.pag.239.240.
Flagella præſentis vitæ misericordiæ aſcribuntur, pſ.1.c.1.pag.11.
Flagella Deus vt emendemur, ibi, & pſal.6.con.3.pag.552.
Flagella Dei ex amore procedunt, pſal. 2.con.7.pag.147.
Flagella huius vitæ, cum æternis comparantur, citò finiuntur, pſa. 2.conc.7.pag.149.
Flagella Dei patienter ferenda, pſ. 3.con. 7.pag.247.248.
Flagello parcere magni ſupplicij genus, pſal.3.con.1.pag.165.166.
Flagellat Deus, quos diligit in præſenti, reprobos autem in futuro, pſal.7.con.7.pag.672.
Ficulneam quare Deus maledixerit, pſal.5.conc.4.pag.465.
Fideles lapides Sion appellantur, pſal.5.con.4.pag.473.
Fideles quare lapides pretioſi dicantur, pſal.5. con 4.pag.473.474.
Fidei certitudo de rebus futuris, quaſi præteritis loquitur, pſ.5. con.5. pag.485.
Fides turri libani cur comparetur, ibid.
Fide & operibus Deo debemus reſpondere, pſ.5.c.7.pag.509.510.
Fides dicitur lumen, pſal.7. conc.5. pag 641.642.
Fiducia noſtra in Deo collocanda pſal.5.conc.8.pag.526.527.
Figura circularis, Dei ſymbolũ apud Ægyptios, pſ.5.con.4.pag.468.
Filij Iſraël ab Ægyptiis virgis & ſpinis cædebãtur, pſ.3.c.7.p.247.
Fœlicitas iniquorum miſera, pſ.2. con.7.pag.149.
Fomes peccati, vnde habuit ortum pſ.3.conc.4.pag.206.vſq; 209
Fons in Epyro, pſ.4.con.8.pag.40
Fortunam vt deam venerabantu antiqui, ibi.
Fortunæ cultus, ibi.
Fragilitas humana, pſal. 1. conc.2. pag.19.
Fragilitas noſtra, Deum mouet ad miſericordiam, pſal.5.con.2.pag. 430.431.
Fragilitas noſtra, nõ merita in oratione ſunt allegandæ, pſal.5. conc. 2.pag.ibid.
Fructus dignos pænitentiæ quis faciat, pſal.4.conc.8.pag.411.

G

Ganges fluuius lapides precioſos procreat, pſal.2.conc.3. pag.95.
Gaudij aqua de fontibus ſaluatoris, non mundi educitur, pſal.2.conc. 7.pag.158.159.
Gaudium verum non eſt in hac vita, pſal.4.con.3.pag.341.
Gaudium peccatoris apparens, breue doloribus per mixtum, ibi, & pag.152 153.
Gaudium peccatoris citò in triſtitiam conuertitur, pſalm.2.con.7. pag.153.154.
Gaudiũ quod offert mundus timendum, pſal. 2.conc.7.pag.154.155.
Gaudium iuſti in Deo conſiſtit, ibi, pag.155.156.
Gaudium mundi breue, ibi.
Gaudium ex incarnatione Chriſti præuiſa, pſal.4.con.3.pag.344.
Gaudere ſolis iuſtis conuenit, pſal. 2.conc.7.pag.387.
Gaudere de alterius ruina eſt diabolum

Digitized by Google

bolum imitari, pſ.7.con.3.p.256.
Gaudendum in ſolo Deo, pſalm.4. conc.3.pag.343.
Gentium vocatio, pſal.5.conc.5.pag. 476.477.478.
Gentiles quare pagani dicantur, pſal.5.conc.5.pag.478.
Gladius Dei timendus, pſal.3.con.2. pag.180.
Gloria mundi breuis, pſal.2.conc.6. pag.134.
Gloria magnitudo, pſalm.2.conc.7. pag.151.152. & pſalm.6. conc.1. pag.531.vſque 532.
Gloria Deo tribuenda, pſal.5.con.6. pag.503.
Gloria Dei, aliquando pro miſericordia accipitur, pſal.6. conc.2. pag. 544.
Gloriæ dulcedo, nulli rei materiali comparari poteſt, pſal.2. conc.7. pag.158.
Graduales pſalmi, cur ſic dicti, pſ.6. conc.1.pag.570.
Gratia prima non noſtris meritis, ſed Chriſti confertur, pſalm. 1. conc.3.pag.26.
Gratia duo confert beneficia, pſal.2. con.5.pag.229.
Gratia Dei præuenit peccatorem ad iuſtitiam, pſa.2.conc.3.pag.104.
De ſua gratia, nemo certus eſt. pſal. 2.conc.4 pag.109.
Gratia non educitur de potẽtia animæ, pſal.4.conc.6.pag.375.
Gratiarum actio, pſalm.2.conc.10. pag.292.293.
Gratis maiora beneficia confert Deus, pſal.5.conc.6.pag.496.
Gratiarum actio, pro beneficio redemptionis Deo debetur, pſal. 5. conc.6.pag.504.

H

Heua, cur ſic appellata poſt peccatum, pſalm.2.conc.6. pag.140.
Hieruſalem cæleſtis conditiones, pſ. 6.conc.1.pag.530.
Homo duplicem portionem habet, ſuperiorem & inferiorem, pſal.1. conc.2.pag.21.
Homo ſine Deo nihil, cum Deo, omnia poteſt, pſalm.4. conc.3. pag. 331.
Homo per affectum in varias naturas transformatur, pſal. conc.6. pag.130.vſque 132.
Homo in ſua creatione, quare non acceperit Dei cenſuram, ibi.
Hominis impotentia poſt lapſum, pſ. 3.conc.5.pag.222.
Homo dependet à Deo in ſuis actionibus, pſalm.3.conc.5.pag.276. pſal.7.conc.3.pag.622.
Hominis crudelitas, aliquando diaboli crudelitate maior, pſalm.3. conc.6.pag.241.
Homo, ad quid creatus fuerit, pſ.4. conc.6.pag 380.
Homo ad laudandum Deum creatus, pſal.4.conc.6.pag.381.
Homo, per peccatum occidit animam ſuam, pſalm.4.conc.6.pag. 383.
Homo apud Deum precioſus, pſ.4. conc.5.pag.361.
Homo ad quem finem creatus, pſ.4. conc.7.pag.384.385.
Homo mundi inſpector, pſal.4.con. 7.pag.385.
Homo poſitus in paradiſo vt operaretur, & cuſtodiret, illum quomodo intelligatur, pſal.4. con.7. pag.386.

Digitized by Google

Homo dicitur Enos, ſiue obliuio, pſal.3.conc.10.pag.295.
Homo quare ad ſimilitudinem Dei factus, pſal.3.conc.10.pag.295.
Homo propter peccatum primo cœpit verecundari, pſal.4. conc.4. pag.349.
Homo ſine Deo nihil poteſt, pſal.4. conc.7.pag.392.393.
Homo, Dei vmbra, pſal.4.c.7.p.392
Hominis dementia, qui cũ Deo bellum gerit, pſal.4.con.7.pag.393.
Homo, per peccatum in paupertatem deuenit, pſal.5. conc.1. pag. 414.
Homo poſt peccatum percuſſus eſt vt fœnum, pſalm.5. conc. 2. pag. 440.441.
Homo purus de potentia Dei abſoluta poſſet ſatisfacere pro peccato, pſal.5.conc.4.pag.472.
Hominem per Deum reparari fuit conueniens, pſalm.5. conc.4.pag. 473.
Homo, pro omnibus creaturis gratias tenetur Deo agere, pſalm.5. conc.8.pag.522.523.
Homo mundi huius ſacerdos, quare appellatus, pſal.5.conc.8.p.523.
Homo ad diffidendum facilis, pſal. 6.conc.4.pag.577.
Homo, naturaliter ad Deum inclinatur, pſal.7.conc.2.pag.608.
Homines, in ſtateris mendaces, pſal. 1.conc.4.pag.50.51. & pſalm.3. conc.4.pag.220.
Homines tempore diluuij duas accipiebant vxores, vna ad voluptatem, aliam ratione prolis, pſal.3. conc. 4.pag.211.
Homicidij grauitas, pſal.2. conc.2. pag.89.90.
Homicidij cauſa, primo maledictus homo, ibid.
Honorat Deus peccatores ad ſe cõuerſos, pſal.4.con.5.pag.360.
Honor præmium virtutis, pſalm.7. conc.2.pag.602.
Hoſtis occultus, aperto periculoſior, pſal.7.conc.2.pag.606.
Humanitatis exempla, pſal.3.con.8. pag.256.
Humilitas ſola poteſt laqueos diaboli ſuperare, pſal.2.c.3.p.126.
Humilitas commendatur, pſalm.2. con.6.pag.139.140.pſal.7.con.4. pag.628.
Hyena vocem humanam addiſcit & pronunciat, pſalm.7. conc.4. pag.630.
Hypocriſis fugienda, pſal.2.conc.2. pſal.86.87.
Hypocritæ ſunt aliorum accuſatores, pſal.3.con.4.pag.216.217.
Hyſopus herba, quid ſignificet? pſal. 4.conc.3.pag.331.

I

Iacob lucta habita cum Angelo, quid adumbraret? pſal.1.con. 3.pag.30.
Iacob Chriſti aduentum deſiderauit, pſal.6.con.4.pag.563.
Ignis inferni perpetuus, pſal.2.con. 7.pag.150.
Ignis ſenſualitatis excæcat intellectum, pſal.3.conc.5.pag.224.
Imago crucifixi in ſpem erigit animum, pſal.6.conc.2.pag.548.
Imago crucifixi, quare in introitu Eccleſiæ? ibid.
Imperium contempſere, Pericles Diocletianus, & alij, pſal.5.con. 3.pag.453.454.
Incarnatio Verbi, pſal.5.con.2.pag. 431.

Digitized by Google

431. & conc.4.pag.470. 471. & conc.6.pag.497.
Incarnatio, dulcis quadā ſeductio, pſal.5.conc.4.pag.471.472.
Incarnatio ex amore proceſſit, pſ.5. conc.5.pag.479.
Incarnationis opus non cadit, ſub merito, pſal.5.conc.5.pag.488.
Incarnatio Ver[illegible] à patribus fuit deſiderata, pſalm.6.conc.4.pag. 562.
Incarnationis myſterium Iacob fuit reuelatum, pſalm.6.conc.4.pag. 563.
Indulgentia Eccleſiaſtica, pſalm.4. conc.3.pag.338.
Indulgentias non contemnendas ibi. pag.338.339.
Inferni ignis, pſalm.1. conc.1.pag. 13.
In inferno nulla redemptio, pſal.1. conc.3.pag.38.
Infernus gaudet in damnatione hominum, pſalm.3.conc.8.pag. 254.
Inferni pœna perpetua, pſal.3.conc. 2.pag.199.
Infirmitates proficua, pſal.2.con.6. pag.144.145.
Infirmitates ad Deum ire compellunt, ibi.pag.145.
Infirmitas venit propter peccatum, pſal.3.conc.2.pag.180.181.
Infirmitas flagellum Dei, pſalm.3. conc.2.pag.174.
Infirmitas campus certaminis Dei, pſal.3.conc.2.pag.176.
Ingenij pictura, pſalm.7.con.2.pag. 608.
Ingrati definitio. pſal.3.con.10.pag. 291.
Ingratus brutis deterior, pſalm.3. conc.10.pag.ibid.
Ingratitudo, pſal.3.con.10.pag.293. 294.
Ingratitudo, graue peccatum, ibi.
Ingratitudo noſtra erga Deum quanta ſit, pſal.3.conc.10.pag. 296.
Ingratitudo Deo odibilis, pſalm.5. conc.6.pag.493.
Ingratus arcui doloſo ſimilis, pſal.3. conc.10.pag.294.
Ab inimico ſuperari triſte, pſal.2. conc.8.pag.254.
Inimicus, quis propriè dicatur, pſal. 7.conc.2.pag.605.
Inimicus non nocet, ibi.
Inſula mirabilis Hiberniæ, pſal.2. conc.3.pag.98.
Iob in opinione aliquorum, vnus ex his, qui cum Chriſto ſurrexerũt, pſal.6.conc.4.pag.564.
Ionas, ſpei exemplum, pſal.6.conc.1. pag.538.
Ira Dei timenda, pſalm.1. conc.1. pag.9.
Ira Dei quanta futura ſit in iudicio, pſalm.3.conc.1.pag.166. 167.
Iudas deſperando, quam grauiter peccauerit, pſalm.6.conc.1.pag. 539.540.
Iudæi magis temporalia quā Chriſtum æſtimarunt, pſalm.1.con.3. pag.28.29.
Iugum Chriſti ſuaue, pſal.5.con.7. pag.508.
à Iuſtitia ad miſericordiam confugiendum, pſalm.1.conc.2.pag.14 & 16.
Iuſtitia & miſericordia in Deo, pſal.1.conc.5.pag.62.
Iuſtitiæ pictura, pſalm.6.conc.2. pag.544.

pag.544.
Iuſtitia noſtra, Dei iuſtitia comparata euaneſcit, pſalm.7.con.1. pag.600.
Iuſtus lætabitur in vindicta peccatorum, pſal.1.conc.1.pag.6.
Iuſtus in hac vita radicari debet & in alia fructificare, ibid. pag. 7. & 8.
Iuſtis etiam peccata in bonum conuertuntur, pſal.3.con.4.pag.218.
Iuſtum aliquando cadere ex diuina permiſſione, quare? pſalm.3. conc.4.pag.218.
Iuſtus, labore examinatur, pſalm.3. conc.7.pag.247.
Iuſtus in timore viuat, pſ.4.conc.8. pag.400
Iuſtus, vel concionator, qualis eſſe debeat, pſal.4.con.8.pag.409.
Iuſti mortis deſiderio flagrant, pſ.5. conc.3.pag.449.
Iuſti laboribus vexantur, pſalm.5. con.4.pag.474.& pſal.2.conc.7. pag.146.
Iuſti vitã præſentem ad bona opera exercenda deſiderant, pſal.5. conc.7.pag.515.
Iuſti, ſi aliquando à Deo ſeparantur, ſed citò conuertuntur, pſal.6. conc.5.pag.582.
Iuſti ſecuritas, pſal.6.conc.5.pag. 588.
Iuſtos cadere quare Deus permittat? pſal.4.conc.4.pag.349.350.
Iuſti adamantes in manu Dei, pſ.7. conc.7.pag.671.
Iuſti Deum timent, pſal.7.conc.3. pag.614.
Iuſti in hac vita laboribus vexantur, pſal.7.conc.7.pag.667.
Iuſtos quare Deus laboribus afficiat? ibid.pag.668.
ad Iuſtificationem peccatoris, Deũ & peccatorem ipſum requiri, pſal.1.conc.2.pag.27.
Iuſtificatio poteſt fieri in inſtanti, pſal.2. conc.3.pag.103.
Iudicij dies, quanto magis differtur, tanto magis timenda, pſ.1.con.2. pag.14.
Iudicium erat antiquitus in portis ciuitatem, pſal.2.conc.2.pag.87.
Iudicij dies terribilis, ibid.& pſal.3. conc.2.pag.183.
Iudicium Dei per confeſſionem debemus præuenire, pſal.3. conc.9. pag.282.
Iudicis iniquam ſententiam patienter debemus tolerare, pſal.3.conc. 7.pag.251.
Iudex non ſit acceptor perſonarum, pſal.4.conc.2.pag.320.
Iudices, quare dij appellantur? pſ.4. conc.2.pag.320.
Iudices in ſupplicijs non debent eſſe celeres, pſal.6.conc.2.pag.544.
Ixionis & Iunonis fabula, pſalm.6. conc.4.pag.561.

L

PEr *Labores peruenitur ad coronam, pſal.1.conc.1.pag.7.*
Laborare debemus in vita, pſalm.1. conc.5.pag.63.64.
Labores ad Deum ire compellunt, pſal.2.conc.2.pag.91.
Labores noſtri cum Chriſti laboribus comparati, faciles, pſal.2. conc.3 pag.97.98.
Labores iuſti, non labores ſimpliciter, ſed quaſi labores, pſalm.2. conc.5 pag.124.

Laborum

Digitized by Google

Laborum perpeſſio, prædeſtinationis indicium, pſal.3. conc.7.pag. 243.
Labores ſunt Dei ſtimuli, pſalm.2. conc.6.pag.143.vſque 145.
Laborum patientia, pſal.3.conc.7. pag.246.247.
per Laborem peruenitur ad requiẽ, pſal.5.conc.8.pag.528.& pſal.7. conc.2.pag.602.
Labores, qui pro Chriſto, & pro mundo tolerantur, in quo diſtinguantur, pſal.7. conc.7.pag.676. 677.
Lachrymæ Dauid, pſal.1. conc.4. pag.42.
Lachrymæ commendantur, ibid. pag.43.
Lachrymarum definitio, pſalm.1. conc.4.pag.45.
Lachrymas acceptabiles, non ex timore, ſed ex amore debent procedere, pſal.1.conc.4.pag.48.
Lachrymæ ſignum amoris, ibi, & pſal.4.conc.8.pag.406.
Lachrymæ Magdalenæ, quantæ virtutis fuerint, pſalm.1. conc.4. pag.48.
Lachrymæ Magdalenæ, fratrem ſuſcitarunt, ibid.pag.49.
Lachrymæ ſunt lingua pœnitentis, pſal.1. conc.5.pag.58.
Lachrymæ ex corde debent procedere, ibid.
Lachrymæ propter Dei iacturam, debent fundi, pſal.3.conc.4.pag. 221.
Lachrymæ, contritionis ſignum, pſal.4.conc.8.pag.405.
Lachrymæ propter Deum amiſſum fundendæ, pſalm.4. conc.8. pag. 406.
Lachrymæ ex charitate prodeuntes, pſal.4.con.8.pag.406.407.
Lachrymarum vis, pſal.5. conc.1. pag 421.
Lachrymæ loquuntur, pſal.5.conc.1. pag.422.423.
Lachrymæ peccatoris ignem inferni extingunt, pſal.6.conc.1. pag. 534.
Lætitiæ piorum & impiorum diſcrimen, pſal.54.con.3.pag.342.
Lætitia vera è cælo eſt, pſal.2.conc. 7.pag.155.
Lamech, primus mundi bigamus, pſal.2. conc.2.pag.83. & pſal.3. conc.3 pag.192.
Laus in ore proprio, non eſt ſpecioſa, pſal.2. conc.2.pag.87. & pſ. 4.conc.7.pag.390.
Lectio Pſalmorum, quare frequentior ſit in Eccleſia? pſal.4.con.8. pag.400.
Lætandum non eſt in vitijs, pſal.2. conc.7.pag.153.
Lex antiqua in quo ſenſu dicatur æterna? pſal..4.conc.7.pag.395.
Lex antiqua, vmbra & typus gratiæ, pſal.5.conc.6 pag.491.
quæ in Lege ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam pertinere, pſ.5. conc 6.pag.492.493.
Lex vmbra futurorum, pſ.4.conc.5. pag.367.
Lex Euangelica cum ſcripta confertur, pſal.5.conc.7.pag.508.
Lex non ſolum audienda, ſed obſeruanda, pſ.7.con.6. pag.662.663.
Libertas vitæ ſolitariæ, pſal.5.conc. 3.pag.457.
Libido, crudelis hoſtis animæ, pſ.2. conc.6.pag.138.
Libido, peccatum diuturnum, ibid.

& pag.139.
Linguæ refrenatio, pſal.3. conc.7. pag.248.
Lingua latentis iuſtitiæ indicium, pſal.3.conc.7.pag.248.
Lingua nemini parcit, pſal.5.conc.3. pag.460.
Loth, an peccauerit filias ſuas Sodomitis offerens? pſal.7. conc.6. pag.659.
Luce Euangelica exoriente, vmbræ legis ceſſauerunt, pſal.4. conc.7. pag.394.395.
Lux euangelica, mundi tenebras fugauit, pſal.5.con.5.p.481.482.
Luxuriofus, per mulum intelligitur, pſal.2.conc.6.pag.137.
Luxuriæ vis, & tyrannus, pſalm.2. conc.6.pag.137.& 140.
Luxuriæ vitium difficilè vincitur, ibi.& pag.138.
Luxuria per taurum ſignificata, pſal.2.conc.6.pag.139.
Luxuria excæcat, pſalm.2. conc.6. pag.140.141.

M

MAculam peccati, ſolus Deus poteſt delerè, pſal.4.conc.3. pag.329.330.
Magnes capiti mulieris dormientis impoſitus, quam virtutem habeat, pſ.7.conc.7.pag.673.674.
Malum nullum inultum, pſalm.1. conc.1.pag.10.& pſal.2. conc.1. pag.79.
Mala, quare Deus permittat? pſ.2. conc.1.pag.68.
ex Malis Deus elicit bona, ibid. pag.69.
Mali proſperantur in hac vita, pſ.3. conc.9.pag.285.vſque 287.
Malum & amarum à Deo derelinqui, pſal.4.con.3.pag.338.339.
Mali non flagellantur in hac vita, pſal.3.conc.1.pag.165.
Mandragoræ proprietates, pſalm.5. conc.5.pag.478.479.
Manum leuare quid ſignificet? pſ.2. conc.7.pag.147.
Manus Dei non eſt abbreuiata ad remittenda peccata, pſ.6.conc.5. pag.587.588.
Manus Dei auxilium, pſ.7.conc.2. pag.603.
Marſias Cytharœdus, cum Apolline certauit, pſ.7.conc.1.pag.596.
Materia, pſal.5. pœnitentialium, pſ. 5.conc.1.pag.413.
Medecina peccatorum facilis, pſ.4. conc.8.pag.403.
Memoria peccatorum vtilis, pſal.3. conc.2.pag.184.vſque 186.
Memoria Chriſti, labores dulces fiunt, pſal.4.conc.5.pag.369.
Memoria cæleſtium, terrena facit contemnere, pſal.5.conc.3 p.450.
Mercedis defraudatio, pſal.2.con.2. pag.88.
Mergus auis, pſal.5.con.1.pag.419.
Mentiri Deo repugnat, pſal.6.conc. 3.pag.555.
Meritum ſine Chriſto, nequaquam eſſe poteſt, pſal.5.conc.5. p.488.
Merita ad beatitudinem requiri, pſal.6.conc.1.pag.533.
Mezenzij tyranni cruciatus, pſ.3. conc.4.pag.207.
Miracula Chriſti ſignum efficax ſuæ diuinitatis, pſalm.5. conc.5. pag.485.486.
Miracula Chriſti, in quo diſtinguebantur à miraculis Prophetarum,

Digitized by Google

narum. pſalm.5.conc.5. pag.486. 487.
Miſereri & parcere Dei proprium, pſal.6.conc.2.pag.548.
Miſericordia, peccatoris Aſylum, pſal.1.conc.2.pag.14.
Miſericordia & iuſtitiæ meditatio, duæ peccatorum alæ, pſal.1.conc. 2.pag.15.
Miſericordia Dei, fons indeficiens, ibid.pag.13.
magna Dei Miſericordia eſt hic perpetuo affligi, pſalm.3. conc.1. pag.164.
eius Magnitudo, pſalm. 4. conc.1. pag.306.
Miſericordia, eſt Chriſtiani ſymbolum, pſal.4.conc.1.pag.311.
Miſericordiam ſuam, nunc Deus offert peccatori, pſalm.4.conc.4. pag.348.
Miſericordia, inter omnia Dei attributa fulget, pſalm.6. conc.2. pag.541.
à diuina Miſericordia nunquam deſperandum, pſalm. 4. conc.2. pag.327.
Miſericordia cœli ianua, pſalm.6. conc.2.pag.542.
Miſericordia Dei, quomodo ſuper omnia eius opera, pſal.4. conc.1. pag.309.
Miſericordia Dei cum noſtra confertur, pſal. 4.conc.1.pag.310.
Miſericordia Dei commendatur, pſ. 4.conc.9.pag.348.349.
Mœror eremim ciborum tollit, pſ.5. conc.2.pag.441.
Moloch idoli cultus, pſal.5. conc.3. pag. 451.
Mors animæ deploranda, pſalm.1. conc.4.pag.46.
Mortis memoria vtilis, pſ.2.conc.6. pag.139.& pſ.3.conc.4.pag.216. & pſal.5.conc.2.pag.436.
Mors vbique præ foribus ideo vigilandum, pſal.5.conc.2.pag.444.
Mortis obliuio à primo noſtro parente trahit originem, pſ.5. conc. 2.pag.435.
Mortis oblitus frænetico ſimilis, pſ.5. conc.2.pag.435.
Mortis obliuio, pſalm.5.conc.2.pag. 436.437.
Mortis memoria, frænum peccatoris, pſal.5.conc.4.pag.462.
Mortis memoria à noſtris mentibus ſeparari non debet, pſalm.5. conc.4.pag.465.
Mortis memoria à peccatis retrahit, pſal.5.conc.4.pag.465.
Mortui, quare non ſtatim reſurgũt? pſal.5.conc.4.pag.464.
Moyſes tanquam Dei miniſter miracula faciebat, pſalm.5. conc.5. pag. 486.
Moſes vidit Deum raptim, & per modum tranſeuntis, pſal.5.con.8. pag.529.
Mulierum conſpectus fugiendus, pſ. 2.conc.6.pag.138.
Mundi fuga, pſal.1.conc.5. pag.54. pſal.3.conc.3.pag.205.
Mundus, quare figura appellatur? pſal.5.conc.4.pag.468.469.
Mundi inconſtantia, pſal.5.conc.4. pag.469.
Mundus aquæ decurrenti ſimilis, pſal.5.conc.4.pag.469.470.
Mundus, ciſterna diſſipata, pſal.2. conc.7.pag.158.
Mundi gloria breuis, pſal.1.conc.3. pag.32.
Mundi gaudia momentanea, pſal.4. conc.3.

Digitized by Google

conc.1.pag.340.
Mundi principes, magni ſibi videntur, pſal 4.conc.1.pag.307.
Mundi principes, abutuntur poteſtate ſibi tradita, pſalm.5.con.5. pag.482.
Mundum habuiſſe initium, pſal.5. conc.8.pag.521.
Mundus propter hominem creatus, pſal.5.conc.8.pag.523.
Mundus templum appellatur, pſ.5. conc.8.pag.522.
Mundus per ignem purgandus, pſ. 5.conc.8.pag.524.
Mundus exactor dicitur, quia multa à mundanis exigit, pſ.5.conc.3. pag.458.
in Mundo, extra mundum eſſe poſſumus, pſal.5.con.3.pag.458.459
Mundus pauper eſt, pſalm.5. conc.1. pag.415.
Mundus Alexandri famem ſatiare non potuit, ibid.
Mundi diuitiæ, fictitiæ non veræ, pſal.5.conc.1.pag.416.
Mundi pericula fugienda, pſalm.5. conc.3.pag.455.
Mundus, nõ ſolum corpore, ſed corde relinquendus, ibi, & pag.456.
Mundus procul fugiendus, ibid. pag.455.
Mundus, duplex in ſcriptura, ibi, & pag.456.
Mundi confidentia fallax, pſalm.6. conc.4.pag.569 570.
Mundus arundineto cõparatur, ibi.
nemo Mundus abſque ſorde, pſal.2. conc.4.pag.116.
Muſica vis quanta ſit, pſal.7.con.1. pag.590.591.
Muſtela aure concipit, pſal.2.con.8. pag.259.
Myrrha pœnitentiæ ſymbolum, pſ.5. conc.8.pag.262.

N

NAbuchodonoſor, peccatoris imago, pſ.3.con.2.p.178.179.
Natura noſtra ad malum procliuis, pſal.1. conc.2.pag.19. & conc.5. pag.54.
Natura humana per peccatũ manſit inclinata, pſ.1.con.2.p.19.20.
Natura humana cum Angelica cõfertur, ibid.
Nyli cathaduppæ, pſalm.2.conc.2. pag 88.
Ninus Aſſyriorum Rex, ſagittæ ictu interijt, pſal.6.conc.4.pag. 565.
Noe, fecit feneſtram cryſtallinam in arca, pſal.6.conc.4.pag.561.
Nomen Ieſus, pſal.3.con.2.pag.184.

O

OBedientia mandatorum Dei, pſal.7.conc.6 pag.661.662.
Obedientiæ promptitudo, ibi p.662.
iuſtè ſui Obliuiſcitur in morte, qui viuens Dei oblitus eſt, pſalm.2. conc.4.pag.118.
Obſeruatio legis diuinæ, pſ.7.con.6. pag.662.
ad Obſeruationem omnium mandatorum, requiritur auxilium ſpeciale, pſal.7.conc.6.pag.660.
Octaua, quid ſit, pſal.1.con.1.pag.2.
Oculi Domini ſuper iuſtos, pſal.2. conc.5.pag.129.
Oculis Domini omnia nuda, & aperta, pſal.4.conc.2.pag.322. 323.

Oculorum

Oculorum cuſtodia,pſal.2.con.6. pag.138.
Oculus apud Ægyptios, Deum ſignificat,pſ.5.con. 6.pag.499.
Opera noſtra neceſſaria ad ſalutem,pſ.2.con.4.pag.114.115. & pſ.5.con. 7.pag.510.& pſ. 7.con.6.pag.664.665.
Opera ſatisfactoria, debent eſſe ſpontanea,pſ.2.con.8.pag.263.
Opera in peccato facta, non ſunt meritoria,pſ.4.con. 7.p. 396.
Opera in peccato facta poſſunt eſſe ſatisfactoria.pſal.4.con.8. pag.412.
Opera ſua perdit peccator, pſ. 5. con.3.pag.451.
Opera ſua ſacrificat diabolo peccator,pſ.5.con.3.pag.452.
in Oratione non ſunt alleganda propria merita,pſ.1.con.2.pag. 18.& pſ.5.con.1.pag.424. 425.& pſ.7.con.1.p.596.
Orationem impedit peccatũ, pſ. 1. con. 5.pag.61.pſal.5.con.1. pag.424.
Ad orationem accedens, venenum peccati deponat,pſ.1.con. 5.pag.61.
Orationis vis,pſalm.5.con.1.pag. 420.
Oratio in Deum praualet,pſa.5. con.1.pag.421.
Orationi fiducia neceſſaria eſt, pſ.5.con.1.pag.427.
Oratio perfecta ex corde debet procedere, pſalm.5.con.1.pag. 421.422.& pſal.7.con.4.pag. 629.
Oratio lenit & lachryma cogit, pſ.5.con.1.pag.422.
Oratio perfecta, cor & linguam requirit,pſ. 5. con.1.pag.423.
Orationis impedimenta,pſ.5.con. 1.pag.424.
Oratio peccatoris licet nõ ſit meritoria,ſed poteſt eſſe impetratiua.pſ.5.con.1.pag.425.
In oratione confidentia requiritur.pſ.5.con.1.pag 426.
Orationi cõtrariatur peccatum, pſ.6.con.1.pag.540.
Orans Deum ſuã miſeriam, non merita debet allegare, pſa.7. con.1.pag.596.
Oratio ſit feruida, pſal.7.con.4. pag.627.
Oratio ſit perſeuerans, pſal. 7. con.4.pag.628.
Oratio humilis,pſ.7.con.4.p.632.
Oratio Iob, Deo accepta,pſ 7.con. 4.pag.632.

P

PAntheon templũ, pſ.1.con.3. pag.32.33.
Parentes, à filijs honorandi.pſ.7. con.1.pag.597.vſque 600.
Parcere & miſereri Dei propriũ, pſ.6.con.2.pag.548.
Paſſiones per figuram Deo attribuuntur,pſ.3.con.1. pag.166.
Patientia Dei, adamãti comparatur,pſ.1.con.1.pag.6.
Patientia exempla,pſal.3.con.8. pag.274.
Patres antiqui quare terrã aut cinerem capitibus imponebãt, pſ.5.con.2.pag.431.432
Patriarcha, & Propheta per fidem receperunt Chriſtum, pſ. 4.con.5.pag.368.369.
D.Paulus amore videndi Deum

Digitized by Google

flagrabat,pſ.6.con.4.pag.564.
Pauperum oppreſſio, pſ. 2.con.2. pag.88.
ex Pace vbertas,pſ.4.con 8.pag. 408.409.
Pacis commendatio.pſal.5.con.7. pag.507.
Peccatore,ſerò pœnitẽtias,ceruis pragnantib.ſimiles,pſ.1.con.1. pag.10.
Peccatũ hominis quare dignum fuit reparatione, non angeli? pſ.1 con.2.pag.19.
Peccatum ex fragilitate natura, dignius eſt venia,pſ.1 conc.2. pag.16.
Peccatũ ſine occaſione, grauius, pſal.1.con.2.pag.20.
Peccata ſũt plangenda, pſ.1.con. 2.pag.23.
Peccatum impœnitẽtia irremiſſibile,pſ.1.con.4.pag.53.
Peccatorum inundatio, pſ.2.con. 1.pag.70.
Peccatum dicitur tenebra,pſa.1. con.4.pag.50.Excacat,ibid.
Peccatũ peruertit rationẽ, ibid.
In peccatis non commorandum, ibid.pag.52.& pſalm.2.con.1. pag.73.
Peccatum ſeipſum prodit & manifeſtat,pſ.2,con.1.pag.77.
Peccata clamant ad Deum,pſ.2. con.2.pag.87.
Peccatum, peccatoris delator eſt ipſum accuſans,ibid.
Peccata quatuor ſpecialiter clamant ad Deum,ibid pag.88.
Peccatum Sodomorum,ibid.
Peccatũ omiſſionis, per delictum intelligitur.pſ.2.con 3.pag.99.
Peccatum mortale, poſt mortem non remittitur, pſ.2.cõ.4.pag. 108.
Peccatum eſt cacitas,pſ.6.con.2. pag.546.
Peccatum gladius anima,pſa. 2. con.5.pag.125.
Peccatum,puteus, & abyſſus dicitur,ibid.
Peccatũ omne,voluntarium,ibi. pag.126.
Peccatum curuitas anima, pſ.2. con.3.pag.202.
Peccati macula quanta ſit,pſ.4. con.3.pag.332.
Peccatum obliquitas quãdã eſt. pſ.4.con.4.pag.334.
Peccatum inducit timorem,pſ.2. con.5.pag.230.231.
Ex peccato tenebra, & cacitas oriuntur,pſ.3.con. 5.pag.233.
Peccatũ ſomnus & ebrietas dicitur,pſ.3.con.4.pag.219.
Peccata corã habenda, pſ.3.con. 2.pag.185.
Peccatum,tyrãnis quadam anima,pſ.3.con.2.pag.187.
Peccatorum cognitio neceſſaria, pſ.4.con.1.pag. 306.
Peccatum,animam inficit, pſa.4 con.1.pag. 311.& pſ.4.con.4. pag.355.
Peccati dãna, pſ.4.con.2.p.315.
Peccatum anima macula; pſa.4. con.3.pag.328.
Peccatũ originale quid ſit, pſ.4. con.2.pag.324.
Peccatum originale, ad alia peccata propellit,ibid.
Peccati grauitas,quãta ſit, pſ.4. con.3.pag.332.
Peccatum dicitur lacus, pſal.4. con.6.pag.375.

Pecca

Digitized by Google

Peccatum deſtruit omnia merita, pſ.4.con. 8 pag.399.
Peccatũ nullum incurabile apud Deum, pſ.4.con.8.pag.400.
Peccatum omnia inficit, pſ.5.con. 8.pag.525.526.
Peccatum originale, latrunculo ſimile. pſ.4.con.2.pag.324.
Peccatum originale radix omnium peccatorum, ibid.
Peccata aliena benignè corrigẽda, pſ.4.con.2.pag.325.
Peccatum, confuſionem indicit, pſ.4.con.4.pag.349.
Peccatoris inuerecundia, pſal.4. con.4.pag.350.
Peccati remiſſio, natura pracedit gratiam iuſtificantem, pſal.4. con.4.pag.352.
Peccatum, anihilauit Angelum ſecundum eſſe gratuitum, pſ.4. con. 4.pag.353.
Peccatum, cordis venenum, pſ.4. con.4.pag.354.
ex Peccato pronitas ad malum oritur. pſ.4con.4.pag.354.
Peccata vincula, & compedes dicuntur, pſ.5.con 6.pag.501.
Peccatum fugiẽdum, pſ.5. con.6. pag.502.
Peccatum eſt captiuitas, pſal.6. con.1.pag.536.537.
Peccati defenſio damnatur, pſ.6. con.2 pag.546.547.
Pecata dimittere, ſolus Deus poteſt. pſ.6.con.2.pa.550.551.
Peccatum nullũ irremiſſibile in hac vita, pſ.6. con.5.pag.588.
Peccatum mors anima, pſ.7.con. 4.pag.634.
Peccatum ad nihilum reducit, ibid.
Peccatum dicitur lacus, pſal.7. con.4.pag.635.
Peccatum impedit ne praces noſtra exaudiantur, pſ.7.con.1. pag.594.595.
Peccata tenebra dicuntur, pſ.7. con.2.pag.610.
Peccatum dicitur fœtor, pſal.7. con.4 pag.636.
Peccatum ſonitus, aut ſtrepitus dicitur, ibid.
Peccati crudelitas, pſal.2.con.2. pag.189.
Peccati grauitas, pſal. 2.con.2. pag.190.
Peccati pondus non omnes ſentiũt, pſ. 3.con.2.p.191.&192.
Peccatum eſt vulnus anima, pſ. 3.con.3.pag.192.
Peccatum anima venenum, pſ.3. con.3.pag.194.
Peccatum eſt corruptio mentis, pſ.3.con.3.pag.195.
Peccati fœtor, pſal.3.con.3.pag. 195.196.
Peccator fœtorem peccatorũ non ſentit, pſ.3.con.3.pag.196.
Inferni captiuitas, pſal.3.con.2. pag. 189.& 191.& pſ.3.con. 3.pag.192.193.
Peccator eſt virga Dei, qua iuſtum percutit, pſalm.1.con.1. pag.13.& pſ.2.cõ.7.pag.150.
Peccator. quãtum in ſe eſt Chriſtum per peccatum occidit. pſ. 1.con.2.pag.23.
Peccato latari non debet, ibid. & pag.24.25.
Peccator poteſt ſe pracipitare in peccati foueam, ſed inde exire per ſe non poteſt, pſal.1.con.3. pag.25.

Pecca

Peccator non poteſt diſponere ſe ad gratiam ſuis viribus,diſpoſitione vltima,pſalm.1.con.3. pag.26.
Peccator ſenper debet timere. pſ.3.con.1.pag.160.
Peccatores magnam cõfuſionem patientur in die iudicij,pſa.1. con.3.pag.32.
Peccator Deo terga vertit Quãtum malum hoc ſit,pſ.1.con.3. pag.33.
Peccator quantam animæ iacturam faciat, pſal. 1.con.4.pag. 44.
Peccator habet cõſcientiam cauteriatam,pſ.1.con.4.pag.45.
Peccator poteſt cadere,ſed nõ reſurgere ſine Dei auxilio,pſ.1. con.4.pag.46.
Peccantes ex malitia, grauius punientur,pſ.4.con.2.pag.326.
Peccator obſtinatus, pſ.1 con.4. pag.62.& pſ.7.con.2.pag.610. 611.
Peccator inſtabilis eſt,pſ.2.con.1. pag.71.
Peccator venditus eſt, & peccati ſeruus,pſ.3.con. 2.pag.188.
Peccator timidus, pſal. 3.con.5. pag.232.
Peccator per tenebras ſignificatur,pſ.3.con.5.p.233.
Peccatores, quare proſperantur in hac vita? pſal.3.con.9.pag. 288.
Peccator in præſenti duplici pœna punitur, pſal.4.con. 5.pag. 359.
Peccator quomodo elongetur à Deo,pſ.4.con.5.pag.359.
Peccatores conuerſi,ſunt miſericordiæ diuinæ præcones,pſa. 4. con.6.pag.375.
Peccator inutilis dicitur,pſal.6. con.2.pag.544.
Peccator dicitur excors,pſ.4.con. 4.pag.353.
Peccator temerarius & ſtultus, pſal.5.con.3.pag.452.
Peccator ſimilis columbæ in ſtultitia,pſ.5.con.3.pag.452.453.
Peccator, neque cœleſtia,neque temporalia meretur,pſ.5. con. 1.pag.425.426.
Peccatores Deus non exaudit, quomodo intelligendum, pſal. 5.conc.1.pag.425.
Peccatores Deus non audit ex iuſtitia, ſed aliquando ex miſericordia, pſ. 5. con.1.p. 425.
Peccator mortuus dicitur, pſ. 5. con.6.pag.502.
Peccatorem de mundo tollere, miſericordia Dei eſt,pſalm.5. con.7.pag.514.515.
Peccator mortuo ſimilis,pſal. 7. con.2.pag. 610.
Peccator Deum irritat,pſalm.7. con.3.pag.615.
Peccator ſurdus, pſ.7.con. 4.pag. 636.637.
Pelicanus peccatoris ſymbolum, pſal.5.con.3.pag.451.
Penna columbæ quid ſignificent, pſal.3.con.3.pag.204.
Permittit Deus iuſtos cadere,ad aliorum eruditionem, pſal.4. conc.6.pag.372.
Pericles ducatum contempſit,pſ. 5.conc.3.pag.453.
Perſecutio quam paſſa eſt Eccleſia à tyrannis, pſal.5. conc. 1. pag.418.

Perſe

Digitized by Google

Perſeuerantia virtus neceſſaria, pſ.1.con.4.pag.39.40.
Perſeuerantia donum à Deo eſſe, pſa.4.con.5.pag.370.
Perſeuerantia, quid? ibid.
Ad perſeuerandum, auxilium ſpeciale requiri, pſal. 4. con.5. pag.370.371.
Perſeuerantia in oratione, pſa.5. con.1.pag.428.
Pedes in ſcriptura, ſunt ſymbolum fortitudinis & ſtabilitatis, pſ.3.con. 8.pag.257.
Petita nõ concedit Deus aliquãdo, quia non expedientia petimus, pſ.5.con.1.pag.427.
Petri frequentes ad omnem Galli cantum lachrymæ pſ. 4.con. 1.pag.313.
Phariſeorum iuſtitia depingitur, pſalm.5.con.7.pag.509.vſque 511.
Phœnix reſurrectionis ſymbolum, pſ.7.con.5.pag.646.
Philoſophi multa ex ſcriptura ſacra furati ſunt, pſal. 3 con.7. pag.249.
Philoſophorum dicta nõ contemnenda, pſal. 3.con.7.pag.250.
Philoſophorum dicta citat Paulus, pſal.5.con.3.pag.447.
Philoſophi, vulturibus comparantur, pſ.7.con.5.pag.648.
Phidias Mineruam effinxit, pſal. 5.con.8.pag.520.
Pietas populi Romani pſa.5.con. 1.pag.420.421.
Pietas impietati præferenda, pſa. 6.con.2.pag.542.
Piè viuentes perſecutionem patiuntur, pſal.7.con.2.pag.602. 601.
Pilatus, tunicam Chriſti induit, pſal.3.con.1.pag.171.
Piorum & impiorum lætitiæ diſcrimen, pſa.4.con.3.pag.342.
Pœna ſenſus & pœna damni, & quæ ſit maior, pſ.4.con.5.pag. 358.
Pœna duplex debetur peccato, pſ.4.con.3.pag.338.
Pœna damnatorũ duplex, damni & ſenſus, pſ.4. con. 5.pag.358.
Pœna damni, maior pœna ſenſus, & magis timenda, pſ.4.con.5. pag.358.359.
Pœnitentia vera quæ, pſ.2.con.1. pag.76.
eius definitio. pſal.3.cõ.9.pag. 276.
Pœnitentia non eſt differenda, pſ. 1.con.2.pag.15.& pſ.4 con.3. pag.330.
Pœnitentia opportuna, & ante mortem, pſal.1.con 3.pag.36.
Pœnitentia ſera periculoſa, pſ.1. con.3. pag. 37.& pſ.6.con.5. pag.582.583.
Pœnitentia virtus commendatur, pſ. 2.con.1.pag.72.
Pœnitentia in quo conſiſtat, pſal. 2.con.1 pag 75.
Pœnitentia exterior ſine interiori nihil valet, ibid.
Pœnitentia vera & ficta, pſal.2. con.1.pag.77.
Pœnitẽtiæ tres partes integrales pſal.3.conc.9.pag.276.
Pœnitentiæ definitio, ibid.
Pœnitentia non eſt differenda. pſal.1.con.2.pag.15.& pſal.6. con.5.pag.581.
Pœnitentia commendatur, pſ.1. con.2.pag.23.24.

Pœniten

Pœnitentia virtus, pſal.4.con.3. pag.334.

Pœnitentia non requirit moram, pſal.2.conc.3.pag.103.104.

Pœnitentia opportuna, & ſera, pſal.2.con.4.pag.116.

Pœnitentia in hora mortis periculoſa, ibi.pag.117. vſque 119.

Pœnitentia debet fieri cum diſcretione, pſalm.3. conc.8. pag. 261.

Pœnitentiæ quæ olim iniungebantur ab Eccleſia, quare tam rigoroſæ, pſalm.3. conc.8. pag.262.

Pœnitentiam non eſſe differendam, pſal.4.conc.6.pag.377.

Pœnitentiam differens, forſitan Dei gladium inueneret, ibi, pag.378.

Pœnitentiæ ſermo vtilis, pſal.4. conc.8.pag.402.403.

Pœnitentia quæ ſignis exterioribus non manifeſtatur, ſuſpecta, pſal.4.conc.8.pag.403.

Pœnitentiæ virtus quanta ſit, pſal.4.conc.3.pag.334.

Pœnitentia ad meliorem ſtatum reſtituit, ibi vſque, pag.338.

Pœnitentiam refugit peccator, pſal.4.conc.8.pag.412.

Per pœnitentiam reſtituitur peccatori, quod per peccatũ amiſerat, pſal.4.conc.8.pag.412.

Pœnitentia commẽdatur, pſal.5. conc.2.pag.441.

Eius agendæ modus, ibid.

Pœnitentia cur naui comparetur, ibid.

Pœnitentia eſt cœli via, pſal. 7. conc.5 pag.650.651.

Pœnitentis dolor, doloribus parturientis quare comparetur. pſal.4.conc.8.pag.403.

Policrates Samiorum dux, annulum recuperauit, pſal.6. conc. 4.pag.565.

Policratis mors, ibid.

Portæ inferi quid ſignificent, pſal. 2.conc.2.pag.87.

Princeps debet eſſe iuſtus, pſal.4. conc.2.pag.319.

Princeps & mundi potentes, legi obedire debent, pſal.5. conc.5. pag.483.484.

Principes & potentes, Deum timere decet, pſal.5. conc.5.pag. 481.

Prophetiæ excellentia, pſalm. 4. conc.5.pag.363.

Prophetæ & dicuntur nubes, ibidem.

Prophetæ & Apoſtoli, vigiles & cuſtodes dicuntur, pſal.4.conc. 5.pag.364.

Propheticum teſtimonium, eſt fidei confirmatio, pſal.4.conc.5. pag.364.365.

Prophetæ deſiderauerunt Chriſtum, pſal.4.conc.5 pag.367.& pſal.6.conc.4.pag.562.

Prophetæ, vigiles appellantur, pſal.6.conc.4.pag.562.

Propitiatorium fuit typus crucifixi in ingreſſu templi, pſal.6. conc.2.pag.548.

Promiſſio Dei certa & efficax, pſal.5.concio 8.pag.526.527.

Pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, vnde ortum habet? pſal.3.conc.4.pag.208.

Proſperitas aſſidua infœlix, pſal. 2.conc.7.pag.148.

Proſperantur peccatores in hac

vita,pſal.2.con.7.pag.148.
Proſperantur peccatores in eorum malum,pſal.3.con.1.pag.164.
Protectio diuina,pſal.6.conc.5.pag. 584.vſque,586.
Protegit Deus confugientes ad ſe,pſ. 7.con.6.pag.658.
Puluerem noſtræ mortalitatis Deus aſſumpſit, pſalm. 5. con. 2. pag. 432.
Purgatorium,limen domus Dei dicitur,pſ.6.con.1.pag.521.
Prælatorum exemplum, pſal.3. con. 3.pag.198.199.
Prælati propter ſubditorum peccata puniuntur,ibi.pag.199.

R

R*Ecedere à Deo,quàm malum ſit pſ.1.con.3.pag.29.*
Recidiuatio culparum,pſal. 2.con.3. pag.200.
per Recidicationem peccata dimiſſa aliquo modo redeunt,pſal.3. con. 3.pag.202.
Recidiuans murenæ comparatur,pſ. 3.con.3.pag.201.
Recidiuantem Deus abominatur,pſ. 3.con.3.pag.202.
Redemptio, liberationem, defenſionem,præſidium, & ſaluationem ſignificat,pſal.6.con.5.pag.583.
Redemptio Chriſti copioſa, pſal. 6. con.5.pag.586.587.
Regi flere non licet, pſ. 1.con. 4.pag. 43.
Reges & principes,quos libros legere debeant,pſalm.3. conc.7. pag. 249.
Rex legi humanæ nõſubditur quantum ad vim coactiuam,ſed directiuam,pſal.4.con.2.pag.318.
Regnum cælorum vim patitur,pſal. 3.con.pag.244.245.
Religioſo Deo grati,pſalm.4.con.7. pag.391.
Ex remiſſione peccatorum,gloriam ſibi comparat Deus,pſ.2.conc.4. pag.107.
Remiſſio peccatorum nullis limitibus coarctatis,pſal.6.con.5.pag. 587.588.
Reſpicere Dei, fauorem & miſericordiam ſignificat,pſal.4.con.4. pa.346.& pſalm. 5.conc. 6. pag. 497.498.
Reſurrectio,mane, ſiue aurora dicitur,pſalm.7.con. 5.pag.642. reſurrectio futura,pſal.7.con.7.pa. 643.
Reſurrectio Chriſti,noſtræ reſurrectionis exemplar,pſ.7.con. 5.pag. 644.vſque 647.
Romani poſt Cannenſem cladẽ,deos ſuos inuocârunt, pſ. 5.con.1.pag. 420.
cur Deus in Rubo apparuit, pſal.3. con.7.pag.246.
Rubus Moſaycus, quid adumbraret? pſ.5.con.2.pag.439.440.

S

Per Sabbatũ,æterna requies adumbratur,pſ.3.con.1.pag.160.
Sacrificium,& holocauſtium in quo differant? pſalm. 6.conc. 3. pag. 556.
Sacrificia veteris legis,non erant per ſe accepta,pſalm.4. conc.7. pag. 395.
Sacrificia veteri legis,non ex opere operato accepta,ibi.
Sacrificium iuſtitiæ quid ſit? pſal.4. con.8.pag.402.

Sagittæ duplices, mortis & amoris, pſ.3.con.1.pag.170.171.

Sal, Sapientiæ ſymbolum, pſal.1.con. 3.pag.34.

Samſon, peccatoris imago, pſ.6.conc. 1 pag.537.

Sanguis animalium figura fuit ſanguinis Chriſti, pſalm. 4. conc.3. pag.331.

Sanguine Chriſti omnes indigemus pſ.4.con.3.pag.334.

Sanguis peccatum ſignificat, pſal.4. con.6 pag.382.

Sancti patres meruerunt incarnationis accelerationem, pſal.5.con. 5.pag.489.

Sancti patres, beneficijs Dei grati extiterunt, pſalm. 5.conc.6.pag. 492.

Sancti cur hanc ſibi protrahi vitam orent, pſ.5.con.7.pag.515.

Sancti patres vitæ tædium habuerunt, pſ.6.con.4.pag.563.

Sanctorum exempla coram proponenda, pſ.7.con.3.pag.620.

Sardanapali epitaphium, pſa.4.con. 8.pag.410.

Sargus piſcis, hominis inimicus, pſa. 5.con.4.pag.471.472.

Satisfactio tres habet partes, pſal.2. con.4.pag.111.

Satisfactio, quomodo neceſſaria? ibi, & pag.260.

Satisfactionem noſtram, præter ſatisfactionem Chriſti requiri, pſ. 2.con.4.pag.113.

Satisfactio debet eſſe voluntaria, pſ. 3.con.8.pag.285.

Satisfactio cum diſcretione iniungenda, ibi.

Satisfactionis voluntaria acceptatio, pſal.3.con.8.pag.273.274.

Satisfactio quid? pſal.4.con. 8.pag 410.

Satisfactionem, primus docuit Deus, ibi.

Saul, quare de regno fuerit depoſitus; pſal.5.con.5.pag. 484.485.

Scauri piſcis prudentia, pſal.6. con. 1 pag.537.538.

Securitas Eccleſiæ, pſal.2.con.5.pag. 121.122.

Securitas iuſti, ibi.

Securitas bonæ conſcientiæ, pſ.3.con. 7.pag.252.vſque 254.

Sedechias ductus captiuus Babylonem, eam non vidit, pſ.6. conc.3. pag.555.

Scilurus Scita, cõcordiam filijs commendauit, pſalm.5.conc. 7. pag. 505.506.

Semiramis, per columbam ſignificata, pſ.3.con.2.pag.182.

Senſualitatis ignis omnem virtutem deſtruit, pſ.3.con.5.pag.223.

Senſus ſpiritualis inquirendus, pſal. 4.con.3.pag.330.

Sententia iudicis, quantum ſit timenda, pſalm.3.conc.2.pag.180. 181.

Septenarius numerus Deum ſignificat, pſal.5.conc.9.pag.499.

Scriptura ſacra, pictura quadam eſt, pſ.4.con.1.pag.303.

Scriptura ſacra, metaphoris & ſimilitudinibus vtitur, pſal. 5.con. 3.pag.445.

Scriptura ſacra, ſententijs Philoſophorum vtitur, pſal.5.con.3. pag. 447.

Scriptura ſacra, quare dicatur muſica, pſal.6.con.3.pag.555.

Scriptura ſacra ex omni parte vtilis, pſ.6.con.4.pag.569.

Scriptura

Scriptura ſacra, per exempla procedit, pſal. 7. con. 3. pag. 621.
Serpentis prudentia in quo cōſiſtat? pſal. 1. con. 4. pag. 44. & pſal. 2. con. 9. pag. 283. 284.
Sanctus Syluester lepram Conſtantini curauit, pſ. 5. con. 1. pag. 420.
Simulachrum Lacedamonorum, pſ. 4. con. 6. pag. 379.
Sitis & appetitus Dei, pſal. 7. con. 3. pag. 623.
Synagoga, quare à Deo derelicta, pſ. 1. con. 3. pag. 28. 29.
Synagoga in Agar adumbrata, pſa. 5. conc. 6. pag. 491.
Synagoga finienda, pſa. 5. con. 6. pag. 491. 492.
Synagoga hiena comparatur, pſ. 7. con. 4. pag. 630. 631.
Synagoga, Deum in propria perſona non vidit, ſicut vidit Eccleſia, pſ. 7. con. 5. pag. 649. 650.
Societas malorum fugienda. pſ. 1. con. 5. pag. 54.
Spes peccatorum fallax, pſal. 1. con. 3. pag. 36.
Spes præmij, labores tolerare facit, pſ. 2. con. 7. pag. 150.
Spes noſtra in quo reponenda? pſal. 6. con. 3. pag. 553. 554. & pſal. 6. con. 4. pag. 565.
Spei definitio, pſ. 6. con. 3. pag. 556. & pſ. 7. con. 5. pag. 638.
Spes ſine meritis, præſumptio eſt. ibi. & pag. 558.
Sperare in domino quis verè dicatur, pſ. 6. con. 3 pag. 556. 557.
Spes in bonis operibus fundari debet, pſ. 6. con. 3. pag. 558.
Spes malorum depingitur, ibid. & pſ. 6. con. 4. pag. 561.
Spes omnium laborum ſolamen, pſ. 6. con. 4. pag. 560. 561.
Spei ſymbolum, ibid.
Spes anchora, in Deo reponenda, pſ. 6. con. 4. pag. 562.
Spes perſeuerans debet eſſe, pſ. 6. con. 4. pag. 576. vſque. 578.
Spes debet eſſe affectuoſa & dilectiua, pſ. 7. con. 5. pag. 639.
Spiritus, peccato ſeneſcit, pſ. 4. conc. 4. pag. 357.
Spiritus renouatio, ibid.
Spiritus prophetiæ dicitur ſpiritus ſanctus, pſ. 4. con. 5. pag. 363.
Spiritus ſanctus ducit nos ad patriā, pſ. 7. con. 6. p. 666.
Statua Dedali affugiebant, pſal. 1. con. 5. p. 56.
Status gratiæ, cum ſtatu peccati cōparatur, pſ. 4. con. 2. p. 316. 317.
Superbia ſemper cupit aſcendere, pſ. 2. con. 6. p. 134. 135.
Superbiam noſtram Chriſti humilitas confundit, ibi. p. 135.
Superbia priuat intellectu, pſ. 2. con. 6. p. 140.
Superbia fugienda, ibi. & pag. 139. 140.
Superbiæ peccatum quāta mala fecerit, pſ. 3. con. 2. p. 142.
Superbus per equum intelligitur, pſ. 2. con. 6. pag. 132. 133.
Superbus audax eſt, ibi.
Superbus ebrio comparatur ibi. & pag. 134.
Superborum gloria, non eſt ſtabilis, ibi. pag. 135.
Superbus ſeipſum non agnoſcit, pſ. 2. con. 6. pag. 138.
Superbus perdici & capræ comparatur, pſal. 7. con. 2. pag. 606.
Supplicia præſentia cum futuris comparantur, pſal. 1. pag. 8. 9.

Digitized by Google

Supplicia Dei limitata funiculo, pſ.6.con.2.pag.544.

Supplicia Dei, quare in ſcriptura memoriæ mandantur, pſ.7.con.3. pag.613.

T.

TAcet Deus & diſsimulat in vita præſenti, pſal.7.con.5. pag.643.

Taciturnitas peccatorum vitioſa, & propriarum virtutum prædicatio noxia, pſ.2.con.2.pag.86.

Thau litera, figura ſacroſanctæ crucis, pſ.5.con.6.pag.500.

Taurus, incontinentiæ ſymbolum, pſ.2.con.6.pag.139.

Templum Salomonis vbi ædificatum, ex opinione aliquorum, pſ.3. con.10.pag.292.293.

In templi ædificatione non eſt auditus malleus, neque inſtrumentum, pſal.5.con. 4.pag. 474. & pſ.7.conc.7.pag.667.668.

Templum pacis, Romæ ædificatum, pſ.7.con.7.pag.507.507.

Templum laboris, & virtutis, pſ. 7. conc.2.pag.602.

Temporalia magis æſtimãtur, quàm æterna, pſ.2.con.6.pag. 140.141.

Tempora duo ad pœnitendum apta, pſ.6.con.5.pag.580.

Tentatio diaboli, aut carnis, oratione ſuperanda, pſ. 5. con. 1. pag. 417.418.

Tentari nos vltra vires non patitur Deus, pſ.6.con.3.pag.552.

in Tentatione Deus inuocandus, pſal.7.con.6.pag.457.458.

Tentat Deus iuſtos, pſal.7.con. 7. pag.670.

Teſtudo, cur ſub Veneris pede depicta? pſal.2.con.6.pag.141.

Teſtudo excors, ibid.

Theodoſij Imperatoris inſignis clementia, pſ.4.con.1.pag.311.

Timor iudicij commendatur, pſ. 1. con.1.pag.9.

Timor gehennæ vtilis, ibid.

Timor multoties via eſt ad contritionem, pſ.4.con.8.pag.404.

Tyranni animæ ſunt quinque, pſ. 2. con.2.pag.85.86.

Tribulatio, miſericordiæ Dei aſcribitur, pſ.2.con.3.pag.92.93.

Tribulatio, peccatorem conuertit ad Deum, pſ.2.con.3.pag.94.95.

Tribulatio, eſt locus certaminis Dei, ibidem.

Tribulatio per aquam intelligitur, pſ.2.con.4.pag.116.117.

Tribulatio iuſtum circundat, ſed nõ lædit, pſ.2.con.5.pag.120.121.

Tribulatio iuſtorum non nocet eis, pſ.5.con.2.pag.438.

Tribulatio præſens, breuis eſt, pſ. 5. con.7.pag.512.

Tribulationum ſagittæ, in bonum noſtrum ordinantur, pſ.3. con. 1. pag.169.170.

Tribulatio præſens cito tranſit, ibid.

Tribulatio iuſtis proficua, pſ. 7.con. 7.pa.174.175.

Triumphus duplex: Dei & hominis, pſ.1.con.1.pag.2.

Turtur, perſeuerantiæ ſymbolum, pſ.1.con.4.pag.41.

Tyrannorũ pœna, pſ.5.con.5.p. 482.

V.

VAllis Ennon, vbi, pſ.4. con. 1. pag.308. & pſ.6.con.2.p.547.

Vbera Dei, diuinam conſolationem ſignificant,pſ.2.con.7.p.156.157
Veneris ſtatua à Phidia confecta,pſ. 2.con.6.p.141.
Veritas, quomodo principibus prædicanda,pſ.4.con.1.p.305.
Verbum, quare magis carnem aſſumpſerit, quàm alia perſona,pſ. 5.con.4.p.470.471.
Verbum Dei humilitate, & non curioſitate audiendum, pſ.5.con.6. p.499.500.
Verbum Dei infallibile, pſ.6.con.3. p.556.557.
Veſtis Chriſti quanta virtus, pſ.3. con.1.p.171.
Via qua pergimus, plena eſt laqueis & difficultatibus,pſalm.2.con.5. p.126.
Via iuſti recta, & à Deo præparata,ibid.p.127.
Via peccatorum infamis, & ad interitum ducens,ibid.p.128.
Via cæli ſanguinea, pſ.3.con.1.pag. 163.
Via cæli difficilis, pſal.7.con.5.pag. 647.
Via cæli Angelis, & hominibus naturaliter incognita,ibi.p.647. 648.
Vias peccatorum ſepit Deus ſpinis, pſ.7.con.3.p.620.
Ad Videndum Deum magna cordis munditia requiritur, pſal.4. con.4.p.355.
Vigiliæ militares noctis, quid ſint, pſ.5.con.4.p.464.
Viri iuſti præſentem vitam moleſtè ferunt,pſ.con.7.p.500.
Virga Moyſi, quare contra Amalech eleuata.pſ.7.con.3.p.617.
Virgo Maria meruit incarnationis accelerationem, pſ.5.con.5.pag. 439.
Virtutis pictura,pſ.1.con.1.p.7.
Virtus hac tempeſtate rara, pſal.5. conc.7.509.
Vitæ ſecuritatem nemo habet, pſ.2. con.1.p.75.
Vita corporalis, in Dei ſeruitio debet expendi,pſal.4.con.6.p.380. 381.& pſ.5.con.7.p.516.
Vita hominis, militia ſuper terram, pſ.2.con.1.p.161.
Vita hominis perpetua pugna, pſ.5. conc.1.p.420. & pſal.6.conc.4. pag.561.562.
Vitæ humanæ breuitas depingitur, pſ.5.con.2.p.432.433.
Vita humana fumo ſimilis, pſal.5. con.2.p.433.
Vita humana nebulæ comparatur, pſ.5.con.2.p.433.
Vita humana radio tectoris ſimilis, pſ.5.con.2.p.434.
Vitæ humanæ fragilitas,pſ.5.con.2. p.435.436.
Vita præſens, iuſtis moleſta,pſal.5. con.3.pag.449.& pſal.6.con.4. p.564.
Vita humana,quare mercenarij vitæ comparetur.pſ.1.con.5.p.64.
Vitæ ſolitariæ encomia.pſal.5.con.3. p.453.
Vita ſolitaria Deo accepta, pſal.5. con.3.p.454.
Vitæ humanæ breuitas, pſ.5.con.4. p.464.
Vitæ humanæ ſagacitas, pſ.5 con.4. p.466.467.
Vita humana,quare vmbræ comparetur?ibid & pag.497.
Vitam aliquãdo Deus peccatoribus abbreuiat, pſ.3.con.7.p.513.514.

Vitam

Digitized by Google

Vitam hanc cur ſancti aliquando ſibi prorogari orent, pſal.5.con.7. p.515.
Vita præſens cum æternitate confertur, pſ.5.con.7.p.517.
Vita humana miſeriam non ſentit homo, pſalm.6.conc.4. pag.561. 562.
Vita præſens nox appellatur, pſal.7. con.5.pag.641.
Vitæ breuitas, ibid.
Vitia quomodo relinquenda? pſ.1. con.5.p.61.
Vltio diuina, arcui comparatur, pſ.1. con.1.p.5.
Vmbra, pro auxilio accipitur, pſ.6. con.5.p.585.
Vnicornij proprietas, pſal.4.con.5. p.369.
Vnitas & concordia animorum commendatur, pſ.5.conc.7.pag. 505.
Volupia & Angerona ab antiquis venerata, pſalm.3.conc.1.pſalm. 163.
Voluptas carnalis dicitur illuſio, pſ. 2.con.4.p.209.
Voluptatum exitus triſtes, ibid. & pag.211.
Voluptas amplexatur vt occidat, ibid.
Voluptas carnalis appetitum non ſatiat, pſ.2.con.4.p.212. & pſ. 7.con.3.p.625.
Voluptas omnis breuis, pſal.3.con.4. p.215.216.
Voluptates, ſimiles pomis apparentibus, pſ.3.con.4.p.217.
Voluptas inebriat, pſal.3.con.4.pag. 219.
Voluptas venenum eſt, pſal.5.con.3. pag.451.
Voluptates contemnit, qui Deum cognoſcit, pſ.5.con.3.p.487.
Voluptas, lacti comparatur, pſal.6. con.1.p.536.
Vxor Loth, quare in ſtatuam ſalis conuerſa? pſal.1. con.3. pag.34. & pſal.3.con.4.p.214. & pſal.4. con.5.p.371.

X

XErxes ab Arctabano præfecto fuit occiſus, pſ.6.conc.4. pag.565.

FINIS TABVLÆ.

Digitized by Google

Excudebat Guichardus Iullieron,
Typographus Regius.

LVGDVNI, 1603.

Digitized by Google

VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google